COMMENTARIA

AD INSTRUCTIONEM CLEMENTIS XI

PRO

EXPOSITIONE SS. SACRAMENTI IN FORMA XL HORARUM

ET

SUFFRAGIA ATQUE ADNOTATIONES

SUPER DECRETIS SACR. RITUUM CONGREGATIONIS

Vol. IV.



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
MDCCCC.

INDEX

Suffragia et Adnotationes super Decretis S. R. Congregationis.

Suffragia
ad praecipua quaedam recentiora Decreta
Sacrorum Rituum Congregationis.



LECTORI PRAEMONITUM

Singuli Ecclesiae Romanae Ritus (atque eos dicimus qui divinarum rerum naturam non tangunt, in quibus nulla potest esse varietas) vel ab exordiis christianae fidei proprium id sibi semper obtinuerunt, ut non tanquam alicuius peculiaris Ecclesiae consuetudines, quantumvis legitimae, sed tanquam certae divini cultus rationes ceteris omnibus Ecclesiis pro opportunitate imitandae retinerentur. In quorum confirmationem Decentii Episcopi sufficiat epistola, quam olim Innocentio Romano Pontifici misit, ut Romanae Liturgiae arcana ille sibi aperiret. Ineunte vero tempore, quo apertius exerceri potuit vera religio, eo magis nihil ferme fuit, quod si Romana Ecclesia in Dei cultum sibi unquam proposuerit, ceterae catholici orbis Ecclesiae ab ea non fuerint mutuatae, praesertim in iis quae non locorum conditione, sed christianae pietatis virtute instituta esse videntur.

Inter cetera solemnis in Urbe est cultus per XL horas Eucharistiae publice exhibendus iam ab anno 1592 per Clementem VIII Pontificem Maximum fel. rec. certo ordine inductus, atque ita ut per anni circulum vel uno temporis momento Christus Dominus sui fidelium veneratione non careat. Licet enim quaedam eius adorationis origo antiquior habenda sit; tamen ubi primum ita ab Ecclesia Romana sancita et in actum deducta est; eam saltem in parte imitandi desiderium aliis civitatibus, a pietate quidem non alienis, commune quodammodo evasit. Atque ipsi Romae, religionis Magistrae, quid tandem vehementius optandum quam quod aequo ubicumque splendore Dominici Corporis Sacramentum assiduissime coleretur?

Cum igitur quae ad rite Christi Corpus publicae venerationi exponendum congrua Apostolicae Sedi visa sunt, in ea Institutione, quam a Clemente XI *Clementinam* dicunt, simul una contineantur; eaque observanda sint ubicumque eius adorationis ratio adhibetur; hinc est quod eiusmodi Instructio nedum Decretis Sacrae Rituum Congregationis cum adpositis notamentis adiungi debeat, sed et omnium commoditati aeque imprimi separatim. Quod hic praestitimus.

INSTRUCTIO CLEMENTINA

Pro expositione Sanctissimi Sacramenti occasione Orationis quadraginta horarum adnotationibus illustrata



OPERIS RATIO

1. Plurima sane occurrunt in hac nostra Collectione Decreta, quae circa Venerabilis Sacramenti expositionem versantur. Haec inter nonnulla sunt, quae ad solemnem illam fieri solitam pro Oratione perenni Quadraginta Horarum proprie pertinent; alia vero, quae ad ceteras magis minusque solemnes, publicas vel privatas, extenduntur; omnia tamen in unum confluunt eumdemque finem, qui est, ut Sacri serventur Ritus ex Ecclesiae Instituto augustissimae illi actioni convenientes; et, si qui irrepsere alicubi abusus, omnino tollantur. Quoniam vero quae sparsim in iisdem habentur, stricte simul collegit; et, aliis adiectis, in quasdam veluti regulas distribuit *Instructio,* quam *Clementinam* dicimus, praecipue servandas in Urbe, occasione Orationis Quadraginta Horarum, cum qua solemnis Sanctissimi Sacramenti expositio coniungitur; eamdem, si appendicis loco collectioni adderemus, non ingratum fore existimavimus. Hanc enim Sacrae Rituum Congregationis responsa mirifice illustrant; veluti ex commentariolis, quae singulis eiusdem Instructionis partibus subiicere operae pretium duximus, facile patebit. Plurimum certe proderunt cum Instructio tum Decreta ad rite servandas caeremonias, quae vel ex lege scripta, vel ex constanti Ecclesiae disciplina ad cultum exhibendum Sacrae Eucharistiae, quacumque ex causa Fidelium adorationi expositae, sunt ordinatae.

2. Ne sit qui existimet me velle in antecessum dissertationem conficere de primo Orationis Quadraginta Horarum Auctore; de ratione, qua potissimum is motus fuit; ac de aliis similibus quaestionibus, quae fieri possent, sed nos forte nimis a nostro proposito et fine abstraherent. Quidquid sit de primo huius Instituti Auctore, certum tamen est pium hoc exercitium initia habuisse Mediolani circa Annum 1534, sub Alphonso II Duce, ut Ughellius refert *Italia Sacr.,* neque ita multo post ad aliquas Urbis Ecclesias fuisse propagatum. Nam *Pius IV* in sua Constitutione, quae incipit: *Divina disponente Clementia etc.* decimo quinto Calendas Decembris 1560, probavit confirmavitque Sodalitatem *Orationis* seu *Mortis,* quae in singulis mensibus, statis diebus, per horas quadraginta Christum imitata, qui ad quadraginta dies ieiunium in deserto protraxit (id Mediolani fiebat ad recolendum tempus, quo Christi Corpus latuit in Sepulcro) orationi vacabat, Dominicum Corpus decenti pompa circumferendo. Unde coniicere possumus, non tamen certo adfirmare, quod Sacra Eucharistia ab initio usque ad finem Orationis exponi etiam consueverit, quemadmodum Mediolani in more iam pridem fuerat. Quamquam multo ante pium hoc Institutum in Urbe obtinuisse dicendum est, opera S. Philippi Nerii, qui prima fundamenta iecit *Confraternitatis SSmae Trinitatis Peregrinorum,* quod accidit Anno 1548. Ita Baccius in eius Vita *lib. 1, cap. 8:* « Ogni prima Domenica del mese e di più ogni anno per la Settimana Santa esponeano il SSmo Sacramento per l'Orazione delle quarant'ore »; hinc iure credimus a Sodalitate *SSmae Trinitatis,* ad alteram postea, quae dicitur *Mortis,* pium hunc morem, tam Orationis quam simultaneae SSmi Sacramenti expositionis, fuisse propagatum.

3. Sed id privatorum erat, qui simul statis temporibus in Sodalitii Ecclesiam conveniebant ad pia Religionis opera exercenda; et quamdam veluti Communitatem efformabant, dum conventus fiebant; nulla tamen lege tenebantur, et poterant pro lubitu adesse vel abesse; et etiam, deficientibus Sodalibus, Societatem dissolvere. Perennis praeterea non erat Oratio, ut numquam per Anni circulum in una alterave Ecclesia cessaret, quamvis per quadraginta illas horas non intermissa, quibus decurrentibus utraque Sodalitas eidem coram Sacramento, ad invicem succedentibus Fratribus, vacabat. Num ab initio *Mediolani* perpetua fuerit, certo adfirmare non possumus: talis procul dubio erat aevo *S. Caroli Borromaei*, quo Ecclesiam illam regente, scimus per turnum distributas fuisse Ecclesias, in quibus, solemniter exposito Sacro Vase cum Eucharistia super Altari, iuxta illius temporis et regionis morem, sine intermissione diu noctuque Oratio fieret, ut colligimus ex *Instructione,* qua Sanctus Antistes et cohibuit abusus qui forte irrepserant, et certam praescripsit formam et quasdam dedit regulas ea in Oratione omnino servandas. Huiusmodi *Instructio* legi potest in *Actis Ecclesiae Mediolanensis tom. 2, pag. 681 et sequent. editionis Patavinae.* Insuper « ex vita Beati Iuvenalis Ancina Salutiarum Episcopi, super Sanctissimam Eucharistiam in tali occasione exponi consuetam, non leve aliud eruitur argumentum, dum Doliani apud Lagienses populos instituta ab eo asseritur Oratio Quadraginta Horarum, ad quam processionaliter diu noctuque occurrit populi multitudo plurima, SSm̃um Sacramentum veneratura ». Ita Cavalerius *tom. 4, cap. 10, adnotat. praeliminar.* Nec tamen ex hoc consequitur *Doliani* Orationem fuisse perpetuam, scilicet ad integrum annum, distributis per turnum Ecclesiis, protractam; licet ubi erat in more, fieret cum Sacramento post solemnem supplicationem adorationi exposito, ad quod colendum frequens populus confluebat.

4. Forte etiam Romae aliae erant Ecclesiae, quae exemplo excitatae *Sodalitatum Sanctissimae Trinitatis* et *Mortis,* pium hoc Institutum sequutae sunt. Verumtamen, etiamsi non in aliquibus tantum, sed in bene multis laudabile hoc et maxime religiosum cultus pietatisque exercitium obtinuisset, de quo tamen certa nobis non occurrunt documenta nec tantum est otii ut in iis quaeritandis, si quae sunt, immoremur; deerant nihilominus ea, quae Institutum hoc (quoad Urbem) praecipue distinguunt, videlicet *perennitas Orationis,* quae in una incipit Ecclesia, prius quam in alia absolvatur; ita ut per integrum anni circulum numquam deficiat; et *publica Auctoritas,* quae nedum eamdem lege praecipiat, verum etiam ordinem ac methodum praescribat omnino servandum.

5. Clemens VIII ille fuit, qui sub finem Seculi XVI utrumque praestitit. Siquidem commotus calamitatibus et angustiis, quae Christianam Rempublicam undique premebant; noscens «Orationem bonorum omnium esse conciliatricem, quae ex corde humili et animo contrito Coelos penetrat, iram Dei mitigat, plagas et flagella avertit et Divinae Misericordiae impetrat abundantiam... et quidem tanto facilius... quanto maior fidelium et piorum multitudo in uno Caritatis spiritu copulata continuatas adhibet preces..., statuit ad placandum Deum... perpetuam sine intermissione Orationem publice in hac alma Urbe sic instituere... ut die noctuque, quavis hora, toto vertente anno sine intermissione, Orationis incensum in conspectu Domini dirigatur ». Ita in eius Constitutione *Graves et diuturnae,* data die *25 Novembris 1592.* Certum est itaque a *Clemente VIII* petenda esse initia Orationis perpetuae in Urbe per singulas designatas Ecclesias, incipiendo a Palatii Apostolici Sacello, quodam servato ordine a Dominica prima Adventus usque ad integram ultimam hebdomadam post Pentecosten distributas. Sed non aeque certum est perpetuae Orationi expositionem quoque SSm̃i Sacramenti ex lege dicta a Pontifice ab initio coniungi coepisse. Constitutio de sola loquitur Oratione, de Expositione non item: nisi quis subobscure eam indicatam velit postremis illis verbis: *Orationis incensum in conspectu Domini dirigatur;* quae tamen verba, non secus intelligenda sunt, quam de publicis precibus, quae semper, vel exposito vel latente Sacramento, dum fiunt, coram Domino fiunt. Quamobrem ex Clementina Constitutione consequitur Orationem perpetuam dumtaxat in praecepto fuisse, Expositionem vero Sacramenti in facultate et arbitrio. Fortasse tamen non ita multo post, si non fuit ab initio, obtinuit consuetudo exponendi Augustissimam Eucharistiam in singulis Ecclesiis per integras quadraginta horas praescriptae Orationis, veluti fiebat iampridem nedum Mediolani, verum etiam Romae in Ecclesiis, Sodalitatum *Peregrino-*

rum et *Mortis*. Haec autem consuetudo universalis, diuturna, non intercepta eam habet vim, quae scriptis legibus inest, neque ab ea recedere amplius licet. Id colligimus ex Clementinae Instructionis, de qua nos agimus, exordio, ubi designatur tempus non Institutionis, sed « Dell' introduzione dell'Esposizione del SSm̃o Sacramento per l'Orazione continua delle quarant'ore »; quae sane verba ita intelligenda videntur, ut Oratio perennis primum fuerit indicta, postea vero sensim accesserit maxime commendabilis usus exponendi simul Sanctissimum Sacramentum; quod forte initio fiebat aperto tabernaculo cum Pyxide velata.

6. Verum non contemnenda argumenta occurrunt, quae plane evincunt Expositionem SSm̃i Sacramenti, etsi non praescriptam a Clemente VIII, huius tamen aetati, ac proinde institutioni Orationis perpetuae esse coaevam. Si eidem normam praebuit cum Mediolanensis Ecclesiae, tum Sodalitatum *SSm̃ae Trinitatis* et *Mortis* mos iamdiu invectus, plane consequitur solemnem Sacrae Eucharistiae Expositionem ab exordio coniungi coepisse Orationi perenni Quadraginta Horarum. Praeterea nedum coniecturae et praesumptiones, sed documenta prostant, quae rem conficiunt. *Caeremoniale Episcoporum* appello, quod publici iuris factum est sub eodem Clemente VIII anno 1600, octennio post antedictam Constitutionem *Graves et diuturnae*. Nam *part. 1, cap 12, num. 8,* regula servanda traditur: « Si aliquando contingeret coram Episcopo, vel per ipsum Episcopum celebrari, existente SSm̃o Sacramento super Altari... vel cum exponitur Oratio Quadraginta Horarum». Anno igitur 1600 Orationi coniungebatur Sacramenti expositio. Neque existimes ex *Caeremonialis Rubrica* haud probari Romanum morem; eo quia idem Liber, cum sit ordinatus pro Ecclesiis universi Orbis, hac in parte non iubet quid faciendum sit, sed praescribit modum tenendum, si alicubi fiat. Etenim cum necessarium visum sit eam Regulam *Caeremoniali* inserere, eamque extendere ad Orationem Quadraginta Horarum, non immerito arguimus expositionem huiusmodi fere ubique iam fieri coepisse. Adstipulatur Decretum Sacrae Rituum Congregationis in *Illerden. 28 Aprilis 1607,* quod iubet: « Ne Concionatores caput tegant ante Sacramentum expositum infra Octavam Corporis Christi; et quando per annum Oratio continua Quadraginta Horarum indicitur ». Neque censendum in Ecclesiis Urbis non id fieri coeptum, quod per plures Dioeceses iam fuerat propagatum: imo potius putandum est Romanum morem illis exemplo fuisse. Benedictus XIV in laudata *Instit. Ecclesiastic. 30,* quamvis fateatur a Clemente VIII Expositionem SSm̃i Sacramenti non fuisse lege praeceptam, eius tamen Constitutioni coaevam merito existimat. « Licet de exponenda publice Eucharistia nullum Pontifex verbum faciat, coniici tamen facile potest, tunc primum morem inductum fuisse, vel paulo ante (*non dicit* paulo post, *sed* paulo ante) ut Sacra Eucharistia exponeretur, cum Quadraginta Horarum Oratio indicebatur ».

7. Praeterire modo iuvat alia Sacrae Rituum Congregationis Decreta suis apte locis infra referenda, quae licet posteriora sint, morem tamen hunc longe ante inductum fuisse supponunt. At nequeo praeterire Bartholomaeum Gavantum, qui suas ad Rubricas Missalis Romani lucubrationes, primum praelo datas Mediolani *Anno 1627, ad tit. 14, part. 2,* de hoc more loquitur tamquam universaliter recepto, inquiens: « Inprimis igitur illud est notandum, quod pro exponendo SSm̃o Sacramento in Altari pro initio Quadraginta Horarum vel spiritualium exercitationum, cantari debet Missa Votiva de SSm̃o Sacramento etc. ». Nemini dubium, quod cl. Auctor agat, non de usu Ecclesiae Mediolanensis, sed de Romano; quippe Mediolani expositio et repositio Sacramenti fiebat sine Missa. Porro Gavantus ab eodem Clemente VIII Sacrae Rituum Congregationi, ut alter e Consultoribus adscriptus, postea ab Urbano VIII in Romani Breviarii correctione laudabiliter adhibitus: nomen idcirco sibi auctoritatem conciliat. Si meum, qualiscumque sit, sensum promere licet, puto Orationi coaevam fuisse expositionem Sacramenti; hanc vero a Clemente VIII non praeceptam, forte quia praecipiendum non id necessarium duxit, quod iam erat in more positum apud illas Ecclesias, in quibus vel ex Instituto vel ex devotione perennis Quadraginta Horarum Oratio statis temporibus peragebatur. Atque ita existimasse doctissimum Pontificem Benedictum XIV supra relata verba plane suadent.

8. Quamquam vel ipsi institutioni coaeva sit, vel etiam ante, aut non ita multo post inducta fuerit simultanea SSm̃i Sacramenti expositio; certum est tamen eumdem morem antiquissimum esse, qui, etsi ab initio in arbitrio fuerit, vim postea legis obtinuit;

nec amplius licet Orationem Quadraginta Horarum indicere, sine simultanea SSmi Sacramenti expositione. Quoniam vero, ut saepenumero accidit, etiam in Religiosis et ad Divinum Cultum pertinentibus Institutis nonnulli abusus intromitti in aliquibus Ecclesiis coeperant; ad hos penitus eliminandos non defuit Praesidum vigilantia, qua simul privatorum licentia cohibita et sacrae actionis decori fuit consultum; quemadmodum constat ex edictis diversis temporibus, prout circumstantiae exigebant, editis a Cardinalibus Urbis Vicariis, quae in Tabulario Secretariae Vicariatus asservantur. Verum Clemens XI, quae sparsim statuta fuerant, simul colligi iussit certasque regulas omnino servandas praescripsit, ut omnes scirent, quid in Oratione, Processione, Expositione, Repositione cum ab ecclesiasticis tum a Laicis agendum esset, quid vitandum, adiecta comminatione poenarum adversus illos qui secus facerent. Hinc prodiit publicique iuris facta fuit Instructio illa, de qua nos agere proposuimus.

9. Itaque a Clemente XI, primo eius Auctore, huiusmodi Instructio *Clementina* dicitur, et in vulgum prodiit *die 21 Ianuarii 1705;* dein vero ab eiusdem Successoribus Innocentio XIII, Benedicto XIII et Clemente XII fuit confirmata, ac post integri seculi fugam in viridi est observantia. Eadem certam quamdam praescribit methodum dilucidis regulis dispartitam, ad quam tuendam servandamque omnes indistinctim tenentur Urbis Ecclesiae, quin liceat ab ea declinare, nisi tales concurrant circumstantiae, propter quas, qui praesunt, legem aliqua in parte emolliri opportunum existiment. Quaedam ea continet, quae cum sint generalia et ad essentiam pertineant cultus Sacrae Eucharistiae debiti, nedum Romae in sola Oratione Quadraginta Horarum, sed etiam alibi et in aliis omnibus Expositionibus, quae per annum fiunt, servanda omnino sunt. Quod quidem procedit non ex praescripto Instructionis, quae unam respicit Orationem Quadraginta Horarum pro Ecclesiis Urbis; verum ex Ecclesiae instituto ac disciplina et ex Sacrarum Congregationum decisionibus. Cetera vim legis habent quoad Urbem, sed ad alias Ecclesias non extenduntur, licet laudabile multum sit ut ubique serventur, quemadmodum respondit Sacra Rituum Congregatio in *Patavina die 12 Iulii 1749* (habetur hac in nova Collectione num. 2403). Et revera cum Instructio data sit peculiariter pro Ecclesiis Urbis, hoc satis est, ne quoad alias obligationem inducat. Verbo dicam, eamdem quoad Urbem vim praeceptivam habere, quoad alias Ecclesias dumtaxat directivam. Quae sane distinctio obtinet etiam in Urbis Ecclesiis relate ad expositiones alias, quae per annum frequenter fieri solent, nisi tamen aliqua ex Instructionis Regulis etiam ad has expresse extendatur.

10. Volunt nihilominus Cavalerius *Oper. tom. 4, cap. 8, § 24 Instructionis;* et Tetamus *in Appendice ad § 5 eiusdem;* volunt, inquam, Instructionem vim legis ubique habere. Cum enim ambo notassent aliqua in eadem contineri, quae a Caeremoniali Episcoporum et Rituali Romano discordare ipsis visa sunt: « Haec autem, aiunt, novissime Romae petita sunt declarari »; et responsum prodiisse affirmant *die 26 Martii 1746* hisce conceptum verbis: « Servandam esse Instructionem, quia consonat praxi Cappellae Pontificiae et Urbis Romae, quae totius Orbis Magistra est ». Prosequitur Cavalerius loco citato: « Petitio autem processit de Expositione qualibet etiam extra Romam. Unde quae methodus ab ea (scilicet Instructione) praescribitur, ubique gentium patet esse servandam, etsi contrarium habeat Caeremoniale Episcoporum vel Rituale Romanum ». Non quaeram modo num revera aliquod intercedat discrimen Instructionem inter et Caeremoniale ac Rituale; alibi opportunior erit de hoc disserendi locus. Id, quod nunc interest, ad ipsum quod laudatur Decretum refertur. Me redarguat nemo, si de eiusdem authenticitate dubitavero. Scito enim illud in Sacrae Rituum Congregationis Regestis minime reperiri; et penitus ignoramus num revera, a qua Congregatione et cuius auctoritate datum sit. Uterque Auctor silet et nimis generica utitur expressione: « Novissime Romae petita sunt declarari: – Declaratum fuit Romae ». Quamobrem iure existimo non aliud illud esse, nisi privatum responsum alicuius rerum liturgicarum Periti, rogati ut suo iudicio enodaret quaesitum sibi ad decidendum traditum.

11. Dato autem, quod non privati hominis iudicium, sed Sacrae Rituum Congregationis declarationem praebeat laudatum responsum: quid tamen inde? Habebit solummodo vim directivam, non praeceptivam: siquidem posterius Sacrae Congregationis Decretum quaestionem solvit. Interrogata: « An Instructio pro Oratione Quadraginta Horarum, Romae iussu Clementis XI

edita, etiam extra Urbem servari possit ac debeat? » sub die 12 Iulii 1749 respondit: « Praedictam Instructionem extra Urbem non obligare; laudandos tamen, qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis locorum statuatur ». Igitur iuxta novissimum hoc Decretum, fas erit servare tam modum ab Instructione traditum, quam alterum a Caeremoniali praescriptum, licet primus ad sensum eiusdem Decreti magis congruere videatur; praesertim quia, siqua est apparens repugnantia inter Instructionem et Caeremoniale ac Rituale, essentialia ne minimum quidem laedit, sed circa modum solummodo versatur, ut infra loco magis opportuno videbimus.

12. Laudabile igitur, si Instructioni omnes se conforment Ecclesiae, licet coactive non teneantur. Idcirco sapienter subdit Decretum ac limitationem ponit: « Nisi aliud ab Ordinariis locorum statuatur ». Hinc si Episcopi quoad aliquam ex praescriptis Regulis ab Instructione recedere satius ducant vel aliquid moderandum censeant, ut locorum et Ecclesiarum qualitati provideant, laudabilibus et rationabilibus consuetudinibus, quae nec per Caeremoniale Episcoporum abrogantur, se conforment, variisque consulant circumstantiis, quae non ubique eaedem sunt, hoc erit servandum. Id tamen dumtaxat intelligendum de iis, quae, salva ritus substantia, vel circa modum versantur, vel quamdam congruentiam important nullamque praeferunt deformitatem, si diversimode fiant, aut etiam omittantur. Secus vero de iis est, quae cultus substantiam spectant, et sacrae actioni sunt essentialia; quae propterea ubique locorum servanda sunt, non in vim Instructionis, quae ad universum Orbem non extenditur, sed ex Ecclesiae praescripto, Rubricis ac Sacrarum Congregationum Generalibus Decretis, quae ubique vim legis habent.

13. Quoniam vero, ut patet ex hucusque dictis, *Clementina Instructio* vim praescriptivam habet in Urbe, directivam dumtaxat quoad alias Ecclesias per universum Catholicum Orbem; et, ut ubique servetur, multum laudabile est: operae pretium ducimus exemplum sequi Cavalerii et Tetami, qui eamdem doctis quibusdam adnotationibus illustrarunt. Opportune distinguenda erunt, quae ubique servanda sunt, ea secernendo ab aliis, quae pro locorum, temporum ac peculiarium circumstantiarum ratione possunt vel praeteriri omnino, vel saltem moderari. Varii etiam pro regularum applicatione distinguendi sunt casus, etsi de Ecclesiis Urbis agatur. Publicae namque expositiones, praeter illas Orationis Quadraginta Horarum, solemnes pariter sunt, vel quia ob gravem causam publicumque Ecclesiae bonum fiunt, vel quia ex Instituto aut alia urgenti ratione, aliqua cum celebritate populique frequentia peraguntur; vel quia, licet non sint praeceptae pro Oratione Quadraginta Horarum, formam tamen pro eadem praescriptam tenent. Sunt etiam et aliae vel longe minus solemnes vel privatae, quemadmodum suis apte locis videbimus. Hinc modi regularumque diversitas. Nam quae publicam expositionem respiciunt, nequeunt in omnibus aeque aptari privatis: rursus, quae in solemnissimis tenendae sunt, non item necesse est ut obtineant in minus solemnibus, quae ad breve tempus ex venia, non ex praecepto fiunt, vel statis diebus, vel occasione novendialium, quae praemitti solent Festivitatibus B. M. V. et Sanctorum, vel aliis de causis. Ut autem opus hoc nostrum utile sit, non sistam dumtaxat in iis, quae ad Orationem Quadraginta Horarum proprie pertinent, sed et alia insuper persequar, quae diversimode obligant in aliis quibuslibet expositionibus vel publicis vel privatis, vel magis minusque solemnibus.

14. Mirabitur forte quis quod in me hoc negotium susceperim, postquam spartam hanc Cavalerius atque Tetamus ita illustrarunt doctis adnotationibus, ut nihil iisdem addi posse videatur. Curnam id fecerim? percontabitur. Verum percontandi locum is non esse fatebitur; desinetque admirari, si rationes, quibus motus fui, ut eorum opus recuderem, attente consideret. Cum enim Decretorum Sacrae Rituum Congregationis Collectioni Instructionem Clementinam adiicere Appendicis loco statuissem, opportunum visum est mihi sub qualibet sanctione notare Decreta, si quae sunt, relativa ad eamdem. Mens praeterea erat, ut quilibet uno veluti obtutu singula agnosceret, quae ad unam alteramve regulam pertinent; quod fecisse praefatos Auctores non diffiteor, sed accidit saepenumero, ut ad alia eorumdem operum loca Lectorem amandent, quod perincommodum multum est. Forte etiam aliquam praetereunt quaestionem, vel saltem vix attingunt, sed non satis illustrant: quamobrem supplendus erat defectus. His accedit, quod non in omnibus ego eorum sententiis assentior, sed quandoque, ut ab iis dissentirem, non

omnino contemnendae rationes me impulerunt. Utrum bene, aliorum erit iudicium. Ac tandem recentiora addenda erant Decreta, quae nondum prodierant, dum Cavalerius suum opus absolvit, a quo Tetamus, quidquid in hanc rem scripsit, est mutuatus. Hoc fuit instituti mei consilium, haec ratio. Utile opus pergratumque futurum arbitror, saltem quia in unum collecta sunt omnia, quae circa Sacrae Eucharistiae expositionem, quocumque modo ea fiat, versantur. Aliqua etiam incidenter habentur, quae inservire poterunt pro norma Processionum, in quibus Sanctissimum Sacramentum, vel pro Oratione Quadraginta Horarum, vel in solemnitate et Octava Sanctissimi Corporis Christi, vel alia quacumque ex causa, magna cum pompa circumfertur. Ne censeas me cuncta persequi velle, quae ad hasce Processiones pertinent; nimis ab instituto diverterem, si id vellem. De iis tantummodo ero sollicitus, cum se obtulerit occasio, quae ecclesiasticae leges, ut earumdem decori consulant, vel facienda vel vitanda esse iubent.



ISTRUZIONE ED ORDINI

Da osservarsi nell'Orazione continua di quarant'ore coll'Esposizione del Santissimo Sacramento per li bisogni di S. Chiesa, secondo la pia mente de' Sommi Pontefici confermata, e pubblicata di nuovo per ordine di Nostro Signore Clemente XII.

PROSPERO del Titolo di S. Silvestro in Capite della S. R. C. Cardinal MAREFOSCHI, della Santità di Nostro Signore Vicario Generale.

§ I.

« Essendo state fatte sin dal tempo del-
« l'introduzione dell' Esposizione del SSmo
« Sacramento per l'Orazione continua di qua-
« rant'ore diverse provisioni spettanti al de-
« coro di detta funzione, acciò le medesime
« vengano esattamente osservate e si rimuova
« ogni abuso introdotto in alcune Chiese;
« d'ordine espresso della Santità di Nostro
« Signore datoci coll' oracolo della sua viva
« voce, ordiniamo e comandiamo, che in
« tutte le Chiese di questa Città tanto Pa-
« triarcali, quanto Collegiate e Parrocchiali,
« ed in ogni altra Chiesa sì dei Secolari,
« che dei Regolari, in qualsivoglia modo
« privilegiata e degna di special menzione,
« in cui si farà la suddetta Orazione di qua-
« rant'ore, s'osservi inviolabilmente quanto
« si prescrive nella presente novissima Istru-
« zione sotto le pene infrascritte ».

§ II.

« Si metterà sopra la porta della Chiesa,
« dove sarà l'Esposizione un segno del SSmo
« Sacramento ornato di festoni, come pure
« a capo della strada vicina, perchè sia noto
« a chi passa esservi l'Esposizione del SSmo
« Sacramento ».

Optimo iure praescripta haec sunt, ut Fideles ante Ecclesiam et per vicinia transeuntes, hisce signis admoniti, confluant Sacramentum veneraturi. Eadem signa plurimum conferunt ad compescendam plebis licentiam, ne clamoribus et turbis devotionem distrahant illorum, qui in Ecclesia sunt Orationi intenti. In aliis vero Expositionibus, quae persaepe fiunt, satis erit quod prope principem ianuam Ecclesiae apponatur signum, quemadmodum in Urbe fit.

§ III.

« Il SSmo Sacramento dovrà esporsi nel-
« l'Altar maggiore (eccettuate le Basiliche
« Patriarcali, nelle quali si suole esporre
« sopra altro Altare), e si coprirà l'Imma-
« gine o Statua, che vi sia; come anche le
« pareti della Tribuna e le vicine all' Al-
« tare, se non vi sono ornamenti fissi, si
« copriranno con drappi, avvertendosi che
« gli apparati non contengano istorie, nè cose
« profane ».

1. Prima pars huius sanctionis tanto cum rigore servanda est, ut, occasione Expositionis pro Oratione Quadraginta Horarum, numquam liceat ab ea declinare, nisi urgeat necessitas exponendi Sacramentum in aliquo satis amplo laterali Sacello, Ara maxima ob novam constructionem, aut necessariam reparationem, aut aliam indeclinabilem causam, impedita. Hoc tamen in casu licentia Cardinalis Urbis Vicarii omnino erit necessaria. Ipse namque agnoscere debet, num, exposito Sacramento extra Aram maximam, satis consultum sit decentiae et religioni, an magis expediat Expositionem ea in Ecclesia differre, donec impedimentum sublatum sit, et interim aliam ei substituere.

Exceptio, quae fit favore *Patriarchalium*, firmat in oppositum regulam quoad alias omnes Ecclesias. Ideo enim *Patriarchales* in lege non comprehenduntur, quia expositio commode fieri potest in Sacello, in quo toto anni tempore asservatur Eucharistia, vel etiam in alio, quod magis opportunum videatur. Huiusmodi quippe Sacella angustis non sunt circumscripta limitibus, sed tam late undique patent, ut horum quodlibet velut altera separata Ecclesia censeri possit: quamobrem frequenti licet confluente populo, nihil timendum est, quod religionem, cultum, decentiam laedat. Neque antiqua consuetudo deerat, dum prodiit Instructio, quae eamdem, ut laudabilem et rationabilem (legem limitando) probavit firmavitque. Non eadem ratio militat quoad alias Ecclesias, licet elegantia et amplitudine insignes, quae proinde regulae generali subiiciuntur.

2. Ea tamen lex ultra Expositiones Orationis Quadraginta Horarum non extenditur. Si de aliis sermo sit magis minusque solemnibus, quamvis maxime deceat ut in Ara maiori hae fiant, regula non est tanto cum rigore accipienda, ut non liceat devotionis, vel etiam commoditatis ergo, vel ad satisfaciendum piis Fundatorum dispositionibus, vel alia rationabili de causa, Sacramentum exponere in aliquo ex lateralibus Sacellis, dummodo quodlibet absit irreverentiae periculum: quemadmodum probat Cavalerius *tom. 4, cap. 7, Decret. 27;* et affert responsum *Sacrae Congregationis Concilii* in causa *Meliten. sub die 4 Februarii 1719,* videlicet: « Expositio SSm̃i Sacramenti fieri debet qualibet prima Dominica mensis in Altari Confraternitatis, et non potius in Altari maiori Ecclesiae S. Pauli; et Episcopus provideat, ne oriantur inconvenientia ». Ex quo Decreto discimus, nedum posse, verum etiam quandoque fieri debere expositiones minus solemnes in aliquo ex lateralibus Sacellis. Cavendum tamen, ne inde oriatur periculum aliquo modo laedendi religiosum cultum, qui convenit Sacramento. Illud avertere Episcoporum sollicitudinis et vigilantiae est. Hinc in Cappellis, quae sunt prope ianuam Ecclesiae, vel expositiones nullimode fiant, vel ianua claudatur; et populus ingrediatur per aliam, ad declinandum irreverentiae periculum. Romae quidem persaepe accidit, ut occasione novemdialium, vel indictarum precum in publicis necessitatibus, vel satisfaciendi causa piis fundationibus et fidelium votis, passim Eucharistia exponatur in aliquo laterali Sacello. Imo id convenire magisque congruere videtur, si fiat ex privata causa, ceu innuit haec nostra *Instructio;* quae § 36 expresse iubet, quod Expositiones, praeter illam Quadraginta Horarum, facere nemini liceat sine Apostolico indulto, vel Cardinalis Vicarii eiusve Vicesgerentis licentia, qua obtenta « Si esporrà il Venerabile in un' Altare o Cappella con un velo avanti ».

3. Altera sanctionis pars, quae est de velandis Imaginibus, pariter obtinet in sola Expositione Quadraginta Horarum; nec est necessario trahenda ad alias nedum minus solemnes, sed etiam solemnissimas, quae non ex praecepto, sed ex pia institutione, laudabili consuetudine et devotione interdum fiunt. In his fateor variam esse Ecclesiarum consuetudinem; ut plurimum tamen longeque frequentius nullo velo tegitur Tabula Altaris, praesertim si ea exhibeat B. M. V. Imaginem, quae in magna est veneratione; neque fieri quandoque posset, ubi frequenter et ad breve tempus Sacramentum cum minori solemnitate exponitur; et Altarium tabulae permagnae tegi nequeunt, nisi oblongis latisque velis, ope scalarum periti manu aptandis. In hac ipsa Urbe usuvenit, ut detegantur quaedam Deiparae Imagines miraculis et devotione populi celeberrimae, quin Ecclesiastici Praesides huiusmodi morem reprobaverint aut interdixerint. Longaeva consuetudo abrumpi nequiret sine offensione et scandalo.

4. Non me latet s. m. *Benedictum XIV* Pontificem sapientissimum et in sacrorum rituum scientia nemini secundum, cum Bononiae esset Episcopus, quadam sua *Institutione,* quae in editione latina est 30, morem hunc improbasse, quemadmodum et alterum, exponendi scilicet Sacramentum in Festis Sanctorum. Postquam enim dixerat hasce Expositiones fieri non debere sine Ordinarii licentia, subdit num. 14 et sequen.: « Notum tamen esse volumus, eamdem facultatem nos minime concessuros, si in ipsis Ecclesiis, statis iisdem anni diebus, Effigies B. M. V. exponatur, vel Festum alicuius Sancti celebretur, licet vetusta huius rei consuetudo nobis producatur. Id enim sacrorum rituum periti summopere damnant ». Auctoritatem affert Bauldry *in Manual. Sacr. caeremon. part. 3, cap. 17, num. 2,* Bissi *verb. Expositio Sanctissimi Sacramenti num. 232, § 5,* Thiersii *de expositione Sanctissimi Sacramenti, cap. 4, num. 12.* Haud tamen haec me commovent. Non enim

spectandum est quod ipse docuit Bononiae Episcopus, verum quod Pontifex Maximus Romae fecit. Nam quod Bononiae docuit ut privatus doctor, in Petri Cathedra postea sedens repudiasse saltem tacite, si non expresse, censendus est. Pontificatum ipse tenuit ad annos duodeviginti; et interea scimus eumdem perquam frequenter, cum ob distantiam Ecclesiarum, in quibus erat Oratio Quadraginta Horarum, ad eas accedere, hyemali praesertim tempore, nimis erat incommodum, ad alias pergere consuevisse, in quibus statis hebdomadae diebus minus solemnis fit expositio, et suismet oculis detectas interea vidisse Deiparae Imagines. Singulis praeterea annis Basilicam Liberianam petebat triduo Quinquagesimae, ut Sacramentum adoraret in Cappella Paulina solemniter expositum, nullo velo obducta, sed omnibus patente vetustissima Imagine B. M. V., quae ibi magna in veneratione est. Ipse autem, qui innumeros reformavit abusus, numquam tamen iussit, ut eadem tegeretur Imago et aliae etiam cooperirentur, quas cum Sacramento exposito apertas ipse viderat. Id satis superque est, ut morem hunc, utpote Ecclesiasticis legibus non repugnantem, a sapientissimo Pontifice, qui secus ut privatus doctor existimaverat, fuisse probatum dicamus.

5. Pro coronide iuvat addere, quod cum nova magnificentissima machina pro solemni expositione peragenda in praefata Cappella Paulina Basilicae Liberianae fuisset exstructa, eo tamen modo ordinata et disposita, ut in altum nimis assurgens, impedimentum afferret detectioni Imaginis B. M. V.; orta quaestio est inter Capitulum et Sacelli Patronum, et causa ad Sacram Rituum Congregationem delata, propositoque Dubio: « An SSm̃um Eucharistiae Sacramentum publicae venerationi sit exponendum in Altari Deiparae Virginis, huius Imagine detecta, vel potius tecta? » responsum fuit: « In casu de quo agitur, servandam esse antiquam consuetudinem » quae erat, ut expositio fieret, detecta Imagine. Ne autem sit qui existimet ad alios casus extendendum non esse Decretum, utpote quod non est generale, sed relativum ad speciem propositam. Nam si in quibuslibet expositionibus cooperiendae essent Imagines Deiparae et Sanctorum, quia, ut aiunt Bauldry et Bissi loco supra citato: « Praesente Domino omnium summo cessare debet cultus servorum »; neque consuetudo, etsi immemorabilis, neque conventio, neque lex fundationis, neque alia quaelibet gravissima excogitanda ratio posset honestare detectionem Imaginum, dum Sacramentum est publice expositum. Itaque supra relata Auctorum verba in sensu congruo sunt accipienda. Cultus utique non sunt confundendi, neque Deiparae et Sanctis ille tribuendus est honor, qui uni debetur Deo: nihil tamen prohibet, quominus, dum preces ad Deum dirigimus, Deiparam et Caelicolas, quorum intuemur Imagines, apud Eum deprecatores adhibeamus: imo ex Ecclesiae instituto ita est faciendum, ut quod nostris precibus non valemus, intercessorum ope et patrocinio consequamur.

6. Sciscitandi hic videtur locus: curnam tegendae omnino sint Imagines in Oratione Quadraginta Horarum, non item vero in aliis vel minus solemnibus, vel etiam solemnissimis, quae non raro per anni circulum fiunt, Expositionibus? Posset quis quaestionem solvere, quia lex unam respicit Expositionem Quadraginta Horarum, et alias non complectitur; ideoque ad has nequit extendi. Sed ratio huiusmodi, ut mihi videtur, nodum non solvit; alia quaerenda est, quam ab intrinseco dicimus. Pro diversitate functionum diversoque earumdem fine, aliquid decet et licet in una, quod in altera, quamvis idem sit utriusque subiectum, non expedit. Porro Oratio Quadraginta Horarum ideo instituta fuit, *ut diu noctuque, quavis hora, toto vertente anno, sine intermissione incensum in conspectu Domini dirigatur.* Ita in laudata Constitutione *Clementis VIII anni 1592.* Instituti itaque praecipuus et unicus hic est finis: ergo durante Oratione, quae numquam intercipitur, nisi in triduo Passionis, quando cessat Hostia et Sacrificium, omnis cultus soli Deo exhibendus est; idcirco expedit velari Altarium Imagines, ut populus sine distractione totus sit in adoranda Eucharistia unice intentus. Hac de causa iubet Instructio nedum tegi Altaris Iconem, verum etiam hemiciclum muralem seu parietes tribunae telis sericis, aut peristromatibus vestiri, conditione adiecta, quod in his non contineantur historiae aut res profanae. « Ego vero, notat hic Cavalerius, adderem *neque sacras;* quia ut profanae valde dedecent rei sacrae, quae exponitur, ita sacrae aptae sunt circumstantium attentionem a Sacramento distrahere et ad se convertere ». Festivus igitur esse debet ornatus omnis, qui apponitur ratione Sacramenti expositi, tam quoad Al-

tare, quam relate ad integrum Sacelli ambitum: nihil tamen in eo occurrat oportet, quod minus conveniat Sacramento, vel distractionibus praebeat occasionem.

7. Quae cum ita sint, facile assequimur Instructionem non ideo sollicitam esse de Imaginum operitione, quasi illicitum censeat easdem detectas haberi tempore Expositionis Eucharistiae, sed ne earum aspectus quid minimum detrahat fini intento in institutione Orationis Quadraginta Horarum. In aliis autem Expositionibus, licet primus honor, ut semper, Deo sit tribuendus; quia tamen vel ex instituto piisque fundationibus, vel ex fidelium devotione, simul Deiparae et Caelicolarum, qui preces nostras Deo offerant, imploratur auxilium; minime dedecet, neque Ecclesiae disciplinae repugnat, aliquam Imaginem oculis intuentium obiicere. *Ita enim Virginem Mariam et Sanctos colimus, ut omnis honor ad Deum referatur;* ut habent S. Thomas *part. 3, quaest. 25, artic. 5, ad 2,* et S. Bonaventura *in 3, dist. 9, art. 1, quaest. 3.* De hac tamen re alias redibit sermo.

8. Quoniam vero alteri quaestioni occasionem praebet idem *Pontifex Benedictus XIV,* qui auctoritatem sequens Bauldry, Bissi et Thiersii improbare videtur morem publicae venerationi exponendi Sacram Eucharistiam in Sanctorum festis: eam paucis expendere liceat. Haud enim convenire arbitrantur praefati Auctores huiusmodi Expositiones: « Quia diversus est cultus exhibendus Sacrae Eucharistiae a cultu exhibendo Sanctis; et, praesente Domino omnium summo, debet cessare cultus Sanctorum ». Porro in sensu tam rigoroso accipienda non est horum opinio, ut nequaquam liceat coniungere expositionem SSmi Sacramenti cum Festis Sanctorum. Secus enim interdicendae prorsusque abrogandae essent novemdiales et triduanae preces, quae persaepe instituuntur ad honorem Deiparae et Caelicolarum, exposito interim Augustissimo Sacramento; imo etiam Litaniae Lauretanae, quae ad implorandum B. M. V. praesidium coram eo a frequenti populo fere semper ante Hymnum *Tantum ergo etc.* recitantur. Carpenda praeterea esset haec eadem *Instructio,* quae §§ 24 et 30 iubet, ut, dum Sacramentum exponitur et priusquam populus cum eiusdem benedictione dimittatur, recitentur *Litaniae Sanctorum, cum suis precibus.* Censura haec impeteret Institutum probatosque Ecclesiae mores, quod vel simpliciter excogitare piaculum est. Nam *Litaniae Lauretanae* et *Sanctorum,* necnon preces aliae recitari solitae et ab Ecclesia adprobatae et permissae, nihil detrahunt cultui debito sacrae Eucharistiae, quia ut supra dictum est, cultus omnis refertur ad Deum, ut ad finem ultimum; et Deiparae ac Sanctorum invocatio fit tamquam medium, quo, adhibitis intercessoribus, facilius a Deo obtineamus quod petimus.

9. Discrimine igitur opus est. Nam si tali ac tanta cum solemnitate et strepitu celebretur festum, ut populi confluentis curiositatem potius excitet, quam foveat devotionem; ac periculum propterea subsit irreverentiae ac distractionis: ex. gr. si exquisitus musicorum concentus ac multiplicium instrumentorum clamorosus sonitus adstantium attentionem attraheret et demulciret aures cum maximo detrimento venerationis Sacramento exhibendae; neminem fore arbitror, qui hoc in casu non existimet satius esse a simultanea Sacramenti Expositione abstinere. Atque haec ratio potius quam auctoritas Bauldry, Bissi, Thiersii movit *Benedictum XIV* dum Cardinalis Bononiensem Ecclesiam moderabatur, ut facultatem se concessurum negaret exponendi Sacram Eucharistiam in festis Sanctorum. Id ipse aperte declarat, inquiens loco supra citato: « Illud enim praeterire non possumus, quod maxime ad hanc sententiam confert, plurima contra Eucharistiae sanctitatem committi, cum festis Sanctorum diebus publice exponitur. Maxima enim frequentia populi in Templum confluit, ubi post preces, vanis colloquiis detinetur, utque animum musicorum concentibus intendat, Divinissimo Sacramento terga vertere non erubescit ». Patet hinc Sapientissimum Antistitem more commotum Bononiae vigente celebrandi festa Sanctorum exquisito apparatu, instrumentorum ac musicorum clamore valido, cum Sacrae Eucharistiae solemni expositione, ad avertenda mala, quae inde oriebantur in religionem, noluisse, ut utrumque simultanee fieret.

10. Contra vero, si festi celebritas undique casta et religiosa nihil prorsus adiunctum habeat, quod sit per se aptum ad distrahendum fidelium animos a veneratione et cultu erga patens in Throno Sanctissimum Sacramentum; si omnia ad Ecclesiasticas leges ita sint composita, ut adstantium affectus ad devotionem excitent foveantque pietatem; non video cur in festis

Sanctorum publice exponere Sacramentum indecorum sit. Neque puto inconveniens esse, etiamsi sub Ecclesiasticae functionis finem, priusquam Sacerdos impertiatur populo benedictionem cum Sacramento, musicalis devotus concentus modulatis vocibus fiat. Posset etiam Expositio differri ad solemnitatis finem, quando nihil est amplius, quod sit per se aptum ad populum distrahendum.

11. Audiendus Cavalerius, qui sub hac distinctione praefatorum Scriptorum opinionem amplectendam, vel reiiciendam esse scite adnotat; et utramque sententiam conciliat Tom. 4, cap. 7, decret. 28, num. 2 et 3. « Dum in tali occasione non exponitur Sacramentum (locum designat ex Benedicto XIV supra relatum), vindicatur ab irreverentiis plurimis, in quas populus frequens labitur; cum experientia compertum sit eumdem non semel occupari in vanis obloquutionibus, attendere musico cantui et instrumentorum sono et quandoque humeris etiam ad Sacramentum versis. Quod si expositionem in tali circumstantia a praedictis absurdis et irreverentiis alicubi immunem praxis comprobet, absit quod ea putetur inhibita, licet satius sit eam fieri circa finem functionis sacrae ad hymnum videlicet, vel ad *Magnificat*. Sic enim populo tempus suppetit se exercendi in recensitis operibus; et pro modico illo tempore plebs facile se colligit Sacramentum veneratura, atque admodum laudabiliter dimittitur cum pretiosa Sanctissimi Sacramenti benedictione ».

12. Quod si iuxta cl. Auctoris sensum, modo praedicto haud dedecet publice Sacramentum exponere, etiamsi Vesperae solemniter cum musicali concentu et multiplici instrumentorum strepitu decantatae fuerint; multo magis licebit, ubi Vesperae, vel nullo modo, vel sine instrumentis, devote alternantibus choris, et cantu ad Ecclesiae leges composito persolvuntur. Et revera sub oculis summi Pontificis, imo cum venia eiusdem Vicarii, aliquibus in Urbis Ecclesiis Titularium festa concluduntur cum SSmi Sacramenti Expositione. Et quamvis frequens conveniat populus, nihil tamen notatur, quod sit minus decens; quia nihil est quod perturbationis et distractionis occasionem praebeat; nihil, quod scandalum et offensionem pariat; nihil demum, quod ad devotionem conciliandam et venerationem fovendam non sit dispositum. Ideo idem Sapientissimus Pontifex *Benedictus XIV* qui protestatus fuerat non concessurum facultatem exponendi SSmum Sacramentum in Ecclesiis Civitatis et Dioecesis Bononiensis, occasione festivitatum Deiparae atque Sanctorum: satis diuturno decem et octo annorum, quibus in Petri Cathedra sedit, spatio, nihil omnino quoad Ecclesias Urbis innovandum censuit: quia in Expositionibus, quae Romae fiunt in Natalitiis Caelitum vel B. M. V. festivitatibus, bene norat eam esse extrinsecam celebritatem, ut nihil secum ferat, quod populum a debito erga Eucharistiam obsequio averteret, aut saltem distraheret.

13. Obiter haec dicta sint. Etenim praefata distinctio nequit habere locum in Oratione Quadraginta Horarum: eo quia, iuxta mentem *Clementis VIII*, qui omnium primus eam per integrum anni circulum fieri iussit in Urbe, ita omnia debent esse composita, ut cuncti, qui conveniunt, adorationi Venerabilis Sacramenti sint unice intenti; et in oratione sine ulla perturbatione spiritus, quantum fert humana fragilitas, consistant. Non alii propterea concentus audiri debent, nisi graves et devoti tantummodo in Missis solemnibus, quae, servata Instructionis regula, cantari debent. Verumtamen in aliquibus Ecclesiis, vespertinis horis dum populus est frequentissimus, inductus est mos modulandi cum vario instrumentorum sonitu suavi voce versiculos, qui tantum abest ut fidelium mentes ad recolendum Divini amoris sublime mysterium pertrahant, ut potius avertant, sin minus, distrahant. Estne huiusmodi mos solidae veraeque pietatis affinis, ac si per eumdem maior honor Sacramento deferatur, ut illi blaterant, qui suam tueri conantur inscitiam? Imo dicam abusum esse, minime ferendum ac radicitus evellendum. Nisi enim opportune cohibeatur, facile est ut producatur ultro licentia; et sensim sine sensu illi inducantur modi, qui ut sunt pruriendis auribus apprime idonei, ita adstantium corda demulcent et mentes a fine in sacra illa actione intento longissime avertunt. Utinam vero id tantummodo esset timendum! Vere tamen non sine gravi animi moerore, et vidimus et audivimus in Domo Dei, in loco Orationis coram Augustissimo Sacramento publicae exposito venerationi, eas repeti symphonias, quae, plaudente hominum otiosorum turba, scaenis inservierant.

14. *Si*, ut verbis utar *S. Pii V* Constit. *Quam primum etc.* dat. 1 Aprilis 1566, *oportet, ut ad Ecclesias sit humilis et devotus ingressus, quieta conversatio;* si *In-*

nocentius XII, ut refert *Benedictus XIV, in Epistola ad Episcopos Ecclesiasticae ditionis 19 Ianuarii 1749* ob enatos abusus, moderatis Decessorum suorum constitutionibus, *generatim quarumcumque cantilenarum, seu motettorum cantum prohibuit,* ac regulam dedit de iis, quae cantari permissum est in solemnibus Missis ac Vesperis, nec non in Supplicationibus instituendis in octiduo festivitatis Corporis Christi: peculiari quodam iure suo exigere videtur Oratio Quadraginta Horarum, ut humilis et quieta sit conversatio; et qui eam turbare possunt cantus ac instrumentorum sonitus, penitus ab Ecclesia arceantur. *S. Carolus Borromaeus,* qui post Tridentinam Synodum merito appellari potest ecclesiasticae disciplinae instaurator et restitutor, praecepit, ut nec Sacra fierent in Ecclesiis, durante Oratione Quadraginta Horarum; et siqua essent implenda in illis onera, iisdem satisfieret in altera ex proximioribus, solummodo unum alterumque Sacrificium in Monialium templis permisit, dum minor esset populi frequentia; divinamque psalmodiam in Collegiatis, longius tamen ab Altari expositionis. Quae autem sanctionis ratio? Ne populo unice intento adorationi Venerabilis Sacramenti ulla daretur perturbationis occasio, neve adstantium divideretur attentio. Quo exarsisset zelo Sanctus Antistes, si quis ausus fuisset coram SSmo Sacramento publicae venerationi patente, sub specie religionis et cultus suaves cantiunculas alternante instrumentorum varietate miscere, quae, quo magis alliciunt et pruriunt aures, eo etiam magis alienant spiritum ab oratione!

15. Equidem Clementina instructio haud expresse prohibet huiusmodi cantiunculas vulgari appellatione *mottetti,* nec musicam sive instrumentalem sive vocalem arcet a templis durante Oratione Quadraginta Horarum. Quid ex hoc? Integer attendendus est contextus, simul conciliandae diversae orationis partes: clare patebit mens Institutoris, licet apertis verbis non expressa. Omnia in unum eumdemque diriguntur finem, nempe, ut cogitationes affectusque omnes non ad alia distrahantur obiecta. Hinc ne ulla in Altari vel prope illud detecta adsit Imago expresse iubet § 3; mandat insuper (§ 6) obscurari fenestras *ad effetto di raccogliere la mente dei fedeli all' orazione;* ut submissa voce preces fundant, si qui sunt Sodalitatum confratres *per non causare distrazione agli altri,* omnino praecipit (§ 9); utque in Missis privatis *neppur si suoni il campanello all' elevazione* (§ 13); arcet procul a foribus Ecclesiae pauperes quaestuantes *ad effetto d'evitare la distrazione de' fedeli che orano* (§ 28); eadem de causa prohibet (§ 32) conciones tempore expositionis: et vix permittit, data a Praesidibus venia, brevia colloquia *per eccitare i fedeli alla devozione verso il SSmo Sacramento.* Si ex his aliisque sanctionibus plane ad veritatem patet cum ratio instituti, tum Pontificis mens, quisnam erit, qui ex Instructionis silentio facultatem relictam existimet miscendi cantiunculas ad certas leges compositas? Si omnia arcenda sunt obiecta etiam sacra et religiosa, quibus ad varia confluentis populi dividatur attentio; quis umquam sibi suadere poterit noluisse legislatorem interdicere cantilenas, quae, quo magis delectant, eo etiam magis quamdam mentis alienationem inducunt ab Eo, quod unice adorandum proponitur?

16. Sustineri posse inductum morem, qui illum tuentur, existimant; quia huiusmodi versiculi desumpti ex Psalmis, Canticis aliisque Bibliorum locis ad Sacram Eucharistiam pertinent, vel mysticam habent significationem, nihilque est quod non sit Ecclesiae probatum, aut profani quid redoleat. Oh quam facile decipimur sub specie boni! Nonne satis est, quod musica tam vocalis, quam instrumentalis, licet in aliis sacris functionibus admissa, in hac tamen institutione fini, obiecto, menti Legislatoris lataeque legi repugnet? Nonne Oratio Quadraginta Horarum iure quodam suo silentium postulat, ut cogitationes omnes et affectus in unum simul dirigantur obiectum et finem? Sancta sint carmina, graves modi atque devoti, nihil prorsus occurrat cum in vocibus, tum in instrumentis, quod religionem non foveat, et ad venerationem excitandam erga Sacramentum non sit apprime aptum. Quid tum postea? Non omnia, quae sancta sunt, semper et qualibet occasione expedit fieri, neque in privatorum hominum arbitrio est ea agere, quae, licet pietati videantur accommodata, iustis tamen de causis a Praesulibus in sacris quibusdam actionibus tacite vel expresse interdicuntur, etsi permittantur in aliis. Praeterea, experientia, heu nimis! discimus, quosdam inductos mores, in se spectatos sanctos multaque commendatione dignos, prudentibus tamen ecclesiasticae disciplinae institutis non satis probatos, sensim sine sensu in

damnandos abusus converti. Quod praecipue accidit in musica tam vocali quam instrumentali. Quoties eo processit licentia, ut in Ecclesiis ea repeti audita fuerint, quae profanis spectaculis inservierant! quum ad satisfaciendum otiosae plebis curiositati, factum nil aliud sit, nisi ad sacros versus transferre modos, qui in profanis cantiunculis adhibiti maiorem plausum reportarunt. Atque hanc fuisse rationem arbitror, propter quam, ut refert *Benedictus XIV* in praefata Encyclica ad Episcopos, *Innocentius XII* generatim quemcumque cantilenarum, seu motettorum cantum eliminavit ab Ecclesiis; atque hac lege revocavit, quod iam pridem sub certis quibusdam regulis et conditionibus indulserant *Alexander VII* et *Innocentius XI,* exclusis videlicet modulis illis, *qui choreas et profanam potius melodiam, quam ecclesiasticam imitantur.* Videtur igitur moderamen huiusmodi non fuisse servatum. Quamobrem *InnocentiusXII* coactus fuit, *offusis variarum interpretationum tenebris discussis,* coercere licentiam interdicendo cantum motettorum; ac limitando musicam ad Missas solemnes et Vesperas, iis enumeratis, quae modulari tantummodo possent.

17. Verumtamen, *Innocentii* Constitutione non obstante, in aliquibus solemnioribus expositionibus, quae per annum fiunt, praesertim vero bacchanalium tempore, scientibus et silentibus Praesulibus, cantum motettorum et variorum instrumentorum sonitum saepius et quotannis permissum et novimus et nostris auribus audivimus. Quid igitur? Cur quod fit in aliis, si fiat in Expositionibus Quadraginta Horarum, piaculum erit? Meum non est rationes scrutari, quibus moti summi Praesides tacite vel expresse id sinunt in aliis expositionibus, quod fieri posse nego in Oratione Quadraginta Horarum. Grande intercedit inter utrumque discrimen. Illarum quippe, quae solemniter fiunt, dum populus ludicris spectaculis est totus intentus, duplex est finis. Alter versatur circa honorem Deo tribuendum, ut aliquo modo compensatio ei retribuatur pro iniuriis, quae irrogantur ab illis, qui, ut sequantur vana mundi deliria, vitiis laxare habenas non erubescunt; alter vero, ut homines ab iocis et scurrilitatibus retrahantur. Quamobrem si in his admittatur musica cum vocalis tum instrumentalis, gravis, devota, ad Ecclesiae leges composita, nihil habens, vel in modis vel in expressionibus, quod locum orationis dedeceat et profanum sit; id ferendum esse non inficior. Etiam in aliquibus Ecclesiis Urbis antiqua est consuetudo a Praesidibus tolerata canendi versiculos, pulsatis organis, et instrumentis, in hebdomadis Sexagesimae et Quinquagesimae, dum luxuries magis agitat profanam plebem. Sed longe diversa ratio est, quae militat in Oratione Quadraginta Horarum. Unicus est eiusdem finis, unicum obiectum, scilicet perennis adoratio Augustissimi Sacramenti nec intercepta, nec distracta. Idcirco in Ecclesiis, ea durante, ut supra notatum est, tale sit silentium oportet, ut nihil prorsus occurrat, quod adstantium mentes valeat perturbare. Satis haec sunt, ut quisque agnoscat iure merito damnandum ac omnino eliminandum esse ab Ecclesiis inductum morem canendi versiculos, et ad certum modum pulsandi instrumenta, dum oratio perennis, patente in sublimi Throno Sacramento, id omne respuit quod instituto repugnat.

§ IV.

« Sopra l'Altare non vi si pongano
« Reliquie di Santi o Statue de' medesimi
« (non escludendosi però quelle degli An-
« geli, che facciano figura di candelieri) e
« molto meno vi si pongano figure dell'a-
« nime del Purgatorio di qualsiasi materia;
« il che si proibisce anche in tutte le espo-
« sizioni particolari ed in quelle, che tal-
« volta si fanno per suffragio di quelle
« anime ».

1. Haec sanctio, quae iubet, ne super Altare, in quo Sacramentum exponitur, apponantur Reliquiae aut Simulacra Sanctorum, nedum obtinet in Oratione Quadraginta Horarum, verum etiam in aliis quibuscumque Expositionibus, quae minus magisque solemniter per annum fiunt, collocato Sacramento in Throno. Id declaratum video per modum regulae generalis a *Sacra Rituum Congregatione in Aquen. diei 2 Septembris 1741.* Siquidem ad *tertium quaesitum Dubii primi* hisce conceptum verbis: *Suntne salutandae Reliquiae expositae in Altari, in quo et ipsum Sacramentum expositum est?* responsum fuit: *Sanctorum Reliquiae non sunt collocandae super Altare, in quo reipsa SS̃mum Sacramentum est expositum* (vide hanc novam Collectionem *num.* **2365** *ad 1*). Scite Sacra Congregatio directe non respondit ad Dubium, sed sustulit errorem, qui Dubium creabat, declarando illicitam Sacrarum Re-

liquiarum retentionem in Altari simul ac in eo patet expositum SSmum Sacramentum. Erroneae huic opinioni causam fortasse praebuerat Gavantus, qui minus accurata usus expressione, haud reprobasse visus est huiusmodi Reliquiarum retentionem, dummodo non collocentur altiori in loco. Postquam enim dixerat *part. 1, ad Missalis Rubricas tit. 20, litt. d,* agens *de praeparatione et ornamentis Altaris. Vasa quoque Reliquiarum exponi solent hinc inde vel inter candelabra;* notat, *qua in re cavendum illud erit, ne umquam supra locum Sacramenti, praesertim si exponatur populo pro oratione publica, Reliquiarum vasa collocentur: decet enim sedere Dominum in altiori loco supra servos suos.*

2. Verumtamen heic loci cl. Auctor loquitur stricte de ornatu Altaris et carpit illorum morem, qui vasa cum Sanctorum Reliquiis collocare non dubitabant in medio supra tabernaculum, in quo recondita asservatur Sanctissima Eucharistia. Summopere dedecet, ut tabernaculum, destinatum pro Sacramenti custodia, simul inserviat pro basi, ubi exponantur Reliquiae, quod multo magis indecorum notat in eiusdem Sacramenti expositione, cuius non ex professo, sed obiter et accidentaliter meminit. Neque ex hoc certo consequitur Gavantum non reprobasse collocationem Reliquiarum inter candelabra, dummodo id fiat in humiliori loco. Quidquid tamen sit de Scriptoris mente, quam nec Meratus attigit, quaestio omnis cessat, dum *Instructio* et *laudatum S. R. C. Decretum,* ne ullo modo Reliquiae apponantur, definiunt ac iubent. Dixi: Instructio et laudatum Decretum; quia una per alterum declaratur. Forte enim quis opinari posset extensionem legis, figuras tantummodo animarum purgantium respicere, quia sanctio postremo eam ponit relate potissimum ad Expositiones, quae fiunt in earumdem suffragium: verum Decretum, quod longe posterius ea est, quamlibet dubitandi rationem eliminat, generaliter arcens Reliquias ab Altari, *in quo reipsa SSmum Sacramentum est expositum.*

3. Iuvat hic addere quod notat Cavalerius *ibidem cap. 7, Decret. 28, num. 1.* « Nobis nec arridet usus illarum Ecclesiasum, quae in Altari Expositionum solemnium mediis figuris, licet ex Sacra Scriptura depromptis, apponunt symbola Sanctissimae Eucharistiae; etsi enim ipsa sacra sint et in aliis circumstantiis fortasse probanda, in praesenti nos collaudare non possumus, quia dum ad se convertunt intuentium oculos, fideles distrahunt ab attentione erga SSmum Sacramentum et ab eiusdem veneratione ». Haec tamen opinio, si placet, generaliter sumpta rigida nimis nonnullis videbitur, ac propterea non sine aliqua distinctione amplectenda. Si *Clementina Instructio* excipit a regula, tantummodo pro ornatu Altaris, in solemni expositione Quadraginta Horarum Angelorum simulacra, *che facciano figura di candelieri,* certum est sub regula comprehendi etiam medias figuras, licet ex Sacra Scriptura depromptas; censerem etiam eamdem regulam servandam esse in aliis Expositionibus, quae more consueto fiunt: tam rigidus non essem quoad aliquas extraordinarias, licet solemnes, quae disponuntur ad instar Proscaenii; ut in his tolerari posse videantur symbola quaedam Eucharistiae, dummodo intersit Praesidum approbatio. Cavendum tamen, ne quid collocetur, quod vel ratione subiecti repraesentati, vel ratione expressionis, vel alia de causa convenire haud posse videatur.

4. Et revera in solemnissima illa Expositione, quae fit bacchanalium tempore, ad revocandum populum a profana spectaculorum licentia, in *Oratorio S. Mariae Pietatis,* quod a Fundatore *P. Caravita* dicitur; magnifica extrui solet Machina, in cuius summitate residet Sacramentum tamquam in gloria inter Angelorum Choros; in inferiori vero parte aliqua repraesentatur historia vel ex Sacris Literis, vel ex Ecclesiae fastis, vel ex actis Sanctorum tanti mysterii symbolica. Id nedum permiserunt Pontifices Summi, sed et praesentia probarunt, cum consueverint illuc ad Sacramentum adorandum accedere. Certum est enim huiusmodi morem vere religiosum et pium plurimum conferre, ea praesertim occasione, ad populum alliciendum devotionemque excitandam.

5. Heic vero loci sciscitari quis posset: num semper, ubicumque et qualibet data occasione removendae sint Reliquiae Sanctorum ab Altari, dum venerationi exponitur SSmum Sacramentum? Diximus supra regulam esse generalem; eam tamen intelligi oportere existimo de omnibus expositionibus publicis, licet ex causa privata, sive hae ad longum, sive ad breve tempus fiant. Publicam tamen lato modo dicimus quamcumque Expositionem, dum e Tabernaculo extracta Sacra Hostia, in Ostensorio detecto aut velato, omnium adstantium

oculis in Throno patet. Quod etiam obtinet, si alicubi in more sit, loco Ostensorii, Sacram Pyxidem velatam sub umbella collocare quod tamen, ut ex infra dicendis patebit, ab receptis adprobatisque ritibus et Romanae Ecclesiae consuetudine alienum longe est. Secus vero dicendum de Expositionibus omnino privatis, quae pro re nata, improviso quandoque fiunt, dum aperto Tabernaculi Ostiolo sacra Pyxis clausa suoque velamine obtecta adstantium oculis subiicitur, quin extrahatur ad populum cum benedictione dimittendum. Hoc enim in casu inopportunum esset removere ex Altari Vasa cum Sanctorum Reliquiis, dummodo tamen nullum supra Tabernaculum situm sit; quemadmodum paulo ante ex *Gavanto* notavimus. Quamquam magis congrueret solis candelabris et floribus instruere Altare, in quo Venerabile Sacramentum perpetuo asservatur.

6. Subdit Instructio, ne apponantur omnino in Altari Imagines animarum purgantium, vel hae sculptae sint, vel depictae, vel qualibet ex materia elaboratae. Haec regula praeceptiva est et ad omnes expositiones extenditur, ne illis quidem exceptis, quae quandoque solemniter fiunt in earumdem suffragium; quinimo hae verbis expressis regulae subiiciuntur.

7. Nedum vero huiusmodi imagines, simulacra, symbola ab Altari, verum etiam a cappella abesse debent, quemadmodum et vela nigri aut violacei coloris et aulaea funebria. Haud enim decet haberi lugubria in loco, ubi micat Christus gloriosus. Si *Caeremoniale Episcoporum, lib. 2, cap. 11,* iubet, ne in Missa Pontificali pro defunctis, imaginibus mortuorum et albis crucibus distinguantur paramenta tam Altaris, quam Celebrantis et Ministrorum, nec Libri et Faldistorium; multo magis funebria arcenda sunt ab Altari et Sacello, in quibus Augustissimum Sacramentum exponitur. Aequum enim est, ut ornamenta quaelibet, quae apponuntur, respondeant aliquo modo maiestati Summi omnium Domini, qui sub specie panis latens adoratur in Throno expositus; etiamsi finis in huiusmodi Expositione intentus sit precatio ad animabus purgantibus iuvandum.

8. Hinc Sacra Rituum Congregatio in Antuerpien. sub die 10 Februarii 1685, ad quaesita: « Num liceat Confraternitati etc. exponere SSm̃um Eucharistiae Sacramentum cum apparatis nigris et in Processione illud deferre cum vexillis nigri coloris? An eidem Confraternitati liceat similem expositionem facere in Missa et Officio defunctorum cum apparatu pariter nigri coloris?» respondit absolute: *Non licere*, (in hac nova Collectione num. **1744**). Ut enim Sacramento solemniter exposito, quacumque ex causa id fiat, Pallium Altaris, Baldachinum aliaeque supellectiles aut ornatus debent esse coloris, qui convenit Sacramento, ita etiam apparatus Sacelli debet esse festivus: quemadmodum *Feria V in Coena Domini* expleta Missa, et *Feria VI in Parasceve,* Templis omni destitutis ornatu, dum luctus atque tristitia occupat omnia, ob recolendam Passionis Dominicae memoriam; nihilominus, ex Ecclesiae instituto et Rubricarum lege, festive ornatur Sacellum, in quo Sacra Hostia asservatur. His accedit, quod Sacra Rituum Congregatio, orta quaestione: « An Cathedra pro concione habenda, piis quibusdam in exercitationibus cum Sacramenti Expositione, operienda esset pannis violaceis, qui color magis convenire videbatur functioni, an coloris albi ratione Sacramenti? » respondit: *Utendum colore albo quoad exedron in Sanctissimi Sacramenti Expositione.*

9. Quamvis vero haec universim obtineant ex praescripto Ecclesiae quoad Altare et Sacellum; lex tamen tanto cum rigore non est accipienda, ut nihil prorsus, occasione Expositionis pro defunctis, funebris apparatus sit extra Sacelli cancellos in Ecclesia. Audiendus Cavalerius, qui ad hunc locum inquit: « Quod tu extende (regulam scilicet pro Altari ab Instructione latam) ad totum Presbyterium, in quo Sacramentum extat expositum, non vero ad ceteram Ecclesiam, in qua praeterea panni nigri supra parietes poterunt extendi et apponi mortuorum figurae, quoties Sacramentum exponitur ad suffragandas defunctorum animas ». In hac ipsa alma Urbe invaluit consuetudo, quod pluribus in Ecclesiis solemniter celebratur octiduum post Festum omnium Sanctorum pro defunctis, cum Sanctissimi Sacramenti Expositione, festive adornato Sacello, in quo fit Expositio, tota vero Ecclesia nigris pannis vestita et imaginibus mortuorum; quem morem ad quamplurimas alias Catholici Orbis Ecclesias extensum vigilantissimi probarunt Antistites.

10. Hac super re recentissimum habemus Sacrae Rituum Congregationis Decretum, quod est per se idoneum ad quaslibet amputandas quaestiones. Canonici in-

signis Collegiatae Regiae Ecclesiae S. Laurentii Florentinae, iustis persolutis nuper defuncto totius *Etruriae Regi Ludovico,* cum adhuc Ecclesia funebri esset vestita ornatu, in ulterius devoti animi argumentum publicas preces instituerant coram Sacramento fidelium venerationi solemniter exposito, amotis lugubri feretro, palliis nigri coloris nedum ex Ara principe, sed etiam ex minoribus Altaribus, detractisque pariter velis nigris alba Cruce signatis contegentibus Imagines Sanctorum supra easdem minores Aras collocatas; integro tamen ambitu Sacelli, in quo expositum erat Sacramentum, ornatu festivo contecto. Quaestio orta est inter aliquos, num id licuisset; contendentibus nonnullis contra Ecclesiae leges fuisse peccatum, et quidquid lugubre supererat, ab Ecclesia removendum existimantibus. Religiosissimum Capitulum, etsi de recte facto non dubitaret, nihilominus ad os obstruendum adversus vociferantes, ad Sacram Congregationem recursum habuit, ut haec definiret num recte, an perperam se gessisset; et insuper, ut certam haberet regulam in similibus servandam. Sacra autem Congregatio, re mature discussa, respondit: « Cum praecipua pars Cappellae, in qua manebat SSñum Sacramentum festivis velis ornata fuerit, nihil in huiusmodi facto esse reprehendendum; imo neque necessariam fuisse remotionem palliorum nigri coloris a minoribus Aris ». Id pertinet ad probationem facti; quoad modum vero servandum in similibus, addidit: « Non improbare, quod eodem modo iusta persolvantur ad plures etiam dies, vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro defunctis alicuius Congregationis tam Ecclesiasticorum quam Laicorum ». Reprobavit solummodo morem alicubi invectum, exponendi SSñum Eucharistiae Sacramentum in privatis exequiis. Sed id ad rem nostram non attinet.

11. Quum igitur Sacrae Liturgiae Peritorum auctoritas, Ecclesiarum Urbis constans consuetudo, et quod magis est, Sacrae Rituum Congregationis Decreta simul conveniant, quod non dedeceat funebris apparatus in Ecclesia, dum preces indicuntur pro expiatione animarum purgantium, dummodo Sacellum, in quo publicae venerationi expositum est Augustissimum Sacramentum, festive sine ullo luctus inditio adornetur; iam patet, quomodo intelligenda sit postrema pars *sectionis 4 Clementinae Instructionis* coniungenda cum sectione praecedenti, quae circa ornatum Sacelli versatur. Sed de hoc satis; progrediamur ad alia.

§ V.

« Sopra detto Altare in sito eminente
« vi sia un Tabernacolo o Trono con Bal-
« dacchino proporzionato di color bianco,
« e sopra la base di esso vi sia un Corpo-
« rale per collocarvi l'Ostensorio o Custo-
« dia, il cui giro sarà attorniato di raggi
« e non vi sarà davanti alcun ornamento,
« che impedisca la vista del SSño ».

1. Si festivus esse debet ornatus omnis cum Sacelli, tum Altaris, in quo publice exponitur SSñum Sacramentum, ut supra iam vidimus, multo magis decet, ut festiva sint omnia, quae immediate inserviunt Sacramento. Iubet propterea Instructio, ut Tabernaculum seu Thronus cum superimposito Baldachino, in quo Ostensorium collocandum est, in eminentiori Altaris parte assurgat, velisque sit instructus albi coloris: « Un Tabernacolo o Trono con Baldacchino proporzionato di color bianco ». Ne tamen censeas album colorem ita praescribi, ut non liceat alio ornatu Tabernaculum seu Thronum vestiri: ornamenta excluduntur, quae nullatenus conveniunt Sacramento; ceterum si Thronus sit coelaturis cum superinducto auro aut argento affabre elaboratus, pendentibus e corona laciniis auro pariter et argento intextis et in intima parte tela acu picta coopertus, vel alio non absimili modo constructus; etiamsi color albus vix ac ne vix quidem conspiciatur, dummodo nil sit, quod non conveniat Sacramento, tuto poterit adhiberi.

2. Scite distinguit Instructio *Tabernaculum* seu *Thronum* pro diversitate Altarium, in quo debet collocari. Illud enim ex quatuor lateribus apertum adhibendum praecipue est in Altaribus ad Orientem positis, ut undique conspici possit Sacramentum; Thronus vero in aliis Altaribus, quae unicam habent faciem versus populum. Quamquam nec *Thronus* nec *Tabernaculum* apponi debent in Altaribus, quibus magnificum imminet Baldachinum, vel sustentatum columnis, ut in Urbis Basilicis, vel ex laqueari pendens, ut in Ecclesiis *S. Andreae de Valle, S. Mariae ad Martyres, S. Mariae supra Minervam* et in aliis. Quantum vero ab Altaris superficie *Tabernaculum* seu *Thronus* eminere debeat,

certo nequit determinari, quum id potissimum dependeat ab Altaris Sacellique structura, a machinae elevatione, a maiore minorique apparatu, a quantitate et dispositione luminum et aliis id genus circumstantiis.

3. Sicuti autem sanctio determinat *Tabernaculi* vel *Throni* cum superimposito *Baldachino* ornatum, qui Sacramento conveniat, ut non liceat iis coloribus in ornamentis uti, quae, licet festiva sint, ex Ecclesiae tamen instituto et disciplina adhiberi non debent in iis, quae proxime inserviunt Sacramento; ita etiam et alii ornatus sint oportet, quibus Altare, in quo exponitur Sacramentum, instruendum est, ad differentiam illorum, quibus vel solemnitatis causa, vel ex legis praescripto in Oratione Quadraginta Horarum vestiuntur Sacelli parietes. Quoad hos certa non determinantur tegumenta, ut supra vidimus, et aptari possunt vel serica damascena, vel aulaea attalica, vel depictae telae. Verum licet huiusmodi ornatus ad apponentium placitum adhiberi possint; tales nihilominus, ut supra innuimus, esse debent, vel color spectetur, vel alia adiuncta, quales Sacramento conveniunt. Idcirco hic nostra Instructio expresse vult *Baldacchino di color bianco,* quod intelligendum est iuxta modum supra declaratum; eiusdemque coloris esse debent Altaris pallium, velum humerale, baldachinum portatile, ut in § 18: quoad parietes vero et Imaginum vela, unam dumtaxat conditionem apponit, ne tegumenta aut ornatus historias vel quid profanum exhibeant.

4. Mandat praeterea Instructio, ut *Sacrum Corporale* extendatur supra Tabernaculi aut Throni basim. Id tamen non est in sensu tam rigido accipiendum, ut non liceat quandoque *Pallam* promiscue adhiberi: imo quum basis ut plurimum sit nimis angusta, ideo nequit in ea explicari *Corporale;* et nisi apponatur *Palla,* non secus erit quam plicatum aptandum. Quamquam omnis cessat dubitandi ratio, quia etiam *Palla* venit sub nomine *Corporalis,* tamquam huius pars. Ita Macri allatis documentis in suo Hierolexicon: *Palla pars Corporalis, sive parvum Corporale, quo Calix cooperitur;* et antiquitus *Corporale* appellabatur etiam *Palla,* ut ex *Ordinibus Romanis, Sacramentariis* et *antiquis Ritualibus* probant idem Macri et Ducangius *ad V. Corporale. Foeminis Deo devotis vetitum est sacra vasa et sacratas Pallas* (hoc est Corporalia) *attingere. Cap. Sacratas, Dist. 23. Corporale* autem erat adeo amplum, ut et Altaris mensam occuparet totam; et eius pars anterior revoluta ad Calicem cooperiendum inserviret. Quamobrem cum unum et idem censeri debeant *Corporale* et *Palla,* pro hac non habemus peculiarem benedictionem, sed una simul cum *Corporali* benedicitur. Tametsi postmodum *Palla* fuerit invecta et a *Corporali* separata, ad quodlibet avertendum periculum, quod certe imminebat, dum Calix operiebatur cum revoluta anteriore parte *Corporalis;* adhuc tamen censetur et est pars *Corporalis.* Vide opus de *Sacris utensilibus* Fabii de Albertis, qui *cap. 2, num. 37,* et *cap. 5, num. 33,* censet *Pallam* divisam a *Corporali* fuisse *Saeculo XII, vel XIII.* Vide etiam Gavantum *ad Rubricas Missalis part. 2, tit. 1, de Praeparatione Sacerdotis* etc. § *parva pars linea* etc. Baruffaldum et Catalanum *ad Rituale Romanum,* tit. de *Benedict. Corporalium;* et, ut innumeros alios praeteream, Cardinalem Bona *de Rebus Liturgicis lib. 1, cap. 25;* et Benedictum XIV *de Sacrificio Missae lib. 1, cap. 5, num. 6.*

5. Idcirco, quin ulla inferatur violentia Instructionis verbis, quibus *Corporale* notatur, substerni poterit *Palla Ostensorio,* cum *Corporale* et *Palla* promiscua sint nomina; quare *Innocentius III de Mysteriis Missae cap. 56,* inquit: « Duplex est Palla, quae dicitur Corporale, una, quam Diaconus super Altare totam extendit, altera, quam supra Calicem plicatam imponit »: Ait *plicatam;* unde colligimus aevo *Innocentii III* morem recessisse saltem apud Italos, unam adhibendi Pallam, cuius pars anterior Calicem operiebat; nondum tamen alterum obtinuisse efformandi *Pallam* eo modo, quo ab aliquibus retro seculis eadem in usu est, sed adhuc consuevisse latam habere extensionem, ut, licet ad unum solummodo effectum tegendi Calicem destinata, nonnisi *plicata* adhiberi posset. Satis haec sunt, ut quisque agnoscat, aut *Corporale plicatum,* aut *Pallam Ostensorio* posse substerni.

6. Subdit Instructio *Ostensorii,* quod etiam *custodiam* appellat, orbem radiis circumdatum esse ad instar Stellae in signum gloriae: demandat insuper, ne quid ad ornatum collocetur ante Ostensorium, per quem Sacramenti impediatur aspectus. Id intelligendum etiam de candelabris et luminibus, quae hinc inde lateraliter debent

disponi, ut aliqua saltem prope sint Sacramentum; nullum tamen vel minimum impedimentum apponant Sacram Hostiam intuentibus. Non inde consequitur haud posse vasa cum floribus collocari, vel supra Altaris mensam, vel etiam inter candelabra, dummodo in humiliori loco sint et Augustissimi Sacramenti non impediant aspectum. Et revera si ante ostiolum Tabernaculi, in quo Sacra asservatur Eucharistia, non est retinendum vas florum, vel quid simile, sed potest collocari in humiliori decenti loco, ne abscondatur Imago D. N. I. C., vel depicta vel sculpta, quemadmodum *Sacra Rituum Congregatio* respondit *in una Congregationis Montis Coronae die 22 Ianuarii 1701*, relata in hac nova Collectione *num.* 2067 *ad 10;* multo magis vetitum id est ante Sacramentum, quod in Throno expositum omnium intuentium oculis patere debet.

7. Memorat Instructio *Ostensorium* seu *Custodiam:* et quoniam particula illa *seu* nonnumquam tamquam disiunctiva accipitur; idcirco nonnullis res inter se diversas, licet ad unum eumdemque finem ordinatas, significare voluisse visa est. His adnumeratur *Cavalerius,* qui ad hunc locum adnotat: « Ostensorio vel Custodiae ad eiusdem instructionis textum, qui consulto posuit *l' Ostensorio o Custodia*, ut inde detur intelligi Sacramentum non necessario exponendum esse in Ostensorio, quod licet ad rem forsan sit instrumentum aptius, modernae tamen est inventionis; sed integrum adhuc esse illud exponere mediis instrumentis illis significatis ampliori Custodiae nomine, quibus illud idem exponere et per Processionem gestare solebat antiquitas ». *Et tom. 4, cap. 11, Decret. 1, num. 11:* « Custodiae itaque nomine...... veniunt etiam instrumenta illa, quibus olim SSm̃um Sacramentum exponi et processionaliter deferri solebat ». Verum, pace tanti viri, concedam *Custodiae* nomen antiquitus usurpatum fuisse ad capsulam seu vas significandum, in quo recondebatur Eucharistia, vel exponenda vel suppliciter circumferenda; nego tamen, quod in sensu *Instructionis* verba illa *Ostensorio o Custodia*, disiunctive accipienda sint: sub diversa vocum expressione per eadem verba, ut synonima, una eademque res intelligitur. Idem quippe instrumentum *Ostensorium* est, quatenus mediis cristallis sacram intuentibus exhibet Hostiam; *Custodia* vero, quatenus Sacramentum includit, ut videri quidem possit, non item tangi. Certe *Clemens XI,* qui primus ineunte anno 1705 *Instructionem* disponi et evulgari iussit, aevi sui laudabilem et rationabilem consuetudinem prosequutus est; neque id intendisse dicendus, quod anteactis seculis obtinuerat, sed iam erat antiquitate obsoletum, vel alicubi tantum, non autem in Urbe et Italia fere tota, adhuc servabatur.

8. Suam sententiam tuetur *Cavalerius* auctoritate *Gregorii Thuronensis lib. 1, de Gloria Martyrum,* qui Custodiae meminit ad turris similitudinem elaboratae: « Acceptaque Turre Diaconus, in qua Mysterium Dominici Corporis habebatur, ferre coepit ad ostium; ingressusque Templum, ut eam Altari superimponeret, elapsa de manu eius ferebatur in aera »: Et exemplo instrumenti illius, quo insigniri solet « Imago S. Clarae Assisiensis, quae, Saracenis Monasterium invadere conantibus, ad eius portam afferri voluit SSm̃um Sacramentum ». Haec tamen quid prosunt? Turris, Columbae, Capsulae argenteae, eburneae, aliave cuiusvis formae et materiae vasa sub *Custodiae* nomine veniunt, non item *Ostensorii*, nisi hoc vocabulum lato modo accipiatur pro *ostensione* Instrumenti seu Capsulae, in quo recondebatur Sacrum Christi Corpus oculis intuentium minime patens. Non enim Sacramentum tunc exponi consuevit, ut modo fit, et aliquibus retro seculis fieri coepit: si morem hunc longe prius obtinuisse quis velit, haud ullum documentum reperiet, quo evincat Sacram Hostiam, ut modo est, ope Ostensorii, quaecumque eius forma sit, visibilem fuisse.

9. *Christianus Lupus* in aureo Tractatu *de Processionibus,* agens de Sanctissimi Sacramenti publica Expositione, *Oper. tom. VI, pag. 362,* quandonam inceperit in Ecclesia Latina detectam exponi Sacram Eucharistiam, se ignorare fatetur; putat tamen, hunc morem multo esse antiquiorem aevo *Urbani IV*, qui Pontifex fuit renunciatus anno 1261. Vide tamen qua ratione motus ita opinetur. « Quia, *inquit*, S. Clara ipsum (scilicet Sacramentum) nequaquam asportari iussisset ad Monasterii portam, nisi consuevisset exponi in Ecclesia et forsan extra ipsam etiam deportari ». Sed haec argumentandi ratio, praeterquamquod a simplici coniectura petitur, ac propterea certitudinis gradum nequit obtinere, non valet ad finem, quem intendimus. Esto quidem vas illud, in quo tamquam in custodia asservabatur Sacramentum, extrahi quandoque e Taber-

naculo consuevisse et publicae exponi venerationi, et etiam, si vis, in Processionibus circumferri; non propterea consequitur Sacram Hostiam conspici potuisse; imo certum est solam patuisse *custodiam. Lupum* refellit *Benedictus XIV,* neque exemplum *S. Clarae* prodesse demonstrat. « Cum autem, inquit *Instit. 30, num. 4,* in actis S. Clarae habeatur, quod Divinam Eucharistiam praeferri voluit » argentea capsa intus ebur inclusa, « hinc non sequitur eam disciplinam tunc fuisse, ut palam populo proponeretur, uti recte expendit Thiersius lib. 2, cap. 2, pag. 133 ». Patet hinc licentia pictoribus permissa, hoc fuisse usos, qui, cum alius non suppeteret, ut aliquo sensibili modo ostenderent ad Monasterii ianuam Sacramentum fuisse delatum, loco argenteae capsulae licitum sibi esse duxerunt substituere cilindricum vas undique per girum columellis intersectum ac cristallis munitum, quorum ope Sacra Hostia conspici posset. Numquid vero a placito pictorum, ad aliquid certo firmandum, argumenta petenda sunt, si quod ex quadam necessitate eis licuisse putandum est, facto repugnet?

10. Et revera idem *Lupus* coniecturam illam suam multi pendendam non esse plane ostendit concludens: « Quidquid sit, post Urbani IV Decretum pietas coepit esse frequentior; et brevi tempore fuit admissa (publica Sacramenti expositio) apud omnes Ecclesias.... Eodem tempore (circa Urbani aetatem) quidam coepisse putant monstratoria Sacramenti vasa in variis formis ». Quod si *monstratoria* seu *monstrantia vasa* circa *Urbani IV* tempora invecta sunt, concludimus anteactis seculis in usu non fuisse; et Sacramentum in undique clausis custodiis asservatum, licet ea vasa, in quibus recondebatur Sacra Hostia, quandoque educerentur, vel in Altari exponenda, vel in Processione circumferenda.

11. Quod adeo verum est, ut *Thiersius* in suo tractatu *de expositione SSmi Sacramenti lib. 2, cap. 4,* an statim ab initio patenter delata fuerit Eucharistia, vehementer dubitet; et in eam propendet sententiam, « quae sustinet Sacramentum in calice seu vase alio absconditum deportatum fuisse ». Bene idcirco huiusmodi vas *Custodia* potius quam *Ostensorium* dicebatur. *Martène de antiquis Ecclesiae ritibus lib. 4, cap. 29, num. 5,* dubiam rem esse vult et plurima affert documenta, quae utrique sententiae favere videntur. Forte enim, ut saepe accidit, dum aliquid ad variabilem disciplinam pertinens novam induit formam, paulatim coepit in aliqua Ecclesia detectum exponi Sacramentum, retinentibus aliis antiquum morem, donec et etiam ipsae novum ritum, ut religioni et pietati consonum, sensim sine sensu adoptarunt.

12. Parum tamen id interest. Vel enim aevo *Urbani IV* invecta fuerint *vasa monstrantia,* quorum ope Sacramentum publice exponeretur, vel multo post (vetustiora certe non sunt); parum hoc ad hodiernam disciplinam, quam unice spectare debemus, confert. Aevo *S. Caroli Borromaei* antiquioris disciplinae aliqua adhuc vestigia supererant. Exponebatur quidem Sacra Hostia mediis cristallis conspicienda, licet vasis forma longe diversa esset ab ea, quae modo in usu est, et turrim seu cilindricum Instrumentum in piramidis formam desinens repraesentaret, ad illius modum instructum, qui parum differt ab eo quem exhibent Pictores in *S. Clarae* Imaginibus. Vide *Acta Ecclesiae Mediolanensis part. 1, pag. 116, part. 4, pag. 543, editionis Patavinae.* Ne tamen visibiliter omnino pateret Hostia, ob reverentiam Sacramenti, vas illud, quod parvum Tabernaculum dicitur, ad differentiam maioris, in quo asservabatur, oblongo velo cooperiebatur. Ita in iisdem Actis *part. 4, pag. 681.* « Per questa Orazione (scilicet Quadraginta Horarum) il Santissimo Sacramento si collochi sopra l'Altare maggiore e fuori del Tabernacolo maggiore, con un velo di seta, che cuopra il Tabernacolo piccolo, che ha dentro il Santissimo Sacramento; e sia tanto lungo, che faccia due ali dalle parti, cioè sino alli due corni dell' Altare, l' uno dell' Evangelo, l' altro dell' Epistola ». Quae sane Sancti Antistitis regula plene demonstrat nondum invectum fuisse Thronum, in quo Sacramentum exponeretur, sed cum sacrum vas illud continens in Altaris mensa extra Tabernaculum maius collocandum esset, loco Throni et Baldachini, imponebatur velum, quod forte aliquo modo tegens Sacram Hostiam, maiorem ei venerationem conciliabat.

13. Temporis successu *Ostensorium* exponi coepit sub *baldachino* sive *umbella* in Expositionibus publicis; et antiquus mos retentus in aliis minus solemnibus et ex causa privata. Forma vero Ostensorii in aliam longe diversam, quae modo in usu est, mutationem subiit; et quae prius *vasa monstrantia* dicebantur, instructa postmodum ad formam sphaericam ex utraque

parte complanatam, appellari coeperunt *Ostensoria;* et cum antiquitus non essent in usu, ideo nec *Macri,* nec *Du-Cangius* in respectivis *glossariis* eamdem commemorarunt. *Baruffaldus ad Ritual. Roman. titul. 80,* § *2,* ubi legitur: « Hostiam in solemni Processione deferendam in Tabernaculum ita reponendam, ut per vitrum seu cristallum, quo ipsum Tabernaculum circumseptum esse debet, exterius adorantibus appareat »; notat « Tabernaculum, de quo hic Rubrica loquitur, idem est ac Ostensorium, quod aliter appellatur Monstrantia, Sphaera et Turris. Antiquitus ad modum cylindricum construebatur eo pacto, quo hodie Moniales S. Clarae utuntur....; recenter vero ad instar Sphaerae solet efformari, cum suis radiis ad similitudinem Solis seu Stellae ». Vide etiam *Catalanum* ad hunc Ritualis locum.

14. Quamobrem concludimus in *Clementina Instructione* vocabulum *Custodiae* fuisse usurpatum tamquam *Ostensorii* synonimum ob duplicem significatum, quem *Ostensorium* habet; non autem ut instrumentum et vas ab Ostensorio diversum, vel hoc sit in forma sphaerica radiata, vel circumseptum cristallis ad modum Cylindri, Piramidis aut Turris; quod tamen iure censeo aevo *Clementis XI* non amplius fuisse in usu et solam radiatam Sphaeram adhiberi consuevisse. Quaecumque enim sit eiusdem forma, idem tamen est usus, scilicet patefaciendi Sacram Hostiam oculis intuentium; idcirco ab ostendendo *Ostensorium* debet appellari; longe secus ac Turris erat, de qua *Gregorius Thuronensis,* et *argentea capsula,* quam *Assisiensis Clara,* ad Monasterii ianuam deferri iussit. Haec dicta sint, ne perperam recessisse videar a sententia *Cavalerii,* qui arbitratur *Ostensorium* et *Custodiam* in sensu Instructionis instrumènta esse diversa. Forte enim Auctor, ceteroqui clarissimus, significare voluit, non dedecere, si quod *Ostensorium* dicimus, non ad modum radiantis Sphaerae, sed iuxta veterem morem construatur, ut in S. Clarae Imaginibus pingi solet; et ab aliquibus eius Instituti Monialibus, ut *Baruffaldus* notat, adhuc retinetur. Sed contra ipsum est eadem Instructio, quae praecipit: « Ostensorio o Custodia, il cui giro sarà attorniato da raggi ». Quid clarius ad designandum, distinguendum Ostensorium orbicularis figurae, quod Sphaeram dicimus? Praeterea Vas, quod exhibent Clarae Imagines, quum, ut vidimus, longe distet ab illo, quod, ea iubente, ad Monasterii ostium delatum fuit et patentem sacram Hostiam exhibeat, potest Ostensorii nomine donari.

§ VI.

« Ardano sopra l'Altare almeno venti « lumi continuamente, cioè sei candele di « una libbra, tre per parte dalli lati della « Croce, ed otto candele dalla parte supe- « riore, con altre quattro dalli lati dell'O- « stensorio, nella cui parte opposta non vi « si ponga onninamente lume alcuno; e « sieno finalmente due Torcieri con le fiac- « cole almeno di tre libbre l'una. L'istesso « numero di lumi vi sia anche di notte, « dopo serrata la Chiesa: nella sera si met- « tano lumi sufficienti per evitare la con- « fusione, i quali stiano accesi finchè si chiu- « dano le porte di essa. Potranno anche di « giorno oscurarsi le fenestre vicino all'Al- « tare dell'Esposizione, ad effetto di rac- « cogliere la mente de' Fedeli all'ora- « zione ».

1. De Luminibus, quae ardere continuo debent, dum Sacramentum publice exponitur pro Oratione Quadraginta Horarum, agit praesens Instructionis sanctio. In ea praecipitur, ut saltem viginti nunquam desint, quorum duodeviginti luceant in Altari, duo vero in magnis candelabris hinc inde in plano Presbyterii circa gradus Altaris oppositis; eorumdem pondus, qualitatem, distributionem designat, ne quid fieri contingat ad Rectorum et Sacristarum placitum, quod aut non deceat, aut minus Sacramenti maiestati functionisque solemnitati conveniat. Huiusmodi autem sanctio, ni fallor, partim praeceptiva, partim directiva videtur. Praeceptivam puto quoad cereorum numerum, et dictio illa *almeno* scite adhibetur, ne cuiquam liceat minorem cereorum numerum apponere; quamvis in Ecclesiarum Praesidum potestate sit quantitatem addere multo maiorem. Quod si luminaria copia abundent, non est necesse, ut omnia continuo ardeant; poterunt identidem alia extingui, alia suffici extinctis, omnia iterum accendi, dum frequentior est populi concursus et solemnia celebrantur Mysteria, dummodo numquam deficiat numerus a lege praescriptus, quo minor non sit oportet etiam in Expositionibus, quae ex privata causa fiunt, veluti notat *Instructio* § 36.

2. Quoniam vero per horas quadraginta diu noctuque numquam cessare debet Ora-

tio; ideo iubet insuper haec sanctio, ut etiam nocturno tempore, licet clausis Ecclesiae ianuis, totidem ac in die collucescant lumina. Aliquid tamen de rigore remittens, Ecclesiarum consulit paupertati: quamobrem permittit, ut interea adhiberi possint lumina ex alia viliori materia, puta ex oleo aut adipe, dummodo saltem decem ex cera sint, quorum pondus non determinatur, quum solum qualitas et numerus sint in praecepto.

3. Quod vero attinet ad cereorum pondus, qui ardere debent de die, ab Instructione praescriptum, dubitarem num hac in parte sanctio praeceptiva, an directiva sit. Non omnes namque Ecclesiae opibus abundant, ut sustinere valeant onus viribus impar. Nam si unius librae esse debent candelae apponendae in inferiori gradu, maioris certe, aut saltem aequalis ponderis esse deberent octo illae apponendae *nella parte superiore,* licet quoad istas nihil de pondere Instructio determinet. Idem dicas de cereis apponendis in plano Presbyterii. Ne igitur pauperes Ecclesiae nimis graventur, directionem potius, quam positivum praeceptum sanctio importare videtur.

4. Cum igitur Instructionis regula non in omni parte praeceptiva sit, non dubito directivam eam esse quoad luminum distributionem; quamobrem si ab ea, rationabili ex causa, tantillum recedatur, nullum certe erit piaculum. Id enim in more positum est. Machina magnificentius construi solet, candelabrorum forma, copia, distributione variata; non eadem semper collucent luminaria, sed alia modo extinguuntur, ut alia eorumdem loco accendantur; et sic omnia consumptione aeque decrescant et omnis arceatur, quae visum offendit, difformitas. Hoc in casu non video, cur non liceat accensa luminaria diversimode distribuere; dummodo tamen quatuor saltem ad Throni latera prope Ostensorium, et duo fanalia ardeant in plano Presbyterii prope gradus Altaris. Secus enim opus foret, ut quae extinguuntur et quae accenduntur eiusdem semper essent ponderis, quod difficile est et simetricus ordo plerumque non patitur. Illud vero vim habet praecepti, quamvis non verbis expressum, quod non liceat luminaria e conspectu Ostensorii collocare, per quae eiusdem visio impediatur: nam in *superiori* § notatum iam fuerat: « Non vi sarà davanti alcun ornamento, che impedisca la vista del Sacramento »: quod de luminaribus etiam intelligendum est, cum eadem militet ratio.

5. Et quamvis praeceptivum sit alterum, videlicet: « Nella cui parte opposta non vi si ponga onninamente lume alcuno »; discrimine est opus, ne generice nimis pro omni casu id accipiatur. Sensus Instructionis videtur, ne sub Throni umbella a parte postica, ut magis splendescat Sphaera cum radiis continens Sacramentum, lateat aliquod lumen, quod illam artificio illustret. Si diversa ei appingatur significatio, obtinebit solummodo quoad Altaria, quae unam habent faciem e conspectu populi, qui convenit in Ecclesiam. Nam quoad Altaria, quae ad orientem sita sunt, ac duplicem habent faciem e conspectu populi et Cleri, ut in Patriarchalibus, Basilicis et aliis Urbis Ecclesiis, lex locum non habet, quum ex utraque parte ardere debeant luminaria, praesertim vero, quae in Throno sunt, ita ut lateraliter quatuor e conspectu Ecclesiae et alia quatuor e conspectu Chori nunquam desint.

6. Haec pertinent ad Expositiones solemnes Quadraginta Horarum. Translato vero sermone ad alias, quae per annum fiunt, sive ex causa publica sive ex privata, vel ex praecepto vel ex arbitrio, cum Sacramento detecto aut velato, sed publice in Throno patente; eumdem cereorum numerum accendi debere supra innuimus, ex regula eiusdem *Instructionis* § 36. Quae tamen sanctio praeceptiva est pro Ecclesiis Urbis tantummodo, nec eadem regula necessario servanda est ubique locorum extra Urbem, quamvis laudabile sit, ut omnes se ei conforment. Ideo si in aliqua Dioecesi mos obtineat exponendi SSm̃um Sacramentum pro Oratione Quadraginta Horarum, congruit, ut viginti cerei ardeant de die, noctu vero idem non deficiat numerus, licet non omnia lumina ex cera sint, sed aliqua ex viliori materia. Sed quoniam non semper, non ubique fieri potest quod magis congruit, dummodo fiat quod saltem decet; ideo si alicubi diversa sit ratio, vel ex Synodorum praescripto, vel ex probata consuetudine (quandoquidem debitae venerationi consultum sit) non videtur reprobanda. Quamquam enim nulla lex habeatur, ubique tamen locorum prostant aut synodalia Decreta, aut Episcoporum Edicta aut laudabiles et rationabiles Consuetudines, quae pro respectivis Dioecesibus vim saltem directivae legis habent. Nedum enim habenda ratio est ad Sacramentum, cui per

quamcumque ingentem luminum copiam numquam satis honoris deferri potest, sed etiam ad Ecclesiarum et locorum angustias; ne ob egestatem absterreantur ab expositione cum non levi pietatis detrimento, vel onere graventur, cui ferendo impares experiuntur vires.

7. Hanc autem fuisse rationem non dubito, qua motus *S. Carolus Borromaeus* Antistes Mediolani, ubi longe ante iam invaluerat laudabilis usus Orationis Quadraginta Horarum cum simultanea SSmi Sacramenti expositione, praescripsit « Le candele o cerei al più siano dieci, almeno sei d' onesta grossezza ; e vi siano anche lampadi che non siano però più di dodici o tredici »: licet solemnissima esset huiusmodi expositio, ut colligitur ex aliis regulis, quas servandas tradit: *Act. Eccles. Mediolanen. Tom. 2, edition. Patavinae pagina 681, et sequen.* Solertissimus Antistes hoc pacto consuluit pauperibus Ecclesiis, quae nimis non erant gravandae. Forte etiam providere voluit, ne inter Ecclesiarum Rectores quaedam oriretur aemulatio, quae non semper unam habet originem a religione et pietate ; sed verecundiam affert illis, qui nequeunt tot sumptus facere; et nonnunquam causa est dissidii; necessaria ea regula erat, quia, ut ait Lucius Ferraris Verb. *Eucharistia art. 1, num. 6,* hyperbolica tamen usus expressione « tanto studio facere aggressi sunt Mediolanenses, ut nisi luminum et apparatuum sumptus coerciti fuissent, cera et olei inopia laborandum perpetuo fuisset ».

8. Sed recentiora quaeramus. *Benedictus XIV*, dum erat Bononiae Episcopus, modum praescribens in Oratione Quadraginta Horarum per Dioecesim servandum, iussit : « Si per noctem Sacra Eucharistia super Altari posita sit, ardeant duodecim faces ». *Instit. 30, num. 24.* Quot de die lucere debeant, hic non dicit ; eumdem tamen ad minus voluisse numerum, certum est; quia pro aliis Expositionibus fieri solitis Bononiae quotidie per turnum, quasdam praescribit regulas, quarum altera est, « ut duodecim saltem cerei circum ardeant ». *Ibidem n. 17.* Equidem si, quid magis congruat, quaeratur, ut venerationi simul et decentiae consulatur in Expositionibus, quae per turnum fiunt, extra tamen Urbem, non ad modum Quadraginta Horarum singulis hebdomadae diebus : recedendum non esse crederem a methodo pro Ecclesiis Civitatis Bononiae a *Benedicto XIV* praescripta, scilicet ut saltem cerei duodecim continuo ardeant. Dixi *saltem,* quia in facultate erit maiori copia lumina apponere, si id exposcat fidelium pietas vel Ecclesiae maius onus subire valeant; minorem haud convenire crederem, ob decentiam, qua sacra illa actio est peragenda. Quod certe servandum est, quoties Ostensorium collocatur in Throno vel detectum aut velatum. Etenim vel ex causa publica id fiat, vel ex privata, semper tamen aliquam habet solemnitatem : idcirco nostra Instructio in Urbe exposcit eumdem ardentium cereorum numerum tam pro Expositione Quadraginta Horarum, quam in qualibet alia, licet velatum sit Ostensorium, ut supra vidimus.

9. Quod si ex causa privata fiat Expositio, aperto scilicet Tabernaculi Ostiolo, quin sacra Pyxis extrahatur, non aliter fieri debet, quam sex saltem ardentibus cereis, quemadmodum iubet *Sacra Congregatio negotiis Episcoporum et Regularium praeposita sub die 9 Decembris 1602.* Quatenus vero alicubi in more sit, obtenta ab Ordinario loci facultate, extrahere e Tabernaculo Pyxidem ad populum cum benedictione dimittendum, (quod tamen infra videbimus, vix concedi debet, ubi consuetudo secus disponi sine aliqua populi offensione non patitur); curari debet, ut omnia diligenter fiant ita, « ut duo saltem Clerici superpelliceo induti cereos vel intortitia manu praeferant, ardeantque reliqui cerei, qui super Altare et in candelabris statuuntur ». *Ita laud. Pontifex d. Instit. 30, num. 23.* Quid si Clerici et intortitia desint? Satis erit si accendantur cerei, qui prope Altaris gradus in magnis candelabris siti sunt. Si et hi etiam non habeantur, ut in ruralibus pauperrimis Ecclesiis saepe numero contingit? Hoc in casu nullimode concedenda erit ab locorum Ordinariis licentia extrahendi Sacram Pyxidem e Tabernaculo, non obstante quacumque consuetudine in contrarium : expedit namque ne fiat, quod decenter fieri non potest.

10. Quid si Sacra Pyxis velata in Throno exponatur? Reprobat hunc usum *laudatus Pontifex, ibidem num. 16.* « Penitus interdicitur Sacram Pyxidem ob privatam causam extra Tabernaculum afferri ac velatam sub umbella collocari, cum nullum huiusce ritus vestigium apud Scriptores, nullaque Sedis Apostolicae consuetudo deprehendatur, quam sequi omnino debemus ». Nihilominus, si alicubi obtinuerit usus ab Or-

dinariis locorum expresse permissus, vel saltem tacite toleratus, quem abolere sine scandalo et offensione difficile sit; eumdem cereorum numerum servandum esse censerem adhiberi solitum in Expositione ex causa privata cum Ostensorio velato, scilicet duodecim, ut sancivit *laudatus Pontifex ibidem*. « Si vero privata de causa Sacrosancta Hostia inclusa solita sphaera et velo cooperta sub umbella ponatur, tunc praecipimus, ut saltem cerei bissex accendantur ». Nec tamen illicitum crederem, si aliquis Episcopus, attenta tam Ecclesiarum, quam incolarum, paupertate, hoc modo Sacramentum exponi cum decem cereis continuo ardentibus permitteret.

11. Alia quaestio fieri posset de numero et copia luminum, quae lucere debent in iis Expositionibus, quae fieri quandoque solent, magnifica extructa Machina ad instar Proscaenii, ut quotannis Romae fit in Oratorio *S. Mariae Pietatis* triduo post Dominicam Sexagesimae. Eam dirimit *Sacra Rituum Congregatio,* quae in una *Narnien. 15 Martii 1698, ad Dubium* « Quot lumina sint adhibenda in Expositione SSmi Sacramenti, quae fit ad instar Proscaenii; et an in tali expositione etiam lumina spectabilia et quot requirantur? » respondit: « Luminum quantitatem pietati facientis expositionem remittendam » (quae responsio relativa est ad primam dubii partem de luminibus ex oleo latentibus) « et in Altari super candelabris ad minus sex candelas accensas esse retinendas » (quae decisio spectat alteram dubii partem de patentibus luminibus ex cera). Decretum hoc, quod legitur in nostra Collectione sub num. **1992**, mutilum refert *Cavalerius*, ut ex prima eiusdem parte statuat, nullo Generali Decreto esse definitam certam luminum quantitatem, si ea remittitur pietati facientis Expositionem, sed silentio praeterit casum, qui est de Expositione ad instar Proscaenii: tom. 4, cap. 7, decret. 10. Siquidem spectandum est integrum non divisim a proposita specie. Duo namque distinguit; lumina scilicet ex oleo vel adipe, quae telis illustrandis latenter inserviunt, lucemque per totam Machinam diffundunt; et alia ex cera, quae patenter ardent in Altari. Illorum numerus nequit certo determinari, dependet potissimum a Machinae extensione, structura, magnificentia, quae, ut decenter collucescat, maiorem minoremque luminum latentium quantitatem exquirunt; idcirco Sacra Congregatio pietati facientis expositionem id remittit. Quoad vero illa, quae ex cera ardere debent in Altari, omnino iubet ut sex ad minus sint. Modicus certe numerus, qui tamen eo in casu satis esse creditur, quia multo plura sunt alia ex oleo vel adipe, quae continuo latenter ardent totamque machinam illustrant. Hoc autem Decretum trahi nequit ad alias Expositiones magis minusque solemnes, in quibus cerei dumtaxat lucere debent.

12. Ad *Instructionem* modo redeamus. Ut supra vidimus, in luminum distributione praecipit inter alia, quod apponantur « tre per parte dai lati della Croce ». Ne tamen sit, qui inde argumentum depromi posse existimet, ut concludat Crucem apponendam esse in Altari, in quo expositum est Sacramentum. Non hic est sanctionis sensus, quae non aliud significare voluit, nisi quod sex cerei ardere debent in eo Altaris gradu, in quo, iuxta morem, apponi solent Candelabra cum Cruce in medio. Ceterum Crux nullo modo est continuo retinenda. Num vero apponenda sit tempore Sacrificii? est alia quaestio, quam infra loco magis opportuno examinabimus.

13. Pergit Instructio « per la Chiesa nella sera si metteranno lumi sufficienti per evitare la confusione, i quali stiano accesi finchè si chiudano le porte di essa ». Notat hic Cavalerius: « Insinuatur apprime laudabilis agendi ratio in simili quacumque occasione ubique servanda; alias quippe sequerentur absurda plurima... occasione autem Expositionis SSmi Sacramenti poterit differri occlusio portarum Ecclesiae ad congruum usque tempus, quo populus ad Ecclesiam confluit Sacram Eucharistiam veneraturus, sed foeminae omnino prohibendae sunt ab ingressu Ecclesiae; harum namque interventu plurimum compertum est infici sanctiora quaeque ». Verum cl. Auctor nimis sanctionem extendit, ac si per eam generatim et ubique interdictus esset foeminis in Ecclesiam noctu ingressus, occasione Orationis Quadraginta Horarum. Id lex non vetat, sed modum praescribit, ne oriatur confusio, aut veniant scandala. Et revera, hac nostra in Urbe, ubi per anni circulum Oratio Quadraginta Horarum perennis est, viri aeque ac mulieres in Ecclesias, donec apertae sunt, noctu conveniunt, in quibus ea Oratio fit; licet foeminis iisdem vetitum sit aliis piis interesse exercitiis, quae noctu in aliquibus Ecclesiis seu Oratoriis peragi solent. Praesides tamen solliciti sint, ne iuxta legem deficiant lumina, quae ita sint

disposita cunctaque bene ordinata, ut nihil inconveniens evenire possit. Secus namque occludendae essent Ecclesiae fores ad solis occasum, ingruentibus tenebris.

14. Neque tamen reprobandus est mos, ubi obtinet, non admittendi ea occasione foeminas in Ecclesiis. Non ubique eadem militat ratio, nec ubique ea comparari possunt media, quae ad evertenda scandala, removendas offensionis occasiones sunt ordinata. In id Episcopi incumbere debent, quorum est, quae ad Dei cultum pertinent, diligenter curare; et providere, ne quid fiat quod illum laedat. *S. Carolus Borromaeus* consuluit, ut foeminae assisterent separatim a viris. « Provveggasi ad ogni modo, che le donne vi facciano orazione separate dagli uomini con tele o altri drappi, finchè vi pongano l' asse ». Equidem expresse non iussit, ne ad Ecclesias, in quibus erat per turnum Oratio, noctu accederent, forte quia ad eas arcendas satis esse putavit altera, quam dixit, regula, scilicet, ut in Parochialibus fieret distributio horarum per familias, « non assegnandosi però il tempo di notte a donne »; et altera « ancora che la notte si faccia orazione, la Chiesa però non stia aperta, ma ciascuno picchi e se gli apra ».

15. *Benedictus XIV,* ne in Ecclesiis Dioecesis Bononiensis foeminae cum viris simul convenirent, ut per integram noctem consueverat, ad solis occasum fores claudi praecepit. « Quoniam vero ad nos pervenit in quibusdam locis per quadraginta horas Sacramentum exponi atque Ecclesiae fores per integram noctem patere, eoque vero simul et mulieres confluere; omnino praecipimus, ut post horam vigesimam tertiam cum dimidio Templum claudatur » *laud. Instit. 30, num. 24.* Consuetudines igitur locorum servandae sunt, quin certa universalis regula dari possit. Si in aliqua Dioecesi consuetudo sit, ut pateant Ecclesiae fores, ut Romae fit, primis nocturnis horis, nec foeminis denegetur ingressus; non ea erit continuo interdicenda, dummodo tamen satis provisum sit, ne oriantur scandala, utque opportuna parentur remedia, si forte aliquod exoriri posse timeatur.

16. Ac tandem non praeceptive, sed directive consulit haec sanctio, ut pannis obscurentur fenestrae prope Altare, ut mens adstantium orationi intenta, ne minimam quidem habeat distractionis causam; et omnes cogitationes colligat ac affectus in id solummodo dirigat, quod adorandum proponitur. Haec regula altera ex illis est, quas *S. Carolus Borromaeus* servandas praescribit in Ecclesiis Mediolanensibus, ubi primum invaluit tam pium Institutum Orationis perennis. Cum autem huius regulae ratio communis sit aliis etiam Expositionibus, quae aliquamdiu durant, decet ut in his etiam fenestrae occludantur. Advertas tamen, ne tanta sit obscuritas, ut tenebrosum fiat Templum; nam ea oriri posset confusio, ad quam vitandam, noctu per Ecclesiae ambitum apponenda sunt luminaria. Quamobrem scite *Instructio* non generaliter consulit occludi Ecclesiae fenestras, sed regulam limitat ad illas, quae sunt prope Altare; arbitrio relinquit, ut idipsum fiat quoad alias, quae nimiam forte possent lucem afferre, nisi telis vel alio modo tegerentur.

§ VII.

« Niun Secolare, benchè vestito di sacco « di qualsivoglia Compagnia, ardisca di an- « dare intorno all' Altare per aggiustare i « lumi o far altro che occorra; ma dovrà « essere un Sacerdote o almeno un Chie- « rico con Cotta, con la quale sopra il pro- « prio abito dovranno comparirvi anche li « Regolari di qualsivoglia Religione: avver- « tendosi di più, che ogni persona di qual- « sivoglia condizione ed ordine per Decreto « della Sacra Congregazione de' Riti *Urbis* « *19 Augusti 1651,* ad 6, (num. 937), « avanti al SSmo Sacramento esposto, ac- « costandosi o partendosi da esso, deve fare « riverenza con ambe le ginocchia piegate. « In ordine poi alla persona del Sacerdote, « il quale celebra la Messa privata, s'insinua « esserci Decreto della medesima Sacra Con- « gregazione, che mentre passa avanti al- « l'Altare, in cui sta esposto il SSmo Sa- « cramento, dopo fatta l' adorazione colle « ginocchia piegate e scoperto il capo al- « zandosi lo ricopra ».

1. Si Ecclesiae leges iubent, ne laici homines locum habere queant in Presbyterio, tempore praesertim celebrationis Missae et Divinorum Officiorum, multo magis arcendi sunt extra cancellos, dum Sacramentum est publice expositum vel pro Oratione Quadraginta Horarum, vel pro alia qualibet causa. *Sacrae Rituum Congregationis Decreta,* quae districte praecipiunt, ne laici intersint in loco sancto pro solis Sanctuarii Ministris destinato, sunt pene innumera. *Benedictus XIII* his innixus et iu-

xta sacrorum statuta canonum, *in Concilio Romano tit. 28, cap. 4,* nedum expresse prohibet: « intra Presbyterium et Altarium septa, dum Missae ibi celebrantur, aliave Divina Officia persolvuntur, secularium personarum cuiuscumque conditionis et sexus assistentiam »; verum etiam contra inobedientes « interdicti poenam, ipso facto incurrendam et Romano Pontifici reservatam, comminatur ». Sed de hoc iterum redibit sermo *ad* § *XXVII huius Instructionis.* Interim satis est adnotare, quod si laici cuiuscumque conditionis consistere debent extra Presbyterii cancellos, dum publicae venerationi patet expositum SSm̃um Sacramentum « nelle Cappelle o luogo ove sarà esposto il SSm̃o Sacramento, non entreranno entro i cancelli i laici », ut habet *S. Carolus Borromaeus in saepe citat. Instructione Act. Eccl. Mediolanen. pag. 681;* iam quisque videt, nec sub ullo praetextu licere iisdem « di andare intorno all'Altare per aggiustare i lumi e fare altro che occorra ». Quod autem ex Ecclesiae legibus est illicitum, cohonestari ne aliquo modo posse quis putet, si ad hoc munus, non vulgari veste, sed alicuius Sodalitatis laici homines utantur habitu: nam hoc casu praeviso, nostra Instructio expressis verbis id prohibet; et huiusmodi officium Clericis tantummodo in defectum Sacerdotum attribuit.

2. Verum, vel Sacerdos sit vel Clericus qui vigil adsit ut accendat, extinguat, purget, disponat lumina, aliaque peragat quae circa Altare necessaria aut opportuna videbuntur, superpelliceum induere omnino debet. Hoc exigit loci religio, Sacramenti maiestas, functionis solemnitas. Non enim decet circa tam sublime Mysterium in habitu vulgari etiam nigri coloris ad talos usque protracto ministrare, sed solum licet in habitu ex Ecclesiae praescripto in similibus functionibus adhiberi solito. Quapropter lex ad Regulares omnes extenditur, cuiuscumque Instituti hi sint. Cum autem isthaec sanctio fundamentum habeat in Apostolicis Constitutionibus, nedum Romae obtinet; sed ubique locorum, saltem quoad Clerum Secularem servanda omnino est.

3. Quaeri hic posset num Laici Conversive Regulares a lege prohibitiva excipiantur? Cavalerius ad hunc locum inclinat in sententiam affirmativam, praesertim si agatur de Expositionibus extra Urbem. « Quae tamen (scilicet sanctio) saltem extra Urbem limitationem fortasse patitur quoad Laicos seu Conversos Regulares, qui dummodo in superpelliceo appareant, intra Presbyterium admitti posse videntur ad concinnanda lumina, ad quorum aptationem aliaque similia praestanda munia ex Secularibus etiam Clerici admittuntur ». Liceat mihi addere, quod idipsum, quin violetur Instructio, etiam in Urbe non dedecet. Laici enim Conversive Regulares pluribus fruuntur privilegiis et in pluribus aequiparantur Clericis: praeterea ex his nonnulli sunt, qui magis quam Sacerdotes et Clerici idoneitatem habent ad ea munia, quae aptitudinem aliquam usu acquisitam requirunt; praesertim ubi luminaria magna sunt in copia, et ad illa aptanda atque purganda per plures gradus cum aliqua difficultate ascendere oportet. Numquam tamen ad Altare accedant sine superpelliceo; quemadmodum lex iubet nedum quoad Sacerdotes et Clericos Seculares, verum etiam quoad omnes Regulares cuiuscumque Instituti.

4. Haec ad primam sanctionis partem. Altera succedit de genuflexionibus, quae ad primam aliquam habet relationem, sed magis late patet ac omnes complectitur, qui in Ecclesiam devotionis ergo conveniunt, vel Altari inserviunt, vel aliquo funguntur officio; utpote illi praesertim sunt, qui luminibus aptandis et purgandis invigilant, ac propterea de uno ad aliud Altaris latus transeuntes, persaepe necessario debeant ante Sacramentum transire, nisi talis sit Machinae structura ut huiusmodi munus per graduum intervalla, aut a parte postica implere possint et debeant. Siquidem Decretum *Urbis 19 Augusti 1651,* quod ab Instructione laudatur, expresse ac generatim iubet « quando SSm̃um Eucharistiae Sacramentum publice discoopertum exponitur; omnes ante illud transeuntes cuiusvis conditionis et ordinis sint, seu ad illud accedentes vel ab eodem recedentes semper utrumque genu flectere debent » (Vide hanc novam collectionem *num.* 937 *dub.* 6). Cum vero Decretum enuntiet Sacramentum publice discoopertum, dubitare quis posset; num idem genuflexionis obsequium vel unius tantum genu ad terram inflexio debeatur Sacramento in Throno quidem exposito, sed velato vel patente Pyxide aperto Tabernaculi ostiolo? Verum quod ambiguum fortasse est in laudato Decreto, declaratur per alterum eiusdem S. R. C. responsum *in Varsavien. sub die 7 Maii 1746, ad dub. 4:* scilicet « Transeundo circa SSm̃um Sacramentum in Pyxide, an

utroque genu ante illud genuflectendum sit? » Affirmativa prodiit resolutio (Vide num. 2390, ad dub. 4). « Quoad genuflexiones vero utroque genu sunt faciendae a transeuntibus ante illud, etiam quando in Pyxide, patenter, sit expositum ». Quocumque modo sit expositum Sacramentum venerationem exigit, non substantialiter, sed modo externoque signo, diversam ab ea, quae ex Ecclesiae instituto ei debetur, dum latet clausum in Tabernaculo. Si latenti convenit adoratio unius flexione genu, in uberioris venerationis argumentum utroque genu flectendum erit, dum publice est expositum, etiam velato Ostensorio, vel patente Pyxide.

5. Verum haec regula, etsi generalis, suas tamen patitur limitationes quoad Sacerdotes, qui Sacrum solemne faciunt in Altari, in quo expositum est Sacramentum; quae limitatio etiam comprehendit Ministros. Hi omnes dum primum veniunt ad Altare et postremo ab eo recedunt, utrumque genu flectere debent, quemadmodum etiam dum sacra Hostia publice patens thure est adolenda. Sed dum ibi permanent, si loco moveantur, ut aliquid agant, et circa Sacramentum vel Altare operentur; sufficit, ut transeuntes ante illud unico genu Sacramentum salutent: non enim de novo accedunt ad Altare, nec ab eo, non reversuri, recedunt, ut comprehensi intelligi debeant sub regula *Clementinae Instructionis et laudati Decreti Sacrae Rituum Congregationis.* Neque unica haec ratio est; nam et alia potissima succedit; quippe cum frequentes in solemni Missa sint transitus Sacerdotis aut Ministrorum ante Sacramentum, flexio utriusque genu multi foret incommodi, surrectio difficilior fieret, administratio minus expedita atque actio sacra plus aequo protraheretur. Communior haec est saniorque liturgicorum Auctorum sententia, quam firmat constans principalium Ecclesiarum usus. Idipsum servandum a Sacerdote et Ministro, si quandoque contingat celebrari ante Sacramentum expositum Missam privatam, veluti monent inter alios *Gavantus ad Rubricas Missalis part. 2, tit. 14; ibique Meratus.*

6. Neque hic praetereundum, quod eadem regula servanda est quoad genuflexiones utroque vel unico genu a Sacerdote et Ministris, etiamsi Expositio sit privata in Ostensorio velato vel in Pyxide. Id declaratum fuit a Sacra Rituum Congregatione *sub die 22 Decembris 1753 in Wilnen.* Dubium erat « quando absolvitur Missa lecta coram SSmo Sacramento exposito, attamen velato; item coram Sanctissimo Sacramento in Pyxide exposito, an debeant omnes genuflexiones observari in tali Missa, quae alias observantur, SSmo Sacramento publice exposito, et non velato ». Cui Sacra Rituum Congregatio respondit: « Affirmative » (Vide *num.* 2427 *ad 10*). Nam si ut supra vidimus, ex altero eiusdem S. C. Decreto, Sacramentum velatum, vel patens Sacra Pyxis, exigit genuflectiones ab omnibus ac si esset detectum, potiori iure haec servanda est regula a Celebrantibus coram eo Missam solemnem vel privatam.

7. Tertia succedit sanctionis pars, quae modum praescribit a Sacerdote servandum, dum is ad aliquod ex Altaribus pergens Missam lectam celebraturus, vel expleta Missa, ab eo recedens transit ante expositum Sacramentum. Servandum esse iubet Decretum Sacrae Rituum Congregationis. Dubium erat: « An (Sacerdos), post factam genuflexionem detecto capite surgens, debeat caput tegere donec ad Altare pervenerit, an vero detecto capite iter prosequi ob reverentiam tanti Sacramenti sic publice expositi; cum Rubrica Missalis Romani non videatur loqui de hac praecisa adoratione in casu, de quo agitur? » Cui responsum fuit: « Servandas esse Rubricas Missalis Romani, quae videntur innuere, quod, post factam adorationem flexis genibus, detecto capite surgens, caput operiat ». Recte dicitur « videtur innuere » non enim id exprimit Rubrica, quae est: « Si vero contigerit eum transire.... ante locum Sacramenti, genuflectat; si ante Altare ubi celebratur Missa, in qua elevatur vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectat et detecto capite illud adoret, nec ante surgat, quam Celebrans deposuerit Calicem super Corporale » *part. 2, tit. 2, de ingressu Sacerdotis ad Altare.* Hanc quidem rubricam iuxta sensum laudati Decreti servandam esse in transitu ante Altare, in quo patet expositum Sanctissimum Sacramentum, sed non in genuflexione immorandum, docent *Gavantus et Quarti ad hunc titulum; Cavalerius tom. 4, cap. 10, Decret. 5; Tetamus in Append. tit. 3, cap. 4.*

8. Quemadmodum vero, dum elevatur Hostia et Sacramentum fidelibus administratur, utrumque genu flectendum est, ita etiam servari debet a Sacerdote pertranseunte ante expositum Sacramentum. Non

diffiteor *Bauldrinum part. 3, tit. 2 de ingressu Sacerdotis ad Altare, num. 1, in nota num. 3; et Bissi tom. 1, litt. G, num. 24, § 2,* existimasse Sacerdotem Missam celebraturum in transitu ante Altare, in quo expositum est Sacramentum, unicum poplitem flectere debere; quia regula generalis ad faciendam genuflexionem utroque genu est quando fit aliqua pausa; hic autem nulla facienda est pausa; ideo concludunt pro unius tantum poplitis ad terram usque flexione. Haec opinio nullam prorsus vim habet post editum *S. R. C. Decretum,* quod pro regula habendum esse iubet *Instructio* et legis generalis locum obtinet. Quamquam praecise ab Instructione et Decreto, ex vi praeceptivae *Rubricae,* utrumque genu flectendum esse plane consequitur. Haec duo distinguit casus, transitum scilicet Sacerdotis ante Tabernaculum, in quo reconditum est Sacramentum; et transitum ante Altare, dum Sacra elevatur Hostia; in primo simplicem iubet genuflectionem, quae unico fit genu, capite operto; in secundo adorationem utroque poplite ad terram inflexo et detecto capite. At secundus casus alterum includit de transitu ante Altare, in quo expositum est Sacramentum, ut per *laudatum Decretum* declaratum fuit, quum par sit ratio. Unus ab altero in eo tantum discrepat, quod, dum Sacra elevatur Hostia, Sacerdos pertransiens non ante surgere debet, quam Celebrans deposuerit Calicem super Corporale: in Expositione vero Sacramenti nulla est nectenda mora in genuflexione, qua facta absolutaque adoratione cum capitis inclinatione, statim surgendum est.

9. Notat Meratus in ulterioris *Rubricae* illustrationem « iuxta communem usum Romae receptum, Sacerdos in dicto casu genuflectere debet utroque genu, et postea deponere biretum, et caput profunde inclinare ». Sed hae actiones, etsi ad invicem sibi simultanee succedant, aliquod, licet brevissimum, temporis spatium requirunt; et fit proinde aliqua pausa, etsi momentanea. Idcirco, quamvis non sit in mora cunctandum, satis haec est brevis morula, ut nihili pendi debeat praefatorum scriptorum opinio. Quod si ratio valeret per eosdem allata, genuflectendum utroque genu tantummodo esset, dum aliquali tempore est in Oratione perseverandum; numquam vero, nisi unico genu, in simplici transitu, accessu et recessu, secus ac iubet *Instructio.* Imo nec Sacerdos et Ministri accedentes ad Altare pro Missa solemni genuflectere deberent utroque genu, quia illico surgunt et nulla fit pausa.

10. Licet vero iubeat *Instructio* Sacerdotem, facta genuflexione et adoratione, dum surgit, caput operire debere; apud bene multos tamen usus invaluit, illud non operiendi, nisi, dum extra sunt aspectum Altaris, in quo expositum est Sacramentum. Mos iste estne retinendus, vel potius censura notandus? Eumdem utpote contrarium legi, quae non sine rationabili causa mandat capiti imponi, facta genuflexione, biretum, communiter reprobant Rubricistae. Audiendus Meratus, qui, regulae inhaerens, deponendum biretum monet a Sacerdote non prius, « sed postquam genuflexerat; facta autem profunda capitis inclinatione, antequam surgat, iterum imponendum, eumdemque absque alia reverentia suum debere prosequi incessum cum bireto in capite ». Quapropter non laudandi, sed potius redarguendi sunt illi, qui ad maiorem reverentiam, ut ipsi dicunt, capite aperto abeunt, donec sint extra conspectum Altaris, tum quia operantur contra Rubricam et Decreta, tum quia incurrunt periculum, ut aliquid de Calice decidat.

11. Advertendum praeterea est, perperam agere Sacerdotes illos, qui, dum genuflexi profundam Sacramento inclinationem faciunt, biretum collocant supra Calicem: haud enim decet et prorsus indignum est Calici imponere capitis tegumentum; quamobrem vel est porrigendum ministro, vel ab ipso Sacerdote ita tenendum, ut vola manus dexterae cum parte aperta bireti sit versus ipsum Sacerdotem; et pars inversa eiusdem manus ponatur supra Calicem. Ita Meratus *loc. cit.,* Cavalerius *tom. 4, cap. 10, Decr. 52,* Tetamus, *in Append. cap. 3, art. 4, num. 17.*

12. De Missa privata solummodo agit Instructio, quia Sacerdos ad hanc celebrandam pergens vel rediens ad Sacrarium, Calicem manu defert; quamobrem regula danda erat, quae simul consuleret religioni et decentiae. Secus vero dicendum est de Sacerdote Missam solemnem celebraturo, vel de eo, qui privatam dicturus sit, Calice tamen in antecessum ad Altare iam praeparato. Nam utroque in casu, cum Sacerdos impedimentum Calicis non habeat, antequam genuflectat, simul ac detegit expositum Sacramentum, caput debet, amoto bireto, aperire, quod et faciant Ministri sacri Missae solemnis; postquam vero surrexit, non statim

biretum capiti imponat, sed postquam e conspectu Sacramenti se subtraxerit.

13. Aliae plures quaestiones pro casuum diversitate a Rubricistis fiunt, quas prosequi nostrum non est, cum circa venerationem debitam Sacramento publice exposito non versentur. Unam vel alteram tantummodo attingam, quae aliquo modo ad rem, de qua agimus, referri possunt. Quaeritur: Quomodo se gerere debeat Sacerdos ad Altare pergens, vel ab illo recedens, si per Ecclesiam obviam ei fiat deferens Sacramentum, vel in Ostensorio patens, vel latens in Pyxide? Difficile est, ut huiusmodi casus non praevisus accidat in accessu Sacerdotis ad Altare. Nam si fiat per Ecclesiam processio, vel deferendum sit Sacramentum de uno ad aliud Altare, aut per modum Viatici ad infirmos; Sacerdos Missam lectam celebraturus cunctare tantisper debet in Sacristia, donec absoluta sit Processio, vel reconditum sit Sacramentum; ubi asservandum est, vel Sacerdos Viaticum deferens Ecclesiae ianuam praetergressus fuerit, vel in reditu populum cum benedictione dimiserit. Non ita dicendum de Sacerdotis regressu, expleta Missa, ad Sacristiam; quia licet, quoad Processiones attinet, casus vitari possit, curando ut Missae omnes ad Altaria absolutae sint, dum devota supplicatio instituitur; alter tamen casus delationis Viatici praevideri non semper potest; et quandoque pro re nata improviso et festinanter deferendum est. Verum quomodocumque et quandocumque id accidat, vel in accessu, vel in recessu, docent Rubricistae, genuflectendum esse donec transeat, et quidem utroque genu, si immorandum sit; unico vero genu, si in transitu et absque mora genuflectendum est. Ita Quarti *ad Rubric. Missal. part. 2, tit. 2, num. 1, Tonell. lib. 2, tit. 2, Rubr. in notis num. 6,* § *Huiusmodi,* Merati *loc. cit.*

14. Haec tamen distinctio non omnibus forte amplectenda videbitur. Nam si Rubrica iubet, ut dum elevatur Sacramentum, vel dum fidelibus ministratur, Sacerdos in transitu debeat utroque genu ad terram posito, detecto capite, illud adorare; non video, cur idem modus servandus non sit in transitu prope Sacerdotem deferentem Sacram Hostiam, vel in Ostensorio, vel in Pyxide, etiamsi non sit in genuflexione immorandum. Si Rubrica extendi debet, ut Liturgici omnes notant, ad transitum ante Sacramentum expositum, et licet Sacerdos immorari genuflexus non debeat, nihilominus utroque poplite inflexo tenetur illud adorare; quod, ut vidimus, praecipiunt etiam S. R. C. Decreta et *Instructio;* curnam eadem regula servanda non erit in occursu Sacerdotis deferentis Sacramentum? Hinc forte non fallor, si existimem etiam in proposito casu utrumque genu in momentanea adoratione esse flectendum, ut fit in transitu ante Altare, ubi expositum est Sacramentum vel Sacra ministratur Eucharistia.

15. Quaeri item potest: « An in Processionibus, quae occasione Quadraginta Horarum fiunt per Ecclesias, debeant processionaliter incedentes ante Sacramentum in occursu et transitu a latere eiusdem genuflexionem facere? » Nonnulli Liturgici respondent: « Affirmative, dummodo in transitu videatur ». Verum haec regula non est ubique in viridi observantia. Erunt ne igitur redarguendi, qui secum faciunt? Non is sum, qui audeam definire; haud tamen crederem eos in legem peccare. Siquidem ut genuflexio, ita etiam est actus religionis et cultus incessus supplex ante Sacramentum cum alternatione hymnorum laudis, qui solemniter decantantur. Et haec ratio est, ob quam Bissus *litt. G, num. 19,* § *2;* et Meratus *part. 4, tit. 12, n. 14,* genuflectere debere negant interessentes Processioni SSm̃i Sacramenti, etiamsi transeant ante Altare actu, quo Sacra Hostia elevatur vel Calix « quia sunt in actuali illius adoratione ». Praeterea aliquid inesset incommodi, si quotquot lateraliter transeunt e conspectu deferentis Sacramentum, genuflectere deberent. Quod si omnino genuflectere deberent nec contraria consuetudo, ubi viget, servanda esset, unico tantum genu Sacramentum foret adorandum: nam si utrumque genu flectendum esset, nimis retardaretur supplicatio, et mora in ipsum veluti redundaret Sacramentum, ut notat Cavalerius *tom. 4, cap. 10, Decr. 7, num. 4.*

§ VIII.

« Si tenga, durante l'Esposizione, alla « porta della Chiesa per la parte di dentro « o di fuori, come tornerà più comodo, un « tappeto, che faccia forma di Bussola, con « spazio adequato alli lati per comodità del « popolo, e sia talmente posto, che non « possa mai dalla strada vedersi il SSm̃o Sa- « cramento ».

1. Si ad Ecclesiarum ianuas decet, ut semper, praesertim vero tempore Sacrificii,

retineatur velum, quod *Velotyron* seu *Amphityron* Graeci dicunt, Itali *Portiera,* ut Macri veterum monumentorum investigator egregius tradit in suo *Hierolexicon verbo Velum;* multo magis apponi oportet aptius munimentum, dum Sacra Eucharistia exposita publicae patet venerationi. Subtrahi debet quaelibet iis, qui in Ecclesia morantur, distractionis occasio; et quantum licet, curari ut minus sensibilis sit strepitus, qui quandoque per viam fit. Illud vero est maximum, ne Sacramentum semitam transeuntibus visibile sit. Secus enim si fieret, cum non levi detrimento cultus et religionis fieret, imo pluribus irreverentiis praeberetur causa. Quamobrem severe iniungitur, ut huiusmodi munimentum e crassiori panno ita aptetur, ut impediat internum Ecclesiae aspectum iis, qui extra sunt; nullum vero obiiciat obstaculum ingredientibus Templum. Spissum atque compactum sit oportet, « che faccia forma di bussola con spazio adequato ai lati per comodità del popolo; e sia talmente posto, che non possa mai dalla strada vedersi il Sacramento ». Potest apponi, vel ab intra, vel ab extra prope ianuam, prout magis opportunum videtur, et Ecclesiae proximaeque semitae maior vel minor est latitudo aut angustia.

2. Id tamen non indiscriminatim positivum praeceptum importat; sed tale est quoad illas tantum Ecclesias, in quibus alio modo effici nequit, ne Sacramenti conspectus obnoxius sit per viam ante Ecclesiae ianuam transeuntibus, ac proinde actibus irreligionis. Quod si alio decenti modo provisum sit, ut in Ecclesiis accidit, quae storeis crassioribus munitae sunt, vel in affabre elaboratum ligneum septum introducunt, per quod lateraliter in Ecclesiam pateat ingressus; regula sanctionis cessat, cum utroque modo religioni et debitae Sacramento venerationi provisum sit. Tempore enim, quo primum prodiit Instructio, nondum communiter mos invaluerat, duplicibus portis septo intervallo disiunctis, Ecclesias munire, cum ad religioni consulendum, tum ad easdem ab externis aeris impressionibus custodiendas; ut modo fit nedum in Basilicis, verum etiam in aliis fere omnibus, etsi minoribus et angustioribus Ecclesiis. Idcirco Instructio eum praescripsit modum, quo cum minori dispendio provideri posset, ut Sacramenti aspectus iis solis pateret, qui adsunt in Ecclesia, veluti etiam nunc servatur in illis, quae recens inventum munimentum non habent.

3. Sed opportunum maxime, quamvis non levem secum ferat difficultatem, alteram distractionis causam impedire, quae, ut Cavalerius ad hunc locum adnotat, occasionem habet a canibus introeuntibus, qui latratibus sacras functiones perturbant, multum incommodi devotae adstantium attentioni afferunt et Ecclesias spurcitiis et immunditiis polluunt. Plurimum idcirco expediret ut ad Ecclesiarum ianuas aliquis continuo adstaret, qui canes ab ingressu prohiberet. Qui igitur ad Ecclesiam veniunt Sacramentum adoraturi, vel canes domi relinquant, vel quatenus secus ducant, alicuius custodiae consignent, priusquam Ecclesiam ingrediantur. Quod dictum volumus nedum relate ad tempus Expositionis Quadraginta Horarum, verum etiam quoad alias quascumque Expositiones. Optandum sane, ut nunquam canes reperirent aditum ad Ecclesias; sed quod generatim impossibile est, vel multum difficile, curandum tamen ab iis, qui Ecclesiis praesunt, ut saltem aliquo modo impediatur, tum occasione Expositionis Sacramenti, tum occasione festivitatum et solemnium functionum, quae magna cum populi confluentis frequentia fiunt.

§ IX.

« Siano di continuo uno o due Sacer-
« doti, o almeno in altro Ordine Sacro co-
« stituiti, se si potrà, vestiti di cotta (ben-
« chè siano Regolari) genuflessi avanti un
« banco ricoperto con tappeto o panno rosso,
« o d'altro colore e qualità decente vicino
« all'infimo grado dell'Altare ; e mai sopra
« genuflessorii, orando tanto di giorno,
« quanto di notte a vicenda. Dove sarà
« qualche Confraternita, vi assistano due
« confratelli almeno, avanti un banco co-
« perto di panno verde o d' altro colore
« decente, parimente a vicenda, ma fuori
« dal Presbiterio e distanti dagli Ecclesia-
« stici suddetti; ed oreranno con tutta di-
« vozione per edificazione degli astanti e
« con voce sommessa per non causare di-
« strazione negli altri ».

1. Uberiorem dicendi copiam praebet haec sanctio. De adoratione Augustissimo debita Sacramento sermo est. Tametsi nunquam desint cuiuscumque sexus et conditionis homines, usque dum patent ianuae Ecclesiarum, in quibus fit Expositio Quadraginta Horarum, qui in Sacramenti adoratione devoti persistunt; nihilominus omnino convenit, ut aliqui e Clero proxime

ad Aram continuo adsint et sibi ad invicem succedant, qui Sacrae Eucharistiae tributum laudis persolvant et populo convenienti in Ecclesiam exemplo sint. Quotquot de sacris ritibus scripserunt, id innuunt, et s. m. Benedictus XIV, dum Bononiensem Ecclesiam regebat, praecepit « ut in Ecclesiis tam Secularium quam Regularium, in quibus esset Sacra Eucharistia publicae exposita venerationi, unus vel duo Sacerdotes vel duo saltem in Sacris Ordinibus constituti, superpelliceo induti flexisque genubus, intersint etc. » *laud. instit. 30, num. 20.* Nostra autem *Instructio* idipsum vult, ac praeterea iubet, ut etiam Regulares, cuiusvis Ordinis et Instituti sint, ad scamnum ad id paratum non accedant, nisi induti superpelliceo. Quod autem de Oratione Quadraginta Horarum statutum est, idipsum servandum erit in aliis quibuscumque Expositionibus, vel hae ad breve vel ad longum tempus perdurent: nam curandum est, ne unquam alicuius de Clero desideretur assistentia.

2. Neque regulam coercendam putes ad Expositiones publicas atque solemnes: habet enim locum etiam in privatis, quae fiunt, aperto Tabernaculi ostiolo, ut pateat velata Pyxis. Ita decretum video a Sacra Congregatione negotiis Episcoporum et Regularium praeposita, quae permitti posse censuit huiusmodi privatam expositionem « cum numero sufficienti luminum et assistentia Sacerdotum ». Ita sub die *1 Septembris 1598;* et *9 Decembris 1602* « cum assistentia alicuius Sacerdotis Stola et superpelliceo induti ». Id autem intelligi debet, quemadmodum de aliis Expositionibus, quae ad breve tempus fiunt, si inter expositionem et preces, quae ante repositionem recitantur, aliquod, etsi modicum intervallum excurrat: nunquam enim Sacramentum relinquendum est sine aliquo ex Clero, qui illud intus Presbyterium adoret. Quod si ab Altare non recedant Sacerdos et Clerici, exposito Sacramento et immediate precibus una cum populo vacent; non est, cur aliquis distincte orationi incumbat, quia omnes simul praestant huiusmodi religionis obsequium.

3. Regula igitur etsi obliget Ecclesias Urbis, et circa unam tantum Expositionem Quadraginta Horarum versetur, nihilominus haberi perinde debet, ac si generalis esset, non ut praeceptiva, sed ut directiva. Id enim in genere praescribit, quod exigit Divina Maiestas humanitati coniuncta latens sub specie panis. « Si Angelorum Chori illi assistunt », ut habent *S. Ioannes Chrysostomus lib. 3, de Sacerdotio, et Homilia 65, ad populum Antiochenum; S. Ambrosius cap. 1, in Lucam; et Magnus Gregorius Dialog. lib. 4, cap. 58,* aequum est, ut Ministri Altaris ab eius adoratione nunquam desistant, dum Sacramentum publicae venerationi expositum est. Lex tamen aliquam modificationem admittit quoad numerum et gradum Clericorum, qui huic adorationi vacare debent. *Instructio* equidem exigit unum vel duo Sacerdotes, aut saltem Clericos in Sacro Ordine constitutos: adiicit tamen conditionem, quatenus haberi possit. Quod si hi desint, vel pro singulis horis haberi nequeant, substitui poterunt Clerici ad Minores gradus promoti, vel etiam Regularium Ordinum Laici et qui inter Monachos Conversi dicuntur. Sensus ergo Instructionis est, quod huiusmodi officium praecipue Sacerdotibus et aliis in Sacro Ordine constitutis convenit; Clerici in minoribus deinde succedunt, postremo in horum quoque defectu, in Ecclesiis Regularium respectivorum Ordinum Laici professi, qui Clericorum privilegiis gaudent. Quoad numerum vero nihil certi praefinire vult sed disiunctiva utitur, iubens unius vel duorum assistentiam, quia non omnes Ecclesiae aeque abundant copia Sacerdotum et Clericorum: imo quamplurimae sunt, quae cum nullum habeant Saecularium vel Regularium Collegium, adscititiis Clericis compelluntur ea omnia perficere, quae ad sacram illam pertinent actionem. Idcirco, relate ad istas, satis erit, si unus Sacerdos, vel unus Clericus continuo Sacramentum adoret; nec ab Altari discedat nisi venerit alter, qui eius occupet locum. In Ecclesiis vero Patriarchalibus, Collegiatis, Conventualibus, in quibus vel Secularis vel Regularis copiosus est Clerus, congruum videtur ac decens, ut duo saltem sibi in adoratione succedant.

4. Et quoniam, ut supra notatum est, eadem regula in aliis etiam Expositionibus servanda est, quaeri hic poterit; num quoque tenenda sit extra Urbem? Respondendum videtur, quod obtinet ex decentia, non ex necessitate: sed Episcopi in id sedulo debent incumbere, ne aliqui ex Clero desint, qui Sacramentum expositum, praesertim in Oratione Quadraginta Horarum, continenter adorent. Haec est mens *Sacrae Rituum Congregationis;* quae interrogata *in Cortonen. 10 Septembris 1701, ad 18:*

« An tempore Quadraginta Horarum in Cathedralibus vel Collegiatis debeat semper assistere aliquis Sacerdos vel Clericus cum superpelliceo? » scite cauteque respondit: « Hoc maxime decere iuxta edictum Emi Vicarii pro Urbe; et Episcopus in hoc quammaxime incumbat ». (Vide num. 2079). Patet igitur ex hoc rescribendi modo quale sit Sacrae Rituum Congregationis hac de re iudicium. Bene notat *Edictum Cardinalis Urbis Vicarii* (nondum prodierat *Clementina Instructio,* quae primum evulgata est quinquennio post, scilicet anno 1705) extra Romam eiusque districtum non extendi; et circa rem versari, quae decet ut ubique fiat, sed non est ex generali aliqua lege necessario ubique facienda, si debitae adorationi aliter provideatur. Idcirco ad Dubium non respondit absolute iubendo; sed maxime decere dixit, ut circa huiusmodi obsequium Venerabili Sacramento praestandum, modus ille obtineret, qui erat pro Ecclesiis Urbis praescriptus. Sed quoniam « quaecumque in Dioecesi ad Dei cultum spectant ab Ordinariis diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri aequum est » *(Conc. Trident. Sess. 21, cap. 28, de reformat.);* propterea addens « Et Episcopus in hoc quammaxime incumbat » plene ostendit quid vellet, non absolute iubendo; sed insinuando, ut Episcopus suo fungens munere modis omnibus curet, ut quod religioni congruit, non omittatur.

5. Certa regula tamen dari nequit pro omnibus indistinctim locis; et servanda sunt particularium Synodorum Decreta et Ordinariorum mandata, dummodo horum ope satis consultum sit religioni et decentiae. Cavalerius et Tetamus ad hunc *Instructionis* locum pro diversa qualitate et solemnitate Expositionis, modo unum, modo duo Sacerdotes aut Clericos debere autumant in oratione persistere. In Expositione solemni et publica, quae diu protrahitur et praesertim si adhuc de nocte, duos Sacerdotes vel unum saltem semper assistere debere volunt, aut duos ex Clericis Sacrorum Ordinum, sin minus, alios ex Clericis in minoribus constitutis: si vero diu non perduret Expositio, nunquam deesse volunt duorum assistentiam Sacerdotum vel in Sacris Ordinibus constitutorum, si fieri possit; secus, saltem unius Sacrorum Ordinum et alterius inferiorum: quem modum servandum esse etiam existimant in Expositionibus, quae diu durant, saltem de die, et dum maior est populi frequentia. Liceat mihi hanc opinionem emollire: si Instructio praenoscens difficultatem habendi tot Presbyteros aut Clericos, in Ecclesiis praesertim quae Clerum non habent, non expresse iubet, quod duo semper assistant; sed vult, ut unus numquam desit, etsi Expositio Quadraginta Horarum omnium sit solemnissima; curnam onus imponendum duobus quoad Expositiones minus solemnes et brevis durationis, quae fiunt in novemdialibus et triduanis precibus, vel statis diebus in piarum fundationum implementum? Rursus Instructio tempus et horas non distinguit, sed vult ut tam de die, quam de nocte, unius vel duorum assistentia continua sit: hinc per modum regulae exigi nequit, ut in Expositionibus, quae brevi durant, semper; et in aliis, quae longius protrahuntur, saltem de die et dum maior est populi frequentia, duo nunquam ab oratione deficiant. Puta tamen praefatos Auctores ita esse intelligendos, ut consulant quod magis decet, quin certam servandam regulam tradant. Laudandi igitur erunt, qui habentes Sacerdotum et Clericorum copiam curabunt, ut maior sit in utroque casu perseverantium in oratione numerus; praesertim quia *Instructio* vult ut duo assistant, sed saltem unus nunquam desit; verum modum pietati et religioni non imponit et in arbitrio est numerum augere. Haec dicta sint, ne Scriptorum ceteroqui clarissimorum auctoritas in sensum fortasse ab eorum mente alienum detorqueatur.

6. Quod si Sacerdotum vel Clericorum assistentia praestanda est, quando Sacramentum est publice expositum: quomodo consulendum erit, si unus tantum Sacerdos sit, qui regit populum; et Clerici vel omnino desint vel sint paucissimi, ut frequentissime accidit in Ecclesiis ruralibus? Hoc dubium sibi proponunt Cavalerius et Tetamus, qui existimant « Non ideo omittendam esse Expositionem Sacramenti: ob impotentiam enim et necessitatem ablegandae non sunt laudabiles consuetudines; et potissime causae pietatis, cuiusmodi est Expositio Sacramenti; dummodo tamen, si non adsit Clericorum, non desit laicorum aliorumque fidelium adoratorum copia ». Secus enim infelices illi populi, qui longe nimis a cultis Civitatibus, in parvis angustisque oppidulis, vel dispersi in arvis commorantur, perpetuo carerent spirituali hoc solatio. Nec illud praetereundum est, quod, ut iam vidimus, assistentia Sacerdotum et Clericorum est ex decentia, non autem ex omnimoda necessi-

tate; et obtinet, quin omitti debeat in locis, in quibus adsunt, vel sine gravi difficultate accersiri possunt ecclesiastici viri. Verumtamen advertendum est, quod si desunt Clerici, cetera saltem concurrent, quae sacra illa exigit actio; nam si deessent sacrae supellectiles vel cerei, vel quid aliud ad tantum opus necessarium; nec decet, nec licet Sacramentum publice exponere. Satius est sacram illam functionem omittere, quam sine debita reverentia peragere.

7. Quaerimus modo de habitu, quo Sacerdotes et Clerici in adoratione perseverantes distingui debent. Iubet Instructio tam Seculares quam Regulares ad scamnum ad id paratum in plano Presbyterii, nonnisi superpelliceo indutos debere accedere; quam vestem induere debent etiam Regularium Ordinum Laici; neque his licet assistentiam praestare solo religioso habitu contectis, si in Clericorum defectum assumantur. Haec regula ad quascumque Expositiones publicas vel privatas extenditur, neque excogitari potest casus, in quo ut secus fiat, permissum sit, nisi superpellicea desint, quod vix eveniet in aliqua pauperrima rurali Ecclesia. Nimis enim dedecet ordinariis vestibus amictos Presbyterium ingredi et stare supplices ante conspectum Regis. Si induti esse debent superpelliceo, qui ministrant et in servili opere circa Aram occupantur, ut vidimus *ad* § *VII;* multo magis huiusmodi amictu distinguantur oportet, qui Deo offerunt incensum laudis. Idcirco nequeo assentiri Cavalerio, qui ad hunc locum *num. 7,* existimat, extra Romam permitti posse, quod Regulares in suo religioso assistant habitu, ita tamen, ut Sacerdotes Stolam a collo pendentem teneant. Meminisse oportebat *Decreti Congregationis Episcoporum et Regularium editi die 9 Decembris 1602,* quod assistentiam indistincte iubet Sacerdotis Stola et superpelliceo induti, etiam in Expositionibus privatis, quae fiunt aperto Tabernaculi ostiolo, quin sacra Pyxis extrahatur. Hoc autem Decretum Regulares praecipue et directe respicit, quamvis commune etiam sit Secularibus, ut ex postremis verbis colligimus: « Quod item in Ecclesiis Secularium servari mandamus ». Igitur si ex Decreti lege in privatissima Expositione adorationi incumbentes Regulares superpelliceo uti debent; poteruntne in publica et solemni ante Aram adstare solo religioso sui Ordinis habitu amicti?

8. Sed en altera quaestio, *de Stola* scilicet adhibenda, vel non, a Sacerdotibus ante expositum Sacramentum orantibus. Lex silet, quae unum tantum superpelliceum seu cottam commemorat. Et quoniam lex pro Romana Urbe dicta est, ideo censent Cavalerius et Tetamus ubique terrarum Stolam superpelliceo hac in actione imponendam; in Ecclesiis tamen Urbis Sacerdotes solo superpelliceo debere esse contentos, quin Stola utantur ob reverentiam debitam Pontifici, qui Stola utitur extra Sacramenta. Verum res contra accidit; et parcendum Scriptoribus morum Urbis non satis instructis. Siquidem Romae constans consuetudo est superimponendi superpelliceo Stolam, quam solummodo deponunt Sacerdotes coram Sacramento orantes et ad Altaris latus secedunt, si veneraturus Sacram Hostiam Summus Pontifex accedat. In solis Patriarchatibus Stola non adhibetur, tum quia Ecclesiae sunt (ut ipsum fert nomen) propriae Pontificis, tum quia assistentia fit in habitu chorali.

9. Usus etiam Stolae non ita accipi semper debet extra Sacramenta, ut sit signum iurisdictionis, superioritatis et officii; sed, praecise ab actuali exercitio, ut vestis sacerdotalis, seu ut distinctivum Sacerdotii consideratur. *Cap. Ecclesiastica 9, dist. 23;* imo ut eruitur ex Concilio *Bracharensi 3, cap. 3, et Toletano 4, cap. 39, est veluti forma totius ornatus sacerdotalis.* Id tam verum est ut antiquitus Episcopi aeque ac Sacerdotes « Stolam extra Mysteria semper deferrent ». Legitur de S. Thoma Cantuariensi, quod « Stolam iugum Christi suave circa collum diebus ac noctibus habebat » apud Mabillonium *in Praef. ad seculum I Benedictinum, CVIII.* De Presbyteris vero habemus canonem *28 Concilii Moguntini anni 813,* scilicet « Presbyteri sine intermissione utantur orario propter differentiam sacerdotii dignitatis ». Huc respiciunt cap. 169, lib. 6, Capitularium; et Can. 26 Concilii Triburiensis apud Burcardum Wormaliensem lib. 6, cap. 10: « Presbyteri non vadant sine Stola, vel orario induti ». Plura videri hac de re possunt collecta a Fabio de Albertis *de sacris utensilibus cap. 8.*

10. Quod si Stola habenda semper esset extra Sacramenta ut iurisdictionis distinctivum, Sacerdotes nunquam eadem uti possent, nisi Sacra operantes. In publicis Processionibus, quae Romae fiunt, Parochi omnes, licet non sint in actuali muneris exercitio, a ceteris de Clero distinguuntur Stola e collo pendente, etiam praesente non

moraliter, sed physice Summo Pontifice, qui in solemnissima Festivitate SSmi Corporis Christi Sacramentum deferens supplicationem claudit. Nemo autem dixerit Parochos ea occasione Stolam deferre in signum iurisdictionis, bene vero ut distinctivum officii; aut per delationem Stolae laedi reverentiam Summo Ecclesiae Pastori. Si ita esset, neque iis privilegium deferendi Stolam indulsisset s. m. Benedictus XIV, neque umquam liceret Sacerdotibus per universum Orbem dispersis uti Stola extra Sacramenta; quia ab omnibus aeque reverentia debetur Pontifici. Is namque, ut habetur in *Caeremoniali S. R. E. Augustini Patritii* « numquam debet exire in publicum sine Stola »; sed eam continuo defert, non ut Urbis Episcopus, sed in signum supremi Sacerdotii, tamquam Christiani universi Orbis Pastor et Rector: et quod olim erat commune Episcopis et Presbyteris, modo ob supremam dignitatem Romano Pontifici reservatum est. Patet hinc, quod si Sacerdotes, dum in Urbis Ecclesiis supplices in Sacramenti adoratione consistunt, e collo deferant pendentem Stolam, nihil committunt, quod reverentiae debitae Summo Pontifici tantillum deroget. Quod adeo verum est, ut Catalanus ad hunc *Caeremonialis S. R. E.* locum, fretus privilegio a Benedicto XIV Parochis indulto, fateatur se rationem non invenire « cur et ipsi sacri Oratores, cum verbum Dei Romae praedicant, sacram Stolam e collo pendentem adhibere nequeant ».

11. Satis haec sunt; nihilominus si quis adhuc dubitet, ad evellendas ex animo dubietates, validum praebet argumentum eadem haec nostra Instructio. Dum res est *de Concionibus habendis* § *XXXII*, ne fiant tempore Expositionis per modum regulae generalis iubet; permittit nihilominus, ut quandoque habeantur brevia colloquia, si Praesidum intercedat auctoritas, sub ea tamen expressa lege, ne Stola ea in actione adhibeatur. « Sermoneggerà colla cotta, benchè sia Regolare, ma senza Stola ». Ubi vero agit de oratione a Sacerdotibus et Clericis facienda coram Sacramento, mandat tantummodo, quod omnes assistentiam praestent *vestiti di cotta benchè siano Regolari;* nec tamen vetat Sacerdotibus delationem Stolae. Consequitur ergo, quod ubi lex voluit negativam hanc conditionem, eam claris verbis expressit, ubi vero non expressit, haud voluisse censenda est; et libertatem reliquisse Sacerdotibus utendi Stola, ut a Clericis, qui plerumque in eodem scamno adorationi incumbunt, distinguantur. Consuetudo autem universalis, immemorialis, non intercepta, non impugnata, quae optima est legis interpres, id comprobat; cum in concionibus habendis nunquam; in assistentia vero coram Sacramento, videntibus et non reclamantibus Praesidibus, semper et in omnibus Urbis Ecclesiis (solis exceptis Patriarchalibus) Stola adhibeatur. Concludendum videtur cum Romae, tum alibi aeque posse Stolam adhiberi a Sacerdotibus coram Sacramento orantibus. Neque puto eiusdem usum esse interdictum Diaconis, dummodo Stola non e collo ante pectus defluat, sed transversim ab humero ad latus descendat. Quamquam vero, si una spectetur *Instructio,* liberum sit in religiosa illa actione solo uti superpelliceo, vel etiam addere Stolam; si meus, qualiscumque sit, sensus exquiratur, censerem eiusdem usum non esse omittendum: decet enim in actione, quae Deum immediate respicit, ut Sacerdos coram eo assistat ea indutus veste, *quae est veluti forma totius ornatus sacerdotalis.*

12. Neque Sacerdotes et Clerici possunt ab hoc religionis officio se eximere sub obtentu, quod ex laicalibus Sodalitatibus aliqui continuo sint, qui sibi vicissim in oratione succedunt. Nam utrumque iubet *Instructio,* districte mandans, quod ubi adsunt laicorum Sodalitates, duo saltem Confratres continuo, extra Presbyterium *distanti dagli Ecclesiactici,* adorationi incumbant. Dixi extra Presbyterium; non enim licet laicis hominibus, in ea praesertim actione, Presbyterium ingredi: quapropter nec eis permissum est servilia praestare circa Aram, ut supra notavimus *ad* § *VII,* quamvis non vulgari veste, sed societatis propria induti sint. Lex tamen non comprehendit Laicos Regulares: nam hi, deficientibus Sacerdotibus et Clericis, ad horum supplendas vices admittuntur; et cum ex privilegio in Clero computentur induantque superpelliceum, licite possunt Presbyterium ingredi et orare ad scamnum pro Ecclesiasticis assignatum. Simul ergo toto Expositionis tempore perseverare debent in oratione in suis ab Instructione assignatis locis tam Ecclesiastici, quam Sodalitatum Confratres; ita ut ex utraque hominum classe iis qui recedunt, alii immediate succedant. Hoc in Urbe omnino fieri debet; alibi optandum, ut fiat, sed non est omnino exigendum.

13. Quemadmodum vero diversus sit oportet locus pro Sodalibus Confraternitatum, ita etiam scamni ornatus. Id apte distinguit *Instructio,* iubens, quod scamnum paratum intra Presbyterium pro Ecclesiasticis nobiliori panno cooperiatur: « Tappeto o panno rosso, o d'altro colore, e qualità decente »; illud vero pro Confraternitate extra Presbyterium « di panno verde, o d'altro colore »; utrisque vero commune est, quod ante scamnum, non in genuflexorio, orare debent. Quae regula in Urbe servanda omnino est: in aliis vero Dioecesium Ecclesiis, censet Cavalerius parari posse genuflexorium pro Clero. Verumtamen, etsi posse non inficiar, nihilominus ex decentia ab eo parando abstinendum puto; et scamnum potius decenti ornatum tapete adhibendum, ad differentiam Episcopi, qui, si veniat ad Sacramentum venerandum, utitur genuflexorio.

14. Ut autem scamnum pro laicis extra Presbyterium paratur, ita illud pro Ecclesiasticis locandum est « vicino all' infimo grado dell' Altare », hoc est in plano Presbyterii; quamobrem contra legem illi faciunt, qui illud apponunt in Altaris gradibus, nisi tanta esset Presbyterii angustia, ut secus fieri nequiret.

15. Cum nunquam oratio intercipienda sit, percontandi locus videtur, num ut Ecclesiastici, ita etiam laicarum Confraternitatum Sodales noctu debeant in oratione persistere? Certum est pro Ecclesiasticis dictam legem esse, *orando tanto di giorno quanto di notte a vicenda;* eam legem ad laicos extendi non credam, quamvis commendabile sit, ut quemadmodum de die, ita etiam nocturnis horis vicissim adsit. Siquidem *Instructio* huius praecepti meminit in prima sanctionis parte, quae est de Ecclesiasticis, non item in secunda, quae respicit Confraternitatum Sodales.

16. Quod autem Instructio disponit quoad Ecclesias, in quibus aliqua laicalis Sodalitas habetur erecta, extendi potest ad illas Monialium aliarumque foeminarum aut virorum, qui collegialiter vivunt in communi domo, ita ut duo ex iisdem, distributis horis debeant continuo assistere in Ecclesia extra Presbyterium quoad viros, in Choro interno quoad Moniales aliarumque foeminarum Collegia. Dixi continuo, quod tamen accipiendum civiliter est, pro horis scilicet et temporibus competentibus, non autem pro integro tempore, quo Expositio durat. « Officiorum enim tempore », inquit Cavalerius ad hunc locum, « Clerum, Moniales aliosque, qui sunt de Choro, in Chorum omnes convenire posse credimus ad decantanda Divina Officia, quorum cantui dum incumbunt, insimul orantes SSmo Sacramento assistunt ». Bene quidem; sed quoniam hic Cavalerius Clerum simul confundit cum Monialibus, aliisque Collegiis, quibus onus Chori incumbit; ne censeas in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Conventualibus posse Sacerdotes et Clericos eximi ab assistentia, quam praecipit *Clementina Instructio,* coram Sacramento, tempore quo in Choro Divina Officia persolvuntur. Etenim, dummodo in Choro non desint, qui ad psallendum aliaque sacra munera peragenda conveniant, duo commode, iuxta turnum in tabella notatum, adorationi coram Sacramento vacare possunt ac interim haberi, ac si praesentes essent in Choro. Quod si Clerus modicus numero vix pro Chori servitio sufficiat, non est propterea omittenda praescripta assistentia sub obtentu, quod psalmodiae incumbentes in Choro, insimul orantes, SSmo Sacramento assistunt, sed debitae assistentiae consulendum est per alios Sacerdotes vel Clericos, qui de Choro non sint.

17. Concludit Cavalerius « quod extra Urbem, dum assistunt Clerici, non videntur ad simultaneam assistentiam adstricti Confratres aliive de Congregatione aut Collegio; et per assistentiam Confratrum, Monialium aliorumque de Collegio, suppleri saltem poterit assistentia Clericorum, quando haec sine gravi et notabili incommodo haberi non potest, aut talis est consuetudo Ecclesiae, cui plurimum hac in re deferri posse credimus ». Scite, ait, *sine gravi et notabili incommodo:* non enim quodcumque incommodum Sacerdotes et Clericos excusare posset, quia praecipuum eorum officium est in hac assistentia immorari, et Ecclesiasticae leges ad eos diriguntur. Quamobrem per assistentiam Monialium aliorumque de Collegio suppleri posse Clericorum defectum puto, si hi pauci sint numero et aliis muneribus pro Ecclesiae servitio ita distracti, ut difficillime possint haec simul implere et assistentiam praestare; vel si hos inter aliqui essent senio et aegritudinibus impediti; et pauci bene valentes superessent pro implendis oneribus, quibus propterea grave nimis foret praefatae assistentiae vacare. Sed et est alius casus. Si Moniales aliquae haberent pro Instituto Orationem perennem coram Sacramento expo-

sito per integrum anni circulum saltem de die; difficile nimis et onerosum esset Sacerdotes aut Clericos haberi, qui distributis horis Orationi vacarent, quo in casu satis esse censerem assistentiam Monialium. Nequeo tamen Cavalerio assentiri, qui consuetudinem habet pro idonea excusatione: nam si Ecclesiastici non desint in sufficienti numero, consuetudo non valet, quae abusus potius nomen promeretur.

§ X.

« Nella Sagrestia vi sia l'orologio al-
« meno a polvere per sapere il tempo della
« vicenda; di cui se ne darà il segno ad
« ogni ora colla campana maggiore, tanto di
« giorno, che di notte ».

1. Horologium ad horas indicandas in Sacrario Ecclesiae, in qua fit Expositio Quadraginta Horarum, retinendum est, quod vel hasta tempus metiatur et campanae sonitu, vel saltem subtili decidente pulvere ab una in aliam ex vitreis pyramidibus mutuo se inversis cuspidibus contingentibus, certa temporis intervalla distinguat. Huius ope designatur spatium, quod quisque debet in oratione insumere. Non enim iidem semper perseverare in actuali illa assistentia debent, nec forte possent, si vellent. Id non patitur humana infirmitas. Hinc more receptum est, ut qui ex Sacerdotibus et Clericis ad hoc religionis et obsequii officium praestandum veniunt; vel quia Ecclesiae servitio sunt addicti; vel quia in Sacramentum devotione excitati sponte accedunt; ita vicissim distribuantur, ut singuli ad horae spatium in oratione continuo perseverent. Hoc enim pacto omnes debitum cultum praestant Sacramento, secularibus exemplo sunt; et qui vel aetate graves vel corporis habitu imbecilles diu nequeunt genuflexi consistere, nimis non defatigantur. Quamobrem ea regula tenenda est, ubi pauci numero sunt Sacerdotes vel Clerici, ut potius, datis intervallis, horam orationis repetant, quam quod diutius in assistentia morentur. Danda est quies corpori, ut spiritus alacrius ad orationem redeat. Ubi vero Clerus abundat, decet ut quilibet suam praestet assistentiam per horae spatium, quin teneatur pluries eamdem repetere, nisi pro sua devotione quis id facere velit.

2. Recte Cavalerius ad hunc locum ait: « Quisquis, etsi Canonicus, Dignitas aut Ecclesiae Superior, facile hinc ediscat, ab huiusmodi assistentia se dispensare non posse; sed magis prae ceteris teneri promptitudine sua aliis in exemplum deservire...... Affigetur itaque in Sacrario tabella, in qua erunt descripta nomina eorum et horarum, qui et in quibus debent assistere; per horologium metiatur tempus vicissitudinum; et huius signum paulo ante dabitur levi et intercisa pulsatione campanae maioris, ut praesto esse valeant, qui in assistentia debeant succedere; et ne qui iam assistentiae incumbunt, cogantur diutius immorari. Signa autem per campanam maiorem data id ultra habent commodi, ut etiam a longe extra Ecclesiam existentes de Expositione moneantur et identidem ad actus virtutum excitentur ». Hactenus Cavalerius. Addam ego campanae sonitum multum etiam prodesse, ut convenientes in Ecclesiam, ut coram Sacramento per integram horam perseverent, ad lucrandas indulgentias, de singularum initio et termino edoceantur. Siquidem Clem. VIII omnibus Christifidelibus plenariam elargitur Indulgentiam, si vere poenitentes, confessi et Sacra Communione refecti, *devote orando unam saltem horam perseveraverint*. Neque clausis Ecclesiae ianuis noctu cessare debet ad singulas horas campanae sonitus; quia cum expositio continua sit, etiam noctu Sacerdotes et Clerici vicissim debent orationi incumbere; ac praeterea eo signo etiam qui vigilant, aut a sommo excutiuntur, ad promovendos erga Sacramentum devotionis affectus excitantur.

§ XI.

« La sera avanti il giorno dell' Esposi-
« zione, dopo il segno dell' Ave Maria, si
« suonino le campane solennemente per
« avviso del popolo, come anche la mattina
« nel far del giorno; e dopo tutti gli altri
« segni dell' Ave Maria, durante l' Esposi-
« zione, come parimente le solite tre volte
« avanti le Messe solenni ».

1. Festivus campanarum sonitus Ecclesiasticas solemnitates praenuntiat populumque invitat ad ea praestanda cultus et Religionis obsequia, quae exigit Festi ac Solemnitatis qualitas. Nemini dubium, quod festiva sit multumque solemnis Expositio SSmi Sacramenti pro Oratione Quadraginta Horarum, quae in Urbe perpetuo per turnum fit: recte idcirco praecipit *Instructio*, quod « la sera avanti il giorno dell' Esposizione, dopo il segno dell' Ave Maria, si

suonino le campane solennemente per avviso al popolo »; quod fieri debet etiam, cum statis horis ad auroram, meridiem et post solis occasum per triduum Expositionis in signum iubili atque laetitiae; tum etiam iteratis vicibus, ut assolet, paulo antequam Missae solemnes celebrentur. Qua in parte adamussim est servanda *Instructio;* nec liberum esse puto Ecclesiarum Rectoribus et Sacristis frequentius praecipere campanarum pulsationem. Non enim decet per frequentem nimis et non necessarium campanarum strepitum orantes ante Sacramentum distrahi ac perturbari. Quum autem haec sanctio unice versetur circa Expositionem Quadraginta Horarum pro Ecclesiis Urbis, nihil adnotandum occurrit quoad alias Expositiones minus solemnes et non praeceptas, vel quoad illas, quae alibi per Dioeceses fiunt. In his quippe laudabiles et rationabiles locorum consuetudines servandae sunt.

§ XII.

« Nell'Altare, dove sta esposto il SSmo
« Sacramento non si celebri altra Messa,
« che le solenni per l'Esposizione e Repo-
« sizione; nei quali due giorni, oltre la
« Conventuale (nelle Chiese, ove è obbli-
« gazione di cantarla) si celebrerà dopo
« Nona la Messa del SSmo Sagramento vo-
« tiva pro re gravi; eccettuate però tutte
« quelle Domeniche, che sono di prima o
« seconda classe, e tutti li giorni, ne' quali
« per ragione del Calendario tanto univer-
« sale, quanto particolare di quella Chiesa,
« si fa Offizio parimente di prima o seconda
« classe; come anche eccettuata la feria
« quarta delle Ceneri e le ferie seconda,
« terza e quarta della Settimana Santa,
« tutti li giorni dell'Ottava di Pasqua e di
« Pentecoste, le Vigilie del S. Natale e
« della Pentecoste e l'Ottava dell'Epifania,
« nelle quali Domeniche, altri giorni e fe-
« rie eccettuate si canterà la Messa con-
« ventuale con l'Orazione aggiunta del Sa-
« cramento *sub unica conclusione;* e tutto
« ciò si osserverà inviolabilmente in tutte
« le Chiese tanto dei Secolari che dei Re-
« golari ».

1. Clara est prima pars huius sanctionis, quae iubet, ne ad Altare, in quo expositum est Sacramentum pro Oratione Quadraginta Horarum celebrentur Missae, exceptis solemnibus pro Expositione et Repositione. Cur autem hoc? Facilis et expedita ratio est; ut scilicet populus unice sit adorationi intentus. Id adeo verum est, ut *S. Carolus Borromaeus* ecclesiasticae disciplinae cultor eximius iusserit, ne in Ecclesiis Mediolani per integrum Expositionis tempus ullae celebrarentur Missae, aut alia Divina Officia persolverentur; translatis interea ad proximiorem Ecclesiam oneribus, si quae implenda fuissent: a lege exceptas declaravit tantummodo Ecclesias Collegiatas et Conventuales, in quibus permisit, ut recitari possent Horae canonicae et solemnes Missae cantari: nec non Monialium, quibus indulsit unam aut duas Missas lectas, dummodo id fieret, dum minor esset populi frequentia. En eius verba: « Nelle Chiese dove sarà l'Orazione per quello spazio di tempo, che si fa, non si celebri Messa o altri Divini Offizi, ma si soddisfaccia agli obblighi, che vi fossero, nelle Chiese vicine. Siano però eccettuate le Collegiate Secolari e Regolari, dove si potranno dire le solite ore Canoniche e Messa Cantata, ma in luogo della Chiesa più lontano, che si possa, dall'Altar Maggiore; e le Chiese di Monache, nelle quali si potrà dire una o due Messe basse per le Monache. Il che si faccia in ora di minor frequenza di popolo ». *Act. Eccl. Mediol. pag. 682.* Quinimmo, iuxta Mediolanensem ritum nec pro Expositione aut Repositione Missa celebrabatur: Quadraginta Horae non moraliter, sed physice numerabantur, quibus in una Ecclesia absolutis, statim Oratio in alia incipiebat: hinc regula, quae in S. Caroli Instructione legitur: « Comincisi l'orazione nella Chiesa seguente un' ora prima, che finisca nella precedente; e duri in ciascun luogo il tempo preciso solo delle quarantore e non più oltre, ancorchè vi fosse bisogno levarla o metterla di notte ». Sed quae pro Dioecesi Mediolanensi a Sancto Antistite statuta sunt, equidem eius zelum demonstrant, ut per quadraginta Horas Orationis cuncta in unum eumdemque collinearent finem, cultum videlicet Sacramento debitum, ac simul studium servandi mores et ritus Ecclesiae Ambrosianae; nec tamen inde licet regulas desumere in similibus servandas. Ambrosiana Ecclesia suos habet particulares usus: aliae etiam sunt Ecclesiae vel Regularium Instituta, quae adhuc, in sacris peragendis functionibus, quosdam habent ritus peculiares et proprios. Haud expedit hos ad alias Ecclesias et Instituta transferri, licet laudabiles et rationabiles sint, neque ulla prorsus censura notandi;

eo quia circa modum dumtaxat versantur, salva ecclesiasticarum legum disciplinaeque substantia. Itaque de regulis illis, quae S. Carolus dixit pro Ecclesia Mediolanensi, quin simus solliciti, illas tenere debemus, quae Romae vigent, ubi moraliter et non physice numerantur horae; et Expositio, sicut et Repositio semper fit circa meridiem: nec prohibentur Missae privatae, sed interdicuntur solum Missae, cum privatae tum solemnes, ad Altare expositionis praeter illas, quae cantantur pro exponendo et reponendo Sacramento.

2. Lex autem, quae vetat celebrari alias Missas praeter duas recensitas in Altari Expositionis, nedum obtinet in Oratione Quadraginta Horarum, verum etiam extenditur ad alias omnes, quae per annum fiunt. Declaratum id iam fuerat a S. R. C. *in Bononien. 9 Augusti 1670,* quae proposito dubio respondit: «Non licere celebrare Missas in Altari Cappellae Maioris Ecclesiae Confratrum Societatis Boni Iesu Bononiae, exposito in eodem SSm̃o Sacramento, stante praesertim quod adsint alia Altaria, in quibus celebrari possint» (num. **1406**), *et in Angelopolitana die 13 Iunii 1671* cum quaesitum fuerit sub sequenti formula: «dubitatur, quando, ob aliquam causam expositum est SSm̃um Sacramentum in Altari, dum cantatur Missa solemnis, postquam mox recedendum est sine Processione an debeat populus cum eo benedici, an non?» Sacra Rituum Congregatio, priusquam responderet Dubio, quod unice versabatur circa benedictionem elargiendam cum Sacramento, expleta Missa, voluit certam generaliter firmare regulam, quod non licet celebrari in Altari, in quo expositum est Sacramentum, nisi aliter necessitas iubeat, qua urgente, respondens ad dubium, quid faciendum sit declaravit. Ideo primum per modum regulae generalis edixit: «Non debere cantari, nec celebrari Missam in Altari, in quo expositum est SSm̃ae Eucharistiae Sacramentum, nisi pro eo reponendo»; mox, limitando regulam et excipiendo casum necessitatis, ut proposito Dubio satisfaceret, addidit: «at si ex necessitate fieri opus esset, populus est benedicendus more consueto, et non cum Sacramento» (num. **1421**, ad dubium 5).

3. In hoc autem secundo Decreto illud notandum est, quod a Cavalerio refertur *tom. 4, cap. 7, num. 31;* erronea tamen lectione ibi legitur «nisi pro eo exponendo», cum legendum sit «nisi pro eo reponendo». Agit Decretum de Missa cantanda in Altari, ubi est Sacramentum expositum, non autem ubi est exponendum. Non enim in hoc vetitum est Missam solemnem celebrari, si consecranda sit Hostia in Ostensorio collocanda et processionaliter circumferenda, vel sub Umbella fidelium adorationi exponenda: sed non licet, si iam Sacramentum sit expositum, quod proposita quaestio supponit, nisi Missa solemniter sit pro eo reponendo cantanda, ut Sacra Congregatio respondit. Sibi certe non cohaereret Decretum si legendum esset, licere tantummodo celebrari Missam *pro exponendo Sacramento* in Altari, in quo *expositum est.* Erroneus certe sensus, si pro *reponendo* retinenda esset dictio *exponendo;* quemadmodum legit Cavalerius, usus fortasse non Authographo ex regestis Sacrae Congregationis, sed collectione Spiridionis Talù.

4. Obiter tamen id dictum volo, ne auctoritate quis innixus laudati Auctoris erroneam lectionem sequatur. Ceterum, quod nostra interest, certa est regula, quae generaliter prohibet Missas in Altari in quo expositum est Sacramentum. Siquidem duo supra laudata Decreta ut Generalia habenda sunt, quamvis prodierint in casibus particularibus; non enim decidendi ratio petenda erat a peculiaribus facti circumstantiis, verum a iure principalique subiecto, videlicet Sacramento publicae exposito venerationi, quod praesertim patet de postremo, in quo primum firmata fuit regula generalis, postea vero quaestioni responsum. Quamobrem Sacra Congregatio unicam rationem, quam necessitas praebet pro legis rigore moderando idoneam agnoscit. In primo namque Decreto absolute ponit non licere Missas celebrari in Altari, ubi Sacramentum expositum est, *praesertim* quia alia adsunt Altaria. Notat Cavalerius «dictio illa *praesertim,* qua ipsum Decretum utitur ut minimum quaslibet alias expellit Missas: designat namque maiorem quidem esse rationem in casu, in quo adsint alia Altaria, in quibus celebrari possit; sed nihilominus eamdem esse iuris dispositionem in casu contrario, in quo nempe in Ecclesia Altare expositionis dumtaxat habeatur». Quamquam dictio illa *praesertim* accipi potest ad sensum alterius Decreti et per hoc, si quid ambiguum est, declaratur. Nam Sacra Congregatio significare voluisse videtur, quod deerat rationabilis causa celebrandi eo in Altari, dum alia habeban-

tur, in quibus celebrari posset; quod tolerandum forte in casu, quod unicum esset Altare et celebrandi urgeret necessitas.

5. Quae tamen necessitas erit, qua urgente, aequum sit a regula declinare? Non est hic tantum otii nostrumque institutum non patitur, ut possibiles omnes casus et exquiramus et persequamur, qui huiusmodi necessitatem forte inducere possunt. Unus est magis obvius, qui oritur a positivo praecepto audiendi Sacrum in diebus festivis, ubi una est Ecclesia, unum Altare; vel, si alia non longe sit Ecclesia, ubi celebrari possit, verendum tamen ne populus ad illam confluat et vacua sine adoratoribus fiat Ecclesia, in qua expositum est Sacramentum. Id facile accidit in locis ruralibus, in quibus vix una vel altera habetur Missa et incolae pauci sunt numero. Quod si unica sit Missa et alia adsint Altaria, foret timendum, ut omnes se ad illud convertant, in quo Sacrum fit; qui vero in adorando exposito Sacramento persistant, nulli sint reliqui. Quid hisce in casibus vetat celebrari Missam in Altari Expositionis? « quod incommodum », addit Cavalerius, « si in diebus etiam ferialibus timeatur evenire, posse in Ecclesiis praedictis unam item vel alteram Missam celebrari ad satisfaciendum devotioni et votis populi et ad consulendum honori Sacramenti ».

6. Sed et aliam fortasse rationabilem causam afferre potest longaeva consuetudo, quae difficillime abrumpi posset sine populorum offensione et scandalo. Hanc autem fuisse arbitror, ob quam Sacra Rituum Congregatio in *Varsavien. sub die 7 Maii 1746,* propositis dubiis: « Cum in insigni Ecclesia Regia Varsaviensi quotidie cantetur in Cappella Crucifixi Missa votiva de SSma Trinitate cum expositione SSmi in Pyxide, ac in aliis etiam Ecclesiis contingat saepius cantare seu legere Missas votivas vel de die etiam ante SSmum expositum in Pyxide; utrum in his Missis debeat fieri commemoratio de SSmo? Et cum in Polonia frequenter fiant expositiones SSmi publice in Maiori Altari et, praeter Missam solemnem, dicantur etiam Missae privatae ad idem Altare maius et ad alia Altaria minora, durante expositione SSmi, debeat fieri commemoratio de eodem SSmo Sacramento? » ea rescribendi formula usa est, qua satis superque ostendit se nolle quidquam definire de Missis celebrandis ad Altare, in quo Sacramentum patebat expositum, sed stricte ad quaesita, praescindendo a causa, respondit ad primam partem dubii 4: « Commemoratio de SSmo Sacramento in Missis privatis poterit fieri, quando expositio fiat ex publica causa »: ad dubium autem 5: « Poterit fieri commemoratio de SSmo Sacramento, durante expositione » (n. 2390, in resp. ad dub. 4 et 5). Cum enim mos obtineret nedum in aliquibus Ecclesiis, sed per universum Poloniae Regnum, vehementer timeri poterat, ne turbae excitarentur, non sine scandalo et offensione populorum, si eadem Sacra Congregatio respondisset non licuisse, nec licere Missas privatas celebrari in Altari, in quo expositum est Sacramentum; et Missam votivam haud posse celebrari quotidie, sed tantum diebus a Rubrica permissis. In iis enim, quae ad disciplinam pertinent, multam vim habet locorum consuetudo; et satius quandoque est aliquid tolerare, quod ab aliarum Ecclesiarum consuetudine dissentire videtur, quam ciere turbas, quae non sine magno Religionis detrimento quandoque etiam ex bona causa excitantur.

7. Quidquid tamen de hoc sit; regulae standum est, non limitationibus, quae nonnisi locum habent, quam concurrentibus circumstantiis ab eadem regula praevisis, quae ab quadam dimanant necessitate urgente, vel positivo praecepto audiendi Sacrum, vel ex religione ne Sacramentum sine adoratoribus relinquatur, vel ex longaeva consuetudine late diffusa difficillime sine offensione abrumpenda. Horum forte casuum rationem habuit Gavantus ad Rubricas Missalis part. 2, tit. 14, num. 17, inquiens: « in Missa privata (quae tamen quamparcissime celebranda erit in Altari, in quo Sacra Eucharistia est exposita) ea observari debent, quae supra diximus de Missa solemni, demptis iis, quae sunt propria solemnis Missae ». *Si quamparcissime,* ergo nonnisi ex rationabili causa, quae vel esse potest altera ex supra relatis, vel etiam defectus Ministrorum, unde loco Missae solemnis, una tantum privata celebrari queat. Siquidem idem clarissimus Auctor paulo ante iam notaverat: « Optimem onemur ex antiquorum documentis, ut abstineamus a Missa celebranda coram Sacramento, etiam in suo tabernaculo incluso. Quod si ferat necessitas, vel suadeat alia iusta causa.... genuflexiones omnes et actus reverentiales debiti diligenter sunt observandi ». Sed de hac re iam satis.

8. Romae equidem, ut ad Instructionem redeamus, in Expositione pro Oratione Qua-

draginta Horarum rigide servatur regula; et duae Missae solemnes tantummodo celebrantur, altera pro Expositione, altera pro Repositione. Quae tamen Missa erit celebranda? Quave hora? Duae quaestiones sunt, quae facile solvuntur. Ad primam quod attinet, lex est non ambigua, quae exigit votivam pro re gravi de SSmo Sacramento: hanc vero celebrandam post Nonam iubens, solvit quaestionem alteram. Neque tamen indiscriminatim votiva esse debet, sed talis erit in iis dumtaxat diebus, in quibus ex Rubricarum eiusdemque Instructionis praescripto id licet. Dies excipiuntur festivi solemnes, Dominicae privilegiatae ac Feriae maiores. Cum primum prodiit Instructio *sub Clemente XI*, exceptio respiciebat tantummodo *dies Dominicos primae et secundae classis, et Festa Sanctorum eiusdem ritus*. Postmodum addita sunt *Feria IV Cinerum, Feria secunda, tertia et quarta Maioris Hebdomadae, dies omnes infra octavas Epiphaniae, Paschatis et Pentecostes,* nec non *Vigiliae Nativitatis* et *Pentecostes*. In his votiva non est dicenda, sed alia solemniter celebranda de die cum Oratione de SSmo Sacramento sub unica conclusione. Siquidem Missae votivae, quae pro re gravi decantantur solemniter, unicam Orationem admittunt iuxta Rubricas Generales Missalis Tit. IX, num. 14; quae licet agat de solis Missis votivis, idipsum tamen implicite faciendum esse satis indicat, si eadem de causa cantetur Missa occurrens, et haec in locum Missae votivae ob impedimentum subrogetur, ut evenit in casu nostro, in quo cantatur Missa diei, loco votivae de Sacramento pro re gravi indicta. Dixi diebus exceptis integram Octavam Epiphaniae adnumerari, ut illae sunt Paschatis et Pentecostes. Id tamen videtur nostrae adversari Instructioni, quae primum excipit dies omnes infra Octavas Paschatis et Pentecostes, paucisque interpositis, quoad Epiphaniam, unam dumtaxat diem octavam eximit a regula generali « come anche eccettuati...... tutti i giorni dell'Ottava di Pasqua e di Pentecoste, le Vigilie del Santo Natale e della Pentecoste e l'Ottava dell'Epifania ». At non ita se res habet; hac in parte Instructio satis clara non est, sed quod obscurum et ambiguum forte est, satis superque declaratur in monitis, quae subiiciuntur tabellae, iussu Emi Domini Cardinalis Urbis Vicarii bis in anno evulgatae. In hac excipiuntur Octavae integrae Paschatis, Pentecostes et Epiphaniae « eccettuando...... le intiere Ottave di Pasqua, dell'Epifania, di Pentecoste ». Et merito quidem. Nam licet Octava Epiphaniae secundi ordinis sit, nihilominus reiicit quaecumque duplicia, nisi sint ritus primae classis, occurrentia. Quoniam vero Instructio a regula excipit duplicia secundae classis, plane consequitur excipiendos esse etiam dies infra Octavam, quae reiicit Festa, quae non sint primae classis; patet igitur sensus Instructionis, qui per tabellae monitum declaratur.

9. Dubium hic occurrit quoad Missam de Festo occurrenti celebrandam in die Dominica loco votivae. In hac, cum commemoratio fieri debeat etiam de Dominica, quaeritur: num huic coniungenda sit Oratio de SSmo Sacramento, an potius illi de Festo? - Dubium hoc solvisse videtur S. R. C. in Aquen. die 3 Martii 1761, sequenti responso: « Quando Missa cantatur coram SSmo Sacramento in Festis primae classis occurrentibus in Dominica, Commemoratio SSmi Sacramenti coniungenda est Commemorationi Dominicae ». (Num. **2461**, ad dubium 3). Verumtamen huiusmodi Decretum trahi nequit ad speciem nostram. Cum enim versetur circa expositiones in genere et relationem habeat ad alia eiusdem Sacrae Rituum Congregationis Decreta, quae agunt de commemoratione Sacramenti in Missis cantatis de die et Festo occurrente, in Altari ubi est Sacra Eucharistia exposita, non autem pro Oratione Quadraginta Horarum; iure existimo eiusdem dispositionem ad istam non extendi, saltem quoad Ecclesias Urbis, repugnante Instructionis littera, quae non distinguit, non limitat, non excipit, non declarat, sed absolute iubet fieri commemorationem sub unica conclusione, idest coniungendam esse cum Oratione de Festo occurrente, cui ob qualitatem ritus locum cedit Missa votiva, etiamsi facienda sit commemoratio de Dominica, quae non impediret votivam positam in praecepto, nisi occurrisset Festum dupl. primae vel secundae classis.

10. Sed et altera oriri posset quaestio quoad Hymnum Angelicum et Symbolum, si dicenda sit Missa de occurrente pro Expositione et Repositione Sacramenti, quatenus haec alterutro vel utroque careat. Festum *Nativitatis S. Ioannis Baptistae* dupl. primae classis, alia *S. Laurentii Mart.* dupl. secundae classis, nec non *Vigilia Pentecostes* non habent Symbolum. Missae *Dominicarum in Adventu et a Septuagesima*

ad integram quadragesimam; et illa *Ss. Innocentium*, nisi occurrat in Dominica, habent Symbolum, sed Hymno Angelico privantur. *Feriae privilegiatae Cinerum et maioris Hebdomadae,* ut etiam *Vigilia Nativitatis* utroque carent. Igitur si in altero ex his diebus fieri debeat Expositio vel Repositio cum Missa de occurrente, addine poterunt ratione Sacramenti *Gloria* et *Credo,* quemadmodum additur commemoratio? Non secus ac negative respondendum puto. Non enim circumstantia solemnitatis valet ad immutandum ritum a Rubricis praescriptum sine speciali privilegio, de quo in Instructione ne vola quidem aut vestigium occurrit. Equidem talis Missa succedit loco Missae votivae solemnis pro re gravi, quae exigit tam *Gloria* quam *Credo:* sed non ideo consequitur, quod idem servandus sit ritus in Missa de die, si huius qualitas impedimento est, ne votiva dicatur; quae tamen, cum ex indulto sit et extra ordinem, nil commune habet cum officio diei, nec proinde potest ritum Missae respondentis Officio alterare. Solius Dominicae privilegium est et Octavarum, ut nunquam amittant Symbolum, licet de iisdem sola fiat commemoratio in Missis de Festo occurrente, quae symbolo non fruuntur. Imo Dominica nec fraudatur Hymno Angelico in unico casu, quod *Festum Innocentium* incidat in Dominicam, de qua tamen, ut vacante, nec fit commemoratio. Sed huiusmodi privilegium trahi nulla ratione potest ad Missas pro Expositione et Repositione Quadraginta Horarum, in quibus (si de occurrente fiat) tantummodo praecipit Instructio fieri commemorationem loco Missae votivae, quae alias dicenda foret. His adde quod Hymnus Angelicus nunquam dici debet in paramentis violaceis; et ideo violaceus color mutatur in rubrum, dum Festum *Ss. Innocentium* occurrit in Dominica. Hinc est quod necessario debuisset Instructio regulam servandam tradere in Dominicis et Feriis privilegiatis, si nunquam ratione Sacramenti omitti deberent *Gloria* et *Credo*. Atqui nude et simpliciter excipit hos dies et de una tantum loquitur commemoratione: « si canterà la Messa conventuale coll'Orazione aggiunta del Santissimo Sacramento sub unica conclusione »; liquido patet in reliquis nihil esse immutandum, nihil addendum; et Missam celebrandam prout eius ritus et qualitas exigunt.

11. Quaeri item poterit: num, si fieri debeat Expositio vel Repositio SSmi Sacramenti in aliqua Ecclesia infra octavam Festi Titularis aut Fundatoris, quae gaudeat speciali indulto et privilegiatis adnumeretur, dici debeat Missa de infra octavam vel de die octava; an votiva potius de Sacramento? Ad hanc enodandam quaestionem discrimine est opus et attendendi sunt termini concessionis. Quatenus privilegium tam late pateat, ut excludat duplicia secundae classis, nedum translata, sed etiam occurrentia, ad instar octavae Epiphaniae; attento huiusmodi privilegio, non alia erit cantanda Missa, praeter illam de octava vel de die infra octavam, cum commemoratione Sacramenti. Nam si Instructio inter exceptos ponit integram octavam Epiphaniae, ob paritatem rationis excipi etiam debet octava, quae simili privilegio decoratur, quo illa gaudet. Audiendus Cavalerius, qui ad hunc Instructionis locum num. 2, postquam dixerat diebus omnibus, praeterquam in exceptis, Missam votivam de SSmo Sacramento esse solemniter celebrandam; generalem postea regulam declarat, « nisi fortasse apud aliquam *(Ecclesiam)* concessum haberetur Officium, quod, licet inferioris ritus ipsum sit, ex privilegio tamen excludit duplicia 1 et 2 classis; quo in casu facienda item foret Missa de die cum commemoratione Sacramenti ». Eum sequitur *Tetamus in Appendice cap. 3, num. 83:* et merito quidem; nam si privilegium excludit duplicia primae vel secundae classis occurrentia, quae ex Ecclesiae instituto cadunt sub praecepto, potiori iure excludere debet Missam votivam, quae, licet dicenda sit de Superiorum mandato et pro publica causa, nihilominus ex Instructionis praescripto iisdem duplicibus locum cedit.

12. Secus vero dicendum si indultum sit ad instar privilegii, quo distinguitur Octava SSmi Corporis Christi, quae admittit duplicia occurrentia; sed non translata, nisi sint altioris ritus, scilicet primae vel secundae classis; et in die octava excludit etiam dupl. secundae classis; ac solummodo cedit Festo occurrenti primae classis, ut in propria rubrica, declaravit S. R. C. in Lisbonen. 30 Maii 1699, ad dub. 2 et 3. (Num. **2030**). Indultum hisce circumscriptum limitibus nequit ampliari: ideo si Expositio vel Repositio incidat in diem infra octavam, Missa erit votiva de Sacramento; si vero occurrat in ipsa octava, erit de die octava cum commemoratione SSmi Sacramenti sub unica conclusione. Neque obiicias, quod privilegium hisce terminis

concessum eliminat ab octava Missas votivas et de requiem. Id verum est de Missis votivis privatis, non autem de Missis votivis solemnibus pro re gravi, praesertim si dicendae sint de Superioris mandato, ut illa est pro Expositione et Repositione Quadraginta Horarum. Attendantur igitur verba Indulti: et regula generalis sit, quod omitti debeat Missa votiva de Sacramento: et illa solemniter dici de octava vel de die infra octavam, cum commemoratione eiusdem sub unica conclusione, quoties privilegium omnino reiicit duplicia primae vel secundae classis occurrentia. Quod si Indultum admittat occurrentia, quamvis reiiciat translata, dummodo non sint primae vel secundae classis, impedimentum non erit, quominus solemniter celebretur Missa solemnis de SSmo Sacramento. Atque ita intelligenda est Instructionis Regula, quamvis explicite de hoc casu non loquatur, sed implicite eum comprehendit ob identitatem rationis. Id adeo verum est, ut si contingat Expositio vel Repositio SSmi Sacramenti infra octavam SSmi Corporis Christi, Missa tamen dicitur ad instar votivae solemnis cum unica Oratione, licet in reliquis retineat ritum solemnitatis: et in die media celebratur Missa de Pace in paramentis violaceis, nisi sit dies octava, quae, cum respuat duplicia secundae classis, non admittit votivam ad formam Instructionis.

13. Huiusmodi autem Missa, quae pro Expositione et Repositione Sacramenti solemniter est celebranda, *post Nonam* esse dicendam iure censeo, vel sit Votiva, vel de Sancto, vel de Octava privilegiata, vel de Dominica, vel de Feria. Neque assentiri Cavalerio, qui ad hunc locum haec habet: « Quid vero faciendum sit, quoties Missa votiva fieri non valet, sed dicenda, ut supra, est Missa de die, superest perscrutari; et nos discedendum non esse credimus ab Hora, postquam Rubricae talem Missam praescribunt esse dicendam; sed tunc praestabit, quod tardius recitetur Hora competens, ut frequentior habeatur populi concursus, quam quod Missa v. gr. Festi cantetur post Nonam »; siquidem Instructio expresse iubet Missam cantari debere *post Nonam*. Neque dicas regulam esse pro iis diebus, in quibus dicenda est Missa votiva de Sacramento: nam de Hora nil amplius dicit, nec ullam aut limitationem aut declarationem ponit, ut fuisset opus, si varianda esset, dum celebranda est Missa de die. Et revera, congruit potius *Hora Nona,* quam *Tertia* vel *Sexta*, solemnissimae illi functioni, quae adnexam habet Processionem cum magna populi frequentia, tam dum exponendum, quam dum reponendum est Sacramentum. Praesertim quia in Repositione plerumque cunctandum est, sacerque ritus cum Sacramenti benedictione non absolvitur, nisi post meridiem; ne, si citius fiat, contingat cessare in una Ecclesia, priusquam in altera initium habeat, quum ex Instituto nunquam sit intercipienda.

14. Solemnitas Festi et sacrae actionis, populi etiam frequentia habentur plerumque ut causa sufficiens, ad effectum limitandi regulam. Exemplum affero, quod multam habet ad nostram speciem analogiam. In Ecclesia Guadicensi usus invaluerat celebrandi Missam solemnem in Festivitate Corporis Christi *post Nonam;* dein vero solemnis indicebatur supplicatio. Quaesitum fuit: « An iuxta Rubricas Missa Conventualis post Tertiam queat celebrari et post Nonam Processio fieri? *Et Sacra Rituum Congregatio* benigne indulsit, ut in Festo SSmi Corporis Christi Missarum Solemnia post Nonam peragerentur ». Contra vero, etsi eadem vigeret consuetudo quoad Horam Missae et successivam Processionem per integram Octavam: eadem Sacra Congregatio respondit: « Infra Octavam SSmi Corporis Christi et diebus duplicibus infra eam occurrentibus, Missam post Tertiam celebrandam esse ». Quae discriminis ratio? Actionis solemnitas in Festivitate Corporis Christi eam exigebat indulgentiam, praesertim quia magna populi frequentia, ut solemmi illa die ubique fit, Processionem comitabatur. Infra vero Octavam, etsi Processio fieret, forte non extra Ecclesiae ambitum, populus, qui conveniebat, longe minor erat; ideo ratio cessabat protrahendi Missam usque *ad Horam Nonam.* At neque indulgentia, neque discrimen habuissent locum, si semper et indistincte ratio quoad Horam celebrandi Missam Conventualem petenda esset a qualitate Missae, non autem quandoque a celebritate functionis, quae cum Missa coniungenda est, et simul a populi frequentia. Certum porro est, quod Romae, quaecumque sit Missa, in Patriarchalibus, Collegiatis, Conventualibus Ecclesiis, pro Expositione et Repositione Sacramenti, semper celebratur *post Nonam;* et haec regula, utpote conformis Instructioni et praxi, ubique servanda videtur; quandoquidem circa meridiem, ut Romae fit, exponendum, et reponendum est Sacramentum.

15. Diximus, *in diebus ab Instructione non exceptis* cantandam solemniter esse Missam votivam pro re gravi de SSmo Sacramento; in qua, cum simul concurrant solemnitas et causae gravitas, dici debent tam *Hymnus Angelicus*, quam *Symbolum*. Nec tamen cantanda est Missa, quae solemnitati Sanctissimi Corporis Christi assignatur; sed altera, quae habetur in fine Missalis inter Missas votivas, sine tamen *Sequentia*. Verum, excipe integram Octavam eiusdem solemnitatis, in qua, ubi contingat exponi vel reponi SSmum Sacramentum (pro Oratione tantum Quadraginta Horarum; in aliis namque, si per illud Octiduum fiant, Missa dicenda est de currenti cum commemoratione Octavae, si de hac non sit Officium) solemnis Missa erit *de Octava*. Ita docet Gavantus *part. 2, tit. 14, num. 2*, qui extendit regulam ad Expositiones pro initio spiritualium exercitationum. « In primis igitur illud est notandum, quod pro exponendo Sacramento in Altari pro initio Quadraginta Horarum vel spiritualium exercitationum, cantari debet Missa votiva de Sacramento, quae habetur circa finem Missalis, non autem festiva Corporis Christi (nisi infra Octavam eiusdem Festi casus accideret) et tempore Paschali addendum erit *Alleluia*, ut fit in aliis votivis Missis. Hanc autem doctrinam admisisse Sacra Rituum Congregatio videtur, cum habeatur inter *notanda quaedam generalia*, quae eadem Sacra Congregatio indulsit, ut adderentur *Rubricis peculiaribus Missalis Fratrum Minorum*.

16. Lex tamen, quae pro Ecclesiis Urbis dicta est, positivum praeceptum importat; quoad alias Ecclesias non eamdem vim habet, sed directionis loco haberi potest: ita ut diebus illis, quibus vetitum a Rubricis non est solemniter celebrari Missas votivas pro re gravi, liceat votivam de SSmo Sacramento pro Expositione et Repositione cantari, si expositio fiat, ut Romae, praecedente Missa, in qua consecratur alia Hostia, praeter illam Sacrificii, pro solemni expositione. Neutrum tamen necessario; sed, quin ulla laedatur lex, poterit Sacra Hostia in Tabernaculo asservata sine ulla praecedente Missa exponi. Si haec vero celebranda sit, haud opus erit, ut de Sacramento dicatur, sed aeque poterit alia cantari de die cum commemoratione Sacramenti sub unica conclusione, quamvis magis congruit, ut votiva dicatur, dum licet. Hinc patet votivam de SSmo Sacramento etiam extra Urbem, non ex peculiari Instructionis praescripto, sed ex generali Rubricarum lege haud posse singulis indiscriminatim diebus solemniter cantari; sed excipi debent dies omnes in Instructione enumerati, quibus et accensenda etiam sunt Festa solemnioris ritus, quae iuxta particularia Calendaria celebrantur in Ecclesiis, in quibus fit Expositio Quadraginta Horarum.

17. Quatenus vero extra Urbem pro Expositione et Repositione Sacramenti celebretur tantummodo Missa votiva de eo, et non alia Conventualis de die, quod intelligendum etiam est de illis Urbis Ecclesiis, in quibus non est onus Missae Conventualis; quaeri potest num addenda sit commemoratio de currenti? Audiendus hac de re Meratus *ad Rubr. Missalis part. 1, tit. 4, num. 44*. - Observat Bissus (litt. O, num. 7, § 7, cum Guyeto lib. 4, cap. 21, quaest. 12) « quod in Missis solemnibus pro re gravi aut pro publica Ecclesiae causa a Rubrica non praecipitur Oratio de Officio diei, quia supponitur hanc Missam esse cantandam praeter Missam Conventualem, quae cantanda est de Officio diei. Ceterum si sola Missa pro re gravi cantaretur, satis probabiliter idem Guyetus Caeremoniali Monastico inhaerens lib. 4, cap. 13, num. 8 ait, quod in dicta Missa votiva pro re gravi, in dicto casu facienda esset commemoratio diei currentis et aliae commemorationes, quae fierent in Festo solemni, nempe de Dominica, de Octava privilegiata, de Feria maiori occurrenti ». Sequitur etiam ex hoc, ut observat Bissus, « quod in Missa votiva, quae cantatur pro Expositione et Repositione SSmi Sacramenti in Oratione Quadraginta Horarum, si cantetur sola Missa de eodem; tunc, praeter Orationem votivam de Sacramento, addenda esset Oratio de Officio illius diei currentis ». Huiusmodi autem sententia plusquam vim privatae opinionis modo habet, postquam S. R. C., instante eiusdem Sacrae Congregationis Secretario, ad illius normam conformanda esse Rescripta iussit, dum conceduntur Missae votivae solemnes pro iis Ecclesiis, quae non habent onus Missae Conventualis.

18. Ne quis tamen sit, qui existimet posse privilegium celebrandi Missam votivam de Sacramento extendi etiam ad Dominicas et Festa secundae classis, innixus S. R. C. in una *Ordinis Minorum de Observantia Reformatorum S. Francisci anni 1779*. Siquidem proposito dubio: « An

Missae votivae solemnes pro re gravi vel pro publica Ecclesiae causa cantari possint in Dominicis 1 et 2 classis, et in Festis duplicibus 1 vel 2 classis, necnon in Feriis, Vigiliis et aliis diebus privilegiatis Officia primae vel secundae classis excludentibus? » respondit « Negative in duplicibus 1 classis, Dominicis 1 classis, Feriis Cinerum et Maioris Hebdomadae, Vigiliis Pentecostes et Nativitatis Domini; in reliquis Affirmative »: ut etiam alteri dubio, quod praecise est de Missa solemni pro Expositione Quadraginta Horarum; et habetur inter *notanda quaedam generalia ad Missale Fratrum Minorum:* « si vero accidit *(expositio)* in Festo primae vel secundae classis, tunc in Collegiatis vel duae cantentur Missae, una de Festo seu Dominica post Tertiam, altera votiva de Sacramento post Nonam, vel una cantetur de die cum commemoratione SS͠mi Sacramenti » 13 Februarii 1666. Quod postremum Decretum si obtineret, posset haec Missa votiva solemnis cantari etiam in duplicibus et Dominicis 1 vel 2 classis. Neutrum tamen prodest.

19. Ad Decretum illud *anni 1779* quod attinet, notandum est quaestionem eam esse, quam certa Rubricarum littera non dirimit, quaeque potius ab usu, circumstantiis et auctorum sententiis non ubique necessario servandam regulam nanciscitur. Nil proinde mirum, si Sacra Congregatio generali quaesito de Missis votivis solemniter pro re gravi et publico Ecclesiae bono celebrandis, generali responso diebus omnibus posse edixit, exceptis tantummodo Festis et Dominicis primae classis, Feriis Cinerum et Maioris Hebdomadae, nec non Vigiliis Nativitatis et Pentecostes. Urgent enim quandoque gravissimae causae, votum, puta, a Communitate emittendum vel persolvendum, Processiones ab Episcopo indictae, universo conveniente Clero cum Magistratu et populo ad divinum praestolandum auxilium in maximis calamitatibus et angustiis, quae communitatem premunt; preces pro salute Principis aut totius Reipublicae, gratiarum actiones pro acceptis beneficiis et similes, quae non ita frequentes sunt, et dum occurrunt, ut plurimum nequeunt differri. Ad has respexisse Decretum videtur, quia, ut alias Sacra Congregatio responderat: « res gravis est, si propter pluviam petendam, pro serenitate, pro quacumque necessitate, pro Principe infirmo et similibus ab Episcopo et universo Clero et Civitate Missa votiva solemniter celebretur cum interventu Magistratus et populi ». *In Placentina 19 Maii 1607 ad Dub. 12,* (num. 235). Concordant Liturgici Scriptores. Gavantus *part. 1, tit. 4, num. 3, litt. O.* « Pro re gravi..... poterunt cantari Missae votivae etiam in Festis non maioribus » *et* Meratus *ibi* § *XI, num. 54:* « Praedictae Missae votivae solemnes pro re gravi vel publica causa dici possunt in omnibus Festis etiam duplicibus, dummodo non sint primae classis ». Ita etiam Guyetus, qui *lib. 4, cap. 21, quaest. 6,* § *quinto,* vix excipit Festivitates solemnissimas.

20. Longe autem secus respondisset Sacra Congregatio quaesito, non universali, sed speciali, et relativo ad Missam pro Expositione et Repositione Sacramenti celebrandam; cum positiva lex sit, quae eam prohibet celebrari in duplicibus secundae classis. Nec quaerenda est discriminis ratio, dum lex urget, quae positivam in praecepto limitationem ponit. Id adeo verum est, ut idem Guyetus, qui *loco supra citato* quoad alias Missas solemnes votivas pro re gravi et publica Ecclesiae necessitate vix excipit solemnissime Festa, motus exemplo Missae ferialis, quae celebratur in *Festo S. Marci et diebus Rogationis,* etiamsi solemnioris ritus Festa occurrant, uno tantum excepto *die Sancto Paschae;* agens postea de Missa votiva celebranda in Expositione SSmi Sacramenti, excipit duplicia 1 et 2 classis. « Quod si occurrat Festum vel Dominica 1 vel 2 classis, Missa solemnis erit de die cum commemoratione SS͠mi Sacramenti ». Et revera hac in occasione Missa votiva celebratur non ex Rubricarum praescripto (quod si attendendum foret, eadem locum non haberet in duplicibus et Feriis quibuscumque privilegiatis), sed ex positivo peculiari praecepto, quod explicat eam Missam esse pro re gravi: quamobrem limitationibus in praeceptiva lege contentis standum omnino est. Ex his consequitur, quod neque extra Urbem licet Missam votivam celebrare pro Sacramento exponendo vel reponendo in duplicibus 1 et 2 classis aliisque diebus, in quibus vetitum est fieri de duplici vel semiduplici. Non enim putandum est longe maiori privilegio uti debere Ecclesias extra Urbem, eo quod competit Ecclesiis Urbis pro solemnissima Expositione Quadraginta Horarum.

21. Quid de altero Decreto anni 1666 dicam? Nullam prorsus vim habet post legem latam a *Clemente XI,* quae iubet in duplicibus et Dominicis 1 et 2 classis, ubi

est onus Missae Conventualis, unicam celebrandam esse Missam de currenti cum commemoratione Sacramenti. Illi Decreto occasionem dederat doctrina Gavanti, qui *ad Rubricas Missalis part. 2, tit. 14,* totidem fere verbis hanc suam exposuerat sententiam: nec ambigo tunc potuisse pro lubito vel duas Missas celebrari, scilicet alteram de die, alteram votivam, vel unam tantum de die cum commemoratione Sacramenti: modo vero non amplius licet; et suggillandus Meratus, qui cum sua in Gavantum commentaria scripserit multo post editam *Instructionem Clementinam*, quam et ipse per extensum producit, nihilominus haud notat, ut fieri opus erat, Decretum illud et Gavanti doctrinam attendendam non esse post novam regulam in Instructione contentam. Quod vero magis est, ipse Decretum anni 1666 producit et, ac si esset in viridi observantia, magis etiam extendit, de suo haec verba adiiciens: « Et haec regula observanda etiam est pro diebus, in quibus prohibetur fieri de Officio duplici vel semiduplici » (in Indice Decretorum ad Missale pertinentium num. 426). Unde sequeretur posse votivam Missam de Sacramento celebrari Feria IV Cinerum, Feriis Maioris Hebdomadae, Vigiliis Nativitatis et Pentecostes, quod est omnino falsum. Quamquam longe antequam prodiret Decretum anni 1666, dum Gavantus suas ad Rubricas adnotationes exarabat, « in Cappella Pontificia et maioribus Urbis Ecclesiis in Dominicis et duplicibus 1 et 2 classis unica celebrabatur Missa de die cum commemoratione Sacramenti » *loco cit.* At etiam magis miror Meratum ampliasse cum Decretum Sacrae Congregationis, tum Gavanti doctrinam, licet non ignoraret *Clementinam Instructionem* tanti a recentioribus fieri, ut eamdem hac in parte ceu legem generalem habeant. En eius verba *Part. 1, tit. 4, num. 14,* circa finem: « Ex dispositione contenta in praefata Instructione inferunt communiter recentiores non posse celebrari Missam solemnem votivam pro re gravi in diebus primae et secundae classis ».

22. Concludendum igitur iis, quibus incumbit onus Missae Conventualis in Ecclesiis Urbis, liberum non esse, occurrentibus Dominicis et Festis 1 et 2 classis, duas cantare Missas, de die scilicet et de Sacramento; sed eosdem teneri ad unam solummodo de die cum commemoratione Sacramenti: quae regula servari debet etiam extra Urbem, ne, ut supra notatum est, quod ex vi legis vetitum in Urbe est, licitum extra Urbem, ampliando privilegium, censeatur. Diebus vero ab Instructione non exceptis, in Ecclesiis Collegiatis ac aliis, quibus onus incumbit Missae Conventualis, cantandae sunt duae Missae, altera scilicet de Dominica, de Festo, de Vigilia aut Feria occurrente, et altera votiva. Quod si ex Rubricarum praescripto eadem die plures occurrant Missae Conventuales, puta de Festo et Feria, de Festo et Vigilia, omnes Horis competentibus celebrandae sunt; et votiva de Sacramento, quae nihil habet commune cum Officio postremo, loco amandanda. Quatenus vero Missa de die celebranda sit *post Nonam*, putat Cavalerius hanc dici posse *post Sextam* et votivam *post Nonam*. Non videtur tamen repugnans, quod servetur regula et utraque Missa *post Nonam* celebretur, dummodo ultimo loco sit illa de SSmo Sacramento. Imo ita fieri oportere dixit *S. R. C. in una Urbis 22 Maii 1700.* Quaerebatur qua Hora celebrandae essent Missae de Feria et de Vigilia Conventuales, dum, occasione Expositionis Quadraginta Horarum, celebranda etiam erat post Nonam Missa votiva contra paganos. Et S.R.C. respondit « ambas post Nonam esse celebrandas, ita tamen, ut Missa votiva contra paganos ultimo loco celebretur ». (N. 2058). Eadem ratio militat quoad Missam votivam de Sacramento in diebus Expositionis et Repositionis.

23. Pertinent haec ad Ecclesias, quae habent onus Missae Conventualis: in aliis satis est, ut una cantetur Missa vel de die, vel votiva de Sacramento iuxta regulam *in Instructione* traditam, quae ad omnes indiscriminatim dirigitur et comprehendit Ecclesias tam Secularium, quam Regularium « e tutto ciò si osserverà inviolabilmente in tutte le Chiese tanto dei Secolari, che dei Regolari ».

24. Quaeri hic posset: num eadem servanda sit regula in aliis solemnibus Expositionibus, quae per annum fiunt, si contingat Missam celebrari pro Expositione vel Repositione? Petenda videtur decidendi ratio a causa, ob quam, iubente vel permittente loci Ordinario, fit Expositio. Nam si pro publico Ecclesiae bono gravique causa, vel ad implorandum divinum auxilium in urgenti aliqua necessitate solemniter id fiat, eadem concurrit ratio, quae obtinet in Oratione Quadraginta Horarum. Quamobrem non dubitarem posse Missam solemnem de Sacramento celebrari, servatis tamen forma,

exceptionibus et limitationibus *Clementinae Instructionis.* Quatenus vero fiat Expositio vel ex devotione vel ex Instituto vel ex pia aliqua fundatione vel ex alia quavis privata causa, locum non habere Missam votivam puto. Et revera delata ad Sacram Rituum Congregationem quaestione : « Num occasione Processionis , quae qualibet Dominica tertia cuiuslibet mensis fieri consueverat cum SSm̃o Sacramento, Missa votiva de eodem celebranda esset; an potius de die cum commemoratione Sacramenti? » responsum fuit « Missam in dicto casu celebrandam esse de Dominica, seu de Festo duplici, si illa die occurrat , cum commemoratione Sanctissimi Sacramenti ad formam Rubricarum » 6 Decembris 1653. (Num. 954) in *Bracharen;* et novissime dub. 4, *sub die 10 Septembris 1796,* proposito dubio: « An in Dominica infra octavam Corporis Christi, aut alia designata per annum, in quibus recitatur Officium ritus duplicis; et solet fieri Processio SSm̃i Sacramenti per diversas Parochias et Ecclesias Civitatis, ut in Festo Corporis Christi, et certum ac designatum diem habet, cum concursu populi eiusdem Parochiae; debeat Missa celebrari pro re gravi de SSm̃o Sacramento post Nonam ; vel dici de Dominica aut Festo cum commemoratione SSm̃i Sacramenti?» S. R. C. respondit : « Missa dici debet de Dominica aut Festo occurrente cum commemoratione SSm̃i Sacramenti » (Num. 2552).

25. Hanc distinctionem communiter amplectuntur Rubricistae , et hoc pacto conciliantur Decreta, quae specie tenus inter se pugnantia videntur aut *Clementinae Instructioni* minus conformia. Siquidem ex laudatis Decretis ac aliis, quae iubent in Missa solemni coram Sacramento exposito faciendam esse commemorationem de eodem post omnes alias commemorationes de praecepto, ut suo apte loco videbimus, generalis exurgit regula , quod Expositio Sacramenti ex se non est causa sufficiens cantandi Missam votivam in duplicibus aliisque diebus per Rubricas inhibitis , aut omittendi in Missa solemni de die commemorationes occurrentes et a Rubricis praescriptas, nisi Expositioni adiuncta sit causa gravi vel publicum Ecclesiae bonum. Decreta igitur, quae cum *Instructione Clementina* haud convenire videntur, non disponunt de Sacramento exposito pro Oratione Quadraginta Horarum aut pro re gravi et causa publica; sed agunt de communibus Eucharistiae expositionibus, in quibus deest potissima illa ratio, quae petenda est a re gravi et causa publica. Quamobrem in his, quamvis Missae tam privatae quam solemnes admittant commemorationem de SSm̃o Sacramento post alias de praecepto, nec una tamen solemnis votiva de eodem dici licite poterit , nisi in iis diebus , in quibus Rubrica eamdem celebrari permittit. Cavalerius *tom. 4, cap. 7, Decret. 37, et 38.* Tetamus *in Appendice cap. 2, art. 5, num. 22.*

26. Quoniam vero Guyetus *lib. 4, cap. 21, quaest. 2,* causam privatam et particularem ad praedictas Missas votivas celebrandas validam putat; sed longe melius alii exposcunt rem gravem, quae saltem Communitatem tangat, aut maiorem eius partem ; hinc Cavalerius , licet, ut supra vidimus, conveniat quod non in omnibus Expositionibus fas sit Missas cantari votivas SSm̃i Sacramenti, sed in illis tantummodo, in quibus simul causa gravis concurrit , regulam postea ampliat, et innixus Decreto anni 1666, alias relato, quod approbat huiusmodi Missam votivam , quoties Sacramentum exponitur pro initio spiritualium exercitationum, quibus non universus populus vacare debet, aut maior eiusdem pars, sed conventi plerumque aut aliqua tantum Congregatio aut Collegium , ideoque Communitatis et populi pars minima : censet tanto cum rigore causam gravem non esse accipiendam. « Idcirco, *concludit,* ubi circumstantiae expositionis unitur gravis causa aliqua — quae non particularem personam praecise tangat, sed plures, aut Congregationem , vel Collegium, scrupulis insistendum nimis non est in admittendis, ut supra, Missis votivis solemnibus SSm̃i Sacramenti » *tom. 4, cap. 7, dec. 33, num. 5.* Dubitarem ego num haec opinio ultro sit amplectenda ; ea siquidem admissa , quae causam gravem in omnibus casibus agnoscit, praeterquam si Expositio fiat pro particulari persona; facile evenire posset, ut quisque pro lubito eamdem extenderet ad casus omnes, iis non exceptis, in quibus nulla causa gravis occurrit , vel illa tantum non desit, quae particularis est, non unius Congregationis aut Collegii, sed aliquarum personarum, puta unius familiae, quae expositionem exposcat pro privata eiusdem familiae necessitate : quod certe vitandum est. Hinc Episcopi liberales nimis esse non debent , nec toties quoties publicas Sacramenti expositiones permittunt, fas sibi censeant indulgere simul Missam votivam de Sacramento ; sed eam tan-

tummodo celebrari concedant, si causa gravis saltem alicuius Communitatis illam efflagitet.

27. Priusquam finem imponam, quoniam pluries facta mentio est *Decreti diei 13 Februarii 1666,* ut quisque intelligat, tantam non esse auctoritatem ei concedendam, quantam obtinent *Sacrae Rituum Congregationis Decisiones;* opportunum est hic adnotare illud potius, quam regulam, monitum exhibere additum peculiaribus Rubricis Fratrum Minorum; Rubricis tamen a Sacra Congregatione adprobatis non insertum, ut videre est in hac nostra collectione *num.* **1331.** Unde iure colligimus, noluisse S. R. C., quae extra Rubricas sunt, absolute adprobare, sed, ut adderentur permisisse, non aliam iisdem auctoritatem concedendo, praeter illam, quam obtinent fontes, ex quibus eadem sumpta sunt. Porro Decretum illud, quod Meratus legit *in Indiculo Decretorum ad Missale Romanum sub num 426; et* Cavalerius *tom. 4, cap. 7, Decr. 33,* ex tribus articulis eiusdem moniti compactum est. Hi vero desumpti sunt ex *titulo XIV,* quem Gavantus composuit, addendum *parti secundae Rubricarum Missalis Romani,* ut regulas quasdam proponeret servandas in Missa, quae celebratur coram Sacramento exposito. Articuli autem sunt, qui sequuntur: « 7. Quando exponitur Sacramentum in Altari pro initio Quadraginta Horarum et spiritualium exercitationum, cantari debet Missa unica de Sacramento, quae habetur circa finem Missalis, non autem festiva Corporis Christi (nisi intra octavam eiusdem Festi casus accideret) et tempore Paschali addendum Alleluia, ut fit in aliis Missis votivis: 8. dicitur una tantum Oratio cum Gloria, Credo et Praefatione de Nativitate, quia solet esse publica causa; non autem privatis Missis haec conveniunt: 9. si vero accidit in Festo 1 vel 2 classis, vel in Dominica privilegiata 1 vel 2 classis, tunc in Collegiatis vel duae cantentur Missae, una de Festo seu de Dominica post Tertiam, altera votiva de Sacramento post Nonam; vel una cantetur de die cum commemoratione SSmi Sacramenti. Exscripta in eo monito sunt haec eadem Gavanti verba; et reticentur solummodo quae sequuntur ad postremum articulum: « quod Romae fit (scilicet una cantatur Missa de die cum commemoratione Sacramenti) in Cappella Papae in prima Dominica Adventus, et in aliis Festis solemnibus in aliis Ecclesiis maioribus Urbis » *loc. cit.* Adnotanda haec erant, ut quisque videat, planeque intelligat Decretum a Merato et Cavalerio relatum, seu potius ex tribus articulis Gavanti compactum et ab aliis Rubricistis admissum et laudatum, genuinae lectioni esse restituendum, neque eidem plus auctoritatis esse tribuendum, quam obtinet simplex monitum desumptum a sententia Auctoris ceteroqui clarissimi, sed privati; quod S. R. C. addi permisit Rubricis ab eadem S. C. adprobatis, sed extra easdem.

§ XIII.

« Nel giorno medio, oltre la messa Con-
« ventuale, si dovrà cantare dopo Nona la
« Messa votiva pro Pace, o altra che verrà
« comandata da Nostro Signore; secon-
« dochè sarà espresso nella lista delle Qua-
« rant' ore con la medesima eccezione dei
« giorni suddetti; e con la medesima re-
« gola circa l'Orazione ».

1. Quae traditae sunt regulae pro Missa votiva SSmi Sacramenti celebranda in die Expositionis et Repositionis, locum sibi vindicant etiam in alia, quam *Instructio* iubet cantari intermedio die vel pro Pace, vel pro alia necessitate causaque publica, ut a Praesidibus notatum fuerit in tabella, quae bis in anno publici iuris fit, scilicet die Sancto Pentecostes et Dominica 1 Adventus, quaeque ex ordine exhibet Ecclesias, in quibus per turnum solemnis Expositio fieri debet. Haec, ut illae, celebranda est ad instar votivae solemnis iis diebus, in quibus licet, non item in aliis, quae iuxta praecedentem sanctionem excipiuntur. Nec propterea, si fas non sit votivam dicere, prorsus est omittenda eiusdem commemoratio, sed addenda Missa de currenti. Cum enim *Instructio* hanc velit « colla medesima eccezione dei giorni suddetti e colla medesima regola circa l' Orazione » simul praecipit, quod si occurrat Festum aut Dominica 1 vel 2 classis, sive alia dies ex supra recensitis, dicenda non erit Missa votiva pro Pace, vel alia, quae, praecipiente Pontifice, fuerit indicta, sed Missa eius loco celebretur de die cum additione Orationis pro Pace, aut pro altera Ecclesiae necessitate sub unica conclusione. Diximus, pro Pace aut altera necessitate; quia, quaecumque sit praecepta, semper in casu impedimenti commemoratio illa adiicienda erit, quae supplet vices Missae votivae, quae dici deberet, nisi ritus diei obstaret. Sicuti ergo in diebus Expo-

sitionis et Repositionis, si celebretur, in diebus exceptis, Missa de currenti additur Oratio de Sacramento, ita a pari Oratio de pace vel pro alia necessitate addenda erit Missae de die, si Missa votiva praecepta in exceptis nequeat celebrari, quae tamen, nisi obstaret exceptionis impedimentum, celebrari deberet. Haec autem sanctio respicit Ecclesias, quibus onus incumbit Missae Conventualis: idcirco votivam praecipit « *post Nonam* oltre la Messa Conventuale ». In aliis vero haec tantum in praecepto est, vel alia de currenti in diebus exceptis cum eiusdem commemoratione.

2. Bene autem Instructio iubet « la Messa votiva pro pace, o altra che verrà comandata da Nostro Signore » non enim eadem perpetuo celebranda est Missa votiva, quae ad Pontificis placitum, iuxta ingruentes necessitates et temporum vicissitudines, in aliam commutari solet. Olim dicebatur *contra Paganos,* ut colligimus ex Decreto supra relato, cui suffecta fuit altera *pro pace,* quam modo dicimus. Si magis urgeat alia necessitas, alia dicenda erit, ut Pontifex iusserit, quae magis congruat necessitati, ex illis propriis quae in fine Missalis habentur, sin minus, illa quae inscribitur *pro quacumque necessitate.*

3. Haec quoad Urbem. In aliis vero Ecclesiis diversarum Dioecesium lex non obligat, etiamsi in iisdem fiat Oratio Quadraginta Horarum, ideo non erit necessario intermedia die solemniter celebranda Missa votiva pro quacumque necessitate, vel pro aliqua in specie, quae magis urget, dummodo habeat Missam propriam inter illas, quas habemus ad calcem Missalis. Id autem non erit in facultate et arbitrio Rectorum Ecclesiarum; sed, quemadmodum Romae Summus Pontifex, ita Episcopi in propriis Dioecesibus poterunt unam alteramve praecipere, vel saltem, ut celebretur, concedere. Quod si haec in Collegiatis aliisque Ecclesiis; quae habent onus Missae Conventualis, celebretur, non ideo omittenda est Missa de die, imo, et plures etiam dicendae sunt, si cum Officio diei concurrat Feria aut Vigilia, obligatione petita non ex *Instructionis Clementinae* regula, sed ex lege Rubricarum, quae indifferenter afficit omnes Ecclesias.

4. Quaestionem sibi proponit Cavalerius *cap. 7, Decr. 33, num. 3:* An, si fiat tantum Missa de die, addenda sit Collecta de SSmo Sacramento? et postquam eam, sequendo Instructionis regulam, « Affirmative » resolvit relate ad Missas Expositionis et Repositionis; quoad hanc de ingruente necessitate, haec habet: « In die autem medio, si dicatur Missa de die cum Collecta de ingruenti necessitate, haud convenit addi alteram da Sacramento, quia Missae huiusmodi unam tantum poscunt Orationem; et minus decens est Collectas plurimas uni orationi iungere in Missis solemnibus. Quod si in die medio cantetur Missa de necessitate, sive de re gravi, ob quam fit Expositio, utique addenda erit Oratio de Sacramento, cum de hoc in tali casu non cantetur Missa altera; et commemoratio SSmi Sacramenti facienda sit in Missis omnibus, quae dicuntur occasione Expositionis ». Quum autem Scriptor hic agat de Ecclesiis extra Urbem, in quibus *Clementina Instructio* vim directivam habet, non coactivam; optassem, ut melius declararet hanc suam doctrinam. Nam si loquitur de Missa de die celebranda in diebus exceptis loco votivae, bene stat quod unica tantum Oratio addatur pro ingruenti necessitate, quae alias foret celebranda. Si vero sit de Missa currenti in aliis diebus, in quibus non prohibentur votivae, quid vetat, quaeso, ut simul Oratio addatur de Sacramento et Collecta de ingruenti necessitate? Romae vero haec distinctio aut declaratio locum non habet, quia Missa pro pace dicenda est ex praecepto, nisi occurrant dies excepti: quamobrem si ea dicatur, addenda erit Oratio de Sacramento sub unica conclusione.

5. Haec autem Missa pro pace vel alia necessitate, cum celebretur in paramentis violaceis, licet solemnis sit et pro publica Ecclesiae causa, caret *Hymno Angelico* et *Symbolo,* ceu disponit *Rubrica Missalis,* quae praemittitur *Missis votivis.* Quod si dicenda sit in die Dominico, habet tantummodo *Symbolum.* « In ipsis (scilicet Missis votivis) non dicitur *Gloria in Excelsis,* nec *Credo,* nisi pro publica Ecclesiae causa: et tunc, etiamsi dicantur in paramentis violaceis, dicitur *Credo,* si sit Dominica, non autem *Gloria in excelsis* » et Tim. 11 de Symbolo: « Item dicitur *Credo* in Missis votivis, quae solemniter pro re gravi vel publica Ecclesiae causa celebrantur, etiamsi dicantur in paramentis violaceis in Dominica ». Eadem idcirco regula servanda de omittendo Symbolo in Missa pro Expositione et Repositione, si cantetur Missa in paramentis violaceis in Feriis et Vigiliis privilegiatis.

§ XIV.

« Nelle Chiese non Collegiate e dove « non è obbligazione di cantare la Messa « Conventuale, dovrà in detto giorno medio « cantarsi solamente la votiva suddetta, con « l'eccezione e regola prescritta di sopra « nella Messa del Sacramento: questa però « dovrà cantarsi ad un Altare, che non sia « quello dell'Esposizione, nè quello dove « sta il Tabernacolo col Sacramento incluso; « ed in quelle Chiese, che hanno l'obbligo « di cantare la Messa Conventuale, questa « pure si canterà ad altro Altare, come si « è detto ».

1. Quatenus autem Expositio fiat in Ecclesiis, quibus non incumbit onus Missae Conventualis, una tantum Missa votiva dicenda erit, vel de Officio currenti cum eiusdem Missae votivae demandatae commemoratione, si occurrant dies, ut supra, ab instructione excepti. Estne igitur vetitum celebrari etiam Missam Conventualem de die, dum *Instructio* taxative praecipit « dovrà in detto giorno cantarsi solamente la votiva suddetta »? Sensus *Instructionis* est, quod gravandae non sint onere Missae Conventualis Ecclesiae, quae ad hanc non tenentur; iubet votivam pro publica Ecclesiae causa; at non prohibet, sed in libertate relinquit, aliam Missam solemnem de currenti. Prospicit *Instructio* praesertim Ecclesiarum egestati, quibus grave nimis esset tot accire Sacros Ministros et Clericos, quorum ope possent plures Missae decantari. In his igitur satis erit, si in diebus Expositionis et Repositionis una Missa cum cantu et Ministris paratis solemniter celebretur, vel votiva, vel de die, iuxta regulam superius traditam; et intermedia die Missa praescripta de ingruenti necessitate, nisi alia dicenda sit de Officio currenti cum eiusdem commemoratione. Futilis ea ratio est, quam Cavalerius excogitat, ob quam solum ad praefatas Missas tenentur Ecclesiae, quae non habent onus Missae Conventualis; « ne scilicet per cantum interturbetur attentio orantium ante Sacramentum ». Si quid haec ratio valeret, nec cum cantu celebrandae essent Missae Conventuales de die, praeter votivam in Ecclesiis Collegiatis, quod et ipse Cavalerius agnoscit: idcirco prosequitur « verum absit nos proscribi putemus laudabile institutum cantandi Missam Officio conformem, quod quique Auctores commendant admodum, et Rubricae ipsae atque Instructio in praecepto constituunt apud Collegiatas Ecclesias, quibus, valde laudabiliter se conformare ceteras nos alibi diximus; unde praefatam dictionem *solamente* explicari malumus per exclusionem obligationis, non autem arbitrii ».

2. Attamen vel una tantum Missa votiva iuxta praescriptum celebretur, vel etiam Conventualis; vel res sit de Ecclesiis Collegiatis, vel de aliis quae ad solam votivam tenentur; illud commune omnibus est quod celebrari nequeant in Altari, in quo expositum est SS̃mum Sacramentum: prout nec in altero, in quo asservatur pro Communione fidelium. Iam provisum fuerat quoad Altare expositionis § 12, ubi legitur: « Nell'Altare, ove sta esposto il SS̃mo Sacramento, non si celebrino altre Messe, che le solenni per l' esposizione e Reposizione »; praesens vero sanctio regulam extendit etiam ad Altare, ubi clausum custoditur in Tabernaculo; quam tamen limitat ad Missas solemnes: et optimo quidem iure; ut qui interea Sacra Synaxi refici postulant, voti compotes fieri possint.

3. Laudabile multum esset, si in eo Altari nec Missae privatae celebrarentur, ut innuit *Caeremoniale Episcoporum* et monet Gavantus *part. 1, tit. 20, lit. n.* « Praemitto cum Caeremoniali Episcoporum lib. 1, cap. 12, maxime decere, ut ibi Missae non celebrentur »; quod antiquitus servatum esse testatur; et loquitur ibi etiam de Missis planis. Id apud nonnullas Romae Ecclesias adhuc in more est et forsan etiam alibi. Nec tamen contrarius usus, qui communior est et obtinet fere ubique, notandus venit: non enim a *Caeremoniali Episcoporum* prohibetur, sed *Rubrica* a simplici decentia rationem desumit, ne eo in Altari Sacrum fiat *lib. 1, cap. 12, num. 9*. Quinimo Missalis Rubricae *part. 2, tit. 4, num. 6,* quod consuetum sit Missas eo in Altari celebrari supponunt; quamobrem ritum a Sacerdote servandum in genuflexionibus praescribunt. Utraque ideo consuetudo est laudabilis et rationabilis, quamvis altera fortasse magis deceat. In iis enim, quae spectant in ritibus exteriorem disciplinam, et substantiam minime laedunt, non semper fieri potest, quod magis decet, dummodo fiat quod licet; et quandoque in agendis, licitum praevalere debet maiori decentiae. Et revera relate ad plures Ecclesias servari nequit quod Caeremoniale Episcoporum insinuat, ut magis decens. Etenim cum Tabernaculum Sacramenti, praesertim in Parochialibus, regulariter asservetur in Altari maiori tam-

quam digniori; expedit, ut in eo celebretur etiam Missa ad populi confluentis commoditatem. Imo nec aliter fieri posset in Ecclesiis ruralibus, in quibus plerumque unicum habetur Altare. Obiter haec dicta sint.

§ XV.

« Si ordina espressamente, che nelli « giorni dell'Esposizione, medio e della « Reposizione, le Messe si debbono cantare « con li Ministri parati e non altrimenti, « anche nelle Chiese de' Regolari, non « ostante qualsivoglia loro uso o pretesa « consuetudine in contrario ».

1. Solemnitas sacrae actionis iure suo postulat, ut omnia, quae ad eam ordinantur, eo modo fiant, qui tantae celebritati conveniat atque respondeat. Si Missa votiva sit pro re gravi aut publica Ecclesiae causa, solemniter est celebranda ex praescripto Rubricae *part. 1, tit. 9, num. 14.* Secus enim privilegiis non gaudet, quae eidem competunt. In illis autem, quas celebrari iussit Instructio, nedum concurrunt votivae qualitas, publicum bonum, gravis Ecclesiae causa, verum etiam sacrae functionis solemnitas; quamobrem iure sunt solemniter cantandae cum Ministris paratis. Porro quoad Urbis Ecclesias tam Secularium quam Regularium adeo lex urget, ut nefas sit opponere aut longaevam contrariam consuetudinem, aut aliam quamcumque rationem, quae possit ad eam eludendam excogitari. Pontifex enim, in quo residet summa potestas, generali hac lege tam consuetudinibus, quam aliis forte afferendis rationibus, derogat.

2. Nec valet effugium ex eo petendum, quod iis, qui ex Instituto usum non habent cantandi Missam cum Ministris paratis, desint ad hoc opus paramenta; nam facile est eadem commodata habere ab aliis Ecclesiis. Ratio vero desumpta ex Instituto non valet contra legem, quae consulit Festi aut functionis solemnitati. Idcirco *Sacra Rituum Congregatio* respondit: « In Processione SSmi Corporis Christi omnino adhibendum esse pluviale, etiam ab iis, qui eiusdem usum non habent ». Ita in una *Congregationis Montis Coronae 22 Ianuarii 1701, dub. 5;* et in altera *Ordinis Minorum Excalceatorum S. Francisci Provinciae S. Didaci Hispalen. 13 Maii 1756* (in nova Collectione num. **2067** et **2440**). Eadem, imo maior urget ratio in casu nostro ex praeceptiva *Instructionis* regula.

3. Haec autem regula certe comprehendit Missas votivas de Sacramento et pro ingruente necessitate, prout etiam alias de currenti Officio, si hae in diebus exceptis earumdem vice celebrentur. An vero eadem extendenda sit ad Conventuales Missas, quae ultra praedictas in Collegiatis celebrandae sunt, adfirmare non audeo. Id videtur exposcere temporis circumstantia atque solemnitas: sed cum sanctio Missas commemoret celebrandas « nelli giorni dell'Esposizione, medio e della Reposizione » nec taxative coarctet regulam ad solas Missas votivas; non deerunt, qui existiment sub eadem comprehendi, etiam alias Conventuales. Mihi tamen videtur limitanda ad illas, quas expresse iubet; praesertim quia praeceptive extenditur ad Regulares illos, qui vel ex Instituto vel ex consuetudine nunquam Missas cantare solent cum Ministris paratis. Idcirco non renuo assentiri Cavalerio, qui licet multum congruere credat, quod et Conventuales quoque cum Ministris paratis celebrentur, hoc tamen onus imponendum non esse censet Ecclesiis illis, quae usum non habent. « Praedictae enim Missae, inquit, non sunt pro re gravi aut publica Ecclesiae causa; et ad occurrentem solemnitatem spectant dumtaxat materialiter, non formaliter; unde, sicuti propterea nullis privilegiis perfrui credimus, sed celebrandas esse perinde ac si in tali temporis circumstantia minime celebrarentur, ita putamus Sacrorum Ministrorum assistentiam nequaquam exquirere ».

4. Restat modo, ut inquiramus; num eadem methodus servanda sit extra Urbem. Ut pluries notavimus legem, quae pro Urbe tantum dicta est, alibi non obligare; etsi optandum sit ut, ubi fieri potest, eadem servetur. Verumtamen si celebrari velint Missae votivae de Sacramento vel pro ingruente necessitate, diebus Expositionis, Repositionis ac medio, cum hae sint pro re gravi et publica Ecclesiae causa, non aliter celebrari poterunt, nisi solemniter et cum Ministris paratis; quia privatim et sine Ministris Sacris haud fieri posse videtur, nisi diebus illis, quae Missas votivas universim non respuunt.

5. Subdit Cavalerius *tom. 4, cap. C, decret. 33, num. 2,* limitando regulam: « Fortasse tamen id potest fallere, ubi ex defectu Ministrorum solemniter fieri non potest ». Limitatio haec tamen videtur absolute et

generaliter sine ulla modificatione accipienda. Cum enim Rubrica Missas votivas pro re gravi solemnes dicat, sed non declaret qualis et quanta ista debeat esse solemnitas ; et moneat solummodo quod una tantum dicatur Oratio (Tit. 9, num. 14), solemnitatem illam satis esse existimo, quae iuxta locorum et personarum circumstantias adhiberi potest; aliquam tamen solemnitatem, quae actionem distinguat a simplici et privata, necescariam esse iure censeo. Hinc ubi Ecclesiae egestate premuntur (extra Romam), paramenta desunt et Sacri Ministri ; quid, quaeso, prohibet, si unus sacerdos, eo quo potest modo, cum uno vel duobus Clericis Missam votivam pro re gravi vel publico Ecclesiae bono cum cantu celebret? Isthaec Missa non absolute solemnis est ; talis tamen relative ad locum, personas, tempus et alias, quae concurrunt, circumstantias, quaeque, ut aliter fiat, non permittunt. Missam vero simpliciter lectam cum privilegiis solemnis, ex defectu Ministrorum celebrari haud posse crederem. Sub hac distinctione doctrina Cavalerii admitti posse videtur; non autem, quod liceat pro re gravi celebrari Missam privatam loco solemnis in iis diebus, in quibus Missae votivae prohibentur.

§ XVI.

« Nelle Messe private, che si celebre-
« ranno durante l'Esposizione, non si suoni
« il campanello all'elevazione; ma solo u-
« scendo i Celebranti dalla Sagrestia, si
« dia un piccolo segno colla solita campa-
« nella ».

Clara est haec sanctio, neque ulla indiget illustratione. Sed quoniam aliqua adnotat ad eam Cavalerius, iuvat hic iisdem, quibus is usus est verbis, eius commentarium adiicere, ut sequitur.

1. « Ex Rubricarum praescripto Minister intra Missam bis campanulam pulsat ; primo nempe ad Sanctus, ad excitandos adstantium animos ad proxima Mysteria ; et secundo ad elevationem SS̄mi Sacramenti, ut fideles commonefiant ad illud adorandum. Quoties Sacramentum est in Altari patenter expositum eiusmodi signa ad elevationem (a fortiori utique etiam ad Sanctus, etsi huius Instructio minime meminerit) dari interdicuntur. Cum enim tunc in actuali Sacramenti veneratione et profunda Mysteriorum meditatione maxime supponatur populus commorari ; haud indiget per pulsationem campanulae excitari ad venerationem Sacramenti, quod in Missa elevatur ; quasi idem Sacramentum non foret, quod publice adorat, expositum. *Nelle Messe private* habet sanctio; et de his specialis ulterius militat ratio, quia cum extra Altare Expositionis supponantur haberi, cogerentur alias fideles hinc inde ad diversa sese convertere Altaria cum maximo utique incommodo, praesertim ubi plurimae celebrantur Missae.

2. « At quid de solemnibus atque cantatis? Quatenus ex nudis sanctionis verbis, quaestio decidenda foret, exceptio, quam fecit de Missis privatis, in contrarium firmat regulam pro cantatis atque solemnibus: sed quoniam integra eiusdem ratio, quae est anima legis, ea militat etiam de Missis solemnibus atque cantatis quae extra Altare Expositionis habentur, ideo ad has quoque nos non ambigimus legem extendere ; solumque de iis superest difficultas quae fierent ad Altare Expositionis. Disputant Auctores num in Feria sexta Parasceves praedicta signa dari debeant; et quia tali die prae ceteris ante elevationem Sacramentum iam est in Altari, in cuius adoratione populus supponitur versari, concordes quaestionem negative definiunt : unus est Clericatus, qui de Sacrificio Missae decis. 43, num. 6, unum vel alterum signum dari posse asserit, ad excitandam circumstantium attentionem. Clericati sententia ex eo abs re non esse dignoscitur, quod, etsi populus fortasse sit conscius Sacramentum adesse in Altari, ibi tamen non est ob oculos populi, ob quos consequenter non ponitur specialiter adorandum ; aequum est etiam populus specialiter moneatur, ut illud specialiter valeat venerari ; in nostro autem casu dum Sacramentum est patenter expositum, est itidem ob omnium oculos, ut specialiter honoretur, unde fideles non indigent per campanulam excitari ad eiusdem specialem adorationem.

3. « Quoniam vero pulsatio campanulae ad elevationem in Missa, quae dicitur ad Altare Expositionis, immunis est Fidelium incommodo hinc inde se convertendi ad Altaria, in quibus Sacramentum elevatur, cum quasi virtuali contemptu Sacramenti publice expositi (cuius adorationem veluti deserit, ut transeat ad venerationem illius, quod elevatur, quasi idem Sacramentum non foret) sed utriusque Sacramenti, quod fide divina probe noscit esse unum et idem, adorationem coniungens, tantummodo simul recolendam obiicit elevationem in Cruce et

mactationem; idcirco in Missis quae celebrantur in Altari Expositionis, haud ego refragarer admodum, si ad elevationem praedicta campanula pulsaretur. Dixi ad elevationem, quia ad Sanctus tanta non puto Mysteria obiici, ob quae populus in adoratione et meditatione, quibus incumbit, debeat perturbari.

4. « In veteri Testamento ingressus Pontificis ad Altare per tintinnabula populo innotescebat: hinc in Ecclesiam dum Sacerdos e Sacristia ad Altare celebraturus incedit, invectus mos extitit annuntiandi per ministrum populo prope stanti media pulsatione campanulae accessum eiusdem Sacerdotis ad Sacrum faciendum. Sacramento adhuc publice exposito, signum huiusmodi dari minime interdicitur; sed ita res moderatur, ut parvulum quidem signum detur cum solita campanula, ut fideles admoniti insimul Sacrificio assistere valeant, et ne per signum productius ceteri perturbentur in veneratione Sacramenti. In hoc igitur casu semel aut bis per campanulam consuetam fiat *tin tin,* quo ex sono campanulae ipsi tintinnabuli nomen obvenit. Opus autem non est coner ostendere, quod haec omnia communia esse debent Expositioni cuilibet, etiam privatae et extra Romam ».

5. Hactenus Cavalerius. Plura ego non adiiciam; solummodo recedendum esse puto ab eius opinione, qua existimat congruere sonitum campanulae in solemni Missa, quae celebratur ad Altare Expositionis. Etenim non erat cur *Instructio* etiam Missas solemnes commemoraret, pro quibus Rubrica non iubet, ut in privatis, eamdem pulsari ad finem Praefationis et ad elevationem Sacramenti. Romae, saltem in maioribus Ecclesiis, obtinet mos eam non pulsandi, praeterquam in Missis solemnibus pro defunctis; gravis Organorum sonitus supplet vices tintinnabuli et populi adstantis excitat attentionem. Si alius sit apud Regulares aliquos usus, hunc non moror, quia diversorum Ordinum Instituta suos habent peculiares ritus, quin tamen omittant vel immutent quod essentiale est. Quod si aliqua in Secularium Ecclesia consuetudo sit pulsandi campanulam, non ideo pulsatur, ut populi excitetur attentio, ad quem finem cuncta ordinantur quae in Missa solemniter cantata fiunt; verum, ut detur signum ad sonitum maiorum Ecclesiae nolarum, quemadmodum per campanulam datur signum, dum est ab Organi pulsatione cessandum. Gavantus *part. 1, tit. 6, litt. h, num. 11:* « ad Sanctus Campanas maiores pulsare convenit, sicut in Missa privata campanulam parvam, quam pulsant aliqui etiam in Missa solemni; et placet per alterum ex Acolythis, ut moneantur ii, qui maiores debent pulsare Campanas et tempus ignorant eas pulsandi, quia longius absunt ». Nec igitur in Missa solemni campanula pulsanda est, exposito Sacramento, nisi necessitas urgeat eos monendi, quorum est maiores nolas in signum solemnitatis festive pulsare. Et revera sibi cohaerere non videtur Cavalerius; quia eadem ratio theologica, quam ipse affert, ob quam interdicitur sonitus campanulae in Missis privatis, militat etiam quoad solemnes.

§ XVII.

« Non si celebrino Messe di requie nel « tempo, che durerà l'Orazione delle quarant'ore; e le Messe del SSño, che si « celebreranno nei giorni permessi dalla « Rubrica, saranno meramente votive senza « *Gloria* e *Credo.* Nelle altre Messe pri« vate correnti si aggiungerà dopo le pre« scritte della Rubrica l'Orazione del Sacra« mento, così comandando la Santità di No« stro Signore ».

1. Plura continet haec sanctio, quae examine indigent et illustratione; ideo tantisper est in ea immorandum. Absolute lex est, quae iubet « che non si celebrino Messe di requie nel tempo, che durerà l'Esposizione di quarant'ore ». Dedecet enim, quod cum lugubri apparatu celebrentur defunctorum Missae, ubi Sacramentum est triumphaliter expositum, praesertim quia in his haud adiici potest commemoratio Sacramenti, quam in Missis privatis omnibus, si per Rubricas liceat, eadem Instructio demandat.

2. Priusquam prodiret *Clementina Instructio,* Sacra Rituum Congregatio id iam edixerat. Nam *in una Canonicorum Regularium Lateranensium sub die 2 Decembris 1684, ad Dubium 5:* « An durante expositione SSñi Sacramenti occasione Quadraginta Horarum, in tali Ecclesia celebrari possit Missa privata de Requiem, quando alias dies ipsa eam admittit pro adimplenda mente testatoris sive anniversario satisfaciendo? » respondit: « Regulariter Negative » (in Collectione Num. 1743); et in Eugubina 27 Aprilis 1697, ad dubium: « An liceat in Ecclesiis, in quibus occasione Quadraginta Horarum expositum detinetur Sanctis-

simum Sacramentum, celebrare Missas defunctorum; et quid si ex praescripto testatorum essent celebrandee? respondit « Congruentius abstinendum (Ibid. Num. 1967) ». Ex illis tamen dictionibus, quibus usa est Sacra Congregutio, scilicet *regulariter, congruentius,* putat Cavalerius *tom. 4, cap. 7, decret. 43; et Tetamus in Appendice cap. 3, art. 5, num. 26,* non absolute et simpliciter Missas defunctorum prohiberi in solemni Expositione Quadraginta Horarum, quamvis satius sit eas non celebrari.

3. Horum tamen sententia et forte etiam aliorum qui sic opinantur, tanti facienda non est ut ab ea recedendum non sit. Esto quidem Sacram Congregationem fuisse in sensu, quod non omnino repudiandae ea occasione fuissent Missae de Requiem, quamquam maxime *congruat,* ne *regulariter* dicantur; notandum tamen ea prodiisse Decreta *annis 1684 et 1697,* multo antequam iussu s. m. Clementis XI emanaret *Instructio,* quae primum facta est publici iuris anno 1705. Haec vero, cum iis utatur verbis, quae clara sunt et absoluta, *non si celebrino Messe di Requie:* nullam patitur limitationem, positivum praeceptum importat, corrigit proinde et coarctat vetustiora Decreta, saltem quoad Ecclesias Urbis, pro quibus dicta lex est. Quamvis enim quae laudavimus Decreta circa Orationem Quadraginta Horarum versentur, nullatenus tamen ad Ecclesias Urbis pertinent, sed alias Dioecesium spectant ad quas extendi nequibat *Instructio;* etiamsi dum ea prodierunt evulgata fuisset.

4. Et revera Sacra eadem Congregatio a prima illa sententia recessisse videtur post editam Instructionem: nam, cum in *Varsavien. ad 5, sub die 7 Maii 1746* quaesitum fuisset: « Utrum in dicta Cappella SSmi Crucifixi, durante Expositione SSmi in Pyxide, permittente Rubrica, possint in Ecclesia vel aliis Cappellis celebrari Missae de Requiem? » respondit: « Missae de Requiem extra Altare, ubi est expositum SSmum Sacramentum (subintellige *in Pyxide* relative ad dubium) poterunt celebrari, dummodo tamen Oratio coram Sacramento non sit ex publica causa ». Itaque si absolute et absque ulla limitatione aut declaratione excipitur etiam simplex expositio cum Pyxide, dum publica causa concurrit, ita ut, hac accedente, nequeant in aliis Altaribus et Cappellis Missae de Requiem celebrari, quia publica concurrente causa, Expositio, quocumque modo fiat, semper aliquam solemnitatem habet: potiori iure, iuxta Sacrae Rituum Congregationis sensum, tales Missae erunt interdicendae, dum solemnissima est expositio pro Oratione Quadraginta Horarum. Ex hoc autem postremo Decreto *tria* consequuntur. *Primum,* quod per istud corrigi aut saltem declarari videntur supralaudata antiquiora Decreta *annorum 1684* et *1697. Secundum,* quod decidendi ratio sumpta est, non ab antiquis S. R. C. responsis, sed a novissima lege *Clementinae Instructionis. Tertium* denique, quod eadem Sacra Congregatio hoc Decreto regulam de non celebrandis Missis *de Requiem* extendit, nedum ad Expositionem Quadraginta Horarum, sed ad omnes Expositiones, quae fiunt ex gravi causa et publico Ecclesiae bono; vel fiant in Ostensorio sub umbella vel in Pyxide velata.

5. Verumtamen Cavalerius, licet fateatur *Instructionem Clementinam* rigidius procedere absolute iubendo: « Non si celebrino Messe di Requie nel tempo, che durerà l'Orazione delle Quarant'Ore »; licet admittat postremum Decretum *in Varsavien.* contraire praecedentibus; et declarationem illam, *dummodo tamen,* haud posse componi cum dictionibus *regulariter, congruentius:* nihilominus, ut aliquo pacto antiqua Decreta tueatur suamque sententiam sustineat, vult ita accipi debere dictiones illas, ut intelligenda sint de Missis privatis et Anniversariis, non autem de illis, quae ad Rubricarum legem Conventuales sunt vel ex praecepto dici debent. Sic, inquit « Laudata Decreta reapse sistunt in inhibendis Missis privatis; et si etiam ad cantatas transeunt, non de cantatis universim, sed ad adimplendam testatorum mentem aut pro Anniversario satisfaciendo disponunt. Ut hinc inhibitas minime censeas cantatas Conventuales Missas illas, quae de Rubricarum mandato quandoque occurrunt, ut prima die Mensis non impedita et die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum » *tom. 4, cap. 7, decr. 43, num. 2.* Mihi tamen haec non arridet opinio; et potius aliam amplectendam esse arbitror, quae magis conformis est *Clementinae Instructioni* et quascumque Defuntorum Missas indiscriminatim vetat.

6. Dicam primum de Missa illa Conventuali, quam Rubrica pro defunctis cantari praecipit die prima mensis non impedita. Haud inficior Rubricam part. 1, tit. 5, num. 1, esse praeceptivam; sed non inde sequitur, quod vult Cavalerius, scilicet,

eiusdem praeceptum non solvi, non moderari *ab Instructione Romana;* sed magis illud confirmari, ita ut omitti non liceat tempore Expositionis, per haec verba : « oltre la Conventuale si celebrerà dopo Nona la Messa del SSmo Sacramento ». Fallit omnino huiusmodi interpretatio et a sensu *Instructionis* omnino recedit. Omitto, quod siquid ambiguum in ea sanctione fingi potest, declaratur per aliam : « non si celebrino Messe di requie durante il tempo delle quarant'ore » ? Verum si animo minime praeoccupato omnia pensentur: nihil est obscurum, nihil ambiguum. Quid enim sibi vult *Instructio* per illa verba « oltre la Conventuale ecc. » ? Non aliud certe, nisi quod per Missam votivam de Sacramento vel pro ingruente necessitate, non solvuntur Collegiatae ab onere Missae Conventualis currentis : nec tamen ex hoc consequitur eamdem simul demandasse Missam Conventualem pro defunctis, si contingat dies prima mensis non impedita, imo et hanc etiam eliminare voluisse videtur, si in hac sanctione sine ullo discrimine Missas omnes de Requiem prohibet occasione Orationis Quadraginta Horarum.

7. Sed quomodo salvatur Rubrica? Facilis est responsio. Pro hoc particulari casu ei derogat *Instructio;* et qui potestatem habet condendi legem, quot vult limitationes, exceptiones et conditiones apponere potest. Cum Expositio Quadraginta Horarum relate ad Ecclesiam, in qua fit, solemnissima sit ; si in ea cadat dies prima mensis, in qua celebranda foret Missa Conventualis pro defunctis, attenta functionis et loci solemnitate, censenda est impedita ; et eadem Missa Conventualis amandanda ad aliam diem non impeditam post Sacramenti repositionem. Rubrica, quae excipit Quadragesimam, Tempus Paschale, censendane erit praeceptiva quoad Ecclesias illas in quibus peragitur functio omnium solemnissima Expositionis Ven. Sacramenti cum perenni Oratione? In Collegiatis igitur aliisque Ecclesiis, quae onus habent Missae Conventualis, si ea dies occurrat, durante Expositione, ni alia ad Rubricarum normam celebranda sit, reassumenda erit Missa Dominicae, ut fit in aliis Feriis per annum.

8. Si qui casus esset, unde licita censeri posset, et sub lege minime comprehensa, Missa solemnis de Requiem, ille certe foret, si humandum esset cadaver. Rituale Romanum de Exequiis iubet: « Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri potest, retineatur, ut Missa, praesente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur ». Ne hic lectorem detineam in afferendis monumentis, quibus comprobatur quae quantaque fuerit omni aevo Ecclesiae sollicitudo, ne sepulturae traderentur cadavera, quin prius Sacrificium pro eorum expiatione oblatum fuisset, ut abunde habetur *in Breviculo etc.* « B. Cardinalis Iosephi Tomasi tom. 7 Operum , opusc. 1; et penes Catalanum ac Baruffaldum ad laudatum Ritualis locum » : sat mihi est praesens Ecclesiae disciplina, quae permittit celebrationem unius Missae, praesente cadavere, etiam in Dominicis et diebus festivis de praecepto, dummodo non sint ex solemnioribus primae classis. Huiusmodi tamen indulgentia locum non habet in Ecclesiis, in quibus Quadraginta Horae Orationis peraguntur. Id ipse Cavalerius fatetur tom. 2, decret. 15, cap. 5, num. 8 : « de Ecclesiis, in quibus expositum patet SSmum Sacramentum, quaestio superest, quam ita resolvimus ut in eas nonnisi Sacramento reposito cadavera debeant inferri ; et quoties etiam per noctem et in sequenti die expositum ibi manere debeat, exequiae vel anticipentur vel differantur etc. »; et etiam clarius tom. 4, cap. 7, decret. 43, num. 5: « Quantum autem attinet ad Missas diei obitus, alibi iam diximus, quod Expositionis tempore cadavera inferenda non sunt in Ecclesiam ; et quando necessitas ea inferri cogeret, quod tumulari debent privatim et absque solemnitate ulla ; adeoque et sine Missa ». Itaque si nec Missa celebranda est pro cadavere humano, licet ex Ecclesiae instituto defuncti sine Missa non sint sepulturae tradendi, proindeque tot privilegiis eadem gaudet ; quis sibi persuadere poterit Conventualem de Requiem celebrandam esse, si contingat dies prima mensis non impedita, quamvis non eadem urgeat ratio, quae pro cadavere humando? Si functionis solemnitas, si apparatus festivus, si finis ab Ecclesia intentus in Expositione Quadraginta Horarum, si gravis causa et publicum Ecclesiae bonum id non sinunt, quod magis urget ; nec certe permittere censenda sunt, quae minus.

9. Altera quaestio est de die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. Eritne haec dies celebranda solemniter cum omnibus Missis privatis de Requiem, etiamsi pateat expositum SSmum Sacramentum pro Oratione perenni ? Affirmativam tenent sententiam Cavalerius *ad idem Decretum 43,*

cap. 7, num. 3; et Tetamus *in Appendic. cap. 3, artic. 5, num. 26.* Inquit enim primus : « Pro Missis de Requiem ex Roma novissime rescripsit quidam in sacris ritibus peritissimus ; et praecipue nititur, tum quia sic in Urbe servatur apud Ecclesiam S. Ignatii ; tum quia Missae eo die currentes sunt defunctorum ; et quidem adeo, ut de Requiem dicendae sint, etsi duplex occurrat Festum. Reapse urgent rationes istae et huc fortasse spectat dictio *regulariter,* qua primum Decretum utitur (scilicet illud anni 1684 supra relatum), dum praescribit Missas de Requiem. Nos autem urget admodum exemplum Ecclesiae S. Ignatii, quae dum in faciem Sacrarum Congregationum, nullis reclamantibus, ea die incumbit defunctorum Missis, non leve indicium est , praedictam diem in exceptis esse positam, nec ex comprehensis in Instructione Romana ». Horum tamen auctoritas minimum me commovet, quominus in oppositam sententiam inclinem. Quamquam, si attente consideretur Cavalerii contextus, facile colligitur, extrinsecis potius argumentis innixum ; suam illam opinionem ipsum tueri, quam intima persuasione victum ; et fortasse secus existimasset, nisi ei occurrisset exemplum moris, qui obtinere ferebatur in Ecclesia S. Ignatii. Illud, quod me prohibet, ne libere proferam quid sentio, est novissimum S. R. C. Decretum, quod quaestionem dirimere et nodum solvere videtur.

10. Etenim Praeses Ecclesiae S. Ignatii anceps, num liceret Missas de Requiem celebrari in die solemnis Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, exposito in ea Augustissimo Sacramento pro Oratione Quadraginta Horarum, Dubia proposuit; videlicet : « 1. An in Ecclesiis, in quibus expositum manet Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum Fidelium adorationi in turno perpetŭae Orationis, quae dicitur Quadraginta Horarum, occurrente die omnium Fidelium Defunctorum, liceat recitare Officium defunctorum et celebrare Missam solemnem et etiam Missas privatas itidem defunctorum ? 2. An in eodem casu excipiendum sit Altare, in quo habetur expositum SSm̃um Sacramentum ? » Et Sacra Congregatio respondit : « Ad 1 et 2, Affirmative ». Consequenter in monitis, quae apponi solent in Tabella Ecclesiarum, in quibus per orbem fieri debet expositio, additum legitur: « Dove cade il giorno della Commemorazione de' Fedeli defonti si celebrino le Messe basse di requie coll'apparato di color paonazzo ». (V. Num. 3177).

11. Nihilominus fas sit mihi aliquid promere, quin videar minimum quid detractum velle auctoritati, quae debetur Sacrae Congregationis decisionibus. Si bene sentio, Rescriptum illud *Affirmative* ad primum dubium, permissivum est, non coactivum, et relative ad quaesitum : *an liceat;* facultatem tribuit, non legem imponit : quamobrem illud *Affirmative* idem sonat, ac *posse, licere, permitti;* quae et similes dictiones non id praescribunt, quod faciendum est, sed declarant non esse damnandum, si fiat. Hinc redarguet me nemo, si, salvo semper Sacrae Congregationis responso, aeque licitum existimem, quod ea die omittatur in Ecclesia praedicta solemnis Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, tamquam celebritate functionis impedita ; et transferatur infra octavam, ceu fit, dum dies 2 Novembris cadit in Dominicam, quia tunc praefatae commemorationi assignatur dies 3 eiusdem mensis. Male enim componuntur simul in eadem Ecclesia lugubria et Sacramentum festivo apparatu triumphaliter expositum , frequenti confluenti populo ad illud adorandum. Quod si celebrentur Missae de die, nihil deperit animabus defunctorum, quia *ex Rescripto Sanctissimi dat. sub die 12 Maii 1807,* omnia Altaria Ecclesiarum, in quibus fit expositio, hac durante, declarantur privilegiata.

12. Praeterea si stricte attendenda est sanctio *Clementinae Instructionis,* quae absoluta et simplex est, nullum ponit discrimen, nullam limitationem ; saltem videtur, quod magis deceat, solemnitatem pro defunctis transferre, quam eam celebrare cum Missis de Requiem, ubi Sacramentum publice est solemniter expositum. Illud certum est, quod Sacra Congregatio funebrem pompam cum Festi solemnitate coniungendam non esse agnovit et declaravit. Idcirco cum per Dioecesim Viterbien. *die 3 Novembris* celebretur *Festum Sanctorum Martyrum Valentini et Hilarii ;* et dubitatum fuerit, num transferendum esset praefatum Officium, vel potius Commemoratio defunctorum eo die celebranda , ob impedimentum Dominicae praecedentis , Sacra Rituum Congregatio rogata respondit « Transferendum esse Officium Sanctorum Martyrum, dummodo Festum non sit de praecepto». Neque aliter edixit in *Brixinen.* pro Ecclesia Patrum Societatis Iesu Oeni-

ponti, ubi *die 3 Novembris sub ritu dupl. min.* celebrabatur *Festum S. Pirminii* cum aliqua solemnitate, ratione Reliquiae ibi asservatae. Siquidem, proposito dubio: « An occurrente Festo S. Pirminii Episcopi eadem die commemorationis omnium defunctorum, possint ipsi aut etiam debeant transferre Festum S. Pirminii ad aliam diem non impeditam currentis octavae; an vero, non obstante Officio commemorationis defunctorum, sit faciendum Officium de S. Pirminio; an saltem Missa solemnis dicti Sancti celebrari possit? » responsum fuit *Transferendum esse Officium S. Pirminii.*

13. Cur autem in utroque casu translationem iussit et non potius declaravit posse fieri Officium de currenti, quod erat *ritus duplicis,* cum Missis privatis de Requiem, prout pluries iam decreverat fieri debere, etiamsi ageretur de duplicibus translatis, quorum in eam diem repositio permittitur? Non alia certe afferri ratio potest, nisi ea, quae desumitur a solemnitate, quae huiusmodi Festa, quamvis *ritu duplici,* comitabatur. Haud enim decebat, ut simul coniungeretur festiva solemnitas cum funebri apparatu, castro doloris et Missis de Requiem. Et revera Decretum *in Brixinen.* ancipitem fecit P. Merati, qui, ut aliquo modo illud conciliaret cum aliis Decretis, quae in similibus iubent, ut Officium fiat de currenti, Missas vero de Requiem, censet eo in casu secus edixisse, recedendo a regula Sacram Congregationem, quia insignes Reliquiae in ea asservabantur. *Part. 1, tit. 5, num. 10; et in indiculo Decretorum num. 631.* Sed ratio haec haud satis erat, ut Sacra Congregatio a regula recederet. Longe validior est altera a Festi celebritate petita, de qua testatur Pittoni *in Opusculo de commemoratione omnium Fidelium defunctorum* § *2, n. 12:* « Ego enim, *inquit,* qui semel atque iterum fui Oeniponti, rationem translationis esse puto, quia S. Pirminius est in magna veneratione apud populum illum; et in eius Festo, ut ibi audivi, est copiosus concursus et adornatur Ecclesia pulcherrimo apparatu. Ad quid ergo pompae cum luctu? ad quid luctus cnm pompis? »

14. Idem dicendum de Sanctis Martyribus Dioecesis Viterbiensis, quorum Festum, quamvis sub ritu duplici, magna tamen cum solemnitate celebrari solet, ut innuit ipsum Decretum iubens translationem, sub conditione tamen « dummodo Festum non sit de praecepto ». Si dubitatum fuit, quod Festum esset de praecepto, nonnisi a Solemnitate ratio dubitandi oriri poterat. Hinc limitatio conditionalis erat necessaria; quia, si revera Festum fuisset de praecepto, locum non habuisset translatio; et potius transferenda fuisset Commemoratio Defunctorum, veluti fit, quando haec occurrit in Dominica. At quae maior solemnitas Oratione perenni Quadraginta Horarum quoad illam Ecclesiam, in qua per turnum peragitur? Verum haec transferri nequit, ut fit de Sanctorum Festis; magis hinc congruere videtur, si transferatur Defunctorum Commemoratio ad primam diem non impeditam infra Octavam, ne simul festiva et funebria misceantur. Haec dixi, ut minus sapiens, ad effectum ostendendi, quod nullum venit detrimentum auctoritati Sacrae Congregationis, si, non obstante Decreto, in Ecclesia, in qua pro Oratione Quadraginta Horarum SSmum Sacramentum solemniter est expositum, occurrente omnium Defunctorum Commemoratione, celebrentur Missae de Octava omnium Sanctorum, translata Commemoratione Defunctorum ad aliam diem.

15. Alia est quaestio: num celebrari queant Missae de Requiem in Expositionibus illis, quae fiunt praesertim per octiduum post Festum omnium Sanctorum in suffragium animarum purgantium? *Affirmative* eam Cavalerius resolvit ibidem *decr. 44, num. 3,* ubi ait: « Hanc igitur collaudarem methodum, ut in expositionibus generaliter parcus admodum usus sit Missarum de Requiem, ne perimatur Oratio SSmi Sacramenti: liberaliter vero esse possit in Expositionibus illis, quae instituuntur in suffragium animarum Purgatorii, pro quibus etiam fieri posse crederem ipsam solemnem Missam, cum Decreti dispositio (*in Varsavien. 7 Maii 1746* supra laudata) restricta non sit ad Missas privatas, adiecta solummodo conditione, ut non fiant ad Altare, ubi expositum est SSmum Sacramentum ». Ego vero dubitarem num haec sententia ultro sit admittenda. Huiusmodi Expositiones solemniter fiunt pro gravi causa et publico Ecclesiae bono; scilicet pro Ecclesia purgante et expiatione animarum fidelium, quae in tenebricoso carcere poenas luunt: unde locum habere posse videtur supra laudatum Decretum in *Varsavien.* quod vetat Missas de Requiem, Sacramento exposito, etiam in Pyxide, si sit ex publica causa.

16. Recte idcirco in quamplurimis Ur-

bis Ecclesiis per illud Octiduum haec servatur methodus, ut solemnis Expositio fiat solummodo horis vespertinis : liberum hinc est de mane, si per Rubricas et S. R. C. Decreta liceat, nedum Missas privatas, verum etiam solemnem celebrare pro defunctis. Verumtamen si alicubi in more sit Sacramentum exponere etiam de mane, facile utrumque conciliari posset, anticipando primis horis Missas tam solemnem quam privatas de Requiem ; et ab his abstinendo statim ac Sacra exponitur Eucharistia. Nec valet ratio, quod Expositio fit pro defunctis. Bene stat, quod pro eorumdem suffragio preces ad Deum dirigantur, offerantur etiam Sacrificia : nec propterea consequitur, quod, Sacramento solemniter exposito, fas sit, alternantibus horis, Officium defunctorum canere, ac Missas de Requiem celebrare. Hinc Sacra Rituum Congregatio nuperrime *die 27 Martii 1779, in una Nuceriae Paganorum* consuetudinem celebrandi qualibet Feria prima mensis Anniversarium pro defunctis fratribus cum Officio defunctorum solemniter cantato, castro doloris, funebri campanarum sonitu ante expositum Sacramentum, omnino damnavit tamquam Rubricis et Ecclesiae legibus contrariam ; ac insuper mandavit Episcopo, ut eamdem omnino aboleri curaret (Num. 2513). Merito Guyetus *in Heortologia lib. 4, cap. 22,* haec habet : « Si addenda sit precatio aliqua pro defunctis, ea non fiat, nisi post reconditum Sacramentum. Id habet praxis communis, et colligitur a pari ex eo, quod non debet manere Sacramentum expositum, dum celebratur Missa pro defunctis » : ex Caeremoniali Monastic. *lib. 3, cap. 13, num. 14.* Ei adhaeret Cavalerius tom. 4, cap. 9, decret. 4, num. 3: « Haud tamen cum ipso denegaverim precationem nullam collectamve pro defunctis tunc temporis esse habendam, nisi post reconditum Sacramentum, quo exposito, iam vidimus, Missam de Requiem fieri non posse ; et procul abesse debere lugubria quaeque ». Quod intelligendum est de precationibus publicis, non autem de privatis.

17. Hactenus de Missis defunctorum ; agendum modo est de Missis votivis, aut aliis conformibus Officio currenti, quae celebrantur tempore Expositionis. De solemnibus dictum est iam satis : praesens sanctio nostra vocat studia ad Missas lectas, quas usitato vocabulo planas et privatas dicimus. Si quae celebrentur Missae votivae de SSmo Sacramento in iis diebus, in quibus per Rubricas licet, nullo prorsus gaudent privilegio ; et celebrandae eo modo sunt, quo fieret, si circumstantia Expositionis deesset ; idcirco ad leges exigi debent pro votivis praescriptas, quin ob solemnitatem sacrae illius functionis obtinere valeant *Hymnum Angelicum* et *Symbolum.* Id aperte declarat *Instructio* verbis illis : « Saranno meramente votive senza *Gloria* e senza *Credo* ».

18. Hic autem quaeri posset : num haec sanctio praeceptiva sit, ita ut, non repugnante Rubrica, Missae votivae de Sacramento dici omnino debeant : an potius facultativa et in arbitrio sit Celebrantis votivam dicere, vel potius aliam, quae respondet Officio currenti? Dum integrum sanctionis contextum considero, haud agnosco praeceptum, simplicem video permissionem, simplex consilium. Non enim dicit : « Nei giorni dalle Rubriche permessi si celebreranno le Messe meramente votive » : quae dicendi formula secum ferret praeceptum; verum alia utitur, nempe « le Messe del SSmo, che si celebreranno nei giorni permessi dalla Rubrica, saranno ecc. » ; quod idem sonat ac si diceretur : « li Sacerdoti che nei giorni permessi dalla Rubrica vorranno celebrare la Messa votiva del Sagramento ecc. »: unde ponitur in facultate et arbitrio ; et si quis velit ea occasione magis congruere, dum licet, Missam votivam, quod tamen non facile admitterem, cum maxime conveniat, ut Missam cum Officio concordet : attendi etiam debet quod sequitur : « Nelle altre Messe private correnti si aggiungerà l'Orazione del Sagramento »; quae sane generalis expressio sine ulla limitatione aut declaratione comprehendit etiam Missas, quae concordant cum Officio, celebratas in diebus, in quibus per Rubricas etiam Missae votivae permittuntur. Secus enim Instructio pugnaret cum Rubrica, quae licet *Part. 1, tit. 4, num. 3,* permittat Missas votivas « pro arbitrio Sacerdotis quocumque die officium non est duplex », monet tamen : « Id passim non fiat sine rationabili causa : et quoad fieri potest, Missa cum officio conveniat ». Utique rationabilis causa intercedit, dum Oratio Quadraginta Horarum peragitur ; propterea tamen non inducitur obligatio, et adhuc liberum est Sacerdotibus Missas celebrare iuxta Rubricae monitum quae cum Officio concordant.

19. Audiendus Cavalerius, qui *tom. 4, cap. 7, decret. 41, num. 2,* ad ea verba

Instructionis « Nei giorni permessi dalla Rubrica », haec habet: « Hinc edocemur, quod ob Expositionem SSmi Sacramenti licet pro re gravi factam, nulla fit Rubricarum relaxatio super Missis privatis votivis; sed hae adhuc tantummodo dici valent iisdem diebus, quibus a Rubrica minime interdicuntur. Haud tamen denegaverim Expositionem esse satis rationabilem causam, quam Rubrica 4, num. 3, expostulat, ut Missa SSmi Sacramenti in tali circumstantia passim fieri valeat, etsi cum Officio minime conveniat. Quod saltem dictum sit pro iis diebus, quibus fit Officium de Feria, et non est reassumenda Missa Dominicae, quae fuerit impedita: in aliis enim diebus, in quibus Missa propria recurrit, consultius erit incumbere ut plurimum Missae diei, quae, quoad fieri potest, debet cum Officio convenire, ob connexionem plurimam, quae iuxta ordinem ab Ecclesia sapienter praescriptum Missam inter et Officium apparet constituta ». Quamobrem in nostram is venit sententiam quoad Missas votivas; quae, licet rationabilis causa non desit, in facultate sunt, non in praecepto.

20. Possunt ergo in iis diebus, in quibus Officium non est duplex, aeque celebrari Missae votivae ac aliae Officio diei convenientes; quae tamen potestas non fit, dum Officium occurrit duplex aut de Dominica, quemadmodum etiam si incidant Octavae privilegiatae, Feriae et Vigiliae, in quibus Rubrica vetat Missas votivas et de requie celebrari. Solemnitas Expositionis, causa gravis, publicum Ecclesiae bonum legem non solvunt; ideo Missae privatae celebrandae omnino sunt de Officio currenti, cum commemoratione tamen Sacramenti, si hanc ritus admittat: lex tamen de commemoratione huiusmodi praeceptiva est pro Ecclesiis Urbis. Quamobrem *duo* adhuc quaerenda supersunt. *Primum* respicit qualitatem Missae, quae eam patitur: *Secundum* ordinem quoad locum, quem eadem sibi vindicat.

21. Ad primum quod attinet, lex simplex est de absoluta, nullum ponit discrimen, nullam limitationem: « Nelle altre Messe private correnti si aggiugerà l'Orazione del Sagramento ». Verum non ideo sequitur quod indistincte huiusmodi Missae possint commemorationem admittere, sed subintelligitur conditio, quamvis non verbis expressa, dummodo ritus et Officii qualitas id permittant. Etenim *Festa duplicia 1 et 2 classis* huiusmodi commemorationes addi non sinunt, ut iam declaraverat Sacra Rituum Congregatio in una Canonicorum Regularium Lateranensium 2 Decembris 1684; quippe ad Dubium. « An in Missa privata de Sancto duplici, vel semiduplici, de quo tali die fit Officium, facienda sit commemoratio de SSmo Sacramento exposito occasione Quadraginta Horarum », respondit: « Posse, sed omittendam in Festis primae, et secundae classis » (in hac Collectione *num.* 1713, *Dub. 4*). A praesenti decreto, ait Cavalerius tom. 4, cap. 7, decret. 35, num. 1, « dispositio Instructionis limitationem recipit pro Festis 1 et 2 classis ». Verumtamen quoad alios dies non impeditos post editam Instructionem non est amplius in arbitrio Sacerdotum illam addere vel omittere, ut significat dictio *posse,* qua utitur Decretum, sed pro Ecclesiis Urbis est in praecepto: nam positivum mandatum secum fert diversa dictio Instructionis, nempe, *si aggiungerà.* Alibi tamen, quoniam, ut alias notatum est, pro aliis Ecclesiis *Instructio* praeceptiva non est, sed directiva, iuxta diversum Ecclesiarum morem, eadem commemoratio fieri poterit vel omitti, salva semper limitatione quoad duplicia primae vel secundae classis, quatenus obtineat.

22. Limitatio huiusmodi iampridem regulae exceptionem portabat ex Decreto S. Rit. Congr. Siquidem proposito Dubio: « An Oratio *Deus refugium nostrum* etc. quando SSmus eam pro re gravi dicendam iubet, dicenda sit etiam in Festis primae classis? » responsum fuit « non esse dicendam »; et quamvis Decretum loquatur tantum de duplicibus 1 classis, quia de his solummodo Sacra Congregatio rogabatur, ex more tamen insignium Ecclesiarum Urbis debet extendi ad duplicia secundae classis, veluti notat et probat Gavantus (part. 1, tit. 9, num. 16, litt. l ad Rubric. Missal.). Sacra Rituum Congregatio die 28 (verius 7) Augusti omitti decrevit regulariter (dictio haec *regulariter,* non habetur nec in Dubio nec in Rescripto, forte eam adhibuit Cl. Auctor, quia iuxta regulam omitti debet, nisi adeo urgeat necessitas, ut eam Superior praescribat sine ulla limitatione) « praedictam Orationem in Festis primae classis; in aliis vero secundae classis communior usus insigniorum Ecclesiarum urbis est, ut neque dicatur in Missis privatis nedum in solemni, a qua sola excluditur commemoratio de Festo simplici: quae consuetudo mihi placet ». Equidem praefatum Decretum agit de una Oratione

Deus refugium nostrum etc., verum intelligi debet de quacumque Oratione a Superiore praecepta pro re gravi, cui par sit pro singulis ratio, nisi in aliquo casu expresse Superior iubeat, ut etiam duplicia solemniora amplectatur. Quamquam non amplius est dubitandi locus, postquam, ut supra vidimus, Decretum anni 1684, quod circa unam de Sacramento commemorationem versatur, hanc etiam omitti debere in duplicibus 1 et 2 classis declarat. Et adhuc nuperrime die 2 Septembris 1741 in Aquen. ad dubium primum, idipsum confirmatum fuit sequenti responso: « Commemorationem de SSmo Sacramento posse fieri in Missa de Festo duplici, non tamen primae vel secundae classis, declaravit iamdudum Sacra haec Congregatio » (Num. 2365).

23. Numquid autem omnia duplicia primae et secundae classis excipiuntur a regula? Attende Decretorum verba. Non enim in his occurrit dictio tantum *duplicia,* verum alia, *Festa duplicia.* Idcirco limitatur exceptio ad Festa Sanctorum, quae celebrantur sub ritu duplici 1 vel 2 classis, non autem extendenda est ad Dominicas 1 vel 2 classis, quae plures Orationes admittunt, aut ad alia quaecumque Officia privilegiata, quae, licet Ferialia sint, excludunt tamen etiam duplicia 1 classis. Siquidem horum privilegium in eo residet, ut non sint omittenda, etiamsi incidant, cum Festis 1 vel 2 classis, quae propterea sunt transferenda: ceterum quoad ritum illis cedunt et multo inferiori peraguntur: quare sicuti eorumdem Missa plures Orationes et commemorationes admittit, nec respuit collectas ex Superiorum mandato additilias, ita etiam non reiicit illam de SSmo Sacramento, ubi est Orario Quadraginta Horarum.

24. Id verum est; nihilominus addit Cavalerius *loco cit. num. 3:* « Ab hac tamen lege lubentes excipimus Dominicam Palmarum atque Vigiliam Pentecostes, non ob privilegium contra Festa quaecumque, sed quia earum Missa per Rubricas adeo donata est privilegio unicae Orationis, ut etiam occurrentium simplicium commemorationem expellat, non leve utique argumentum pro exclusione commemorationum aliarum omnium arbitrariarum et de mandato, ac per consequens etiam illius de SSmo Sacramento ». Auctoris sententia fines privatae opinionis non excedit, etiamsi valida innitatur ratione: modo tamen robur acquirit et certa evadit, postquam Sacra Rituum Congregatio omnem quaestionem solvit. Etenim in Aquen. 3 Martii 1761, proposito Dubio: « In Missa Vigiliae Nativitatis haec verba, quae post collectam leguntur: *et dicitur haec Oratio tantum;* excluduntne Orationes a Superiore praeceptas, v. g. pro pace, pro aeris serenitate etc.? » Sacra Rituum Congregatio respondit: « In Missa Vigiliae Nativitatis debent omitti Orationes a Superiore praeceptae, v. gr. pro pace, pro aeris serenitate » (Num. 2461, ad dubium secundum). Ob paritatem rationis Decretum comprehendit etiam Dominicam Palmarum ac Vigiliam Pentecosten; in quibus proinde, ut in Vigilia Nativitatis, commemoratio SSmi Sacramenti omitti debet. Excipiuntur tamen Missae solemnes Expositionis et Repositionis ex altera Instructionis regula, ut supra vidimus.

25. Ad alteram quaestionem quod attinet de ordine et loco, quem praecepta commemoratio SSmi Sacramenti sibi vindicat, clara est sanctionis regula, quae iubet eam addi « dopo le prescritte dalle Rubriche ». Sacra Rituum Congregatio interrogata: An collecta SSmi Sacramenti in Expositione Quadraginta Horarum, vel quando dicitur in omnibus tertiis Dominicis mensis, dici debeat primo loco post Orationem Missae currentis, vel ultimo loco post Orationes? probe distinguens inter Missam solemnem et privatas, servandam esse Instructionem Clementinam edixit; ac propterea quoad privatas ordinem a Rubrica *titul. de commemorationibus* § *5* praescriptum; ubi dicitur quod *Orationes assignatae dicantur ante Orationes votivas;* ut enim ait Gavantus ad hunc Rubricae locum: « Praecedunt quaecumque Orationes, quae ab Ecclesia certum habent locum ». Quod autem disponit Rubrica de Orationibus votivis, idipsum obtinet quoad Orationes de mandato Superiorum addendas, quae nihil commune habent cum Officio et Missa diei. Quae tamen ratio non valet in nostro casu quoad Missas solemnes, tum quia Pontifex ob publicam Ecclesiae causam aliter iubet, regulae derogando, tum quia Missa solemnis de die succedit loco votivae, quae celebranda foret, nisi qualitas Officii currentis obstaret.

26. Quamobrem in Missis privatis prius legendae erunt nedum commemorationes Dominicae, Octavarum, Vigiliarum, Simplicium, siquae occurrunt, sed etiam, quae iuxta temporum contingentiam a Rubricis demandantur, licet in arbitrio sit Sacerdotis unam potius, quam aliam ex praescriptis

seligere : deinde vero ultimo loco illa de SSmo Sacramento. Siquidem commemorationes sive taxative sive ad Sacerdotis libitum, ut supra, praescriptae, pertinent ad Missam diei, hinc primum ac nobiliorem locum assequi debent relate ad commemorationem Sacramenti, quae est addititia ; et quamquam ex mandato non omittenda, non pertinet ad Officium diei, nec subrogari potest alteri a Rubrica praescriptae et ne tertiae quidem, quae quandoque ad libitum assignatur. Sacra Rituum Congregatio aperte declaravit in una Bergomen. sub die 17 Augusti 1709 in responsione ad dubium secundum : per modum praecepti et obligationis, loco tertiae Orationis ad libitum, substitui non posse Orationem de Superiorum mandato et hanc legendam esse post illam (Num. 2198).

27. Sciscitatur Cavalerius curnam Collecta a Superiore praescripta nequeat dici loco alterius ad libitum? et dubium solvit, rationem afferens, quia « tam demandata, quam quae iuxta Rubricas est ad libitum, sunt in praecepto: unde neutra omitti potest. Quae enim ad libitum dicitur, non ita ad libitum est, ut pro placito recitari aut omitti queat, sed solum quia unam potius quam aliam ad arbitrium Sacerdos potest dicere : arbitrium quidem ferri potest in Orationem quamlibet, unde absolute etiam in Orationem, quae demandari contigerit. Sed hoc ipso, quod demandata est, in eamdem amplius ferri nequit, quia statim haec intelligitur in praecepto; et est demandata ultra praescriptas per Rubricam, quas inter enumeratur etiam tertia ab libitum» (tom. 2, cap. 11, decret. 2, num. 9).

28. Ne tamen nimis hanc regulam extendas, amandans commemorationem Sacramenti post Orationes omnes ad libitum : non enim omnes Orationes ad libitum sunt in praecepto. Ait Rubrica, *part 1, tit. 9, § 12:* « In Festis simplicibus et Feriis per annum, nisi aliter in locis propriis notetur, dicuntur tres, ut in semiduplicibus, aut quinque; possunt etiam septem ad libitum». Siquidem haec Rubrica partim praeceptiva est, partim facultativa ; praeceptum imponit quoad tres Orationes, in arbitrio et facultate Sacerdotis relinquit alias addere usque ad septem. Cum autem Instructio ponat commemorationem Sacramenti *dopo le prescritte dalla Rubrica,* non aliter intelligenda est, quam de iis, quae sunt in praecepto quamvis Sacerdos pro tertia possit quam mavult seligere. Quod si is pro sua devotione velit et alias addere, haud poterit postremo illam dicere de Sacramento, quae ponenda erit immediate post tertiam; et prima erit inter illas, quae sunt ad libitum Sacerdotis ; et proinde dici possunt vel omitti. Quod si e Superiorum mandato alia sit addenda Oratio, illa de Sacramento antecellit : primumque occupare locum debet post praescriptas a Rubrica, quemadmodum iubet Instructio verbis illis *dopo le prescritte dalla Rubrica.*

29. Numquid vero eaedem servandae sunt regulae in Missis solemnibus? Discrimine est opus. Locum habere nequeunt in Ecclesiis Urbis, pro quibus in praecepto est Missa votiva de Sacramento in diebus Expositionis et Repositionis ; et quamvis alia in eius locum succedat in diebus exceptis, eiusdem commemoratio fieri praecipitur sub unica conclusione, ut supra notatum est *ad § 12.* Quod si sermo transferatur ad alias Ecclesias extra Urbem, pariter distinguendum est. Aut agitur de Ecclesiis, in quibus fit Expositio pro Oratione Quadraginta Horarum, et hae regulas servant ab Instructione praescriptas ; et per has satis provisum est : aut tam in eadem, quam in aliis solemnibus Expositionibus diversam tenent rationem quoad Missas solemnes, celebrando coram Sacramento semper Missam de die cum eiusdem commemoratione; et hoc in casu eadem methodus servanda est quae in Missis privatis ; solummodo in hoc diversificat, quod in duplicibus 1 et 2 classis commemoratio Sacramenti omittitur quoad Missas privatas, quoad solemnes vero dicitur sub unica conclusione.

30. Decidendi rationem praebent duo Sacrae Rituum Congregationis Decreta. Unum est in Brugen. diei 23 Iunii 1736, ad dubium primum; alterum in Mechlinien. diei 16 Februarii 1737, ad dubium primum. Dubium erat tam pro parte Episcopi et Capituli Ecclesiae Brugen., quam pro parte Cardinalis de Alsatia Archiepiscopi Mechlinien.: « An, dum Missa cantatur coram Venerabili Sacramento in Altari exposito, debeat fieri commemoratio de Venerabili ante omnes alias commemorationes ; an post omnes Orationes de praecepto dicendas? Item, an eadem commemoratio possit vel fieri debeat in Festis 1 vel 2 classis ? » Et utrique responsum fuit : « Esse faciendam commemorationem de Sacramento post alias omnes Orationes de praecepto ; et in Missis solemnibus celebrandis in Festis 1 et 2 classis esse eamdem commemoratio-

nem faciendam sub unica conclusione » (Num. 2323 et 2327). Corrigendus est Cavalerius, qui *tom. 4, cap. 7, decret. 37 et 38,* refert haec duo Decreta ac si essent dispositione diversa, cum revera iidem identicis verbis constent.

31. Quaerit Cavalerius curnam haec duo Decreta commemorationem SSmi Sacramenti ad ultimum locum amandent; et in solis duplicibus 1 et 2 classis eam collocent post Orationem diei sub unica conclusione; quandoquidem *Clementina Instructio* nedum in Festis 1 et 2 classis, sed etiam in Dominicis et Feriis privilegiatis iubeat eamdem coniungi cum Oratione diei? Recte habet, quia *Clementima Instructio* agit de Expositione Quadraginta Horarum pro publico Ecclesiae bono in Urbe peragenda: hinc iubet, Missam votivam pro re gravi, quae si dici nequeat, repugnante Rubrica aut eiusdem Instructionis regula, vult saltem, ut non depereat commemoratio, quae ad salvandam unitatem coniungenda est Orationi diei. Et haec est causa ob quam nedum in Festis 1 et 2 classis, sed in diebus omnibus etiam Ferialibus, quae Missam votivam de Sacramento non admittunt, eiusdem commemoratio sub eadem conclusione cum Oratione diei terminanda decernitur. Haud proinde dubitarem quod, non obstantibus praefatis Decretis, eadem servanda esset regula etiam extra Urbem quoad Ecclesias, quae methodum servant ab Instructione praescriptam; et in aliis solemnibus Expositionibus, dummodo vere concurrunt causa gravis et publicum Ecclesiae bonum; iuxta ea quae alibi dicta sunt.

32. Verum duo illa Decreta supra relata non disponunt de Sacramento exposito aut pro Oratione Quadraginta Horarum, aut pro re gravi; supponunt insuper Missam semper esse de die; quamobrem cum commemoratio Sacramenti non succedat loco Missae votivae pro se gravi; bene stat, ut postremum locum obtineat tamquam additilia post Orationes de praecepto, etiam in Dominicis et Feriis privilegiatis, quae plures Orationes admittunt. In Festis vero duplicibus 1 et 2 classis ideo decernitur, ut eadem commemoratio coniungatur Orationi diei, quia huiusmodi Festa unicam tantum habere debent Orationem, saltem in Missa solemni; quae, etiamsi sit dupl. 2 classis, respuit tamen commemorationem simplicis, quae tantum fit in Missis privatis. Quod si Festum 1 vel 2 Classis cadat in Dominica, de qua omittenda nunquam est commemoratio, Oratio de Sacramento erit coniungenda cum Oratione Dominicae, salva tamen regula Instructionis quoad Ecclesias Urbis, ut supra notatum est ad § *12*.

33. Tandem, ut ad privatas Missas redeamus, duo adhuc quaerenda sunt. Primum: num haec admittere debeant commemorationem SSmi Sacramenti publice expositi, sed non pro Oratione Quadraginta Horarum? *Posse fieri* respondit S. R. C., sed non in Festis 1 vel 2 classis, ut supra notatum est: unde patet id relinqui in arbitrio Celebrantis, cum dictio *posse* facultativa sit, non praeceptiva. Imo et facultas extenditur etiam ad Expositiones cum Pyxide velata, si hae fiant pro gravi causa et publico Ecclesiae bono. Quamobrem si expositio Sacramenti in Pyxide fiat ob causam privatam, puta ob infirmitatem, aut tribulationem alicuius privatae personae, facienda non erit commemoratio: bene vero, si expositio fiat pro publica causa. Addam ego nec faciendam esse, etiamsi Sacramentum exponatur cum Ostensorio, sed velato sub umbella ex causa privata. Eadem quippe occurrit ratio, si ad faciendam commemorationem intercedat oportet causa publica.

34. Alterum est quod, etiamsi celebretur Missa de die sub ritu duplici, non est adiiciendum *Symbolum* ratione solemnis Expositionis Quadraginta Horarum. De Missis votivis clara est Instructionis regula, quae iubet, ut celebrentur sine *Gloria* et sine *Credo:* quoad alias Missas currentes urget Decretum in una Canonicorum Regularium Lateranensium diei 2 Decembris 1684 ad dubium tertium. Dubium erat: « Praescribit Rubrica Missalis dicendum *Credo* in Missis votivis, quae pro re gravi aut publica Ecclesiae causa celebrantur: propterea quaeritur: an dicendum sit in Missis privatis tam de Sacramento, quam de Sancto duplici (cui aliter non competit), quae celebrantur in Ecclesiis, ubi adest SSmum Sacramentum expositum occasione Quadraginta Horarum? » Et absolute responsum fuit *Negative* (Num. 1743). Nam si ob solemnitatem expositionis ob gravem causam et publicum Ecclesiae bonum haud licet adiicere *Hymnum Angelicum* et *Symbolum* Missis votivis privatis de Sacramento, multo itaque minus id poterit in Missis propriis Officio respondentibus, quae propterea dicendae erunt eodem prorsus ritu et modo, ac si non esset expositum Sacramentum, solummodo addita commemoratione de eodem.

§ XVIII.

« Il Celebrante, dovendo portare il San- « tissimo in Processione, sarà vestito con « piviale bianco, quando non abbia cele- « brato con paramenti di altro colore; chè « in tal caso continuerà il colore della Mes- « sa; il velo umerale però sarà di color « bianco in qualsivoglia caso che debba por- « tarsi il Sagramento, anche nel Venerdì « Santo; e li paramenti dei Ministri sacri « saranno del colore di quelli del Celebran- « te, come sopra. Parimenti il Pallio del- « l'Altare, dove sta l'Esposizione, sarà « sempre di color bianco, benchè la Messa « solenne ivi si celebri in altro colore; « come pure il baldacchino per la Proces- « sione deve essere del medesimo color « bianco ».

1. Ex quatuor coloribus (nam ater, qui est quintus, cum violaceo confunditur), quibus, ex Ecclesiae instituto, utimur in Sacramentis administrandis, in sacris celebrandis Mysteriis, in aliis ecclesiasticis functionibus peragendis, albus ille est, qui proprie convenit Eucharistiae. Idcirco iubet Instructio quod: *Il Celebrante, dovendo portare il SSño in processione, sarà vestito con piviale bianco.* Huiusmodi enim color, ut verbis utar Gavanti ad Rubricas Missalis part. 1, tit. 18, significat gloriam, gaudium et innocentiam..... adde vestem coenatoriam Christi fuisse albi coloris. Ideo maxime decet ut iste adhibeatur in Expositione SSñi Sacramenti et dum supplicatio instituitur ad illud solemniter circumferendum, quoad ea praesertim, quae eidem immediate et unice inserviunt.

2. Haec tamen regula suas patitur limitationes. Obtinet quidem, si in Altari Expositionis celebrata sit Missa votiva de SSño Sacramento, vel alia de die, quae requirat colorem album. Nam si in Missa, prout Officii qualitas exigit, adhibita fuerint paramenta coloris rubei, vel etiam violacei, haec non erunt varianda, sed pluviale eiusdem coloris erit assumendum. Servandum id est in aliis etiam Expositionibus vel Repositionibus, quae per annum fiunt, praecedente Missa. Item si instituenda sit Processio post Vesperas, non sunt assumenda paramenta alterius coloris, sed sacra actio continuari debet cum paramentis respondentibus Vesperis; nisi tamen interrupta sit actio, ut infra magis idoneo loco videbimus. Non semel evenit, ut eadam ecclesiastica functio alium ab initio, alium in fine colorem exigat; et cum conveniens non sit, certe vero valde incommodum, functionem ipsam interrumpere vel retardare ad effectum mutandi colorem, Ecclesia in usum habet eum colorem seligere et per totam functionem adhibere, qui congruit ei Festivitati, quae principalem sibi vindicat considerationem. Sic quando dividuntur Vesperae cum sequenti Officio, quod diversum colorem exigit, huius colorem etiam adhibet in Vesperarum initio, etsi non congruat Sancto, de quo illae dicuntur; et in Feria sexta in Parasceve Processionem ipsam Sacramenti continuat in colore Missae, etsi niger sit minus conveniens S. Eucharistiae, quae per Processionem defertur. Quidni igitur casu nostro continuari debebit color Missae aut Vesperarum, cum quibus consequens Processio, tamquam quid accessorium, non minus functionem integrat? Hanc itidem sequuntur regulam paramenta Ministrorum, quae iis Celebrantis conformia omnis exposcit ratio. Ita Cavalerius ad hunc locum num. 1.

3. Sciscitari hic posse videtur num exceptio illa: *quando non abbia celebrato con paramenti di altro colore, chè in tal caso continuerà il colore della Messa,* praeceptiva sit, vel tantum directiva? Si meum expromere sensum licet, eam directivam dicerem. Ideo enim hunc casum excipit Instructio, non quia id velint Rubricarum leges aut Sacrae Congregationis Decreta, sive quia ullam deformitatem secumferat mutatio paramentorum; sed potius ut avertat incommodum et ne sacra interrumpatur aut retardetur actio. Verum haec extrinseca sunt, neque ad ritum essentialiter pertinent. Quamobrem, licet existimem satius esse obtemperare Instructioni, haud tamen eos damnare auderem, qui secus agerent. Me recreat Sacra Rituum Congregatio, quae idem mecum sentire videtur. Equidem in una Ordinis Carmelitarum excalceatorum Provinciae Poloniae 29 Ianuarii 1752 quoad Missam celebrandam convenit cum Instructione, respondens dubio 3: « In Altari, ubi est publice expositum SSñum Sacramentum, si celebratur Missa diei, celebrari debet cum paramentis Festo seu Officio convenientibus » (Num. 2417). Quoad Processionem vero, quae immediate sequitur, utitur verbo facultativo *Posse.* Ita in Taggen. 9 Iulii 1678, ad dubium 6: « An in tertia Dominica mensis, in qua iuxta statuta et consuetudinem Societatis Corporis Christi fit Processio, cantata Missa solemni de Do-

minica cum commemoratione SSmi Sacramenti, Celebrans et Ministri debeant uti paramentis coloris dictae Missae convenientis, non obstante quod sit violacei, ut in Quadragesima et Adventu; et solum uti velo super humeros albo? an vero post Missam exui violaceo, et albi coloris Sacramento convenientis indui; et ita in albis Processionem facere? respondit: « Quando in proposito casu cantatur Missa de Dominica cum commemoratione Sacramenti, Celebrantem et Ministros uti debere paramentis dictae Missae coloris convenientis; et etiam *posse* in Processione, sed albo utendum super humeros velo » (Num. **1615**). Iuxta hoc Decretum in Processione illico facienda post Missam possunt quidem, sed non omnino debent adhiberi paramenta coloris Missae convenientis; at procul dubio deberent, si id sacrae illi actioni esset essentiale. Idcirco, ut mihi videtur, si fieri possit paramentorum mutatio sine incommodo, sine populi offensione, id non erit illicitum: fit namque in solemni Festo Purificationis B. M. V.; quippe expleta Processione post Candelarum benedictionem, tantisper Celebrans et Ministri secedunt, et depositis indumentis violaceis, induunt paramenta coloris albi, quae Missae diei conveniunt.

4. Quod si id non esse videtur illicitum, etiamsi Celebrans et Ministri non recedant ab Altari, sed ad abacum paramenta deponant, ut albis induantur, faciendum omnino esse videtur, si Processionem ad Sacramentum exponendum instituat non Celebrans, sed eo dignior aliquis, videlicet Cardinalis aut Episcopus. Hoc enim in casu secedere debent Celebrans et Ministri, illucque accedere Cardinalis aut Episcopus: et cum una ab altera actione tamquam separata censenda sit, facile patet varianda esse indumenta; et in Processione ac Expositione vel Repositione adhibenda coloris, quae sacrae illi actioni magis conveniunt, non quae Missae ab alio celebratae sunt propria. Quod item fieri debet, si celebrentur Vesperae, dum in Altari expositum est Sacramentum cum paramentis respondentibus Officio currenti, ut in Ecclesiis insignioribus accidit per Octavam SSmi Corporis Christi et, recedente Celebrante, is iterum revertatur, expleto Completorio, ut benedictionem cum Sacramento populo impertiatur. Etenim cum duae sint actiones distinctae, pluviale pro benedictione erit coloris albi, quamvis in Vesperis paramenta fuerint alterius coloris, prout exigebat Officii qualitas.

5. Ad quaestionem omnem dirimendam satis superque esset laudabilis et rationabilis consuetudo Ecclesiarum Urbis; verum accedit novissimum S. R. C. Decretum, in una Toletana sub die 20 Septembris 1806. Casus propositus sequens erat: In Ecclesia Clericorum Regularium Minorum Matriti a die Ascensionis ad Pentecosten solemne decemdium celebrabatur cum Vesperis et Concione coram Sacramento exposito: mox, recitatis precibus, adstantibus Religiosis viris superpelliceo indutis et cum candelis accensis, fiebat SSmi Sacramenti reservatio (idem est ac repositio, quia iuxta regionis morem in Hispaniarum Regnis fit sine benedictione): orta est controversia de colore adhibendo in paramentis sacris pro huiusmodi reservatione, aliis opinantibus pro colore albo, aliis pro colore Officio diei respondente, aliis insistentibus pro colore petito a Festo Pentecosten, in cuius praeparationem celebrabatur decemdium. Hanc controversiam S. R. C. sequenti rescripto composuit: « quatenus Sacerdos, qui Vesperas paratus celebravit, non recedat ab Altari et assistat cum concioni tum precibus; Reservationem faciendam esse cum paramentis coloris respondentis Officio diei et velo humerali coloris albi, si illud adhibeatur: quatenus vero recedat et Reservatio habeatur tamquam functio omnino separata et distincta ab Officio Vesperarum, utendum esse paramentis coloris albi » (Num. **2562**). Itaque concludam, quod si separentur actiones, albus color adhibendus erit; si Missae immediate succedat Processio, quin Sacerdos cum Ministris ab Altari recedat, aequum est ut servetur Instructionis regula. Quod si secus fiat et tantisper recedant omnes, ut alba paramenta sumant, eos damnare non auderem. Neque obstat, quod Feria VI in Parasceve nigra Casula utatur Celebrans in Processione; nam ita praescribit Rubrica, exigit luctuosa memoria Passionis et mortis Redemptoris; ac praeterea, quod magis est, Processio intersecat Officium diei, nec ullo modo ab eo dividi potest et tamquam actio distincta haberi. Quae rationes non concurrunt in Expositione vel Repositione facienda, expleta Missa; haec et Processio tamquam actiones distinctae haberi possunt, ideoque non dedecet quod Processionem instruat alter ab eo diversus, qui Missam celebravit.

6. Quatenus vero adhibeantur paramenta

coloris convenientis Officio et non albi, ut monet *Instructio,* color tamen veli humeralis indiscriminatim erit albus, quia nihil habet commune cum Missa et unice Sacramento inservit ; qua potissimum de causa Feria VI in Parasceve licet omnia, quae ad Officium illius diei pertinent, luctuosa et lugubria sint, velo tamen albi coloris Sacerdos, qui Sacramentum defert, uti debet. Idem dicendum, quia eadem militat ratio de baldachino hastato in Processione adhibendo, veluti praesens sanctio iubet.

7. Quamquam Officium diei (vel celebretur Missa coram Sacramento, vel peragantur Vesperae, ut in omnibus fere Patriarchalibus , Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis in more est per octiduum Festivitatis SSmi Corporis Christi) requirat colorem ab albo diversum, pallium tamen Altaris, in quo expositum est Sacramentum, semper esse debet coloris albi, qui magis eidem convenit. Quod cum certum sit ex Instructionis praecepto, quoad Expositionem Quadraginta Horarum, ex aequitate et identitate rationis ad Expositiones omnes, etsi minus solemnes, trahi debet. Excitat tamen dubium Cavalerius de pallio adhibendo in Missa, quae solemniter celebratur, non coram Sacramento iam exposito, sed pro eo exponendo, si celebranda sit Missa de die, quae diversi coloris exigat paramenta. In hac enim Missa Sacramentum non est publice expositum, quin imo ante Consecrationem nec est in Altari ; et post Consecrationem latet super Altaris mensa : perinde quasi ac lateat Sacramentum ipsum, quod in Missa consumitur, aut populo distribuitur , vel absque ulla expositione intra Tabernaculum recluditur : et quoniam *Instructio* utitur dictione , *dove sta l'Esposizione,* legem dixisse censet de pallio Altaris, in quo expositum est, non autem in quo exponendum est Sacramentum ; suggillat proinde Pittonium, quem in *decisionibus pro sacris ritibus num. 1578,* perperam latine vertisse putat ea verba, *ubi fit expositio,* cum vertenda essent *ubi est expositio.* Mihi autem inanis haec videtur quaestio et querela indebita; quippe Pittonius sensum et mentem Instructionis potius attendit, quam materialiter verba. In ea enim sanctione de Processione praesertim agit pro Sacramento exponendo, nam de altera pro repositione tractat inferius § 30; ubi in pluribus se refert ad ea, quae supra notata fuerant de prima *dopo la Messa dell'Esposizione:* hinc patet verba illa *dove sta l'esposizione,* non materialiter accipienda esse et divisim a contextu, sed ad sensum et iuxta relationes, quas inter se habent diversae Instructionis partes, ita ut reddunt *Pallium Altaris destinati pro Expositione debere esse album ubi facienda est expositio, ubi fieri debet expositio ;* non autem, ut vult Cavalerius, *ubi est expositio.*

8. Et revera idem Cavalerius fatetur, quod, « etsi Pittonii verba non rite fortasse stent ad latinitatis leges, legitimum tamen sortiri valent sensum ; et est, quod Altare, in quo facienda est expositio, paratum esse debet pallio coloris albi ». Nihilominus, ne suam sententiam omnino deserere videatur, arbitrariam distinctionem proponit : « Distinguendum itaque nos esse credimus : et quatenus expositio fiat immediate post Missam, etiam sub praecedenti Missa pallium erit album, quale esse debet in Altari, in quo expositum est vel exponitur Sacramentum : valde enim dedecet, quod , Sacramento existente in Altari, removeatur pallium Missae ; ut subrogetur album pro expositione facienda. Si vero immediate post Missam facienda non sit Expositio, sed Processio intermediari debeat, ad Missam forsan pallium esse poterit, quale exquirit eiusdem Missae qualitas, sed indubie amovendum erit dum fit Processio cum appositione albi, ut in Processionis reditu Altare apte paratum sit pro Expositione SSmi Sacramenti in eo facienda ; moris instar, qui servatur die 2 Februarii, in qua ad benedictionem Candelarum in usu est pallium violaceum, quod tamen amovetur dum fit Processio, ut appareat album pro Missa.

9. Sed quoniam nequit non agnoscere, quod haec sua distinctio aperte pugnet cum *Instructione,* eam omnino non deserit, verum vel invitus cogitur ad eam sententiam reverti, quam in Pittonio reprobaverat. Hinc concludit : « Dixi *forsitan,* quia si Instructionis verba excogitentur serio, etiam sub praecedenti Missa exposcunt pallium album ; agunt enim de Missa, ad quam non sequitur Expositio Sacramenti, nisi Processione media, et adhuc sine distinctione ulla, quam ceteroqui faciunt de paramentis aliis, dum assignant pallium album. Haec autem potest esse ratio, quod immediate post Missam nihilominus Expositio incipit : (Melius forte ante Missae finem, dum post sumptionem Diaconus collocat Ostensorium in medio Altaris) « dum statim super Altare Sacramentum solemniter expo-

nitur detectum, licet nonnisi Processione intermedia exponatur in Throno; ex quo apparet ratio discriminis ad id quod dicebatur de die 2 Februarii ». Sed non una ratio est, quam ipse dubitantis more proponit, verum etiam et altera; quia licet Missa non sit votiva de Sacramento, sed respondeat Officio diei, nihilominus est aliquo modo connexa cum expositione facienda, si in ea consecrari debet Hostia in Ostensorio collocanda. Praeterea nec dici potest, quod expositio incipiat post Missam; nam actus necessario praeparatorius ad ipsam actionem pertinet; et collocatio Ostensorii in medio Altaris, quae fit immediate ante ablutionem, censeri potest tamquam inchoata expositio, quamquam sequatur Processio, priusquam in Throno collocetur.

10. Pertinent haec ad Altare maius, in quo Expositio fieri debet; sed *Instructionis* regula trahi nequit ad alia Altaria minora. In his enim adhibenda sunt pallia, quae respondent colori convenienti Officio diei, non Missae ab eo diversae, quae forsan celebratur, dum licet. Forte enim Officium viridem, purpureum, violaceum exigit colorem; sed talis est eiusdem ritus, ut non impediat celebrationem Missae votivae cum paramentis albis: hinc, quamvis Sacerdos ratione Missae votivae utatur Stola, Manipulo, Casula albi coloris, pallium tamen Altaris erit coloris convenientis Officio diei. Quae tamen regula fallit in Missis Conventualibus et solemnibus, quae extra Altare Expositionis cantantur. His enim de congruo Auctores omnes assignant Pallium conforme colori paramentorum Missae, non Officii.

11. Quae hactenus dicta sunt locum obtinent non solum in Expositione Quadraginta Horarum, verum etiam in aliis quibuscumque Expositionibus: imo Cavalerius ad hunc locum num. 4, existimat extendi etiam rite posse ad expositionem privatam, scilicet cum Ostensorio velato. At ego crederem nedum posse, sed omnino debere, quoties Sacramentum in Throno aut detectum aut velatum collocatur; et solummodo regulam non urgere, si Pyxis velata patefiat, aperto Tabernaculi Ostiolo.

§ XIX.

« Terminata la Messa solenne per l'Esposizione il Celebrante e li Ministri, fatte le dovute riverenze al Sacramento, si ritireranno fuori del corno dell' Epistola, « dove il Celebrante, come pure li Ministri, « deporrà il Manipolo e, levata la Pianeta, « prenderà il piviale, porrà ivi l'incenso « in due Turibuli, senza benedirlo, e dopo « con li Ministri genuflessi nel mezzo in« censerà tre volte il SSmo: sul fine della « Processsione (la quale si principierà antici« patamente, fatta l'elevazione del SSmo, « o prima, secondo che sarà più o meno « numerosa) il Diacono in tempo congruo, « fatta la genuflessione sopra la predella, « prenderà il Sacramento, e stando in piedi, « lo consegnerà al Celebrante genuflesso: « genuflettendo immediatamente esso Dia« cono, lo prenderà il Celebrante, rico« perte le mani dall'estremità del velo « umerale, e si alzerà. Principiandosi poi « da' Cantori l'Inno *Pange lingua etc.*, s'in« camminerà sotto il baldacchino recitando « con voce sommessa Salmi ed Inni insieme « con li Ministri, i quali eleveranno le fim« brie del piviale ».

1. Plura sunt, quae in hac sanctionis parte indigent illustratione. Quaedam etiam supplenda sunt, quae utpote a generalibus Rubricis ordinata, nostra Instructio praeterit: sed quia nobis proposuimus cuncta in unum colligere, quae ad rem pertinent, et haec etiam breviter hic adnotare visum est opportunum. Itaque Missa solemnis, quae cantatur pro SSmi Sacramenti Expositione, quamvis exigenda sit ad normam Rubricarum et usque ad Consecrationem, nihil proprium habeat, per quod differat ab aliis Missis aeque solemnibus (si excipias commemorationem Sacramenti, dum non licet votivam de eo celebrari): a Consecratione tamen usque ad finem, aliqua sunt eidem peculiaria et propria, quarum heic loci habenda ratio est.

2. Itaque duo offerri et consecrari debent Hostiae a Celebrante, quarum altera tantum elevetur pro consummando Sacrificio, ut moris est; altera relinquatur super Corporale lateraliter, a sinistra scilicet Celebrantis pro expositione facienda. Ceterae usque ad sacri Sanguinis sumptionem iuxta solitum servari debent. Hausto Christi Sanguine, dum Celebrans pausillum meditantis more consistit, ad Altare defertur Ostensorium parvo velo obductum, vel a Caeremoniario, quod magis convenit, vel a Subdiacono per gradus laterales Epistolae, facta debita genuflexione tam in recessu, quam in accessu, unico tamen genu: locatur Ostensorium a cornu Epistolae prope quidem, sed extra Corporale et, quo erat

coopertum, movetur velum. Deinde, facta iterum genuflexione, accedet Subdiaconus ab librum, ubi iterum genuflectit, cedens in transitu gradum superiorem Diacono, qui tum accedens ad dexteram celebrantis, genuflectit pariter in accessu et recessu, moxque Diaconus ponit Calicem palla coopertum ad laevam, sed non extra Corporale ; in medio vero collocat Ostensorium ea in parte apertum, ubi lunula cum Sacra Hostia est collocanda : statimque Celebrans, facta cum Sacris Ministris genuflexione, adaptat propria manu Sacram Hostiam in lunula, ac in medio collocat radiantis Spherae adiuvante eodem Diacono, qui ostensorium claudit ac spinula firmat, ne aperiri possit. Ostensorio a Diacono in medio corporalis reverenter posito, Celebrans ac Ministri genuflectunt, deinde Sacerdos sumit purificationem et Missam prosequitur more solito, iis tamen caeremoniis servatis, quae sunt a Rubricis praescriptae in Missa celebrata coram Sacramento ut luculentius advertendum erit, ubi de Missa pro Sacramenti repositione agemus.

3. Dum Sacerdos cum Ministris pergit ad Altare Missam solemnem celebraturus, satis est, ut sex ardeant candelae ; nondum enim ibi adest Sacramentum publicae venerationi expositum. Alia accenduntur postea luminaria ; quod opportune fit immediate post elevationem, ut omnia accensa sint, dum collocatur Sacramentum in Ostensorio, et spectandum ponitur super corporale in medio Altaris. Cavalerius ad § 20 huius Instructionis num. 1, varium Ecclesiarum morem dicit : « proxime post elevationem nonnullae id praestant Ecclesiae, aliae ante finem Missae »; et postremum hunc morem ipse probat, « quia sufficit et exigitur, priusquam ab Ostensorio, finita Missa, per Diaconum auferatur velum , omnes habeantur ardentes ». Ei adhaeret Tetamus ad hunc locum. Ambo in hanc veniunt sententiam, quia arbitrantur tegendum esse velo Ostensorium, a Diacono solummodo removendo, expleta Missa, dum tempus instat illud in Processione circumferendi. Sed quoniam non mihi videtur velandum esse Sacramentum, sed inchoatam expositionem arbitror, simul ac Ostensorium cum Sacra Hostia in medio Altaris collocatur ; hinc magis congruere existimo, quod post elevationem Acolythi incipiant candelas accendere ; et etiam ante, si opus fuerit, ita ut circa sumptionem aeque omnes ardeant.

4. Verba afferenda sunt Cavalerii, unde rationes patent, quibus ille suam de Sacramento velando opinionem tuetur. Ait enim *ad hunc locum num. 3:* « Dum perficitur Missa, an Ostensorium sit velandum, novissime Romae consultus extitit quidam in sacris ritibus peritissimus, qui non esse velandum ex eo censuit, quod de hoc velo ne minimum quidem habetur verbum in praedicta Instructione. Pusilla nobis apparet ratio huiusmodi, ut ex eadem nos magis eruamus oppositum ; quae enim Instructio particulariter non notat, Rubricarum dispositioni relicta censentur ; quare cum Rituale Romanum tit. de Processione in Festo SSmi Corporis Christi, in casu omnino simili de Ostensorio habeat : « Veloque operiatur, donec auferatur ab Altari », velandum nos esse credimus cum Baruffaldo, qui rationem affert, ne, dum reliquae Missae peraguntur, Sacramentum indebite appareat collocatum extra baldachinum ». Verum, si recte omnia pensentur, apparebit Romanum in sacris ritibus peritissimum bene respondisse quaesito ; Cavalerium autem nimis propriae opinionis fuisse tenacem ; et perperam petiisse decidendi rationem a Rituali Romano, quod vix, ac ne vix quidem locum habet in Processione Corporis Christi.

5. Equidem non inficior claram esse eiusdem Ritualis Rubricam praecipientem velo cooperiri Ostensorium, donec auferatur ab Altari. Cohaerenter ad eam idem docent Bauldry in Manuali sacrarum caeremoniarum part. 4, cap. 16, art. 3, num. 1 et 2. Catalanus ad dictum Ritualis titulum § 2, num. 5, ac, ut ceteros praetercam, Baruffaldus a Cavalerio laudatus. Sed Rubrica haec loquitur de solemni Missa celebranda in die festo SSmi Corporis Christi, in qua consecratur Hostia collocanda in Ostensorio pro instruenda Processione ; et ad hanc digitum intendunt Scriptores omnes, qui de hac re pertractarunt. Verum iidem ne memorant quidem Expositionem Quadraginta Horarum, neque erat ibi locus de ea agendi : quod si fecissent, longe secus existimassent. Et revera P. Meratus opportune distinguit. Nam pertractans *part. 4, tit. 12, § VI, num. 12,* de Processione in Festo SSmi Corporis Christi, ait, « quod Celebrans posita Sacra Hostia in Ostensorio, istud, adiuvante Diacono, statim claudit et in medio corporalis reverenter collocat, veloque suo cooperit ; expleta Missa assumptoque pluviali loco Casulae, revertitur cum Ministris ad Altare, ac genuflectit, dum a Dia-

cono aufertur velum album ab Ostensorio ». Alibi vero scilicet *part. 2, tit. 14, num. 3,* agens de caeremoniis servandis in Missa pro Expositione Quadraginta Horarum, easdem caeremonias totidem fere verbis enumerat, nec tamen operitionem et detectionem Ostensorii commemorat; diversas hinc adhibet formulas videlicet, « adaptat...... Sacram Hostiam in lunula, quae est in medio praedicti Ostensorii, adiuvante eodem Diacono; qui illud statim claudit et in medio corporalis postea collocat reverenter; statim ac Celebrans indutus erit pluviali, medius inter praefatos Ministros accedet ad planum Presbyterii..... ascendet ad secundum gradum, et in ora suppedanei genuflexus cum Diacono a dexteris et Subdiacono a sinistris tantisper orabit etc. ». Cur autem et unde discrimen? Quia sacrae actiones, etsi ad idem tendant obiectum, sunt tamen diversae: idcirco quod in una iubet Rubrica, in altera non exigit particularis Instructio.

6. Porro in Missa, quae celebratur in Festo SSm̃i Corporis Christi, Sacra consecratur Hostia ad finem tantummodo eam processionaliter circumferendi, quae functio cum benedictione finem habet; Expositio vero, si post Processionem alicubi fiat, est accessoria: contra vero finis principalis pro Oratione Quadraginta Horarum est Expositio, que per triduum diu noctuque perenniter durat; et Processio instruitur non ad necessitatem, sed ad celebritatem, ideoque est accessoria. Quamobrem si aliqua est discriminis ratio, haec sola attendi posse videtur, cur in Festo Sanctissimi Corporis Christi Sacrum Ostensorium velo coopertum solummodo detegatur, dum ab Altari est removendum et triumphaliter circumferendum: secus vero fiat in altero casu: nam in hoc quodammodo inchoatur Expositio, quando Diaconus erigit Ostensorium in medio Altaris, cunctis spectantibus.

7. Nec quidquam officit ratio a Cavalerio ex Baruffaldo adducta, scilicet velandi Ostensorium: « ne appareat indebite Sacramentum collocatum extra baldachinum et cum Calice vicino, adeo ut nondum primum locum habere possit, quemadmodum habere debet in Processione ». Nollem talia a calamo excidisse hominum ceteroqui doctissimorum! Qui enim dici potest, primum locum non occupare Ostensorium in medio, nobiliore scilicet parte Altaris collocatum, dum Calix ad laevam positus, facta ablutione, illico removetur? Equidem extra baldachinum est; quid tamen inde? Post reditum etiam Processionis in Festo Sanctissimi Corporis Christi, si mox non fiat solemnis Expositio, in medio Altaris deponitur Sacramentum, non sub umbella, ibique satis diu manet, dum cantatur Hymnus *Tantum ergo* cum sequenti Oratione. Patet id ex universali Ecclesiarum praxi, sed multo magis *ex Caeremoniali Episcoporum lib. 2, cap. 33, num. 24;* ubi sequens habetur Rubrica: « Postquam Episcopus pervenerit ad supremum Altaris gradum; Diaconus.... accipiet..... Sanctissimum Sacramentum et illud super Altare collocabit: in medio scilicet corporalis super Altare extensi » ut notat Catalanus. Hinc alia succedit *Rubrica num. 27:* « qua finita *(scilicet Oratione)* accedat ad Altare et accepto Tabernaculo seu Ostensorio cum SSm̃o Sacramento etc. ». Et quod etiam plus est, idipsum *Rituale* iubet: « Peracta Processione et Sanctissimo Sacramento ad Ecclesiam reportato et super Altare deposito etc. »; ad quae verba Baruffaldus ait: « Tunc Diaconus Altare ascendens ipsum in medio super Altare collocabit, strato ibi corporali ». Et in casu nostro in die Repositionis, expleta Processione, super Altare Ostensorium collocatur; et interim cantatur *Hymnus* et Celebrans legit *Orationes* omnes pro sacra illa actione praescriptas. At si ratio illa valeret, quam supra Baruffaldus adduxerat, et tuentur alii, qui eum sequuti sunt, dicendum foret sequendam non esse *Caeremonialis,* imo nec eiusdem *Ritualis* dispositionem, nec non universalem maiorum praesertim Ecclesiarum praxim, quam proinde reformare oporteret. Sequeretur insuper, quod, vel detectum vel velatum, nec momento temporis in Altari extra baldachinum permanere deberet, quoniam, etsi velatum, in privatis expositionibus Ostensorium semper est in Throno collocandum.

8. Quatenus vero non esset omnino posthabenda ea pars *Rubricae Ritualis,* etiam quoad Missam pro Expositione Quadraginta Horarum, vix ei concedenda foret vis directiva, quae nullum infert praeiudicium consuetudinibus laudabilibus et rationabilibus contrariis. Id fortasse agnovit Baruffaldus; quamobrem, ad supra laudatam rationem confugit, ut eamdem *Rubricam* laudabilem esse et in praxi congruentius sequendam, demonstraret. Certum tamen est, quod *Caeremoniale Episcoporum loco cit.,* licet caeremonias omnes enumeret in sacra illa actione servandas, ne verbum quidem

habet de velo, quo tegatur Ostensorium, priusquam de Altari removeatur: immo ex iis, quae paulo ante notavi, facile consequitur iure id praetermissum. Magis propterea patet *Rubricam Ritualis* utpote directivam contraria consuetudine penitus obsolevisse; doctrinam vero Baruffaldi et Cavalerii nihili pendendam esse.

9. Nec mirum est, si *Rituale Romanum* eam posuerit *Rubricam*. De tempore enim, quo fuit ordinatum, forte plures Ecclesiae erant, quae eum servabant ritum velandi Ostensorium, donec tempus instaret deferendi Sacramentum in solemni Processione. Forte etiam nondum universalis mos invaluerat illud exponendi in Throno sub baldachino. Nam sub finem seculi decimisexti et sequentis initium, quando dispositi fuere *rituales Libri*, adhuc reliquiae supererant antiqui moris. Paulo ante prodierat Instructio S. Caroli Borromaei pro Oratione Quadraginta Horarum, quae datam habet 27 Iunii 1577, et inter alias servandas regulas, hanc habet: « Per far questa Orazione il Santissimo Sacramento si collochi sopra l'Altare maggiore e fuori del Tabernacolo maggiore con un velo di seta, che cuopra il Tabernacolo piccolo, che ha dentro il Santissimo Sacramento; e sia tanto lungo, che faccia due ali dalle parti fino alli due corni dell'Altare, l'uno dall'Evangelo e l'altro dall'Epistola ». Eo igitur aevo disciplinam Ecclesiarum fuisse haec regula ostendit, collocandi Sacramentum in publicis Expositionibus non in eminentiori loco sub umbella, sed in medio Altaris extra Tabernaculum maius: aequum igitur erat, ut velum ad illud tegendum adhiberetur loco umbellae. *Ritualis Romani* extensor, praefatam regulam prae oculis habens, eam sequi opportunum duxit, ratus non decere vel ad breve tempus permanere Sacramentum in Altari sine velo. Quamquam ex varietate, quae inter *Caeremoniale Episcoporum* et *Rituale Romanum* intercedit; argumentum sumimus, quo statui posse videtur sub seculi decimisexti finem et sequentis initium, antiquum morem immutari coepisse, sed non universaliter. Quamobrem *Caeremonialis Liber*, qui maioribus Ecclesiis inservire debet, velum, quo tegatur Ostensorium, non memorat, quia in Cathedralibus et Collegiatis alia iam consuetudo inducta fuerat: *Rituale* vero pro Parochialibus aliisque minoribus Ecclesiis adornatum, secus habet, quia hae adhuc vestigium aliquod retinebant antiqui moris. Atque haec expeditior via mihi videtur conciliandi simul *Caeremoniale* cum *Rituale*, quamquam in utroque non de Expositionibus res sit, sed de Processione in solemni Festo Sanctissimi Corporis Christi. Temporis tamen successu universalis evasit praxis *Caeremoniali* conformis; et modo nunquam Sacramentum velo tegitur, nisi in Expositionibus illis, quae fiunt ex causa privata, scilicet pro infirmo, vel particulari aliqua necessitate. De hoc tamen inferius.

10. Quaecumque tamen sit *Rubricae Ritualis* vis, ea limitatur ad unum Festum Sanctissimi Corporis Christi, neque extendi debet ad solemnem Expositionem faciendam pro Oratione Quadraginta Horarum, aut alias, quae fiunt, praecedente Missa, qua consecratur Hostia in Ostensorio collocanda. In his tenenda est *Clementina Instructio*, quae concordat cum *Caeremoniali Episcoporum*, nec ullum relinquit dubitandi locum, dummodo integer contextus consideretur et omnia simul conferantur. Nam si Celebrans ab Altari secedens pluviale assumit, incensum imponit in duobus Thuribulis statimque ad Altare revertitur, ubi genuflexus cum Ministris, sine mora thurificat Sacramentum, hoc certe detectum esse debet. At quando et a quo remotum fuit velum? *Instructio* equidem indicasset cum tempus tum Ministrum, a quo tegendum foret, si iuxta *Ritualis Rubricam* velo tegi debuisset Ostensorium, dum a Diacono in medio Altaris fuit collocatum. Atqui *Instructio* silet et ne memorat quidem *Ritualis Rubricam*: liberum mihi est contra Cavalerii opinionem existimare, quod standum sit Instructionis dispositioni, quin servari debeat regula *Ritualis* de Festo Corporis Christi, quam eadem *Instructio* non praescribit. Quod si aliquis sit, qui adhuc dubitet, optimam legum interpretem consuetudinem consulat et prae oculis habeat. Porro haec conformis est *Caeremoniali Episcoporum* et *Instructioni*, non autem *Ritualis Rubricae*. Siquidem in omnibus Patriarchalibus aliisque maioribus Urbis Ecclesiis nullo velo tegitur Ostensorium; sed posteaquam a Diacono in medio Altaris fuit collocatum, apertum ibi manet usque ad finem Missae, in qua propterea servatur ritus conveniens Sacramento exposito.

11. Sed de hac quaestione iam satis. Ceterae huius sanctionis partes explanandae modo sunt. Itaque, expleta Missa, Sacerdos pergit ad Altaris medium et una cum Ministris genuflectit unico genu, sine capitis inclinatione; et omnes descendunt per gra-

dus laterales Epistolae in planum et progrediuntur usque ad abacum, ubi Celebrans deponit Casulam et Manipulum, assumit pluviale eiusdem coloris, qui fuerat in Missa adhibitus; sacri Ministri pariter deponunt Manipulum, sed retinent Dalmaticam et Tunicellam, vel Planetas plicatas, si his pro ratione Officii currentis utendum fuerat. Accedunt illuc Acolythi cum duobus Thuribulis, et ibi adhuc permanens Celebrans cum Ministris, priusquam ad Altare redeat, thus imponit absque benedictione, Diacono ministrante naviculam sine osculis et Subdiacono elevante fimbriam dexteram pluvialis. Duo adhibentur Thuribula ratione Processionis; secus namque in aliis sacris functionibus et in hac etiam, si ex Superiorum permissu Processio non fiat, unius tantummodo probatur usus. Imposito thure, Celebrans, iunctis manibus, demissis oculis, aperto capite, medius inter Sacros Ministros elevantes hinc inde fimbrias pluvialis revertitur per planum Presbyterii ad Altare; et ante infimum gradum omnes genuflectunt utroque genu cum profunda capitis inclinatione; mox surgunt iterumque genuflectunt non in plano, sed in infimo gradu Altaris.

12. Dixi, *in infimo gradu Altaris;* sed in hoc assignando non omnes conveniunt Auctores. Iuxta sententiam Bauldry *de Feria V in Coena Domini lib. 4, cap. 9, artic. 3,* et *cap. 16: de Festo Corporis Christi artic. 3, et Caeremonial. Monastic. cap. 14,* § *2, num. 12,* tam Sacerdos, quam Ministri ascendere debent ad secundum gradum, et in ora suppedanei genuflectere, ac tantisper orare: Castaldus *lib. 2, sect. 10, cap. 2, num. 5,* existimat Celebrantem in infimo gradu Altaris genuflectere debere, Ministros vero in plano Presbyterii; videtur in hanc venisse opinionem P. Meratus *part. 2, tit. 14, num. 3,* qui ad eam tuendam affert exemplum Basilicarum Urbis: in hoc tamen errat, quemadmodum etiam immediate post, inquiens, secus ac Instructio iubet, « Celebrans erectus et stans ante praedictos gradus Altaris imponit incensum in duo Thuribula ». Porro ea sententia, quae magis convenit et praxi Basilicarum Urbis comprobatur, illorum est, qui volunt Celebrantem aeque ac Ministros genuflectere et tantisper orare debere in infimo gradu Altaris, quod et conforme est *Instructioni;* quae, licet hic sileat, agens postea de Missa pro Repositione, notat § 30: « Il Celebrante prenderà il pluviale e genufletterà colli Ministri avanti il Santissimo Sacramento sull'infimo grado dell'Altare ». Huiusmodi usus magis arridet; quod si alius aliqua in Ecclesia servetur, iuxta diversas praefatorum Auctorum sententias, eum non omnino reprobandum censerem, dum nulla expressa lex est, quae unum potius quam alterum modum praescribat, neque in hac re varietas ritus essentiam tangit, quae salva est, vel in infimo vel in altero Altaris gradu Celebrans genuflectat.

13. Quicumque igitur servetur modus, brevissima facta Oratione vel in infimo vel in altero gradu Altaris, non est iterum ponendum incensum in Thuribulis, secus ac, praeter Meratum, alii etiam Rubricistae perperam praescribunt, cum iam impositum fuerit, priusquam Celebrans cum Ministris ad Altare rediret; sed Diaconus tradet sine osculis Thuribulum Celebranti, qui ter incensabit Sacramentum cum profunda capitis inclinatione ante et post, quo etiam praestabunt Ministri, qui interim elevabunt anteriores partes pluvialis. Peracta incensatione, Diaconus acceptum sine osculis a Celebrante Thuribulum tradet Thuriferario, qui et alter eius socius remanebunt genuflexi in plano Presbyterii, abstinentes ab incensatione Sacramenti, quod in Processione tantum thurificabunt. Haec regula conformis est *Rubricae Caeremonialis Episcoporum lib. 2, cap. 33, num. 19,* ubi legitur: « Interim accedent ad Episcopum duo Acolythi cum duobus Thuribulis; et, ministrante naviculam Presbytero assistente, imponet thus in praedictis duobus Thuribulis, quo facto, accedet ad Altare, ubi . . . accepto a manibus praedicti Presbyteri assistentis uno ex duobus Thuribulis, thurificabit triplici ductu Sanctissimum Sacramentum ». Ex quo patet, non esse iterum ponendum thus in Thuribulum, postquam ab Episcopo impositum fuit in sua sede, a Celebrante Sacerdote prope abacum.

14. Deinde Subdiaconus, ut plerique volunt, vel Diaconus, ut *Rubrica Ritualis* habet *titul. de Processione in Festo Corporis Christi,* oblongum ac decens velum circumponit scapulis Celebrantis; et super brachia et manus eiusdem expandit; et, si opus est, ad pectus adnectit, vel spinulis retro, vel sericis funiculis ante, ne decidat. Mox Celebrans erigit se cum Ministris et usque ad superiorem gradum Altaris ascendit et in suppedaneo remanet genuflexus cum Subdiacono; Diaconus vero procedit usque ad Altare, ubi, facta genuflexione, accipit Ostensorium ambabus manibus et vertens se, illud

tenens, Imagine Crucifixi, quae est in Hostia, ad se versa, illud tradit Celebranti eodem modo, ita ut in tota Processione praedicta Imago non respiciat Celebrantem, sed populum, qui adest in Ecclesia ac in via per quam est incedendum. Tradit autem illud Diaconus stans et Celebrans recipit genuflexus manibus velo coopertis, statimque surgit; et Diaconus in eodem, in quo est loco, genuflectit, Sacramentum momento adorans ac sine mora se erigens, accedit ad dexteram Celebrantis, qui, eodem Diacono et Subdiacono elevantibus pluvialis fimbrias, ascendit ad planum suppedanei, ubi cum iisdem Ministris vertit se ad populum, Ministri vero se simul vertendo tenent proprium locum, ita ut a dexteris Diaconus, a sinistris Subdiaconus elevent pluvialis fimbrias.

15. Simul ac Celebrans, accepto e manibus Diaconi Sacramento, surgit et se ad populum convertit, Cantores incipient canere Hymnum *Pange lingua etc.* Instructio concordat adamussim cum *Caeremoniali Episcoporum lib. 2, c. 83, num. 20,* ubi legitur « Tunc Cantores incipient Hymnum *Pange lingua gloriosi etc.* et Episcopus cum Sanctissimo Sacramento surget; et Diaconi assistentes hinc inde fimbrias anteriores pluvialis elevabunt etc. ». Aliquantulum discordare videtur *Rituale Romanum loc. cit.,* ubi haec habetur Rubrica: « Dum vero Sacerdos discedit ab Altari, Clerus vel Sacerdos cantare incipit sequentem Hymnum *Pange lingua etc.* ». Revera tamen non discordat, sed suggerit modum, qui teneri et variari potest iuxta locorum et personarum diversas circumstantias. Cum enim *Liber ritualis* nedum regulas tradat pro Ecclesiis maioribus, quibus satis consultum est *per Caeremoniale Episcoporum,* verum et praecipue pro Ecclesiis minoribus, quae plerumque Clero non abundant, bene stat, quod methodum praescribat in istis servandam. Non enim ita est intelligenda *Rubrica illa,* quasi indiscriminatim liberum sit primum Hymni versum a Clero vel Sacerdote celebrante intonari: verum cum distinctione, ita ut in Ecclesiis, quae Clero abundant, intonatio fiat a Clero, id est a Cantoribus, Clero respondente; secus enim si universus Clerus, qui interest, Hymnum intonaret, id tumultuarie fieret et magna cum vocum dissonantia; quod in sacris actionibus maxime dedecet et est omnino vitandum. In hoc *Rituale Caerimoniali* concordat. Sed quoniam consulendum est aliis etiam Ecclesiis, idcirco *Rubrica* ea utitur disiunctiva: *vel Sacerdos.* Siquidem ibi agitur de solemni Processione in Festo Corporis Christi, quae fit meliori quo potest modo in parvis etiam oppidulis et Ecclesiis ruralibus, in quibus Clerus vel omnino deficit, vel est sane modicus, qui vix sufficit pro ministerio Altaris. In his maxime congruit, ut Hymni intonatio fiat per Celebrantem, qui etiam per Processionis tractum, adiuvantibus Ministris, cantare poterit. Non desunt namque loca, in quibus vel nullus vel pauci admodum sunt, qui Gregorianum cantum vel tonos Hymnorum calleant, atque vix quod audiunt, repetunt; unde si Sacerdos sileret, aliquando vel nemo caneret vel inordinate et extra tonum boatus omnes ederent. Ita Cavalerius *loc. cit. num. 9.* Forte etiam hisce in locis satius esset Hymnos et Psalmos voce tantillum elata recitare, quam canere. Extra huiusmodi Ecclesias et ubi sufficiens adest Clerus, Sacerdos nec intonabit Hymnum, nec in Processione cantabit, sed submissa voce, ut *Caeremoniale Episcoporum* et *Instructio* mandant, una cum Ministris Psalmos et Hymnos recitabit. Erunt autem Hymni ex Officio SSñi Sacramenti, Psalmi vero, qui memoria retinentur, sed praecipue qui nos erigunt ad effundendum laudes et gratiarum actiones. Verumtamen cum Rubrica tam Caeremonialis, quam Ritualis, necnon praesens Instructio hac in parte directionem potius praebeant, quam praeceptum; haud reprobandum censerem, si in aliqua etiam ex maioribus Ecclesiis consuetedo vigeret intonandi per Celebrantem Hymnum *Pange lingua etc.* prosequentibus Cantoribus et Clero.

16. Recte Cavalerius ad hunc locum *num. 8,* verbis illis insistens « Principiandosi poi dai Cantori l'inno *Pange lingua etc.,* s'incamminerà sotto il baldacchino etc. » carpit usum nonnullarum Ecclesiarum, in quibus Celebrans stat in suppedaneo Altaris per totam primam stropham praedicti Hymni et nonnisi, eadem terminata, descendit, supponens se baldachino. Recte, inquam; advertas tamen quandoque haud posse aliter fieri. Puta, si cunctandum sit, donec incesserint omnes, qui Processionem componunt, quod praesertim accidit in Basilicis, ubi Clerus sistit in stallis, donec Celebrans se vertit ad populum cum Sacramento; tunc primum ex ordine Clerus ex stallis discedens genuflectit; et supplex instruit agmen, quod claudit Sacerdos Sacramentum deferens, qui interim necessario debet in suppedaneo Altaris permanere, etsi Cantores prosequantur pri-

mam Hymni stropham. Quamquam et posset, ut alicubi fit, differri intonationem, donec Sacerdos, ab Altari descendens, pergat ad paratum baldachinum. Sed cum id ad actionis essentiam non pertineat, servandas esse censeo particulares Ecclesiarum consuetudines.

17. Itaque Celebrans, supplicatione instructa, praecedentibns Acolythis cum Thuribulis fumigantibus, descendit ab Altare comitatus a sacris Ministris fimbrias pluvialis sustinentibus, tectus umbella coloris albi et pergit ad baldachinum, sub quo iter prosequitur. Equidem umbellae non meminit nostra Instructio, nec etiam Caeremoniale Episcoporum, ubi baldachini tantum fit mentio; sed Rituale Romanum umbellam memorat, non baldachinum; inde descendit sub umbella. Verum baldachinum et umbella promiscua sunt nomina. Macri in suo Hierolexico litt. B. Baldachinum, conopaeum, seu umbella, quae ad tegendum Tabernaculum et Altare et eiusdem Sacramentum per viam una cum Sacerdote illud ferente inservit: Du-Cangius in suo Glossario: baldachinus sumitur crebro pro umbraculo, seu umbella: et Caeremoniale Romanum lib. 1, tit. 2: Portant umbraculum hastibus octo sustentatum, quod hodie baldachinum appellant. Modo tamen baldachinum et umbella duas res distinctas significant, quamvis pro diversitate locorum et circumstantiarum eidem usui inrseviant. Hinc facile componuntur *Caeremoniale, Rituale* et nostra *Instructio*. Certum est, quod Sacramentum in Processione sub baldachino deferri debet et sub umbella in subsidium, ut cum festinanter defertur ad infirmos, aut asportari debet per vias angustas. In nostro autem casu umbella, cuius meminit Rituale, non deservit pro Processione, sed pro descensu Sacerdotis ab Altari usque ad baldachinum, unde textus: inde descendit sub umbella. Cum enim baldachinum nonnisi cum maxima difficultate et incommodo ad Altare usque inferri valeat et exporrigi, ideo Rituale, quod est pro Ecclesiis maioribus et minoribus, vel satis amplae hae sint, vel nimis angustae, in subsidium vocant umbellam, ne per spatium, quod intercedit ab Altare ad baldachinum, Sacramentum absque tegminis honore deferatur. Caeremoniale vero, cui adhaeret Instructio, baldachinum memorat, non umbellam, forte quia minus incommodi et difficultatis habet eiusdem delatio proxime ad Altare in Cathedralibus et maioribus Ecclesiis, quibus praecipue praefatum Caeremoniale inservire debet. Quod si talis sit harum structura, ut nequeat deferri intra Presbyterium, umbella erit adhibenda. Notat hic Cavalerius, quod, attento Caeremonialis et Instructionis silentio, excusari fortasse valent Ecclesiae, quae per breve illud spatium umbellam non adhibent. Fortasse id accidit extra Urbem; Romae quippe, vel res sit de Expositionibus vel de Processionibus in solemnitate SSmi Corporis Christi, semper et ubique praeter baldachinum, proxime ad Sacramentum in promptu est umbella, quae ad tegendum Sacramentum adhibetur, si prae loci angustia deserendum est baldachinum.

18. Quae notata sunt, fieri debent, ut monet *Instructio, sul fine della Processione,* idest postquam Processio fuerit ordinata, claudenda a Celebrante Sacramentum deferente. Processio autem, ne eius dispositio moram iniiciat, *si principierà anticipatamente, fatta l'elevazione del Santissimo o prima, secondo che sarà più o meno numerosa.* Decet ut instruatur Processio, priusquam Celebrans, accepto e manibus Diaconi Sacramento, se ad populum convertat ad supplicationem claudendam processurus, ne cogatur diu in Altaris suppedaneo immorari. Verum non video curnam, vix Consecratione peracta, vel etiam antea, instrui Processio debeat. Id fit expedite, etsi cum Clero Seculari vel Regulari aliqua conveniat laicorum Sodalitas. Sed quoniam omnibus casibus prospiciendum erat, recte idcirco Instructio indefinite iubet, ut ordinetur Processio, vel peracta Consecratione, vel etiam antea, si opus fuerit, idque postulet interessentium frequentia. Dum pro Oratione Quadraginta Horarum exponendum est Sacramentum in Basilica Lateranensi, Instructionis monitum est necessarium, quia Processioni interesse debent, praeter Clerum et Sodalitatem laicorum, etiam Ordines Regularium. Ni autem propere instrueretur Processio, in qua omnes suum ordinem quoad locum servare debent, magna oriretur confusio. Ita etiam aliis in Ecclesiis, in quibus, praeter Sodalitatem et Clerum, famuli plures et familiares Cardinalium et Procerum conveniunt cum intortitiis, qui ex ordine sunt disponendi, ne oriantur iurgia et contentiones, prout hos inter, ni provide consultum sit, saepenumero accidit. In his bene est, ut cito instruatur Processio; in aliis Ecclesiis, ubi pauci eam componunt, satis est ut fiat prope Missae finem, vel etiam ea expleta. Nostra autem *Instructio* regulam de-

sumpsit *ex Caeremoniali Episcoporum lib. 2, cap. 33, num. 16,* ubi legitur: « Elevato Sanctissimo Sacramento, vel etiam ante, si opus erit, iunior Magister Caeremoniarum curabit, ut Processio secundum ordinem . . . . dirigatur et procedat ». Quae tamen Caeremonialis regula pro solemnissima supplicatione in Festo SSmi Corporis Christi necessaria omnino est, in qua magna est diversorum Ordinum interessentium copia.

19. Pertinent haec ad ritum servandum, si post Missam, priusquam Sacramentum exponatur solemniter in Throno, processionaliter circumferendum sit, ut iubet *Instructio.* Eaedem porro regulae tenendae sunt in aliis Expositionibus, quae fiunt cum Romae tum alibi immediate post Missam cum Processione. Quatenus vero extra Romam fiat Expositio Quadraginta Horarum cum praecedenti Missa, sed sine Processione: et ita etiam Romae, quandoque Praesides, validis concurrentibus circumstantiis, fieri permittant; nihil variandum est usque ad finem Missae, sed eadem servanda est methodus, quam supra exposuimus. Diversus tamen in reliquis erit modus. Siquidem depositis Manipulis, et pluviale per Celebrantem assumpto, non erit ad abacum imponendum incensum in duobus thuribulis: nam cessante Processionis motivo, cessat etiam eorumdem usus: unum tantum erit opportuno tempore adhibendum. Sacerdos cum Ministris accedet ad Altare, ac praemissa genuflexione in plano, erectus postea in infimo gradu permanebit, vel in secundo, si ita exigat Ecclesiae consuetudo, ut supra dictum est. Surget interim Diaconus, factisque debitis genuflexionibus, Sacramentum sumet, quod in medio Altaris situm est, et in Throno ad id parato reverenter collocabit, mox descendet, et facta genuflexione in suppedaneo unico genu, redibit ad dexteram Celebrantis. Cetera servabuntur, quae ad § 24 explicabimus.

20. Dubium tamen hic occurrit: num hoc in casu thurificandum sit Sacramentum, dum cantatur Hymni stropha: *Genitori Genitoque etc.,* vel etiam priusquam removeatur ab Altari et collocetur in Throno? Nemo est, quod sciam, qui dubium hoc sibi proponat et solvat; si meum, qualiscumque sit, sensum promere liceat, censerem imponendum esse incensum in thuribulum, postquam Celebrans ad Altare reversus fuerit et momento genuflexus in infimo gradu Sacramentum adoraverit, sine benedictione et sine osculis, et adolendum triplici ductu Sacramentum adhuc in medio Altaris positum, quo sub umbella fidelium venerationi a Diacono exposito, cantabitur Hymnus *Pange lingua etc.* et ad versum *Genitori Genitoque etc.* imposito iterum thure, denuo Celebrans illud thurificabit; quo facto Cantores intonabunt *Litanias,* veluti praescribit *Instructio.* Ita faciendum arbitror in huiusmodi casu saltem Romae, ut, etiamsi non fiat Processio, meliori tamen, quo poterit, modo servetur forma *Instructionis.* Forte etiam poterit thurificari Sacramentum unica vice, postquam fuit in Throno collocatum.

21. Quatenus vero post Missam fiat Expositio, non pro Oratione Quadraginta Horarum, sed ob aliam causam, quin canendae sint *Litaniae* cum precibus aut Hymnus, tunc Sacramentum thurificandum erit more consueto a Celebrante iam sub umbella positum. Imo hoc in casu nec opus esse videtur, ut Sacerdos exuat Casulam et induat pluviale, cum satis sit, ut, deposito Manipulo, Sacramentum thurificet.

§ XX.

« La Processione sarà composta di tutto
« il Clero della Chiesa ed il Crocifero in
« questa funzione non sarà parato con abito
« subdiaconale, ma vestito con cotta. Vi in-
« terverranno onninamente otto Sacerdoti
« vestiti con cotte e con le torcie accese
« in mano, li quali procederanno dalli lati
« avanti il baldacchino: e dopo di essi se-
« guiranno due Acoliti con turiboli, i quali
« per la strada incenseranno continuamente
« il Santissimo e, durante la Processione, si
« suoneranno le campane solennemente ».

1. Tam in hoc, quam in sequentibus §§ agitur de Processione, et ordine in ea incedendi. Clerus primum et nobiliorem locum occupare debet. Praeibit Subdiaconus, vel saltem Clericus mundo superpelliceo indutus, qui deferat Crucem hastatam. *Instructio* utitur vocabulo *Crocifero,* quamobrem non exigit Clericum Sacro Subdiaconatus Ordine insignitum; eoque magis, quia expresse monet: « il Crocifero in questa funzione non sarà parato con abito subdiaconale »; Crucifer autem inter duos Acolythos candelabra cum cereis accensis deferentes praeire quidem debet, sed immediate ante Clerum, neutiqaam vero ante laicorum Sodalitatem, siqua intersit, aut seculares homines, qui cum intortitiis vel a proceribus missi vel devotionis ergo sponte accedunt. Idem dicendum si Ordines Regulares sacram

functionem comitentur, ut accidit in Basilica Lateranensi; nam hi sub respectivis vexillis incedere debent ante Crucem Cleri Secularis.

2. Omnis Ecclesiae Clerus ad interessentiam tenetur; nam clara est lex: « la Processione sarà composta di tutto il Clero della Chiesa ». Ubi vero Clerus deficit, octo saltem Sacerdotes Instructio exposcit, qui superpelliceis induti (sine tamen Stola) cum intortitiis proxime incedant ante Sacramentum. Et cum absoluta et praeceptiva sit dictio *onninamente,* non desint oportet octo illi, qui intortitia deferant prope Sacramentum, etiamsi maiori sint numero Clerici, qui supplicationem componunt et minoris moduli candelas deferant.

3. Notat ad hunc locum Cavalerius, num. 1. Et sunt (octo illi Sacerdotes) « qui in Missa inservierunt, ad cuius usque finem permanent tenentes Intortitia, cum Sacramentum etiam post Sacerdotis Communionem in Altari permaneat ». Unde autem ipse accepit huiusmodi doctrinam? Dices: e *Caeremoniali Episcoporum part. 2, c. 33, num. 7,* ubi dicitur relate ad Processionem in Festo Corporis Christi: « a lateribus hinc inde ibunt octo Cappellani cum cottis, qui in Missa inservierunt, quatuor pro qualibet parte, portantes eadem funalia accensa, quae pro Missa servierunt ». Haec tamen *Rubrica* trahi nequit ad casum omnino diversum, ut noster est, et violentia fieret *Instructioni,* si huiusmodi sensus ei tribueretur.

4. Quod si adnotatio illa Cavalerii vim aliquam haberet, dicendum etiam esset octo Sacerdotes ad initium Canonis post Praefationem accedere debere ad Altare cum intortitiis, quod nec *Instructio,* nec ulla *Ritualia* praescribunt. « In Missa Pontificali solemnissima, quatuor, sex aut ad summum octo Ministri cottis induti afferant totidem funalia cerae albae accensa ». Ita *Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 8, num. 69.* In aliis Missis solemnibus, sed non Pontificalibus, *Rubrica Missalis part. 2, titul. 8, num. 8,* duo ad minus praescribit: « In Missa solemni ad finem Praefationis accenduntur duo saltem intortitia ab Acolythis ». In hisce Rubricis duo adverte. Primum, quod per verba illa Caeremonialis *ad summum octo,* datur intelligi, quod ex indulgentia potius huiusmodi intortitiorum numerus permittitur, cum ex regula quatuor vel sex tantum esse debeant: et verba Rubricae Missalis *duo saltem,* iuxta obvium sensum ita accipienda sunt, ut in Missis solemnibus non Pontificalibus optandum sit, quod alia duo superaddantur. Et hic est communis principalium Ecclesiarum usus. Secundum vero, quod hoc munus proprium sit Ministrorum et Acolythorum, neutiquam Sacerdotum, qui possunt equidem ad huiusmodi officia adhiberi, et decens est si fiat, sed nulla lege tenentur.

5. Neque obiicias, in citata Caeremonialis Rubrica Cappellanos appellari: nam ibi agitur de functione peragenda ab Episcopo in propria Dioecesi; et dignum est, ut proprii Cappellani eidem inserviant. Accedit, quod Cappellani nomen non ita convenit Sacerdotibus, ut nequeat aliis Ecclesiasticis personis aptari pro diversitate munerum, quae ipsis data sunt, ut videre est apud Du-Cangium in Glossario Verb. Cappellanus; unde nomen est potius officii, quam dignitatis. Ex his colligi facile potest perperam et arbitrarie Cavalerius praefatam adnotationem addidisse. Satis igitur erit, si ad Canonem quatuor intortitia a Clericis deferantur; et quatenus Missa sit Pontificalis, sex vel ad summum octo, qui non discedant ab Altari post elevationem, ut in aliis Missis solemnibus fieri solet, sed ob reverentiam Sacramenti ibi permaneant etiam post Communionem.

6. Standum igitur est *Instructioni,* quae verbis illis: « v'interverranno onninamente otto Sacerdoti vestiti di cotta e colle torcie accese in mano », loquitur stricte de comitatu Processionis, neutiquam vero de intortitiis deferendis ad Canonem et per eosdem Ministros adhibendis in Processione. Dum vero Instructio octo designat, cum utatur dictione *onninamente,* quae significat *saltem, ad minus;* satis demonstrat, consulere voluissse decori sacrae actionis quoad Ecclesias minores et pauperiores, quae Clero non abundant et adscititios Sacerdotes et Clericos tenentur adhibere. Ceterum, quo maior est numerus, magis etiam prospicitur venerationi tanto debitae Sacramento. Porro haec regula in Urbis Ecclesiis tamquam lex est omnino servanda. Decet namque, ut id munus Sacramentorum maximo praestetur a Sacerdotibus tamquam dignioribus ministris.

7. Forte tamen eadem regula tanto non est cum rigore accipienda, ut positivum praeceptum in omni sui parte necessario importet. Praeceptiva equidem est quoad numerum funalium, quae prope Sacramentum deferri debent; directiva vero quoad qualitatem eorumdem et personas, a quibus gestanda sunt lumina. Cupit, ut octo ardeant

intortitia; at crederem non laedi regulam si servata cereorum quantitate, minor sit intortitiorum numerus in pauperioribus Ecclesiis, quae nimis non sunt gravandae. Ad qualitatem personarum quod attinet, Sacerdotes scilicet, a quibus iuxta Instructionem intortitia gestanda sunt, advertendum est quod, si excipias Patriarchales, Collegiatas et Regularium Ecclesias, vix aliqua ex reliquis est, quae idoneum ad ea praestanda officia Clerum habeat. Extraneos hinc opus est accersire, nec semper ea in copia, quae necessaria est, haberi Sacerdotes possunt; hinc supplere necesse est ope Clericorum in iis, quae certum non requirunt ordinem. Propterea existimarem non laedi regulam, si, servata forma et numero, quatuor saltem Sacerdotes et totidem Clerici cum cottis mundis faces accensas gestantes proxime ante baldachinum incederent. Idem potiori iure dicendum de Ecclesiis extra Urbem, ad quas Instructio non extenditur. Locorum consuetudines, dummodo laudabiles et rationabiles sint, servandae sunt; maxime vero, ubi Sacerdotes pauci sunt numero, et qui adsunt vel Altari debent inservire, vel pro aliis praeripiuntur officiis, quae nequeunt a Laicis praestari: quo in casu non ambigerem a Clericis cotta indutis, vel in horum defectu a Laicis decenti habitu amictis, veluti est proprius alicuius Sodalitatis, posse faces deferri immediate ante Sacramentum.

8. Minime assentior Cavalerio, qui hanc limitationem nimis extendit, inquiens: « Idem esto iudicium, quoties intortitia magni ponderis in maiorem Sacramenti honorem deferuntur: haud enim convenit gravia onera subire Sacerdotes, qui et per canonicas sanctiones a laboriosis prohibentur operibus ». Huiusmodi limitationis extensio generatim sumpta alicui videri fortasse poterit, tamquam exceptio regulae, etiam quoad Urbis Ecclesias. Verum vel has simul comprehendat, vel alias extra Urbem solummodo respiciat, certe locum habere nequit. Si adhibeantur magni ponderis intortitia, deferantur utique a laicis et, si vis, etiam a baiulis, sed hi suo loco incedant, digniorem Sacerdotibus vel Clericis minoris ponderis faces gestantibus relinquant; et solum propius ad Sacramentum accedant, si tam Sacerdotes, quam Clerici desint. Quamobrem unica ratio, qua iisdem liceat prope baldachinum incedere: est Ecclesiasticorum deficientia et non alia. Si Cavalerii opinio obtineret, graves et non ferendi orirentur abusus: facile accideret, ut ad occupandum digniorem et nobiliorem locum supra Clerum, Sodalitatum Priores magni ponderis faces sibi compararent et in his gestandis incommodum superaret ambitio.

9. Sed et alia est quaestio de ordine et loco incedendi. Mirum profecto est, quod huiusmodi excitentur dubia, dum *Instructio* tam clara est, ut disputandi locum haud relinquere videatur. Perspicua sunt verba: *procederanno dalli lati avanti il baldacchino*. Nihilominus, quia in *Caeremoniali Episcoporum* legitur: *in lateribus hinc inde ibunt octo Cappellani etc.*, non defuere qui nuda verba aucupantes et negligentes contextum, arbitrati sunt octo illos Sacerdotes non ante, sed hinc inde a lateribus baldachini incedere debere. Verumtamen *Instructio* aperte dicit: *avanti:* et *Caeremoniale Episcoporum,* etsi eamdem non adhibeat dictionem et solummodo formula utatur: *a lateribus hinc inde ibunt:* sequentibus tamen verbis declarat id, quod non satis erat expressum; immediate siquidem subdit: *et post eos* (Cappellanos scilicet funalia deferentes) « duo Acolythi cum duobus thuribulis continuo Sanctissimum Sacramentum per viam thurificantes ». Qui enim fieri potest, ut Acolythi Sacramentum continuo incensent, si locum occupare debent post deferentes intortitia hinc inde a lateribus baldachini? Sed quoniam necesse est, ut Acolythi incedant ante ipsum Sacramentum, plane ad veritatem consequitur Sacerdotes vel Clericos cum intortitiis, non hinc inde a lateribus baldachini, sed hinc inde ante Acolythos agmen sequi debere: « non tamen propterea, subdit Cavalerius ad hunc locum, ego crederem Sacramentum post baldachinum luminibus esse deserendum, sed quatenus uberior eorum numerus haberi non posset, duo ex praedictis octo post baldachinum magis laudarem distribui ». Sed huiusmodi opinio arbitraria est et adversatur praxi ubique receptae, etiam in maioribus Ecclesiis, quae minoribus exemplo sunt. Nam post baldachinum magnis tantummodo Principibus et Praelatis conceditur intortitia deferre; nullibi vero aliis e Clero. Nec tanta est distantia deferentium intortitia, ut, quemadmodum putat Cavalerius, Sacramentum luminibus desertum censeatur.

10. Attamen, si huic incommodo consulendum sit, quod opus esse non censeo, remedium facile occurrit. Sacra Rituum Congregatio, quae cohaerenter ad Rubricas aliasque Ecclesiasticas leges et ubique receptas consuetudines, mandat, ne laici mixti in-

cedant cum Clero, cui nobilior in Processionibus cedendus est locus ; arcet Officiales Sodalitatum ab incessu ante baldachinum post Clerum, sed eis locum assignat a lateribus baldachini. Ita in Nepesina 10 Maii 1608, in Nicien. 30 Ianuarii 1616 et novissime in Senogallien. 5 Maii 1736, ad Dubium « An liceat Confratribus Ven. Societatis Sanctissimi Sacramenti Terrae Montis Novi incedere cum intortitiis post Clerum hinc inde et ante baldachinum in solemnitate Sanctissimi Corporis Christi ; sive potius teneantur incedere a latere eiusdem baldachini ? » responsum fuit : *Negative, ad primam partem ; Affirmative, ad secundam* (Num. 251, 339 et 2320). Hinc ad scrupulum amovendum, ne prope Sacramentum luminaria desint, poterunt, si aliqua adsit Confraternitas, hinc inde cum intortitiis incedere eiusdem digniores Officiales ; sin minus, non est ab Instructionis regula declinandum.

11. Quamquam, si ab Ecclesia discedendum sit et Sacramentum per plateam aut proximas vias cicumferendum, nonnunquam periculum subest, ut exsufflante aere, aut decidente imbre, lumina extinguantur : ne autem propterea debitus luminum honor Sacramento deficiat, provisum fuit a s. m. Benedicto XIII in Concilio Romano anni 1725, titul. 15, cap. 7, ubi mandatur: « Ut quatuor saltem cum suis hastis lanternae . . . comparentur ; et suis semper cum intus accensis candelis hinc inde circa Celebrantem, qui Sacramentum gestat, in posterum deferantur ». Si huiusmodi adhibentur lanternae, quae necessitas ut alii ad baldachini latera incedant cum accensis facibus ? Dixi, si extra Ecclesiae ambitum Processio fiat, cessat ratio adhibendi lanternas, cum nullum periculum immineat ventorum aut pluviae, unde lumina extinguantur.

12. Non hic immorabor in refellenda illorum opinione, qui censent octo illos Sacerdotes aut Clericos, utpote Sacramento proximiores, deferre debere intortitia manu intima scilicet versus Sacramentum, ita ut qui a dexteris sunt, illud gestent manu sinistra, qui vero a sinistris dextera deferant. Universalis contraria praxis satis est ad eam prorsus eliminandam. Etiamsi agatur de Viatico ad aegrotantes deferendo, faces gestandae sunt manu extima. Ita mandat Instructio iussu Innocentii XII primum edita ; et iterum a Clemente XIII confirmata, num. 28, ubi legitur: « chi va a destra, porterà colla mano destra la torcia, chi a sinistra colla sinistra ». Inani igitur hac praetermissa quaestione, illud potius non omittendum arbitror, quod in hac Processione, sicut et in aliis in quibus Sanctissimum Sacramentum defertur, omnes debent incedere detecto capite. *Rituale Romanum titul. de Processione in Festo Corporis Christi* § *4,* claris verbis id iubet : *Omnes procedant nudo capite,* et Sacra Rituum Congregatio in Castellaneten. 2 Aprilis 1667: « *In Processione Corporis Christi nulli ex Clero licere procedere capite cooperto* », edixit (Num. 1352). Per hoc tamen non interdicitur Clericis delatio bireti, sed prohibetur usus : possunt quidem hi manu facula non impedita biretum gestare, imo debent, sed nequeunt capiti imponere. Nec licet usus pileoli ; quod extenditur ad omnes, etiamsi longius distent; non enim a propinquitate petenda ratio est, sed a cultu qui Sacramento debetur, ad quod honorandum Supplicatio instituitur. Nec valet ratio per eos adducenda, qui ad tuendam valetudinem facultatem habent utendi pileolo, etiam in Sacro faciendo ; nam huiusmodi privilegia expressam habent conditionem, quod nequeat adhiberi ab initio Canonis usque ad peractam Communionem. Quae conditio cum apponatur ob reverentiam Sacramenti, sponte consequitur eamdem ob identitatem rationis sibi vindicare locum cum in huiusmodi Processionibus tum palam exposito Sacramento, quia vel in Missa, vel in Processione, vel patente Sacramento in Throno, ei debetur idem, qui semper, latriae cultus, sed externis significationibus distinctus.

13. Aliqua adhuc supersunt in hac sanctione notanda. Primum respicit Acolythos, *i quali per la strada incenseranno continuamente il Santissimo.* Alterum circa nolarum sonitum versatur. Itaque de primo ut loquar, Acolythi, ut supra notatum est, incedere debent immediate ante et prope baldachinum ; et per viam incedentes, continuo incensare Sacramentum : quoties autem thuribula, deficiente alimento, non amplius fumigant, eorumdem Acolythorum erit novum thus in illa imponere. Sed qui erit thurificandi modus ? « Duobus modis, inquit Gavantus p. 4, tit. 8, n. 9, lit. q., fieri potest : primum, si Acolythi alternatim incensent, ut fit in incensatione personarum. Secundo si hinc inde procedant, moventibus manibus dexteris thuribula de iisdem pendentia et fumigantia. . . . quasi sternendo viam cum odore incensi. Verum primus modus in praxi non obtinet, nisi apud Regu-

lares quosdam; et signanter Clericos Regulares, quos Theatinos dicimus; plurimum namque habet incommodi, multum periculi et forte etiam minus decens videtur; tum quia recta incedere nequirent Thuriferarii, si facie ad Sacramentum conversa, illud incensare tenerentur; tum etiam quia hoc modo non incensatur Sacramentum, nisi a Sacerdotibus genuflexis, si excipias incensationem ad elevationem Missae solemnis, quae fit a genuflexo Thuriferario, quia Sacri Ministri aliis muneribus sunt impediti, veluti ibidem notat Gavantus; adstipulantur Cavalerius ad hunc locum, Baruffaldus loc. cit. num. 40 aliique. Secundus modus ille est, quem universalis comprobat Ecclesiarum usus. Sed in hoc errat Gavantus, dum dicit utrumque Acolythum dextera manu agitare debere thuribula. Cum enim hinc inde incedant et versus Sacramentum tractis longioribus ea movere teneantur, decet non solum, sed omnino oportet, ut qui est a latere dextero, manu sinistra; et qui est a sinistra, dextera manu thuribulorum tractus producant.

14. Hinc patet inanem esse quaestionem illam, quam promovet Quarti *de Processionibus sect. 3, num. 13, in sextam circumstantiam;* an scilicet Thuriferarii debeant incensare vel suffumigare pavimentum, sternendo viam in hac Processione? Et post allatas hinc inde rationes, relinquit resolutionem arbitrio dirigentis Processionem; ipse tamen propensus videtur in modum sternendi viam cum thuribulis effumantibus, ratione viarum, quae, cum profanae sint, indigent expiatione. Inanem quaestionem hanc iure dixi, quia thuribula adhibentur in honorem Sacramenti; et si Processio fiat tantummodo in Ecclesia, profanae viae non sunt calcandae; in praxi vero utrumque necessario fit. « Dum enim, ut notat Baruffaldus loc. cit., Thuriferarius vibrat Eucharistiae incensationem, si thuribulum retrahere vult, necesse est, ut alia vibratione incensetur via ». Ac tandem omne aufert dubium nostra Instructio iubens: *due Acoliti . . . incenseranno continuamente il Santissimo:* non dicit *viam,* sed *Sacramentum.*

15. Breviter de altero. Iubet Instructio: *durante la Processione si suoneranno le Campane solennemente.* Si festivus campanarum sonitus praecedere debet Expositionem SSmi Sacramenti in proximae celebritatis praenuntium, multo magis id fieri oportet, dum, supplici devoto agmine instructo, solemniter circumfertur. Huiusmodi autem festiva pulsatio nedum vergit in honorem Sacramenti, sed etiam admonet fideles, ut se prosternant ad illud adorandum; et ad alios actus religionis et cultus promendum. Neque una tantum Ecclesia, in qua fit Processio, ad id tenetur; sed etiam aliae, prope quas devota progreditur Supplicatio, quatenus ab Ecclesia exeundum sit. Et quamvis hoc non praecipiat Instructio, quae, ut in sequenti § videbimus, Processionem limitat ad Ecclesiam, vel proximae plateae ambitum; ita tamen fieri oportere, dum Sacramentum circumfertur, si prope sint Ecclesiae, vel Monasteria, recenti Decreto declaratum fuit in una Urbis 10 Martii 1787. Proposito namque Dubio: « An in Festis solemnioribus anni, aut occasione particularis Iubilaei et indulgentiae, quibus temporibus a Parochis maximo apparatu et pompa defertur SSmum Eucharistiae Sacramentum infirmis, omnes Ecclesiae sive Secularium, sive Regularium, sive Monialium, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili in contrarium, teneantur ac debeant pulsare campanas, dum praefatum SSmum Sacramentum, tam in eundo quam in redeundo, transit non solum ante portas maiores et laterales earumdem Ecclesiarum, verum etiam quando transit ante ianuam Domus, Conventus, Monasterii, Aedis Parochialis et Capitularis, quae respectivis Ecclesiis sit adnexa? » Responsum fuit: Affirmative; et Decretum typis imprimatur (Num. 2530). Cum par sit ratio quoad processiones, de quibus est sermo et alias quascumque dum Sacramentum circumfertur, in his etiam servanda est praefati Decreti dispositio.

16. Ne quid praeteriisse videamur, breviter notandum est, quod isthaec Processio ita est ordinanda, ut regulariter incipiat a parte Evangelii et progrediatur ad latus Epistolae, si intra Ecclesiam fiat: si per atrium proximamque plateam, recta procedat usque ad ianuam, pergat inde ad dexteram et per sinistram ad ianuam revertatur. Errat Meratus, qui ad Rubric. Missal. part. 2, tit. 14, num. 4, primum incedere facit deferentem Crucem cum Ceroferariis, deinde Confratres, mox Clerum. Nam, ut supra monuimus, primum incedere debent Laici vel habitu ordinario, vel proprio alicuius Sodalitatis amicti, quos sequitur Crucifer cum Acolythis candelabra gestantibus, et universus Clerus, ne ullo modo Laici cum Clericis misceantur, ut saepius Sacra Rituum Congregatio declaravit.

17. Quae in hac sanctione et sequentibus §§ de Processione praecipiuntur, diffusius illustrare nobis proposuimus, quia de ritibus agitur nedum in Urbe et in una tantum Processione instruenda pro Oratione Quadraginta Horarum servandis; verum etiam in aliis quibuscumque catholici Orbis Ecclesiis et in omnibus Processionibus, quae fiunt cum SSmo Sacramento, etsi solemnissimis, quae instrui solent, et etiam debent in maioribus Ecclesiis, recurrente quotannis Festivitate SSmi Corporis Christi et sequenti octiduo. Quamobrem, quae hic collecta sunt, prodesse poterunt Ecclesiarum Rectoribus et Caeremoniarum Magistris, ut caeremonias et ritus, qui in hisce Processionibus tenendi sunt, uno veluti intuitu colligant et, quae vitanda sunt, facile agnoscant.

§ XXI.

« La Processione si farà dentro la Chiesa,
« o al più per la piazza, quando l'angustia
« della Chiesa ne porti la necessità; e quando
« esca di Chiesa, si farà ben pulire la strada
« della piazza; dove, se vi sarà qualche bot-
« tega, dovrà tenersi chiusa durante la Pro-
« cessione ».

1. Si verba huius sanctionis attente considerentur, patebit quae fuerit eiusdem auctoris mens. Regula est, quod Processio per Ecclesiae ambitum fiat; et sola necessitas limitationi dat causam, si Ecclesiae angustia talis sit, ut quodammodo cogat ampliare viam, per quam circumferatur Sacramentum extra ianuae limites. Quamobrem, si late pateat Ecclesiae ambitus, ut sine confusione et tumultu possit Processio per eam circumduci, et populus, etsi frequentissimus, eam sequi commode valeat; haud fas erit, sine legis laesione, extra Ecclesiam eam ducere. Religiose id servatur in Patriarchalibus et nonnullis maioribus Urbis Ecclesiis. Huiusmodi namque Processio, cum solummodo fiat ad reportandum Sanctissimum Sacramentum ad Altare eiusdem Ecclesiae, in quo vel exponi debet, vel, impertita benedictione, reponi; haud opus est eamdem per vias extendi, sed satis est, si per Ecclesiae ambitum peragatur ad formam illius Processionis, quae fit Feria V in Coena Domini et Feria VI in Parasceve, quae, non absimili ex causa, extra Ecclesiam protrahi non debet. Verumtamen hanc, de qua agimus, extendi etiam posse credimus ad atrium, quo plerumque non carent Basilicae, quamvis sola Ecclesia sit capax continendi populum confluentem.

2. Verum si Ecclesia sit nimis angusta, nec proinde possit sine confusione per eam Processio circumduci, licet ultra progredi eamque peragere extra per plateam. Addit Cavalerius ad hunc locum : « Idipsum erit, si Ecclesia sit quidem ampla, sed intervenientium admodum frequens numerus ». Nec ego dissentiam ; finis namque Instructionis, quae limitat legem, est ne confusio fiat et tumultus, qui semper, sed maxime in sacris actionibus, est vitandus. Sed id accideret in Ecclesiis etsi amplis, si nimia esset frequentia confluentis populi, ad quem dirigendum et ordinandum longe maior extensio necessaria foret. Quoniam vero non ante omnes Ecclesias late undique extenditur platea, per cuius ambitum circumducatur Processio, non absonum videtur, imo consonum fini intento ab Instructione apparet, si ad proximas extendatur vias circum Ecclesias, quantum sufficit ad confusionem et tumultum vitandum. Honestas vero et reverentia debita Sacramento exigit iure suo, ut, quatenus Processio ultra Ecclesiae fores extendatur, nihil profanum, nihil indecens occurrat, nihil omnino, quod confluenti populo distractionis occasionem praebeat; quocirca merito iubet Instructio, ut, siquae sunt Officinae et Artificum diversoria, quae usitato vocabulo *Apothecas* dicimus, in transitu Processionis claudantur.

3. Alterum praeterea mandat, ut viae mundentur, *quando esca dalla Chiesa, si farà ben pulire la strada della piazza*. Nec tamen necesse est domorum parietes aulaeis, sericis pannis pictisve telis vestiri ; satis erit, si virentibus arborum foliis sternatur semita, per quam incedendum est. Mundities requiritur, non extraordinarius ornatus. Non enim ad hanc Processionem, quae est quid accessorium in praeparationem solemnis Expositionis, trahi debet dispositio Caeremonialis Episcoporum lib. 2, cap. 33, num. 2, nempe « ut viae, per quas Processio transire debebit, mundentur et ornentur aulaeis, pannis, picturis, floribus frondibusque virentibus, secundum posse et qualitatem loci ». Haec autem (praeter id, quod spectat viarum munditiem et commune est omnibus Processionibus) reservantur Processioni omnium solemnissimae, quae fit in Festivitate SSmi Corporis Christi et per sequens octiduum.

4. Satis quoad hanc Instructionis sanctionem. Sed quoniam nostri Instituti est

nedum persequi ea, quae ad Expositiones pertinent Quadraginta Horarum sacrasque actiones, quae ad eam referuntur; verum etiam ea simul attingere, quae licet ad eas non sint ordinata, aliquam tamen relationem habent; ut hoc opus nostrum inservire valeat pro aliis Expositionibus et Processionibus, quae cum Sacramento fiunt, operae pretium esse ducimus aliqua subnectere S. R. C. Decreta, quae praecipue versantur circa ea, quae vitanda sunt in solemnibus Processionibus cum Sacramento, quae plurimam relationem habent ad Caeremoniale Episcoporum.

5. Opportune notat Catalanus ad supra laudatum Caeremonialis locum, ut si quae ad ornatum apponantur per viarum tractum picturae, hae nonnisi sacra et religiosa exhibeant, profanum nihil; ac praeterea omnia honesta, casta et munda sint, ita ut per integrum viarum ambitum nihil prorsus sordidi, profani, ludrici indecorique appareat. « Cavendum maxime, inquit, ne in hac Processione actus scaenici, vel ludrici et indecori admisceantur ». Propterea Sacra Rituum Congregatio in Hispalen. sub die 21 Ianuarii 1690, ad 5, proposito Dubio : « An possit et debeat Archiepiscopus prohibere, ne in Festivitate et Octava Corporis Christi fiant in Ecclesia Cathedrali saltus seu *danze* a mulieribus et viris personatis pileis coopertis ante Sanctissimum Sacramentum, non obstante consuetudine introducta ? » respondit : « Posse et debere » (num. 1821). Quae enim Religionem laedunt, nulla ratione, praetextu aut longaeva immemoriali consuetudine praescribi possunt.

6. Sed eadem Sacra Congregatio morem omnino abolendum iussit introductum « associandi Processiones, quae fiunt in Urbe infra hebdomadam SS. Corporis Christi per pueros utriusque sexus repraesentantes Sanctorum Martyria et Mysteria : in una Urbis sub die 5 Martii 1667 ; et in Mediolanen. die 5 Novembris eiusdem anni 1667, ad Dubium 7 : An in Processionibus SS. Sacramenti in die solemnitatis SS. Corporis Christi eiusque Octava, tum aliarum Confraternitatum etc. permittendum sit, ut Pueri Puellaeque nedum septennio minores, sed Virgines ultra vigesimum annum, magno cum scandalo Sanctos Sanctasque, eorumque vitas, miracula et mortes repraesentantes cum insignibus eorumdem Sanctorum induant et incedant »; eadem S. C. respondit : Prohiberi (num. 1348 et 1361). Potiori iure haec et similia ab huiusmodi Processionibus arcenda sunt; quandoquidem eadem S. C. nec permittendum censuit, quod deferantur in iisdem instrumenta Passionis. Hinc in Veneta 17 Iunii 1684, proposito Dubio : « An in solemni Processione SS. Sacramenti Eucharistiae tam in die Corporis Christi, quam in maiori hebdomada, deferre liceat instrumenta SS̃mae Passionis Salvatoris Nostri Iesu Christi, scilicet fragmentum SS̃mae Crucis et Spinas etc. » respondit : Negative (num. 1731).

7. Abusus est non ferendus, quod in solemnitate SS. Corporis Christi Sacerdos Sacramentum processionaliter deferens non utatur pluviali, etiamsi agatur de aliquo Regulari Instituto, quod profitentes eo nequeunt uti ; nam hi etiam in eadem solemnitate et per octiduum debent in Processione pluviale adhibere. Ideo in una *Congregationis Montis Coronae* ad Dubium 5 : « An liceat non habentibus usum pluvialis in die et infra Octavam Corporis Christi peragere Processionem cum SS. Sacramento ; et illud sine pluviali exponere? » S. C. sub die 22 Ianuarii 1701, respondit : « Negative quoad primam partem ; et quoad secundam, non posse cogi, idest in Expositione SS. Sacramenti » (num. 2067). Excitatum idem dubium, in una Ordinis Minorum Excalceatorum S. Francisci Provinciae S. Didaci Hispalen., Sacra eadem Congregatio respondit : « Dandum et servandum esse Decretum emanatum pro Congregatione Montis Coronae ». Quod decretum etiam a Religiosis Excalceatis . . . servari mandavit. Die 15 Maii 1756, (num. 2440). – Quod autem non licet iis, qui ex Instituto pluvialis usum non habent, multo minus licebit Clericis Secularibus, prout declaravit eadem Sacra Congregatio in una Salutiarum die 18 Decembris 1784 (num. 2526).

8. Nedum vero in hac Processione a Celebrante assumendum est pluviale ; sed laudabile etiam, quod Ecclesiastici interessentes, sacris vestibus amicti, supplex agmen instruant. Quoad Dignitates et Canonicos Cathedralium id servandum omnino est, attenta Caeremonialis Rubrica lib. 2, cap. 33, num. 5, a qua recedere nec licet, etiam vacante sede, aut absente Episcopo ; veluti pluries declaratum fuit a S. R. C. Nulla Lex est quoad alias Ecclesias, sed non reprobanda, immo potius commendanda est consuetudo, ubi haec fit Processio, ut Ecclesiastici viri Casulas et Dalmaticas, Ordini quo insigniti sunt convenientes assumant ; quod probatum video ab eadem S. R. C.

die 20 Maii 1741, in una Nuceriae Paganorum (num. 2362). In his autem Processionibus non ferendus abusus irrepsit (utinam vero etiam in aliqua Cathedrali non irrepsisset!) ut seligantur pro Ecclesiasticorum comitatu paramenta, quae magis pretiosa sunt nulla habita ratione coloris solemnitati convenientis. Saepe quippe vidimus in tanta celebritate Mysterii Casulas et Dalmaticas adhiberi rubei coloris, quia auro plurimo argentoque contextas; et paramenta coloris albi non habebantur aeque pretiosa. Id est prorsus indignum et, si Ecclesiasticarum Legum spretum non secumfert, crassam tamen ignorantiam demonstrat. Caeremoniale Episcoporum loc. cit. Sacras Vestes exigit albi coloris; sed, etiamsi haec deesset Rubrica, legem dat qualitas solemnitatis, cui unus convenit color albus. Alba igitur sint talia indumenta, dummodo munda et decentia, licet nec auro argentoque contexta, nec phrygio opere elaborata.

9. Sed et alium abusum damnavit eadem Sacra Rituum Congregatio in Hispalen. sub die 21 Ianuarii 1690, ad 4, deferendi in Processione SS. Corporis Christi sellas, seu scabella, in quibus assideant Celebrans et Ministri Sacri, dum religiosum agmen consistit. Dubium hoc erat: « An celebrante Archiepiscopo, seu solum assistente, vel etiam ipso absente, liceat Subdiacono associanti Crucem Capituli, nec non Sacerdoti celebranti, ac Diacono et Subdiacono ipsi assistentibus in Processione SS. Corporis Christi, adducere facere post se scabella seu sedes ornatas brachiis, quas imperiales vocant, in quibus, quando Processio detinetur, solent assidere. Et responsum fuit: «Negative etiamsi deferantur ad ornatum tantum». Reproposita causa die 22 Ian. 1695, Sacra Congregatio stetit in decisis; et addidit: « Insinuandum etiam Archiepiscopo, ut ob reverentiam ipse quoque abstineat » (num. 1821 et 1919).

10. In omnibus vero Processionibus cum Venerabili Sacramento, non aliter licet istud deferre, nisi manibus Sacerdotis, non obstante qualibet consuetudine in contrarium. Ita in Syracusana Modicae sub die 2 Iunii 1618, Sacra Congregatio proposito Dubio respondit: « Servandam esse dispositionem Libri Caeremonialis, ut scilicet Sanctissimum Sacramentum a Celebrante propriis manibus deferatur, non obstante quavis contraria consuetudine, quam abusum declaravit » (num. 365). Et etiam expressius in una Syracusana sub die 24 Iulii 1638. Nam rogata Sacra Rituum Congregatio super intelligentia Decreti, proposito Dubio: « An praedictum SS. Sacramentum sit deferendum manibus tantum unius, an vero plurium Sacerdotum, in Terra Miniae, in qua viget etiam hodie consuetudo, quod deferatur humeris quatuor Sacerdotum, respondit: SSm̃um Eucharistiae Sacramentum non Sacerdotum humeris, sed manibus dumtaxat illius, qui solemniter celebravit in dicta solemnitate, deferendum esse » (num. 652). Nec aliter responderat sub die 2 Augusti 1631, declarando consuetudinem illam abusum omnino tollendum (num. 575). Videri etiam potest novissimum Decretum in Brugnaten. die 14 Maii 1803 (num. 2557). Porro Celebrans, etsi Episcopus, pedibus incedens deferre Sacramentum debet; et notorium est nunquam licuisse nec licere ei uti sede portatili; ut respondit eadem Sacra Rituum Congregatio in Meliten. 18 Ianuarii 1653 (num. 943). Quod si non licet humeris Sacerdotum circumferre Sacramentum in quadam machina collocatum, multo minus ferendum est, quod Feria VI in Parasceve deferatur vel in quadam *bara* per quatuor Sacerdotes, vel ab uno in quadam capsula ad modum tumuli formata. Idcirco utrumque omnino vetuit, ut abusum intolerabilem, eadem Sacra Congregatio in Corcyren. 13 Martii 1632 (num. 586).

11. Altera se offert quaestio, videlicet: Num Dignitates et Canonici, qui ex privilegio habent usum Pontificalium, in solemni Processione Corporis Christi possint Mitra caput operire, vel potius teneantur manu eamdem gestare? Quid iuris sit inquirere non est opus, postquam S. R. C. aperto capite incedendum esse, semel et iterum decrevit; contrariamque consuetudinem, etsi immemorabilem, tamquam abusum non ferendum et omnino eliminandum declaravit. Canonici Anneciensis Ecclesiae, qui ab immemorabili in hac Processione Mitram in capite deferre consueverant, dubitantes postea, num talis consuetudo retinenda tuto esset, Dubium exposuerunt Sacrae Rituum Congregationi, eam rogantes ut id eis licere benigne declarare dignaretur. Sacra Rituum Congregatio, nulla habita ratione immemorabilis, absolute respondit: Non posse: ac insuper addidit: et abusum esse tollendum. Ita die 13 Iunii 1682 (num. 1690); et in Urbinaten. sub die 29 Ianuarii 1752, ad Dubium 13: « An dictae Dignitates et Canonici (Pontificalium privilegio ditati) in Processionibus SS. Corporis Christi incedere

possint, capite Mitra cooperto?» responsum fuit: Negative; et amplius (n. 2418). Patet igitur a Dignitatibus et Canonicis Pontificalium usum habentibus, Mitram manu esse gestandam, ut ab aliis fit quoad biretum. Cum autem praefata Decreta satis sint clara, nec dubitandi aut interpretandi locum relinquant, otiosum esset scrutari: num Mitra semper haberi debeat tamquam sacrum Pontificale indumentum; et non potius quandoque, ut distinctivum et honorificum capitis ornamentum? Esto quod Mitra sacris vestibus adnumeretur quoad Episcopos et alios, qui a iure habent Pontificalium usum; quamobrem peculiaris habetur benedictio Mitrae in Pontificali Romano, et peculiaris item monitio, dum capiti imponitur: quoad Canonicos tamen et Dignitates, quibus ex privilegio datus est Mitrae usus loco bireti, haud haec videtur Pontificalibus vestibus adnumeranda, cum nulla adhibeatur vel sit pro eadem in libris ritualibus peculiaris benedictio, sed potius habenda tamquam simplex nudumque honorificum ornamentum ad operiendum caput, dum licet, vice bireti. Atqui interessentes Processioni Corporis Christi nequeunt biretum capiti imponere; ita etiam nec Mitram, qui ex privilegio habent eiusdem usum. Pluribus id possem demonstrare, si mei instituti ratio id pateretur. De Mitra siquis plura velit, consulere poterit «Card. Bona, Rer. Liturg. lib. 1, cap. 24, § 14; et Robertum Sala ad hunc locum, Catalanum in Proleg. ad Pontifical. c. XIX, Dominicum Giorgi de Liturgia Romani Pontificis lib. 1, c. 26, Macri in Hierolexico; et Du-Cangium in Glossario verbo *Mitra*».

12. Quaeri modo posset: num in solemnissima Processione SSmi Corporis Christi liceat pausare per viam, in aliquo erecto Altari Sacramentum deponere; et toties quoties Altaria occurrunt et pausatio fit, priusquam reassumatur Processio, benedictionem populo impertiri? Quod in aliqua Ecclesia vel Altari in via erecto possit tantisper Sacramentum deponi, nemini dubium, *dummodo tamen non saepe fiat.* Ita disponit *Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 33, num. 22.* «Si longior fuerit Processio, poterit Episcopus in aliqua Ecclesia et super illius Altare deponere SS. Sacramentum et aliquantulum quiescere; et ibidem, antequam discedat, thurificare SS. Sacramentum et Orationem de Sacramento cantare: quod tamen non passim in singulis Ecclesiis, vel ad singula Altaria, quae forsitan per viam constructa et ornata reperiantur, faciendum est, sed semel tantum vel iterum arbitrio Episcopi». Quod pariter fieri potest, si Sacramentum deferatur a simplici Sacerdote. Nam Sacra Rituum Congregatio, rogata in Albinganen. sub die 10 Iulii 1677: «An in die solemnitatis et octava Corporis Christi possint Parochi Seculares et Regulares, deferentes SS. Sacramentum processionaliter, deponere idem Sacramentum in aliqua Ecclesia, seu super Altare fieri solitum per vias ad instar Episcoporum?» respondit: Posse (num. 1596).

13. At in eo residet difficultas: num, priusquam reassumatur Processio, impertiri debeat benedictio populo? *Negative* respondendum esse suadet praefata *Caeremonialis* regula, quae deponi permittens Sacramentum in aliquo Altari, ut tantisper quiescat viresque reassumat Episcopus vel Sacerdos, nil prorsus habet de benedictione. Non inficior argumentum hoc negativum esse, verum positivum evadit, postquam Sacra Rituum Congregatio regulam declaravit. Siquidem, exorto Dubio: «An in Processionibus, in quibus per ipsas (Dignitates Cathedralis) defertur SS. Sacramentum, dum contingit illud poni super Altaribus, quae eriguntur per viam, spectet dare populo benedictionem ante eadem Altaria, Parochis vel Regularibus ea erigentibus; an potius ipsismet Dignitatibus?» Respondit non directe ad dubium, sed declaravit: «In hoc servanda esse Caeremonialis praescripta; et semel tantum elargiendam esse populo benedictionem in fine Processionis». Quamquam vero haec regula sit, paulatim tamen contrarius mos invaluit, qui universalis evasit; et modo si occurrunt Altaria per viam, vel pausatio fiat in aliqua Ecclesia, priusquam reassumatur Processio, Celebrans benedictionem cum Sacramento impertiri solet. Absit ut morem hunc a Praesidibus non improbatum suggillem: duo tamen advertenda esse reor. Primum: ut saltem servetur regula Caeremonialis, quod non quoties Ecclesiae vel Altaria occurrant, pausatio fiat, sed tantum semel et iterum. Secundum, quod si per viam extruantur Altaria, ea sint decenter ornata; et maxime opportunum foret, ut aliquis probus caeremoniarum peritus in id auctoritate Praesidum invigilaret.

14. Et revera ipsa Sacra Rituum Congregatio inductum morem approbasse videtur; etenim ad dubium: «An liceat Patribus Carmelitis in Processione Corporis Christi ingredi Ecclesiam Monialium S. Stephani

et ibidem benedictionem impertiri eisdem Monialibus, et deinde populo? Respondit: Licere Patribus Carmelitis ingredi Ecclesiam Monialium, accedente consensu Episcopi, ibique impertiendam esse unicam benedictionem Monialibus». Atque obiter notandum Sacram Congregationem huiusmodi responso damnasse abusum in aliquibus Monialium Ecclesiis inductum, elargiendi duplicem benedictionem, primum versus Moniales, dein versus populum, quod tamen expressius fecit generali decreto in una Urbis et Orbis die 11 Dec. 1773 (num. 2499): sed de hoc infra.

15. Ex quibus aliisque Decretis, quae loco magis opportuno indicabimus, patet removenda ab huiusmodi Processionibus, tum quae sacris ritibus, Ecclesiae regulis receptisque moribus adversantur; tum quae curiositatem potius excitant, quam devotionem foveant; tum ea potissimum, quae sacrae illius actionis sunt prorsus indigna. Optandum sane, ut Processiones omnes, in quibus defertur Sacramentum, ac praesertim illa solemnissima, in qua recolitur memoria Passionis eius, qui, pridie quam pateretur tantum Sacramentum instituens, magnum sui amoris pignus nobis reliquit, ita peragerentur, ut omnes concordi religionis affectu ad illud speciali cultu adorandum convenientes nullam in externae pompae apparatu occasionem distractionis invenirent, nihil, quod ad Ecclesiae leges non sit compositum! Obtineri id poterit, si cuncta ad probatos receptosque ritus conformentur: et Ecclesiastici Praesules solliciti sint, ne inducantur abusus et, siqui irrepserunt, continuo removeantur.

§ XXII.

«Se vi saranno istituite Confraternite di « Secolari, o siano vestiti di sacco o no, « tanto li guardiani ed Officiali di esse, quanto « li Confrati anderanno unitamente in corpo « avanti il Clero Secolare o Regolare, che « vi sarà, al quale dovranno sempre ce- « dere il luogo più degno: di più espres- « samente si comanda, che li Guardiani o « altri Officiali di essa non ardiscano, sotto « qualsivoglia pretesto di consuetudine o « altro, di andare dopo il baldacchino sotto « la pena di venticinque scudi a ciaschedun « Fratello, Guardiano o Officiale della Con- « raternita, il quale contravvenisse alla pre- « sente disposizione, in conformità dell' e- « ditto pubblicato l'anuo 1689; la qual pena « di scudi venticinque si dovrà applicare « alla medesima Confraternita, se sarà po- « vera, o al Monte del SSm̃o Viatico a No- « stro arbitrio. Monsig. Primicerio però do- « vrà andare dopo il baldacchino vestito « senza sacco coll'abito suo prelatizio e col « rocchetto, se n'avrà l'uso. Possono bensì « li detti Officiali portar l'aste del baldac- « chino, officio molto decoroso, per il quale « dice il Ceremoniale de' Vescovi lib. 2, « cap. 33: *Deputentur nobiles viri, Baro-* « *nes etc.* ».

1. Nedum Clerus Ecclesiae, in qua fit Expositio, adscriptus vel adscititius, Processioni debet interesse, verum etiam, siquae in eadem vel infra eius limites erectae sunt laicorum Sodalitates, quod praesertim de iis est, quae sub Sacramenti titulo militant; et ideo sunt institutae, ut Parochiis in delatione SSm̃i Sacramenti ad infirmos et publicis Processionibus inserviant. Hoc autem intercedit discrimen quod Clerus omnino tenetur in eo saltem numero, quem Instructio praescribit: Sodalitates vero non aeque omnes ad hanc interessentiam coguntur, ut patet ex diversis dicendi formulis, quibus utitur Instructio. Non enim omnes eodem modo servitium praestare debent Parochiis et Ecclesiis maioribus, sed et nonnullae sunt, quae, salvis iuribus parochialibus, praeeminentiis et subiectionibus, quae enumerantur in generali Decreto diei 10 Decembris 1703 (num. 2123): in reliquis sunt prorsus independentes. Idcirco ita intelligendam Instructionem puto, ut eas Sodalitates respiciat, quae vel in eadem Ecclesia erectae sunt, vel, etsi habeant Oratorium separatum, eidem sunt peculiariter adscriptae eiusdemque servitio addictae; et has crederem eximi non posse ab interventu; quoad alias vero, in facultate relinqui. Hanc distinctionem comprobat praxis universaliter recepta. Notandum tamen quoad Sodalitates non subiectas, quod, si interesse cupiant, non aliter poterunt, nisi obtento consensu ab Ecclesiarum Praesidibus; et sub iis legibus, quas iidem Praesides imponere necessarium aut aequum duxerint.

2. Quatenus vero aliqua intersit Sodalitas, haec ante Clerum Secularem incedere debebit; et huic digniorem ac nobiliorem locum relinquere: eiusdem sodales non confuse procedant, sed ordinate, *unitamente in corpo*. De ordine in Processionibus servando inter Confraternitates, Regulares et Clerum Secularem, clara est lex *Caeremonialis Episcoporum lib. 2, cap. 33, §§ 3*

et 5; et S. R. C. in Messanen. 7 Augusti 1621 edixit: « Servandam esse dispositionem Caeremonialis Episcoporum, ut nempe in Processionibus ante Regulares incedant Confraternitates Laicorum, quos sequantur iidem Regulares, postremo digniorem locum obtineat Clerus Secularis (num. 389). Absit quod Officiales, quos Guardianos et Priores vocant, indebitum sibi usurpent locum post baldachinum, vel immediate ante post Clerum. Id eis omnino interdicitur, non obstante quacumque consuetudine quae abusus est et corruptela omnino abolenda: possunt tamen ad baldachini latera cum intortitiis hinc inde incedere, quemadmodum supra opportune notatum est. Soli Primicerio datum est sacram actionem sequi post baldachinum, dummodo tamen habitu Praelatitio indutus sit. Haec exceptio favore Primicerii conformis est dispositioni *Caeremonialis Episcoporum, laud. cap. 33,* ubi eos inter, qui locum habere possunt post baldachinum adnumerantur Praelati; qui, (nisi aliqua dignitate fulgeant, vel Episcopo superiores sint, quibus convenit usus Cappae), in habitu Praelatitio ordinario debent incedere. Verumtamen si Primicerius, etsi Praelatus, non Praelatitia veste indutus, sed propria Sodalitatis, quem Saccum dicunt, interesse velit, privilegium amittet; et digniorem locum inter Sodales, quibus praeest, occupabit. Clara est enim tam Caeremonialis dispositio, quam Instructionis regula, quae habitum Praelatitium requirunt.

3. Id autem peculiare habet sanctio haec, quod ad hanc Processionem admittit tam Sodalitates illas, quae proprium habent habitum, quo ab aliis distinguuntur unumque corpus componunt, quam alias, quibus Sodales intersunt ordinario decenti habitu induti. Ita dum solemnis Expositio Quadraginta Horarum fit triduo Quinquagesimae in Templo Farnesiano ab Augustissimo Nominis Iesu titulo nuncupato, pia Nobilium Societas ibi erecta, quae sumptus facit, Processionem instruit, quin tamen habitu distinguatur, sed Ecclesiastici talarem induunt vestem, Laici vero in proprio ac decenti, qui eis convenit, habitu incedunt; omnesque simul unum corpus unitim constituunt, proprium in Processione occupant locum, nec cum aliis de populo confunduntur. Quamquam vero haec regula quoad Urbem servanda sit, eamdem etiam ad alias Ecclesias extendi posse iure existimo, tum quia laudabile est, quod Instructio ubique vim saltem directivam obtineat; tum quia dignum est, ut maior sit illorum copia, qui ad honorandum Sacramentum conveniunt. Cavendum tamen est, ut, si alicubi aliqua adsit Sodalitas, quae peculiari veste non distinguatur, omnes Confratres, iuxta locorum et personarum conditionem, decenti habitu induti intersint; ne, dum actum religionis et cultus exercent, illis praebeant occasionem distractionis et risus.

4. Advertendum praeterea est, quod, ubi plures Sodalitates conveniunt, circa praecedentiam, servari debet Constitutio s. m. Gregorii XIII, quae praediligit illos, qui prius vestes, quas Saccos dicunt, adoptarunt; ut videre est ex Decretis Sacrae Rituum Congregationis. Quaedam tamen privilegia supra alias in omnibus Processionibus, quae fiunt cum Sacramento, conceduntur Sodalitatibus illis quae sub eo titulo sunt institutae. Quod si aliqua intersit Societas sine saccis, sed in habitu ordinario, haec nec Crucem deferre potest, nec ullam praecedentiam habere supra alias; veluti eadem Sacra Congregatio declaravit in Bononien. die 9 Decembris 1617 (num. 359). In Processione, de qua agimus difficile est, ut plures Sodalitates conveniant; verum frequenter accidit in solemnissimis, quae fiunt in Festo SSmi Corporis Christi et per Octavam; idcirco bene est, ut ad quaestiones, quae non raro insurgunt, amputandas, in promptu sint quae indicavimus Decreta.

5. Equidem P. Merati part. 4, tit. 12, n. 13, ad Rubricas Missalis: Sodalitatibus, quae proprium non habent habitum quo distinguantur, nec locum assignat, sed cum populo confundit: « Primo procedant Confraternitates Laicorum, si adsint; et si utantur proprio et particulari habitu Confraternitatis, alias enim nullum habere debent locum particularem ». Ibi Meratus loquitur de solemni Processione, quae fit in Festo SSmi Corporis Christi. Celebritas Solemnitatis et magna pompa, qua circumducitur Supplicatio, in causa forte sunt, cur ipse opinaret non alios locum distinctum sibi vindicare praeter illos, qui nedum unum corpus efficiunt, sed etiam uniformi poenitentiae habitu a ceteris discriminantur. Haec tamen regula, quatenus generatim admittenda foret, trahi nequit ad Processiones minus solemnes et signanter ad eam, de qua agimus; dum nostra Instructio, secus disponendo, unitim Confratres incedere iubet, vel peculiari utantur habitu, vel ordinario. Quamquam si meum, quicumque sit, sensum promere licet, crederem posse regu-

lam Instructionis extendi etiam ad solemnes Processiones Corporis Christi; dummodo tamen, qui ordinario habitu utuntur, locum cedant Confraternitatibus, quae peculiarem habent et proprium, devote ac decenter incedant et non utantur Vexillo, seu Cruce, cum vel sine velo appenso, ut Sacra Rituum Congregatio edixit in Decreto supralaudato. Equidem pia Nobilium Sodalitas, quae in Farnesiano Templo erecta est, tametsi peculiari habitu non distinguatur, nihilominus erigit Crucem. Verum aut privilegio id est referendum, vel longaevae consuetudini, quae, dum laudabilis et rationabilis est, vim legis obtinet, sed contra regulam nequit in exemplum afferri.

6. Iubet Instructio, ut supra vidimus, ne Sodalitatum Guardiani ac digniores Officiales locum sibi usurpent post baldachinum, neque audeant Sodales incedere prope Sacramentum post Clerum. Sed praetereundum non est hic Decretum Sacrae Rituum Congregationis, quae alium damnavit abusum: reprobavit nempe ac aboleri mandavit consuetudinem vigentem, quod in Processionibus Sanctissimi Sacramenti post Clerum unus vel duo ex Confratribus incederent immediate ante SS̃mum Sacramentum cum campanulis. Hoc Decretum inservire potest pro regula in aliis casibus, in quibus Sodalitates Laicorum sub uno aliove praetextu se cum Clero miscere, vel indebitum locum occupare tentarent.

7. Quamquam vero eadem instructio comminatione poenarum illorum coerceat licentiam, qui secus fecerint; Guardianis tamen et aliis dignioribus Officialibus concedit perhonorificum munus deferendi hastas baldachini; ad quod, iuxta *Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 33,* § *13: in Processione SS̃mi Corporis Christi deputantur Nobiles viri seu Barones.* Ne autem oriantur iurgia et dissidia circa ordinem, quem tradit idem *Caeremoniale Episcoporum lib. 1, cap. 14,* § *2:* hoc est, ut dignior ferat primam hastam, quae prima est ante Celebrantis dexteram; secundus alteram, quae prima est ante Celebrantis sinistram; tertius aliam, quae sub prima est a parte dextera; quartus aliam, quae succedit primae a parte sinistra; quintus tertiam hastam a parte dextera; sextus tertiam a parte sinistra; et sic deinceps, ita ut minus digni habeant postremas hastas post tergum Celebrantis.

8. Pauca quaedam hic addere iuvat, quae opportuna videntur, licet de his Instructio expresse non agat. Hisce Processionibus quandoque sponte intersunt nonnulli pii viri, plurimi etiam mittuntur a Cardinalibus et Proceribus ex eorum domesticorum numero cum intortitiis. Facile postremos inter hos contentiones excitantur de praecedentia: ad has penitus obtruncandas, plurimum expediret, si ad omnes indistinctim Processiones, et praesertim ad illas pro Expositione et Repositione Sacramenti in Oratione Quadraginta Horarum, quaedam extenderentur ex illis regulis, quas servandas iussit Innocentius XII et iterum confirmavit ac evulgari mandavit Clemens XIII anno eius Pontificatus primo, dum solemniter defertur Viaticum ad infirmos. Opportunum ducimus hic illam excribere, quae ad hanc rem propius pertinet. « Ita § 28: Appresso allo stendardino comincieranno a venire i Laici di cappa corta, con in mano le torcie accese; chi va a destra, porterà colla mano destra la torcia, chi a sinistra colla sinistra. Questi Laici però anderanno alla rinfusa, cioè senza precedenza veruna fra loro, ancorchè essi fossero di qualsivoglia grado o condizione; e quantunque fossero Servitori, Gentiluomini ed Ufficiali di qualsivoglia gran personaggio: intendendo espressamente anche ciò, se fossero i medesimi familiari, non che Servitori, Parafrenieri di Nostro servizio. Anderanno dunque i Laici suddetti di cappa corta a due a due come si trovano a caso; e come disporrà di essi chi ha il peso d'ordinare la Processione. Non riproviamo però, che i Servitori del medesmo Padrone vadano insieme, senza mescolarsi coi Servitori d'altri: ma si proibisce bensì che i Servitori di un Padrone, qualunque sia, volessero la precedenza sopra li Servitori d'altri per qualsivoglia pretesto. Comandando Nostro Signore espressamente, che in in queste Processioni del SS̃mo Viatico, si abbia da intervenire per pura devozione e senza pretensione veruna di luogo ecc. ».

9. Sed illud, utinam non frequenter! accidit incommodum, ut inter varias Sodalitates, praecipue in solemnibus Processionibus, oriantur aemulationes, non tantum circa praecedentiam, cui satis provisum est per Constitutionem Gregorii XIII, Caeremoniale Episcoporum et Sacrae Rituum Congregationis Decreta; sed circa extrinsecum apparatum, luminum copiam, musicorum concentus et similia; quae tantum abest, ut devotionem concilient, ut imo saepe saepius perniciosa sint semina dissidiorum. Ad hu-

iusmodi avvertenda mala, quae ut plurimum non leve afferunt animabus detrimentum cum religionis et cultus dispendio, excitanda foret Pastorum sollicitudo, ut certam praescriberent methodum Sodalitatibus quod ad sumptus, luminum copiam, musicales concentus et similia; comminatis poenis contra transgressores; ita ut cuncta sint ordinata ad devotionem, non ad curiositatem fovendam, ad cultum et religionis actus excitandos, non ad aemulationes et contentiones gignendas. Quae dicta sint praesertim relate ad solemnissimas Processiones, quae fiunt in octiduo selemnitatis Corporis Christi; nam quoad eas, de quibus ex Instituto agimus, difficile est ut occurrant huiusmodi aemulationes.

§ XXIII.

« Di più ordiniamo ai suddetti Cleri Se-
« colare e Regolare, che nelle proprie Chiese
« non permettano, che si pratichi in con-
« trario, sotto le pene contenute nel sud-
« detto editto, cioè di scudi venticinque
« alli Superiori e Rettori delle Chiese Se-
« colari e di privazione di voce attiva e
« passiva alli Superiori Regolari con altre
« a nostro arbitrio. Quando poi vi fosse al-
« cuno, che tanto ardisse, si notifica che
« oltre le suddette pene imposte di sopra,
« resterà *ipso iure* privo dell'officio e cas-
« sato dalla Confraternita respettivamente
« il Guardiano o Guardiani ed Officiali, i
« quali contravverranno a questo nostro or-
« dine : resterà la Confraternita e Chiesa
« privata di far più tale santa Esposizione,
« finchè da noi non sarà reintegrata; si di-
« chiara anche, che all'accusatore di tal con-
« travvenzione si darà la terza parte della
« suddetta pena, coll'esser tenuto segreto ;
« e la suddetta disposizione vogliamo che
« si osservi in tutte e singole le Processioni
« ed Esposizioni particolari ».

1. Nihil in hac sanctione est speciali adnotatione dignum, nisi quod ex comminatione poenarum nedum contra transgressores, verum etiam contra Ecclesiarum Praesides, qui vel negligunt praescriptam regularum observantiam, vel non sunt satis vigiles, ut eaedem ab aliis serventur; colligitur qualis fuerit solicitudo Summorum Pontificum, ut quae pertinent ad cultum praestandum Augustissimo Sacramento, adamussim religiose impleantur. Ex integro vero contextu et ex iis, quae in praecedenti sanctione statuta sunt, satis apparet poenalem hanc legem dictam potissimum esse ad coercendam Officialium Confraternitatum licentiam, qui prae ceteris, ut sibi quod eis non competit usurpent, vel introductos abusus tueantur atque sustineant, non verentur a legibus declinare; et hac de causa nonnunquam turbas ciere. Ideo *Instructio* huiusmodi poenalem legem non limitat ad Processionem et Expositionem, de quibus agimus, sed extendit ad alias omnes et singulas etiam particulares, quas per annum fieri contingat. Intelligendum tamen id est cum quadam moderatione; et relate ad eas tantummodo regulas, quae generales sunt. Non enim praescribit *Instructio,* quod Expositiones omnes particulares ad eius normam quoad omnes praescriptas conditiones fiant: vult tamen, ut quatenus ita fieri velint, eadem servetur methodus ; in id praesertim urget, ut quoquo modo fiant, Ecclesiasticae Leges serventur, non inducantur abusus, et, siqui sunt, eradicentur.

2. Praeterea isthaec poenalis lex vim coactivam non habet extra Urbem, ultra quam *Instructio* non extenditur. Episcoporum est, quibus incumbit diligenter curare quae ad Dei cultum pertinent, solicite invigilare, ut pro locorum et personarum conditione, pro circumstantiarum et functionum varietate, quae in hac *Instructione* continentur in eorum Dioecesibus ad praxim deducantur, etiam quoad comminationem poenarum, quae tamen variari, moderari et, quatenus opus sit, etiam augeri poterunt, prout eis in Domino magis expedire videbitur. Ubi enim effectu carere monitiones noscuntur, ad impediendos et removendos abusus et actus irreligionis eliminandos, plurimum prodesse comminationes poenarum experientia nos docet.

§ XXIV.

« Ritornata la Processione in Chiesa e
« giunto il Celebrante al grado infimo del-
« l'Altare maggiore, il Diacono genuflesso
« riceverà il Santissimo da esso Celebrante
« (il quale immediatamente genufletterà de-
« ponendo il velo umerale) e lo collocherà
« nella base del Trono, andando poi, fatte
« le dovute riverenze, al suo luogo. Li can-
« tori divotamente e con pausa canteranno
« il ℣. *Tantum ergo etc.* ed al versetto: *Ge-*
« *nitori, Genitoque etc.* il Celebrante, alza-
« tosi con li Ministri, porrà ivi nel mezzo
« l'incenso nel turibolo senza benedizione ;
« e genuflesso incenserà tre volte il Sacra-

« mento: terminato l'Inno, senza dirsi il « ℣. *Panem de coelo etc.,* si canteranno dalli « suddetti Cantori le Litanie contenute nel « libro stampato per l'Orazione delle qua- « rant'ore (il qual libro puramente senza al- « cuna mutazione dovrà usarsi in qualun- « que altra Esposizione del Santissimo, che « si faccia particolare). Dopo che avrà detto « le preci, il Celebrante alzatosi (a cui li « Ministri sosterranno il libro) senza fare « nuova genuflessione, canterà a mani giunte « il ℣. *Dominus vobiscum etc.* con le Orazio- « ni, le quali terminate, genuflessi faranno « breve orazione; ed indi partiranno a capo « scoperto sino ad una ragionevol distanza « dal Sacramento, dandosi così il principio « all'Orazione delle quarant'ore ».

1. Ad eam *Instructionis* partem devenimus, in qua, ut notat Cavalerius, nonnulla occurrunt, quae vel pugnant, vel non omnino concordare videntur cum *Caeremoniali Episcoporum* et *Rituali Romano.* De his suo apte loco agemus, explanando ritum, de quo loquitur praesens sanctio, quae est de reditu Celebrantis ad Altare, ceterisque sacris actionibus pro solemnitate Expositionis faciendae necessariis. Itaque Celebrans in Processionis reditu, iuxta eamdem sanctionem, se sistit ante infimum Altaris gradum in plano; ibique stans tradit Ostensorium Diacono genuflexo utroque genu e conspectu Celebrantis, sed tantillum lateraliter a cornu Epistolae. Ubi Diaconus de manu Sacerdotis Sacramentum recepit, illico erectus brevi cunctatur morula in medio Altaris, donec Celebrans, qui statim genuflectit, illud una cum Subdiacono profunda capitis inclinatione adoret; interim a Celebrantis humeris per aliquem ministrum removetur velum humerale; Diaconus vero Sacramentum statim in Throno collocat, adhibito scabello, quatenus opus sit. Exposito autem Sacramento in suo Throno, Diaconus descendit sine ulla praevia capitis inclinatione; et in suppedaneo genuflectit unico genu absque pariter capitis inclinatione; et continuo surgens lateraliter descendit, suumque occupat locum ad dexteram Celebrantis, ibique manet genuflexus.

2. Atque hic notat Cavalerius, quod Instructio iubens Celebrantem et Ministros ad infimum Altaris gradum consistere debere, corrigit dispositionem *Caeremonialis Episcoporum lib. 2, cap. 33,* §. *24,* ubi legitur: « Postquam Episcopus pervenerit ad supremum Altaris gradum . . . . Diaconus accipiet de manu ipsius Episcopi stantis Sanctissimum Sacramentum etc. ». Supremus quippe gradus infimo certe non respondet. Advertendum tamen primum est *Instructionem* hac in parte directivam esse, non praeceptivam: et cum agatur potius de modo servando, quam de ritu exercendo, qui semper idem est, quicumque sit modus; haud existimo per eamdem antiquari penitusque aboleri dispositionem *Caeremonialis.* Ut supra iam vidimus, inter Scriptores liturgicos magna est dissensio circa rem hanc, diversaque proinde est Ecclesiarum consuetudo: quamobrem mos qui in aliquibus Urbis Ecclesiis servatur, forte occasionem dedit extensori Instructionis ea utendi formula, ut Sacerdos in infimum Altaris gradum consistat, nec tamen per eam contrarius usus *Caeremoniali Episcoporum* conformis est reprobandus.

3. Notandum secundo tantam esse discordiam inter *Caeremoniale* et *Instructionem,* ut illud per hanc correctum et emendatum censendum sit. Duae enim actiones sunt distinguendae. Altera versatur circa locum, ubi Celebrans tradit Sacramentum in Throno collocandum, altera vero locum respicit, in quo genuflexus consistere debet et Sacramentum in Throno iam collocatum incensare. Allata *Caeremonialis* dispositio primam partem spectat; et quoad hanc convenire non videtur cum *Instructione:* verum non praeterit alteram, subdens n. 26: « Episcopus vero, deposito velo », (scilicet adorato Sacramento in supremo Altaris gradu, stante Diacono in medio suppedanei) « genuflectet in pulvino in infimo gradu Altaris »: et in hoc convenit cum *Instructione.* Hanc autem postremam Rubricam, cohaerenter ad alteram, quae dat causam quaestioni, ita declarat Catalanus: « Adorato tantisper Sacramento (e loco scilicet, in quo illud Diacono tradiderat), Episcopus, deposito velo, genuflectet super pulvino in infimo gradu Altaris; id est descendet e supremo gradu ad infimum eius gradum; et remoto ab eo velo humerali per Caeremoniarium, genuflectet super pulvino in infimo gradu Altaris ».

4. *Ritualis Romani Rubrica* tam clara non est ac illa *Caeremonialis,* eumdem tamen sensum habet. Nam titulo *de Processione in Festo SSmi Corporis Christi* § 3, dicitur, quod ad inchoandam Processionem « Sacerdos Ostensorium seu Tabernaculum a Diacono sibi porrectum reverenter suscipit in supremo Altaris gradu: mox § 5 » nihil in specie notatur de loco,

quem tenere debet post reditum, dum tradit Diacono Sacramentum: ex hoc tamen silentio deducit Baruffaldus Celebrantem repetere debere locum, unde discesserat, ibique tradere Ostensorium Diacono et, adorato Sacramento, descendere ad infimum gradum et genuflectere. Catalanus adhaerens Bauldryo ad eumdem *Ritualis* locum ait: « Celebrans cum ascenderit ad secundum gradum Altaris, deponit Sanctissimum Sacramentum stans in manus Diaconi genuflexi in plano suppedanei ». At secundus gradus respondet supremo, quia ut plurimum Altaria habent duos gradus praeter suppedaneum: nam si longe plures essent gradus, multum incommodum foret, ac etiam indecens, quod Diaconus genuflexus in suppedaneo Sacramentum reciperet e manibus Sacerdotis per duos tresve gradus longe distantis. P. Merati part. 4, tit. 12, num. 2, eadem fere verba *Caeremonialis* usurpat: « Celebrans, adorato SSmo Sacramento, ut supra, descendit ad infimum Altaris gradum cum Subdiacono; et remoto ab eo velo humerali per Caeremoniarium, genuflectit in eodem infimo gradu ». Tametsi vero infra adnotet dissentire inter se Auctores in designando loco, in quo genuflexus Sacerdos incensare debet Sacramentum, nullum tamen dubium movet de supremo Altaris gradu, in quo a Celebrante tradendum est Ostensorium Diacono genuflexo in suppedaneo.

5. Hic certe modus a *Caeremoniali* praescriptus et ab omnibus fere Scriptoribus de re liturgica admissus, magis congruere videtur; quia, si Celebrans in infimo gradu Altaris traderet Ostensorium Diacono, hic sistere paulisper deberet in secundo, secus ac Auctores notant, qui eum ponunt in suppedaneo; et longe decentius id est et minus habet incommodi. At ubi per plures gradus ad Altare ascenditur, stare nequiret Diaconus in suppedaneo, si Celebrans ultra ultimum, hoc est infimum gradum non progrederetur. Unde patet perperam a Cavalerio ad hanc sanctionem num. 6, adfirmari « quod traditio Ostensorii a Sacerdote stante ante infimum gradum Altaris commodior est et facilior manibus Diaconi genuflexi in suppedaneo, quam si fiat a Sacerdote stante in supremo gradu ». Quin ego demonstrem contrarium, ubi Altare habet plures gradus, facile, re ipsa inspecta, colligere quisque potest: sed etiam magis errat idem Auctor, inquiens ibidem, quod « Caeremoniale Episcoporum, nedum Episcopum in supremo gradu ponit, dum ipse tradit Diacono Sacramentum, sed insuper facit eumdem Episcopum in supremo gradu genuflexum Sacrosanctam Eucharistiam incensare ». Nam longe secus *Caeremoniale* disponit, et Episcopum collocat genuflexum super pulvino in infimo gradu, dum is Sacramentum thurificat. En verba: « Episcopus vero, deposito velo, genuflectet super infimo gradu Altaris, mox surget et imponet incensum . . . . et iterum genuflexus . . . thurificabit ». Hinc et in nostra etiam specie crederem quod Sacerdos, facta adoratione in supremo gradu, statim descendat ad infimum brevissimo eo temporis intervallo, quod impendit Diaconus, ut se ad Altare convertat, Sacramentum deponat et interim genuflectat, priusquam, admoto scabello, surgens illud in Throno collocet; et iterata genuflexione ad dexteram Celebrantis revertatur.

6. Ad *Instructionem* revertor, quae, si sensum potius attendamus, quam materialiter verba, forte *a Caeremonialis Rubrica* non dissentit; saltem eam non corrigit, secus ac vult Cavalerius. Siquidem haud distinguit duas diversas actiones, veluti *in libro Caeremonialis* fit, sed utramque simul componit; et ne a praxi forsan in Urbe vigente dissentire videretur, eum exhibuit modum, qui eidem responderet praxi; et quamquam ab altero nonnihil diversus, ritus tamen essentiae minime repugnans, quia vel in infimo, vel in supremo gradu Celebrans Ostensorium Diacono tradet, eaedem omnino caeremoniae servandae sunt. Nec tamen nostra *Instructio* finem habuit reformandi *Caeremonialis* dispositionem, nec potuisset, sanctione quae extra Urbem vim legis non habet. Ne te fugiat quod licet *Instructio* vel praeceptiva sit, vel tantum directiva, aliquas regulas servandas edicit, haud tamen adamussim omnes caeremonias et ritus ordinatim enumerat; neque id eius ferebat institutum, quum ordo caeremoniarum et rituum in praxi tenendus habeatur in libris ritualibus. Sed non omnia, quae in his praescripta sunt, eodem servato modo et ordine ubique fiunt. Locorum consuetudo, salva rituum substantia, suam vim habet. Concludam idcirco posse utrumque modum servari, iuxta diversum Ecclesiarum morem. Absit vero, ut dicamus per *Instructionem* et regulam municipalem, correctam fuisse dispositionem *Caeremonialis,* cui legis universalis vis tribuitur.

7. Sed et alia se offert quaestio. Iubet

Instructio, iubent *Rituales libri* Hymnum *Tantum ergo* esse cantandum simul ac expositum fuerit Sacramentum sub baldachino et Diaconus ad latus Celebrantis redierit. Duo igitur disputationis occasionem praebent. Primum versatur circa personas, a quibus intonari debet, alterum respicit praecise tempus, quo id fiat. Ad primum quod attinet, id munus Cantoribus tribuit *Instructio* « li Cantori divotamente e con pausa canteranno il verso *Tantum ergo etc.* » adhaerens Caeremoniali Episcoporum iubenti loco cit. num. 25.: « Interim Cantores in cantu pausato et devoto cantabunt Versiculum *Tantum ergo etc.* ». Rituale Romanum ad omnem Clerum extendit: « Omnes Ecclesiastici, qui adsunt, sequentem Hymni partem concinant ». Nec propterea Rituale a Caeremoniali et Instructione dissentit; nam praeterquamquod, ut alibi notatum est, Rituale consulere praesertim debet minoribus Ecclesiis, in quibus plura fieri nequeunt ex iis, quae in maioribus fiunt; aliud est intonare, quod per Cantores fit, aliud cantum prosequi, quod per circumstantem populum, praesertim vero per Ecclesiasticos fit. Verumtamen vel Caeremonialis et Ritualis Rubrica spectetur, vel Instructionis dispositio, nullibi intonatio Celebranti committitur; et vix, ut notavi supra, agens Rubrica Ritualis de intonatione Hymni *Pange lingua etc.* in supplicationis initio, ut prospiciat minoribus Ecclesiis, quae Clerum non habent, disiunctiva utitur: *Clerus aut Sacerdos cantare incipit etc.* Quid igitur? Numquam ergo erit per Celebrantem intonandus? *Caeremoniale* et *Rituale* agunt de solemnissima Processione in Festo Corporis Christi et per eius octavam; *Instructio* vero de Expositione pariter solemni Quadraginta Horarum. In hac praesumptio est, quod adsit copiosus Clerus et Cantores non desint; ideo his intonatio committitur et non Celebranti. In aliis vero Expositionibus minus solemnibus, quae frequenter per annum fiunt, quibus nec Clerus adsistit nec Cantores adsunt, bene stat, si per Celebrantem, Hymno intonato, illum populus prosequatur. Atque ita est universalis fere praxis; imo et ita etiam fieri posse non dubito in solemnibus illis, si, ut in parvis oppidis et pauperioribus Ecclesiis accidit, Cantores desint et Clerus sit sane modicus. Recole quae dicta sunt ad § 19.

8. Potior est difficultas quoad tempus, quo praedictus Hymnus cantari debet. Siquidem *Caeremoniale Episcoporum* sic ordinem disponit, ut videatur innuere, quod intonandus Hymnus sit, dum Diaconus collocat Sacramentum in medio Altaris et Episcopus e supremo gradu descendit ad infimum loco cit. n. 24, 25, 26; *Rituale Romanum* Hymnum concinendum vult, dum Sacerdos de more incensat Sacramentum; nostra vero *Instructio* cantandum iubet, postquam Diaconus rediit ad locum suum, hoc est ad Celebrantis dexteram; convenire igitur aliquo modo videtur cum *Rituali,* discordare vero a *Caeremoniali.* Hinc Cavalerius adnotat: « Instructioni autem, quae, cum modernior sit, quatenus opus sit, antiquis Caeremonialibus derogat, standum esse profecto circumstantiae postulant, nimirum profunda inclinatio, quae ad praedictum versum *Tantum ergo* usque ad *cernui,* ab omnibus Sacramento fieri debet. Talis enim inclinatio profecto expostulat Sacramentum, cui inclinari debet, iam super thronum in omnibus conspicuum; et non in manibus Diaconi, qui alias eadem verba neque posset sua inclinatione comitari; et non semel ipsius Sacramenti visionem fidelibus impediret ». Bene quidem. Nequeo tamen ipsi assentiri, dum ait Instructionem derogare *Caeremoniali:* non derogat, sed explicat et declarat, quod forte ambiguum et obscurum, cum in *Caeremoniali,* tum in *Rituali,* alicui videri poterat. Non ita enim intelligendum est *Caeremoniale,* ut Cantores intonare debeant ℣. *Tantum ergo etc.* actu, quo Episcopus descendit ad infimum gradum Altaris; verum postquam ad illum iam devenerit ibique genuflexus manet; neque ita accipienda *Ritualis* dispositio, ut intonari debeat Hymnus, dum Sacerdos actu de more incensat Sacramentum; nam ibi non intonationem, sed cantus prosecutionem denotat.

9. Igitur iuxta *Instructionis* praescriptum et iuxta sensum tam *Caeremonialis* quam *Ritualis,* postquam Diaconus rediit ad locum suum, hoc est ad dexteram Celebrantis, tunc intonandus est Hymnus *Tantum ergo etc.,* et omnes debent profunde inclinari usque ad secundum versum inclusive, nam in verbo *cernui* completur dictionis sensus, qui inclinationem postulat. An autem usque ad verbum *cernui* perseverandum sit in inclinatione profunda, quoties per musicos cantatur Hymnus cum maxima versuum repetitione, dubitare quis posset. Praxis communis est (et Auctores conveniunt) quod ab inclinatione cessandum sit, statim ac prima vice absolutus est se-

cundus versus, quemadmodum in aliis Hymnis et precibus, quae vel genuflexionem exigunt, vel capitis inclinationem, dum modulatis vocibus saepe versiculi repetuntur.

10. Aliam heic loci promovet quaestionem Cavalerius, quae etiamsi primo intuitu a nostro instituto fortasse videatur extranea, praetereunda tamen non est, quia revera in idem obiectum tendit eumdemque habet finem. Quaerit igitur : num genuflectendum sit ad integram stropham *Tantum ergo etc.,* dum vel exposito, vel in Tabernaculo incluso SSm̃o Sacramento, solemnes Vesperae de eodem persolvuntur, veluti praesertim accidit in Festo et per octavam Solemnitatis SSm̃i Corporis Christi ? Licet Auctores cohaerenter *ad Caeremoniale Episcoporum lib. 1, cap. 28, num. 6,* conveniant omnes, quod ad eam partem Hymni, quotquot sunt in Choro genuflectere debent ; discordant tamen quoad tempus permanendi in genuflexione. Nam, ut ait Cavalerius ad hunc Instructionis locum, « aliqui non designant numerum versuum Hymni, quibus genuflexio perdurare debeat, alii ad totam primam rhapsodiam, seu stropham genuflexionem extendunt, alii ad quatuor primos dumtaxat versus; nec desunt qui ad duos solummodo primos versus, scilicet ad *cernui.* Equidem hi duo primi versus ex verbis, quibus constant, peculiarem prae ceteris considerationem exquirunt; sed quoniam communior sententia, nedum in praesenti casu, sed in Hymnis omnibus, quorum versus aliquis genuflexionem exposcit, ad totam eiusdem stropham in genuflexione persistendum esse autumat ; ab eadem discedendum non esse credimus ; et maiorem considerationem, quam duo primi versus exquirunt, sitam esse putamus in profunda inclinatione, quam ultra genuflexionem iidem versus exposcunt, ut verbis consonet corporis gestus. Tam ergo in Officio Divino, quam in precibus omnibus coram Sm̃o Sacramento, dum praedictus ℣. *Tantum ergo etc.* dicitur, ab omnibus omnino persistendum erit in inclinatione usque ad *cernui,* in quo verbo cum compleatur dictionis sensus, quae inclinationem postulat, inclinatio cessabit et ad reliquos versus sola perdurabit genuflexio ». Atque haec est praxis, quae obtinet in maioribus Urbis Basilicis. Adeundus Merati ad Gavantum in Rubr. Breviarii sect. 10, cap. 2, num. 8, ubi enumerat Ritualia et Auctores, qui de hac re diversimode agunt.

11. Standum igitur videtur universali praxi, quae genuflexionem protrahit ad integram stropham. Licet vero quaestio isthaec, ut aiebam, videatur alicui a nostro instituto extranea, non parum tamen prodest ad constabiliendam rationem, ob quam iubet nostra Instructio ut Sacerdos surgat ad initium sequentis strophae *Genitori Genitoque etc.,* imponat incensum in alterum ex thuribulis ; et iterum genuflexus, triplici ductu Sacramentum thurificet. Nam si Ecclesiarum praesertim principalium Urbis universalis est praxis, ut in Horis Canonicis ad unum alterumve Hymnorum versus, qui genuflexionem requirunt, veluti praeter *Tantum ergo etc.* sunt : *O salutaris Hostia : O Crux ave spes unica : Veni Creator Spiritus: Ave Maris Stella etc.,* omnes genuflexi persistant usque ad finem strophae, licet non omnes aeque versus, ut primi, distinctam illam actionem exigant; multo magis congruit, ut eadem regula servetur tam in casu nostro, quam in aliis Expositionibus ; et Sacerdos non surgat, nisi expleta prima stropha. Quid ergo dictione *congruit* usus sum? Alteram, *debet,* sufficere oportet: quum declaratum id videam a S. R. C. in Bituntina die 14 Novembris 1677 (num. 1583, ad 7).

12. Haec autem regula limitationem pati posse videtur eidem Cavalerio, ubi praedicta stropha cantatur cum repetitione verborum. Tum enim ipse existimat posse Sacerdotem surgere ad imponendum incensum, etsi Cantores adhuc in verborum repetitione immorentur. Idipsum consequenter erit, si unam inter alteramque stropham interponatur sonus organi et instrumentorum. Cum enim Sacerdos in utroque casu per integram stropham genuflexus permanserit, nil vetat, quin surgat ad imponendum incensum, vel dum postrema repetuntur verba, vel dum organa aliave instrumenta, silentibus vocibus, prima absoluta stropha, pulsantur.

13. Quae traditae sunt regulae circa genuflexionem et capitis inclinationem causam praebuerunt, ob quam iubet Instructio « al Versetto *Genitori Genitoque etc.* il Celebrante, alzatosi colli Ministri, porrà ivi nel mezzo l'incenso nel turibolo . . . e genuflesso incenserà ecc. »; ne, si secus fiat, surgere cogatur, nondum absoluto cantu primae strophae. Haeic autem loci Instructio aliquantulum dissentire videtur a *Caeremoniali, Rituali et rubricarum expositionibus.* Etenim *Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 33,* agens de benedictione populo impertienda post solemnem supplicationem in

Festo SSmi Corporis Christi, surgere facit Episcopum, ut imponat incensum, dum cantatur Hymnus *Tantum ergo*. In Rituali legitur: « Ecclesiastici, qui adsunt . . . dum Sacerdos de more incensat, sequentem Hymni partem concinunt *Tantum ergo etc.* Ad hunc Ritualis locum Baruffaldus notat: Intonandum esse Hymnum, dum Sacerdos primo ductu incensat, vel paulo ante ». Gavantus ad Rubricas Missalis part. 4, tit. 12, num. 7: « Fit incensatio trina de more, cantante interim Clero . . . ultimos duodecim versus Hymni *Pange lingua etc.* ». Corsettus tract. 1, part. 2, cap. 10, num. 19: « Interim dum cantatur *Tantum ergo Sacramentum* et reliqua usque ad finem Hymni praedicti, Celebrans Sacramentum incensat ». Haud tamen notant, ad quem praecise Hymni versum id fieri debet. Bauldryus in Manuali etc. part. 4, cap. 16, artic. 3, num. 31: « Interim Cantores, statim ac Celebrans incipit suam incensationem (et non prius), incipiunt versum *Tantum ergo etc.* . . . Celebrans vero ita metiri debet suam trinam incensationem, ut ipsa duret quamdiu hi duo versiculi cantantur: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui* ». Quo posito imponendum esset thus ante Hymni inchoationem, ut Celebrans expeditus posset ad primum illum versum thurificare Sacramentum. Catalanus ad laudatum Ritualis locum adversari ait doctrinae Bauldry *Caeremoniale Episcoporum* mandans: « Episcopum (idem de Sacerdote Celebrante) dum Cantores cantant versiculum *Tantum ergo Sacramentum,* surgere a genuflexione in infimo gradu Altaris et ponere incensum, utique post cantatum ipsum versiculum *Tantum ergo etc.* ». Sed ipse dum alium carpit, potiori iure notandus est; utpote qui Celebrantem surgere facit post primum versiculum, ideoque stantem ponit ad secundum *Veneremur cernui,* qui exigit cum genuflexionem, tum capitis inclinationem. Satius est enim ante incensum imponere; et ad intonationem surgat, decantato primo dumtaxat Hymni versiculo.

14. Verumtamen, si bene sentio, *Rubrica* tam *Caeremonialis* quam *Ritualis* non est materialiter accipienda, sed iuxta congruum sensum. Secus namque non levia sequerentur incommoda in religionem et cultum debitum Sacramento; iuxta *Rituale* thurificatio fit, dum Clerus cantat partem Hymni *Tantum ergo etc.,* idest postremos duodecim versus; sed Rubrica non declarat ad quem praecise versum imponendum est thus et thurificandum Sacramentum. *Caeremoniale* vero vel certum non designat tempus, quo Episcopus aut Sacerdos surgere et incensum imponere debet; vel si designat, id praestandum vult post duos primos versus. Attendatur orationis ordo. Primum dicit § 24: « Postquam Episcopus pervenerit ad supremum Altaris gradum, Diaconus accipiet de manu ipsius Sacramentum et illud super Altare collocabit »: deinde § 25, prosequitur: « Interim Cantores cantabunt versiculum *Tantum ergo etc.* » ac tandem: « Episcopus vero, deposito velo, genuflectat super pulvino in infimo gradu Altaris; mox surget et ponet incensum etc. ». Igitur, hoc servato ordine, Episcopus non surget, nisi iam intonato per Cantores Hymno. Quod si materialiter et non iuxta congruum sensum quis verba illa Caeremonialis acciperet *interim Cantores etc.,* non levis inferenda esset noxa reverentiae debitae Sacramento; nam Cantores primos versus, qui capitis exigunt inclinationem, canerent, dum Episcopus vel Sacerdos actu descendit ad infimum Altaris gradum; et Diaconus collocat Sacramentum super Altaris Mensa vel in Throno. Sed non est hic sensus *Caeremonialis,* bene vero alius longe diversus, scilicet, ut Cantores incipiant eam Hymni partem, postquam Celebrans in infimum Altaris gradum descenderit et Diaconus suo functus munere ad eius latus redierit. Quis enim persuadere sibi poterit a *Caeremoniali* praescriptum, ut vel Celebrans actu descendat in infimum Altaris gradum, vel surgat ad versiculum illum, qui, dum cantatur, omnes, capite profunde inclinato, Sacramentum adorant? Merito hinc dixi per *Caeremoniale* vel certum non designari tempus, vel illud quod sequitur post primos duos versiculos.

15. Quamquam vero iuxta Bauldry sententiam, quam et alii sequuntur Rubricistae, et aliquarum Ecclesiarum consuetudinem ante inchoationem Hymni imponendum sit thus, ut thurificatio fiat ad eiusdem Hymni intonationem; magis tamen expedire videtur, ut Celebrans genuflexus maneat ad psimos duos versiculos; et interim cum populo circumstante profunde inclinatus, specialem cultum Sacramento exhibeat, dixi magis expedire; quia non omnino reprobandus est alter modus a Bauldryo traditus et nonnullarum Ecclesiarum praxi probatus, « ut tunc quidem Celebrans suam incipiat incensationem, dum Cantores inchoant illum versiculum *Tantum ergo etc.* ». Siquidem Sa-

cerdos genuflexus iam manet ipsaque thurificatio, quae impedimentum ponit capitis inclinationi, est actus specialis cultus, licet diversus ab eo, qui praestatur a populo circumstante; eoque magis, quia et ipse caput profunde inclinat ante et post thurificationem, licet ad integros duos illos versus nequeat in inclinatione persistere. Nullo tamen modo ferenda est illorum opinio, qui putant iuxta *Caeremoniale Episcoporum* surgere Celebrantem debere ad imponendum thus, dum Cantores incipiunt primos Hymni versus, qui exigunt specialem venerationem, nec proinde convenit ut Celebrans surgat.

16. Itaque *Instructio* praecipiens, ut thurificatio fiat ad versiculum *Genitori Genitoque,* occurrit incommodis illis, quae, si aliter fiat, etsi ritus substantiam non laedunt, aliquam tamen difformitatem secum ferre videntur: simulque declarat, quod forte in *Caeremoniali* et *Rituali* non satis expressum, occasio erat cur diversi diversa sentirent; et varia invalesceret Ecclesiarum consuetudo. Verum, potius Instructionis regulam percunctandi fit locus: Estne tam rigide ea servanda, ut reprobanda sit aliquarum Ecclesiarum praxis, in quibus Sacerdos surgit ad tertium versum primae strophae ac thus imponit, ut ad primum versum secundae Sacramentum thurificet? Eadem laudabilis et rationabilis est, aeque ac altera, de qua praesens sanctio. Cum enim ad secundae strophae initium laus detur Augustissimae Trinitati, congruit maxime, si ad eiusdem initium genuflexus Sacerdos Eucharistiae tribuat honorem incensi. Si quaeras qualis ex duobus modis sit seligendus? fatebor me ancipitem esse: haud tamen ab eo discederem, quem *Instructio* praescribit. Quamquam non contemnenda foret sequens distinctio. Vel enim, intonato a Cantoribus Hymno, cantum prosequuntur Clerici circumstantes et populus; vel eumdem musici cantant cum versuum repetitione. In prima specie crederem literaliter servandam esse Instructionem, ita ut Sacerdos ad integram primam stropham in genuflexione persistat: in altera vero specie, tuto servari posse alterum modum, videlicet, quod Celebrans surgat, dum iterantur duo ultimi versus primae strophae, ad imponendum thus; et, iterum genuflexus, Sacramentum thurificet ad ℣. *Genitori Genitoque.*

17. Quilibet autem ex hisce modis in more sit, ritus tamen idem semper esse debet, ut sequitur. Surgit Sacerdos et cum eo surgunt dumtaxat Ministri et qui suam ei operam praestare debent: sunt autem Thuriferarius, qui thuribulum porrigat; Diaconus, qui Naviculam ministret; Subdiaconus, qui elevet fimbriam pluvialis dexteram sibi a Diacono traditam, ut Sacerdos sit expeditus, dum imponit incensum. Postquam se omnes erexerunt, nullam genuflexionem faciunt, quia a loco non discedunt, sed Sacerdos, ministrante Diacono Naviculam et Subdiacono elevante dexteram pluvialis fimbriam, imponit ter sine benedictione incensum, mox genuflectit cum Ministris Sacris in infimo gradu Altaris (Acolythus vero in plano prope Diaconum); et accepto thuribulo de manu Diaconi, triplici ductu incensat Sacramentum, praemissa ab omnibus profunda eidem reverentia, quae, absoluta incensatione, repetenda est, Diacono et Subdiacono elevantibus interim pluvialis fimbrias. Incensatione et reverentia peractis, Diaconus sine osculis recipit de manu Sacerdotis thuribulum et Thuriferario tradit. Haeic tamen loci notandum est, quod si Sacerdos surgit ad ℣. *Genitori Genitoque,* impositio incensi, traditio thuribuli, thurificatio erunt actus continuati sine ulla mora unum inter et alterum. Si vero ad tertium versum primae strophae, post impositionem incensi, tradendum non est illico Sacerdoti thuribulum, sed cunctandum, donec per Cantores moduletur initium secundae strophae *Genitori Genitoque etc.;* et ita pariter fieri oportet, si imponatur incensum, vel dum musici repetunt ultimos versus primae strophae, vel dum inter unam alteramque stropham organa et instrumenta ponunt intervallum, etsi interea commode posset thurificatio peragi; nam in utroque immorandum tantisper est, ut thuris honor Sacramento deferatur, quando simul secundae strophae concentu laus datur SS̃mae Trinitati.

18. Notat Instructio non esse dicendum ℣. *Panem de coelo etc.,* Hymno absoluto. Curnam omittendus? non semper solet Orationi post Hymnum praemitti? Ita est: bene tamen hoc solo in casu praesens sanctio iubet ne dicatur. Valida occurrit ratio, quia non statim subsequitur Oratio de Sacramento, sed post Hymnum immediate sunt intonandae Litaniae Sanctorum cum Precibus, postea vero a Sacerdote dicuntur Orationes et Collectae in Libro ad hunc effectum typis edito praescriptae. Id adeo verum est, ut in Sacramenti Repositione, cum ea ratio cesset, quia Litaniae cum precibus praemittuntur, postremo cantatur Hymnus

et immediate leguntur Orationes, quarum prima est de Sacramento; eadem *Instructio* iubet quod dicatur ℣. *Panem de coelo etc.* qui omittitur in Expositione, ut infra § 31. Num autem extra Urbem, pro qua dicta non est lex, vel etiam in Urbe, dum, praeter Orationem Quadraginta Horarum, publica fit Sanctissimi Sacramenti Expositio, idem versiculus erit quandoque omittendus? Discrimine est opus: vel enim post Hymnum dicuntur Litaniae aut aliae preces, quibus (et non immediate Hymno) Orationes succedunt; et hoc in casu, cum eadem sit ratio, eadem etiam servanda erit Instructionis regula: vel sine Litaniis et precibus, aut si hae dicantur, ultimo loco cantatur Hymnus, et illico sequuntur Orationes: et tunc cum ea ratio cesset, ab universali more non erit recedendum, quo semper Orationi praemitti solet ac debet ℣. *Panem de coelo.*

19. In Urbe autem ea regula omnino servanda est, quia ex praescripto *Instructionis* dicendae sunt Litaniae et Preces, prout in Libro edito prostant, nec eas variare in arbitrio est. Praesidum est, si temporum circumstantiae aliquam exigant variationem, id praecipere. Addit *Instructio:* « il qual libro puramente, senza alcuna immutazione dovrà usarsi in qualunque altra Esposizione del Santissimo, che si faccia particolare ». At ampliatio huiusmodi ad omnes Expositiones non ita accipienda est, ut liceat aut easdem Litanias et Preces penitus omittere, aut iisdem substituere Litanias Lauretanas aliasve preces ex adprobatis; sed ita est intelligenda, ut si fieri velit Expositio ad instar Orationis Quadraginta Horarum, licet eadem ad longe brevius tempus perduret, vel si in aliqua Expositione particulari praemittendae sint Litaniae Sanctorum cum suis precibus, hae recitentur prout iacent in Libro, ita ut nemini liceat aliquid addere vel omittere. Et haec cohaerenter ad S. R. C. Decreta, quae Litanias Sanctorum et Lauretanas recitandas iubent sine ulla additione vel mutatione. Potest etiam intelligi de iis, quae notantur in Libro, et omnibus Expositionibus magis minusque solemnibus ex causa publica vel privata communia sunt. Alius certe esse nequit eorumdem verborum sensus. Nam, etsi Romae frequens admodum sit Expositio Sanctissimi Sacramenti, vel ex piis fundationibus, vel ut novemdiales et triduanae preces praemittantur Sanctorum Festis, vel ut Deo in iisdem Sanctorum Festivitatibus specialis cultus tribuatur, raro tamen recitantur Litaniae Sanctorum; sed, scientibus et probantibus Praesulibus Ecclesiasticis, vel Litaniae Lauretanae, vel pro agonizantibus, vel aliae preces ex adprobatis dici solent. Ita fieri haud liceret, si vim legis pro Urbe haberet; et in sensu rigoroso accipienda esset ea nostrae *Instructionis* ampliatio ad omnes Sacramenti Expositiones.

20. Extra Urbem vero tam pro Expositione Quadraginta Horarum, quam in aliis quibuscumque, licitum erit alias preces praemittere et recitare, dummodo tamen ex approbatis sint: et, ne aliter pro arbitrio fiat, Pastorum solicitudo vigilare debet. Benedictus XIV Constitutione: *Inter omnigenas* 2 Februarii 1744, praecipit: « Orationes praeter eas, quae in Ecclesia receptae sunt, non admittantur »: et Alexander VII in Constitutione *Piae sollicitudinis etc.* data 23 Aprilis 1657, iam pridem pro Ecclesiis Urbis edixerat: « Omnibus et singulis utriusque Cleri Superioribus almae Urbis prohibetur, ne in eorum Ecclesiis, dum Officia Divina celebrantur, vel SSmum Eucharistiae Sacramentum manet expositum, quidquam cantari permittant praeter ea verba, quae a Breviario vel Missali Romano . . . praescribuntur, vel quae saltem a Sacra Scriptura, aut Sanctis Patribus desumpta sint, quae tamen prius a Sacra Rituum Congregatione specialiter approbentur, exclusis modulis illis, qui choreas et profanas potius, quam Ecclesiasticam melodiam imitantur». Non agit hic Pontifex Alexander de precibus recitandis coram Sanctissimo Sacramento, vel in Expositione, vel antequam Sacerdos cum eo benedictionem populo impertiatur: verum de versiculis vulgo *Mottetti,* qui in solemnibus quibusdam Expositionibus cum instrumentorum sonitu cantari a musicis solent: sed eadem potiori iure extendi ratio debet ad preces coram Sacramento recitandas, quae nedum Romae, verum etiam ubique aliae esse non debent, praeter eas, quas Ecclesia praescribit, vel longaeva consuetudo rationabilis atque laudabilis, tacite vel expresse, consentientibus locorum Ordinariis, probavit. Vide, quae hac de re supra notata sunt ad § 3, num. 13, 14, 15, 16 et 17.

21. Ex hac sanctionis regula, quae praecipit Litanias Sanctorum tam in Expositione quam in Repositione coram Sacramento, comprobatur quod alias diximus, videlicet non implicare, si, Sacramento exposito, non omnes preces ad eum dirigantur. Id certe

innuit invocatio Sanctorum, quae fit in praefatis Litaniis. Cur autem, si id verum est, in solemni Expositione Quadraginta Horarum velari Imagines praescriptum est: et tam in ista quam in omnibus aliis Expositionibus, ne in Altari exponantur Reliquiae, tam Instructio quam Decreta iubent? At longe dispar ratio est. Ideo enim in Altari non sunt exponendae Sanctorum Reliquiae, quia ad praesentiam Domini haud decet Servos proponere venerandos: Imagines vero velantur in Oratione Quadraginta Horarum, ut quaelibet removeatur occasio distrahendi mentem ab unico obiecto, quod proponitur adorandum: in aliis vero Expositionibus haec regula quoad Imagines non est tam rigide servanda: imo congruit quandoque exhibere detectas, ut eas intuentes facilius excitentur ad Deiparae vel alicuius Sancti apud Deum intercessionem implorandam, ceu alias vidimus. Ast nulla est lex, quae vetet preces ad Sanctos et Deiparam dirigi, imo ex Ecclesiae instituto ita fieri debet, ut Deipara et Sancti preces nostras tamquam mediatores porrigant Christo Domino qui nobis opituletur, vel Aeterno Patri exhibeant, ut per merita Christi nos exaudiat. Quamobrem a Sanctorum invocatione ad praesentiam Christi tantum abest vel minimum periculum iniuriae, quinimo summus honor obvenit praesenti Christo supremo pro omnibus hominibus apud Patrem Mediatori, per cuius merita dumtaxat utiles nobis sunt intercessiones Deiparae et Sanctorum.

22. Sed eo revertendum, unde digressi sumus. Absolutis Litaniis cum Psalmo, Sacerdos adhuc genuflexus recitat adiunctas preces, populo respondente. Cum ad earumdem finem pervenerit, dicturus ℣. *Dominus vobiscum* et Orationes, surgit, nec tamen novam genuflexionem facere debet. Ita nostra monet Instructio « senza fare nuova genuflessione ». Ita etiam Sac. Rit. Congr. decernit in una Urbis die 2 Augusti 1698 (num. 2008). Quoties enim surgit, vel pro imponendo thure, vel pro recitandis Orationibus, nec loco movetur, numquam ab eo repetenda est genuflexio, quia imposito thure et recitatis Orationibus, denuo genuflectere debet; Ministri autem sustinere quidem ante eum debent librum, non autem cum ipso surgere: dum iunctis manibus dicit *Dominus vobiscum etc.*, non se convertit ad populum; et quin manus extendat iterumque iungat palmam ad palmam, prosequitur Orationes. Ut enim notat Gavantus *part. 2, tit. 13, litt. O, ad Rubricas Missalis: extra Missam dicuntur semper Orationes manibus iunctis:* sed ad verbum *Oremus* inclinatur caput versus Sacramentum. Orationibus absolutis, iterum genuflectit, brevi cum Ministris in oratione moratur: mox omnes surgunt et in plano Presbyterii utroque genu cum profunda capitis inclinatione genuflectunt; et illico se erigentes accipiunt bireta, quin capiti imponant, sed recedentes nudo capite e Presbyterio, illud operient, dum e conspectu Sacramenti recesserint, et in Sacrarium pergunt; « dandosi, così principio all'Orazione delle Quarant'ore »: ut monet praesens sanctio in fine. Scite notat Cavalerius: « Hic autem ritus communis etiam erit Ecclesiis extra Romam pro eodem et simili casu ».

23. Priusquam huic capiti finem imponamus, quaedam sunt enucleandae quaestiones, quae versantur circa conclusionem Orationis. Brevisne an longior haec esse debet? Opinantur nonnulli brevem adhibendam esse, immo id certum ponunt. Hos inter Cavalerius ad hunc locum et Tetamus in Appendice *ad Diarium Civil. et Ecclesiast. cap. 3, num. 47*. Inde autem potissima, ut ipsi arbitrantur, ratio, quia tantummodo in Missa et Horis Canonicis longior est adhibenda; in aliis tamen functionibus semper brevis. Atqui in *Rituali Romano* innumerae sunt Orationes, quae, licet sint extra Officium et Missam, longiorem conclusionem habent, immo in eadem actione aliquae brevi aliaeque longiori concluduntur. In Canone vero Missae omnium Orationum brevis est conclusio. Propterea regula, quam ipsi ponunt, omnino fallit; et quatenus tenenda sit, universaliter certe non obtinet suasque patitur limitationes. Si ea valeret et sine ulla exceptione ultro foret amplectenda, corrigendae essent Orationes, quae in Rituali persaepe occurrunt, quia omnes sunt extra Officium et Missam; et protrahenda conclusio illarum, quae recitantur in Canone ac proinde pertinent ad Missam.

24. Arridet magis illorum sententia, qui, ut notat Bissus in Hierurgia litt. C. verb. *Conclusio,* num. 410, § 8, existimant: abbreviandam esse conclusionem, quotiescumque antecedenter non dicitur *Dominus vobiscum;* eam non satis firmam censet idem Bissus, quia aliquando contrarium evenit, quod videlicet, etiam praemisso *Dominus vobiscum,* Oratio habet conclusionem brevem; et casus datur in absolutione defun-

ctorum, in qua Oratio brevi conclusione terminatur. Unica exceptio, quam ipse profert ad regulam infirmandam, satis non est: quamquam et aliae addi possent: illaque praesertim petenda a tribus Orationibus, quae dicuntur a Sacerdote, priusquam sumat Sacrum Christi Corpus. Siquidem in prima conclusio brevis est, in aliis protrahitur. Neque hic est percunctandi locus curnam diversa sit conclusionis ratio in hisce Orationibus ad invicem in eadem actione connexis; et curnam Orationes omnes iuxta *Rituale* longiori conclusione terminandae sint, quibus praemittitur ℣. *Dominus vobiscum,* non item quae in absolutione defunctorum dicuntur? Id nostrum institutum non patitur. Satis nobis est adnotare, quod discretiva petenda a ℣. *Dominus vobiscum,* ad effectum corripiendi vel protrahendi Orationis conclusionem, locum habere nequit in casu nostro, quia tam in Expositione, quam in Repositione Sacramenti praecipitur longior conclusio, licet in Expositione praemittatur Orationibus ℣. *Dominus vobiscum,* non item in Repositione, ut ex Libro typis edito, qui modum exhibet ea in actione servandum. Dicam potius cum Bisso, neglectis quaestiunculis: « In hoc erit attendendus modus loquendi Missalis et Breviarii in propriis locis; et praecipue Ritualis Romani, in quo haec varietas saepe contingere solet ». Hac posita regula, quae non fallit, neque est opinionibus obnoxia, recte consequitur, in Expositione et Repositione Sacramenti pro Oratione Quadraginta Horarum longiori conclusione Orationes esse absolvendas.

25. Non eadem tamen regula ita est interpretanda, ut in omnibus Expositionibus indiscriminatim adhibenda sit longior conclusio, quia talis est in Libello edito pro Oratione Quadraginta Horarum. Diversi namque distinguendi sunt casus. Vel res est de Oratione recitanda post Processionem et ante benedictionem in Festo SSmi Corporis Christi, necnon occasione aliarum expositionum, quae per annum fiunt; vel de conclusione adhibenda in Oratione Quadraginta Horarum: erit in illis brevis, longior in ista. Unde petendum discrimen, cum eadem sit actio, idem obiectum? Quaestionem hanc dirimunt Rituales Libri, nec deest discriminis ratio. Eam affert Bauldryus lib. 4, cap. 16, art. 3, num. 42. Postquam is regulam generalem posuerat de servanda brevi conclusione in Festo Corporis Christi et quoties populo impertienda est benedictio cum Sacramento, excipit Orationem Quadraginta Horarum, quae longiorem exposcit; quia in sacra huiusmodi actione praecedunt Litaniae Sanctorum, Psalmus et Preces, quibus adduntur Orationes, prout in Breviario Romano. Ita laud. Auctor artic. 12, num. 6: « Et nunc dicit maiorem conclusionem, ut in fine Litaniarum; et n. 12 dicit etc. Psalmum *Deus in adiutorium etc.* versus et Orationes, ut supra cum conclusione longiori, ut in fine Litaniarum ». Porro in *Breviario Romano* conclusio adnexa Orationibus post Litanias et preces, longior est. Adstipulatur *Rituale Romanum,* quod longiorem conclusionem ponit post Litanias et preces dicendas in Processionibus Rogationum aliisque ad petendam pluviam, serenitatem, ad arcendas tempestates etc. Ita pariter, ut vidimus, disponitur in Libello Summorum Pontificum iussu edito, quo in sacra illa actione uti omnino debemus. Quamobrem, si modus loquendi ritualium Librorum attendi debet, composita res est, neque ullus superest dubitandi locus, aut ullum auctoribus, qui secus opinantur, effugium.

26. Igitur etiam in hypothesi generalis regulae, quod extra Missam et Horas Canonicas Orationum conclusio sit abbrevianda, prout fere omnes de sacris ritibus Scriptores tenent; conditionem tamen adiiciendam esse dicimus: nisi aliter in Missali, Breviario, Rituali aut peculiari aliqua lege sit dispositum. Hinc patet quomodo satisfiat alteri quaestioni forsitan excitandae: num videlicet occasione tantummodo Orationis Quadraginta Horarum longiori conclusione terminari Orationes debeant: an etiam in quibusdam aliis Expositionibus, quamvis quoad has ratio sumenda esse videatur ex eo, quod *Rituale Romanum* praescribit in Festo Sanctissimi Corporis Christi, in quo conclusio brevis est? Iuxta praemissa facilis et expedita est solutio. Vel enim Litaniae cum Precibus praemittuntur, prout in Libello vulgato pro Oratione Quadraginta Horarum: « il qual libro puramente senza alcuna mutazione dovrà usarsi in qualunque altra Esposizione del Santissimo, che si faccia particolare »: veluti notat *Instructio* (quae tamen expressio intelligenda est iuxta modum alibi declaratum); et hoc in casu longior adhibenda erit conclusio: vel minime praemittuntur, sed post Hymnum vel sola dicitur Oratio de Sacramento, vel aliae adduntur a Superioribus praeceptae, vel pro opportunitate; et brevis erit conclusio, uti in Festo Corporis Christi, quia cessat ratio, propter quam longior est retinenda.

27. Ubi autem brevis servanda est conclusio et una tantum dicitur Oratio de Sacramento, eritne retinenda formula Ritualis: *Qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum,* vel potius alia *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum?* Varia est Ecclesiarum consuetudo; sed multo sunt plures, quae postremam retinent quaeque proinde est usitatior. Si meum, qualiscumque sit, sensum promere licet, aeque alterutram adhiberi posse crederem; cum utriusque formulae idem omnino sit sensus. Nec diversa videtur S. R. C. sententia, quae in Catanien. cum expositum fuerit inolevisse abusum recitandi post finem ultimae Orationis loco *Qui vivis et regnas etc.*, longiorem formulam; sub die 10 Septembris 1718, respondit: Orationem praedictam his verbis: *Qui vivis et regnas in saecula etc.* concludi debere (num. 2252). Ne sit, qui secum reputet, Sacram Congregationem hoc Decreto unam tantummodo formulam adprobasse, altera repudiata, quam exhibet *Rituale Romanum.* Non enim quaestio erat de dictione in brevi conclusione adhibenda, verum de abusu longiorem recitandi: idcirco Sacra Congregatio de abusu eliminando solicita, brevi conclusione iussit esse utendum, illam proponens, quae usitatior est, quin aliam reiiceret, quam habet *Rituale Romanum.* Quod si censeas unam potius, quam aliam adamasse, non ero multum difficilis. Forte etiam explicare voluit, siquid erat ambiguum. Quid autem ex his consequitur? Illud certe, quod utraque formula iuxta Ecclesiarum consuetudinem adhiberi potest; sed illa magis, quam longaevus usus, praesertim in Urbe vigens, probavit, quamvis in aliqua non substantiali dictione discrepet ab illa Ritualis Romani.

§ XXV.

« Il Celebrante non dovrà usare la sede « camerale, secondo il Decreto della Sacra « Congregazione dei Riti, ma un banco (che « neppure abbia le braccia) con il postergale ornato di panno rosso o d'altro co- « lore decente, in cui sederà insieme colli « Ministri Sacri. Molto meno dovranno mai « usare le sedie camerali nelle Chiese, li « Guardiani, Deputati ed Officiali delle Con- « fraternite, Compagnie e Congregazioni lai- « cali, ma sederanno sopra un banco con « postergale senza bracci ai lati e senza at- « cun'uso dei cuscini, come pure senza gra- « dini e senza genuflessorii davanti; il qual « banco dovrà cuoprirsi di panno, non di « seta; e sarà onninamente situato fuori del « Presbiterio, in quei casi, che assisteranno « alle Messe e Vesperi solenni; o che nel « Presbiterio si celebri dal Clero alcuna fun- « zione sacra, secondo li replicati Decreti « della Sacra Congregazione de' Riti, parti- « colarmente pel Decreto Generale emanato « sotto li 13 Marzo 1688 (num. 1792): « sotto le pene espresse di sopra e com- « minate nei §§ : Se vi saranno ecc., E di « più ordiniamo ecc. (che sono li XXII, « XXIII). Monsignor Primicerio però sederà « dentro il Presbiterio al lato dell'Evangelo « in un banco coperto di panno nel suo « abito prelatizio, come s'è detto al nu- « mero XXII ».

1. Iubet *Caeremoniale Episcoporum lib. 1, cap. 12, § 23:* « Scamnum oblongum coopertum aliquo tapete aut panno aptari a latere Epistolae, in quo sedeat Sacerdos celebrans cum Diacono et Subdiacono ». Cohaerenter ad hanc *Caeremonialis* regulam Sacra Rituum Congregatio die 15 Ianuarii 1611, in Perusina edixit: « Sacerdotem, Diaconum et Subdiaconum solemniter celebrantes posse et debere sedere in banco dum cantatur *Gloria* et *Credo,* etiamsi sint Beneficiati vel Cappellani, prout sedent Canonici; et servetur in omnibus Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, non obstante qualibet consuetudine » (num. 290). Unde iuxta hoc Decretum Catalanus ad hunc Caeremonialis locum et Merati ad Gavantum in Rubrica Missal. part. 2, tit. 2, num. 21, notat: « Numquam concedenda est sedes brachiata Celebranti, neque alia sedes Ministris; et haec praxis omnium Basilicarum Urbis et omnium fere Cathedralium, ita ut Canonici Missam celebrantes non solum coram Episcopo, nulla utantur sede, sed semper aliquo scamno oblongo tapete vel panno cooperto, immo et etiam absente Episcopo in eodem scamno sedeant; et quidem semper a latere Epistolae ». Idcirco carpunt Hippolytum a Portu, qui *cap. 1, de Missa solemni num. 4, § ultra scamnum,* solummodo adhibendum esse contendit oblongum scamnum ad formam *Caeremonialis,* si coram aliquo Cardinali vel proprio Episcopo solemnis celebretur Missa: secus vero censet parari posse tres sedes nobiliores, dummodo sedes Celebrantis sit distincta et illae Ministrorum non sint brachiatae. Respuunt etiam opinionem Bissi, qui tom. 2, litt. S, § 2, putat, quoad scamnum vel sedem, variam Ecclesiarum praxim esse servandam.

2. Nostra autem *Instructio,* adhaerens *Caeremoniali Episcoporum* et laudato S. R. C. Decreto, expresse iubet : « Il Celebrante non dovrà usare la sede camerale secondo il Decreto della Sacra Congregazione de' Riti, ma un banco, che neppure abbia braccia, con il postergale di panno rosso o d'altro colore ». Quamquam haec lex, si una spectetur *Instructio,* sit ordinata tantummodo pro Ecclesiis Urbis occasione Orationis Quadraginta Horarum, universalis tamen censenda est, quia ab *Caeremoniali Episcoporum* indicta et a successivis S. R. C. Decretis confirmata. Praeter illud, quod iam protulimus, alia prostant, quae rem magis declarant. Excitato dubio : « Num in Cathedrali Turritana Canonicis celebrantibus permittenda sit sedes cum postergali, qua utebantur priusquam acceptarent Librum Caeremonialem , vel potius eodem utendum esset scamno a latere Epistolae? » Sacra Congregatio respondit: «Formam Libri Caeremonialis introducti et acceptati in dicta Ecclesia Turritana servandam esse ». Die 19 Maii 1614 (num 320). Similiter in Rhegien. die 31 Iulii 1665, eadem Sacra Congregatio declaravit: « Tam Celebrantem, quam Assistentes in festivitatibus Sanctorum Titularium in Vesperis et Missa solemni sedere debere in scamno et non in sede coracea » (num. 1319). Atque haec est regula tanto cum rigore servanda, ut ad eam relaxandam nec prosit consuetudo , etiamsi invaluisset ante acceptationem Caeremonialis, ut in Turritana decretum vidimus. Vix ab eadem declinandum tantisper censuit eadem Sacra Rituum Congregatio favore Canonicorum et Dignitatum Cathedralis extra eam; et Abbatum tam in propria quam in aliena Ecclesia solemniter celebrantium ultra tres dies, in quibus Pontificalia agere indultum est; dummodo tamen usus sedendi in sedibus cameralibus sit legitime praescriptus. Ita Sacra eadem Congregatio in Caesanaten. 29 Martii 1559, ad dubium 4 (num. 1111).

3. Quae cum ita sint, consequitur, nedum in solemnibus Missis pro Oratione Quadraginta Horarum sedes camerales vetitas esse, verum etiam in aliis omnibus Expositionibus; et nunquam adhibendas vel in Missis vel in Vesperis et Matutinis Horis, quae in celebrioribus festivitatibus solemniter cantantur, cum festivo apparatu a Sacerdote cum Ministris pluvialibus indutis. Nam *Instructio* hac in parte sequitur legem universalem. Coercenda hinc esset, Praesidum auctoritate, illorum licentia, qui in aliquibus Ecclesiis adhibere praesumant sedem cameralem pro Celebrante cum scabellis pro Ministris. Scamno utendum omnino est cum postergali cooperto panno rubei vel alterius decentis coloris. Huiusmodi vero tegumentum potest esse sericum ; et differre debet ab altero pro laicis posito extra Presbyterium, tegendo panno serico, sed vilioris materiae.

4. Ex ea autem *Instructionis* sanctione circa scamnum praeterea colligimus Celebrantes iuxta solitum sedere posse ad Hymnum Angelicum et Symbolum, etiam Sacramento exposito. Oriri posset dubitandi ratio, quia *Caeremoniale Episcoporum lib. 1, cap. 12, num. 9,* notat, quod celebrante vel assistente Episcopo, dum existit Sanctissimum Sacramentum in Altari, debet Episcopus *numquam sedere, sed stare sine Mitra:* idem ergo potiori iure de aliis Episcopo inferioribus dicendum videtur. Verumtamen non ibi sermo est de integra Missa celebrata coram Sacramento exposito, sed de Sacramento adhuc existente in Altari Feria V in Coena Domini, Feria VI in Parasceve, in Missa quae celebratur ante Processionem in Festo Corporis Christi ; et cum Expositio fieri debet pro initio Orationis Quadraginta Horarum. In his namque non adest Sacramentum in Altari ad *Gloria* et *Credo,* quando Celebrantes sedere debent: quamobrem haec Rubrica nullatenus trahi potest ad illud firmandum, de quo est quaestio, quia *Instructio* nedum consulit modo servando in prima hac Missa pro Expositione; verum et illam quoque comprehendit, quae celebratur pro Repositione.

5. Ad rem potius facit altera *Caeremonialis Rubrica lib. 2, cap. 33, § 33,* ubi legitur : *conveniens esset, ut ob reverentiam tanti Sacramenti* (scilicet in octiduo SS̃mi Corporis Christi, ubi, eodem in Throno patente, persolvuntur Horae Canonicae) « tam Episcopus, quam Canonici et omnes praesentes et in Choro assistentes, durante Officio starent capite detecto et nunquam sederent ». Ubi tamen advertendum est, non a iure, sed a convenientia, regulae rationem peti : et merito quidem; nam ad extrinsecam disciplinam, quae non ubique eadem semper est et variari nonnumquam potest, attentis locorum, temporum, personarum ac aliis id genus circumstantiis, non autem ad ritus cultusque substantiam pertinent, quas habemus, regulae quoad standum, sedendum, genuflectendum in Divina

Psalmodia, Sacra Liturgia, publicis precibus: et ideo declarando et regulam moderando, subdit *Caeremoniale:* « Quod si ob longitudinem Officii praestare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiae, detecto capite, existente Sanctissimo Sacramento super Altari, Divinis Officiis assistere ». Ubi duo distinguuntur, scilicet primum, quod maxime decet stando divinas laudes coram eo persolvere: secundum, quod saltem neque bireto neque pileolo caput tegatur. Primum limitationem et moderationem admittit, ne qui assistunt nimis defatigentur: non item alterum. Praxis Patriarchalium et aliarum principalium Ecclesiarum Urbis declarat et firmat regulam *Caeremonialis.* Siquidem per octiduum Festi Corporis Christi tam Matutinae quam Vespertinae Horae persolvuntur, nec non Missa Conventualis celebratur solemniter coram exposito Sacramento; et in stando ac in sedendo consuetus ordo servatur; omnes tamen detecto capite assistunt; et in Missa aeque ac Vesperis caeremoniae illae adimplentur, quas exigit Sacramenti praesentia.

6. Agunt specialiter Rubricistae de Missa solemni celebrata coram SS̃mo Sacramento in Altari exposito, enumerant caeremonias, quae servandae in ea sunt ad differentiam aliarum solemnium Missarum, praecipue vero quoad genuflexiones et thurificationes; haud tamen adnotant, quod Celebrans et Ministri Sacri stare debeant et non potius sedere, dum cantatur Hymnus Angelicus et Symbolum. Ita Meratus ad Gavantum part. 2, tit. 14, num. 6 et sequen. *de ritu Missae solemnis coram Sacramento.* Bauldryus part. 4, cap. 16, art. 6, num. 1, de Vesperis agens persolvendis in sacello, ubi Sacramentum est expositum, postquam cohaerenter ad *Caeremoniale Episcoporum* notaverat: « convenit, ut omnes tunc stent nudo capite et non sedeant, quod si . . . . sedere Clerici cogantur, numquam tamen caput tegant, subdit: Idem faciendum est ad omnes Horas; etiam ad Missam, non sedere debent ad Hymnum Angelicum, Graduale, Alleluia, Sequentiam, Symbolum, Offertorium, Communionem et alia huiusmodi etc. ». Forte alicui videri poterit saltem ex decentia nedum in Choro adstantes, verum etiam et Celebrantem et Sacros Ministros stare debere et non sedere. Ego tamen puto de solis in Choro adstantibus cl. Auctorem fuisse loquutum: nam, ubi tractat de Missa solemni coram SS̃mo Sacramento exposito, nihil prorsus quoad hanc rem adnotat. Ceterum privati Auctoris doctrina nequit coarctare dispositionem *Caeremonialis Episcoporum.*

7. Parum tamen id interest, si illa regula, quae non praetergreditur limites aliqualis decentiae et maioris convenientiae, sit limitata ad Assistentes in Choro, vel etiam extensa ad Celebrantem et Ministros. Utrisque communem esse non ambigimus; quae enim potior ratio, ut sedere possint ex quadam indulgentia et aequitate, qui Chori occupant subsellia, et Celebrantes nequeant? Universalis certe praxis utrosque complectitur; et in more est ubique recepto, quod, exposito Sacramento, tam Psallentes quam Celebrantes sedeant statutis a Rubrica temporibus, nunquam tamen sub ulla consuetudine aut praetextu caput tegant. Praxi cohaeret *Instructio,* quae, dum vetat sedem cameralem et oblongum scamnum adhiberi iubet, iuxta S. R. C. Decreta, tapete ornatum cum postergali; et adhaeret limitationi seu indulgentiae admissae a *Caeremoniali;* aperte innuit standum esse potius praxi, limitationi et indulgentiae, quam eidem regulae. Neque arbitreris dispositionem *Instructionis* locum sibi vindicare solummodo in Missa, quae solemniter cantatur prima die pro Sacramenti Expositione; nam, ut supra notavi, ea est per modum regulae, quam servari oportet quoad omnes Missas, quae eo triduo solemniter celebrantur; proindeque extenditur ad omnes, quae coram Sacramento celebrari contingat. Si alia fuisset mens, exceptionem haberemus expressam.

8. Quod si non licet Celebranti et Ministris Sacris uti sede coracea et camerali, multo minus licebit eam adhiberi a laicis hominibus, ut sunt Guardiani, Officiales, Deputati Sodalitatum et Congregationum laicorum, quibus conceditur usus tantum scamni cum postergali sine pulvinis et sine genuflexorio, decenti, sed laneo, non serico panno contecti extra Presbyterium. Isthaec autem regula generalis est et ad omnes extenditur Ecclesias cum Secularium tum Regularium. Quamquam vero in nostra *Instructione* tantummodo agatur de iis, qui praesunt Confraternitatibus et Congregationibus laicorum, uno excepto Primicerio Praelato (dummodo incedat in habitu Praelatitio, ut supra notavimus et infra etiam videbimus), lex tamen latissime patet et comprehendit Magistratus, Gubernatores, Praesides locorum, imo etiam Barones et Dominos, saltem quoad locum extra Presbyterium; et quasdam honorificentias, quae solis competunt Ecclesiasticis, iuxta diversos eorum gradus. Praeter

Generale Decretum S. R. C. 13 Martii 1688 (num. 1792) ab *Instructione* laudatum, innumera sunt alia in Collectione relata. Ex his consequitur legem universalem esse et ad omnes Christiani Orbis Ecclesias extendi, non vigore *Instructionis,* quae pro solis Ecclesiis Urbis dicta est, sed vi Decretorum S. R. C., ac praesertim Generalium 13 Martii 1688 et 22 Aprilis 1690, quibus accessit auctoritas s. m. Alexandri VII (num. 1831).

9. Notatu digna esse, ait Cavalerius, ea *Instructionis* verba: « in quei casi che assisteranno alle Messe e Vesperi solenni, o che nel Presbiterio si celebri dal Clero alcuna funzione Ecclesiastica »; quae, iuxta eius opinionem, restrictionem quamdam invehunt, quae inhibitionem ad casum non sacrae functionis non sinit extendi: non video autem curnam haec fingenda sit restrictio, quasi aliquis sit casus, in quo Guardiani et Officiales laicalium Sodalitatum queant locum occupare in Presbyterio, ibique sedibus cameralibus uti. Ibi namque *Instructio* respicit circumstantias omnes, in quibus Sodalitates et laicales Congregationes, quibus iuxta praelaudata Decreta addi possunt laici Praesides, locorum Domini, Barones etc., Ecclesiasticis functionibus interesse solent. Numquid in Ecclesiis, ac signanter in Presbyterio, aliquid profanum agitur, ut sedere liceat intra cancellos, sedibus cameralibus adhibitis, illos, quibus alias utrumque omnino est interdictum?

10. Usus pulvini denegatur Officialibus Sodalitatum, Celebranti vero concedi potest, ut ex *Caeremoniali lib. 2, cap. 3,* docemur. Tandem *Instructio* locum assignant intus Presbyterium Sodalitatum Primiceriis a cornu Evangelii, quibus tamen non cameralis sedes, sed conceditur un banco coperto di panno, dummodo in habitu praelatitio intersint: secus, ut alias diximus, si vestem peculiarem et propriam Sodalitatis induant, sedere debent cum aliis extra Presbyterium; et considerari ut laici, veluti etiam ut tales habentur, si qui ex Ecclesiasticorum ordine Officiales, Guardiani, Deputati sint; et accedant non in proprio ipsis convenienti habitu, sed in illo proprio Sodalitatis seu Congregationis. Ideo enim requiritur habitus praelatitius, ut sedere possit Primicerius in Presbyterio, quia per hunc a laicis distinguitur et Ecclesiasticis adnumeratur.

§ XXVI.

« Se però la struttura della Chiesa non « permetterà luogo congruo fuori del Presbiterio; in tal caso di necessità si ricorrerà a Noi, che col consiglio dei Signori Maestri di Ceremonie Pontificie si « concederà, che possa collocarsi il banco, « come sopra, dei Guardiani dirimpetto in « uno de' lati fuori del termine del Presbi- « terio ».

Isthaec sanctio et quaedam veluti declaratio praecedentis. Statutum in ea fuit, ut extra Presbyterium collocari debeat scamnum pro Guardianis, Officialibus, Deputatis Sodalitatum et Congregationum laicalium; quae lex tanto est cum rigore servanda, ut nec relaxari aut moderari queat, etiamsi tanta sit Ecclesiae angustia, talis structura, ut congruus locus pro eo collocando non reperiatur. Quid igitur hoc in casu agendum? Num ab interventu abstinendum, vel iis quibus convenit, scamnum non apponendum, si intersint? Neutrum plane. Provida Instructio idoneum parat remedium. Alius ab eo, qui conveniret, diversus seligendus est locus: nec tamen in arbitrio est, quod maxime inopportunum esset et latam aperiret abusibus viam. Si ea urgeat necessitas, deferenda est ad Eñum Urbis Vicarium, qui adhibito consilio ecclesiasticis caeremoniis Praepositorum, quid pro varietate circumstantiarum facto opus sit agnoscens, eidem providebit. Opportunior erit locus « dirimpetto in uno delli lati fuori del termine del Presbiterio ». Quae verba perperam explicat Cavalerius: *In uno ex Presbyterii lateribus extra tamen Presbyterium ipsum.* Implicat namque *in uno ex Presbyterii lateribus,* et *extra Presbyterium:* latera quippe Presbyterii iuxta genuinum verborum significatum non extra, sed intra Presbyterium sunt. Sensus igitur est, quod si nequeat lateraliter, ut moris est, apponi scamnum, permittitur ut apponatur a conspectu Presbyterii, vel prope illud, vel a cornu Evangelii, sed extra septa, quibus clauditur, vel extra eius limites, si septa lignea vel lapidea desint. Ex qua sanctione magis magisque confirmatur, quod nullus est casus, ob quem liceat intus Presbyterium locari scamnum pro laicis.

§ XXVII.

« Si proibisce espressamente agli uo- « mini ed alle donne di qualsivoglia stato « e condizione (eccettuate le Persone Regie, « quando vi si trovino) l'entrare sotto qual- « sivoglia pretesto ad orare nel Presbiterio,

« o sia recinto dell'altare dove sta esposto « il Venerabile, dovendo quel luogo esser « occupato solamente dagli Ecclesiastici de- « stinati al Ministero Divino o all'assistenza « dell'Orazione ; il che si osserverà non solo « nelle Chiese, dove ricorre l' Esposizione « ordinaria, ma anche in tutte le altre, « dove per indulto Apostolico, o per altra « legittima facoltà, occorre farsi l'Esposi- « zione, benchè per breve tempo ; al che « provvederanno li Superiori o Sagrestani, « col riparo delli banchi ancora bisognando. « Inoltre ordiniamo e comandiamo ai Ret- « tori e Superiori tanto Secolari che Re- « golari di qualsivoglia Chiesa, che, durante « la detta Esposizione, non ardiscano di « far portare respettivamente qualsivoglia « sorte di sedie nelle Chiese a qualunque « persona d'ogni sesso, grado e condizione, « soto la pena di dieci scudi alli Rettori « Secolari da applicarsi ad usi pii, riser- « vata la terza parte per l'accusatore ; ed « a' Regolari della privazione della voce « attiva e passiva ed altre a Nostro arbi- « trio ».

1. Huiusmodi etiam sanctio tamquam corollarium a praecedentibus consequitur. Iam supra notatum fuerat interdictum esse laicis, etiam habitu alicuius Sodalitatis distinctis, ingredi septa Presbyterii et ad Altare accedere, ad effectum accendendi, extinguendi, aptandi, purgandi luminaria aut quidquam aliud agendi, quod necessitas exigit vel opportunitas: vidimus extra Presbyterium locandum esse scamnum pro iis Sodalibus, qui coram Sacramento genuflexi orationi vacare debent : animadvertimus tandem nec Guardianis, Officialibus, Deputatis laicalium Sodalitatum : ultra eadem septa progredi esse permissum, etiamsi Ecclesiae structura non patiatur collocari pro eis scamnum in loco congruo. Multo ergo minus licebit laicis, cuiusque gradus, conditionis, dignitatis sint aut sexus, ad Presbyterium accedere, ibique immorari ad orandum. Quod si ex Concilii Romani statuto et S. R. C. Decretis, ut supra diximus ad § 7, nec quoad Altaria id licet, dum ibi aut Sacrificium offertur, aut Divina Officia persolvuntur, sub gravissima Interdicti poena : essetne sine indignatione ferendum quod laici et praesertim faeminae circumstarent intra septa Arae maximae, ubi solemniter est expositum SS̄mum Sacramentum? Locus ille sanctus est et solis Ecclesiae ministris patere debet vel ad orandum, vel ad Sacra Mysteria peragenda.

2. Equidem antiquae disciplinae rigor nonnihil emollitus est. Non enim Ecclesiae partes, ut olim erant, ita sunt distinctae atque dispositae, ut diversis hominum classibus separatim inserviant. Non sola tunc erat sexus distinctio : sed et diversa conditio, diversus status Consistentium, Poenitentium, Fidelium, Cathecumenorum etc. ad veteris rigidae disciplinae formam locum cuique ordini competentem exigebant. Aliquod tamen adhuc superest eiusdem disciplinae vestigium quoad Presbyterium; quia hoc a reliqua Ecclesia quodammodo dividitur et, circumseptum cancellis, tamquam locus distinctus et separatus habetur ; ita ut, praeter eos qui Altaris ministerio sunt addicti, aliis, scilicet cuiusque gradus, sexus et conditionis laicis praeclusus sit aditus, eo praesertim tempore, quo Sacra peraguntur. Verumtamen aliquae, licet non ita frequentes, sunt Ecclesiae, in quibus vel propter angustiam, vel propter structuram Arae maxime presbyterium caret cancellis ; et quamvis limitibus aliquo modo circumscriptum, apertum tamen est. Provida *Instructio* huic incommodo occurrit, Rectoribus Ecclesiarum iubens, ut circum munimentum apponant oblongis scamnis, quorum ope Laicis impediatur ingressus. Et hoc in casu, si adsint alicuius Confraternitatis Sodales, pro quibus parandum sit scamnum, dum ad orandum veniunt coram Sacramento exposito, hoc apponendum erit citra provisorium mobile munimentum, ut servetur *Instructionis* praescriptum, de quo agimus ad § 9.

3. Regula autem isthaec praeceptiva est et omnino servanda, quin pro eiusdem fractione ullum valeat effugium aut praetextus. Nec ad solas Expositiones solemnes pro Oratione Quadraginta Horarum et alias, quae cum aliqua celebritate fiunt et ad plures horas protrahuntur, coercetur ; sed extenditur generatim ad omnes et quascumque, licet harum brevis duratio sit. Idcirco in legem peccant Rectores Ecclesiarum et Sacrariis Praefecti, si scamnis negligant claudere Presbyterii ambitum, ubi lapidea vel lignea septa desunt, sub obtentu quod brevi durat Expositio. Quod tamen intelligendum est de Expositionibus publicis; pro quibus, vel Sacramentum exponatur detectum, vel velatum in Ostensorio sub baldachino, Apostolicum indultum seu legitima facultas intercedat oportet. Forte enim ad privatas, quae fiunt, dum aperto Tabernaculi Ostiolo, patet velata Pyxis, quin

tamen extrahatur, tanto cum rigore extendenda non est regula de apponendis scamnis, loco stabilis munimenti; quamvis commendabile multum sit, si ita fiat: cavendum nihilominus est, ne Laici proxime ad Aram accedant et limites Presbyterii licet aperti praetergrediantur. Lex autem, quae a Presbyterio arcet laicos, cuiuscumque sexus, status, conditionis, gradus, dignitatis sint, excipit solummodo Regias Personas, quibus, si adsint, permittit, ut possint ingredi Presbyterium, ibique immorari ad orandum. Huiusmodi exceptio satis superque demonstrat nulla indulgentia utendum esse quoad reliquos. Cur autem Regiis Personis indultum id est, quod aliis, etsi sublimi dignitate fulgentibus, denegatur? Non una ratio est; sed nostrum institutum non fert, ut de hoc diatribam instituamus: unum innuisse satis est, quod eaedem, ut Sacrae reputantur. Ceterum spartam hanc de arcendis laicis a Presbyterio illustrat Cl. Catalanus *ad Caeremoniale Episcoporum lib. 1, cap. 13, num. 13,* ubi magna cum eruditione demonstrat, quae fuerit antiqua Ecclesiae disciplina, quae sit ea qua modo vivimus, quaeve esse debeat vigilantia Pastorum, ut removeantur, si qui irrepserunt abusus, neve novi introducantur. Cuncta ut colligamus, quae sparsim hac de re in *Instructione* habentur sub §§ 7, 9, 25, 26 et 27, summa horum haec est, quod nulla omnino potest esse causa, ob quam Laicis cuiuslibet sexus et ordinis liceat, praesertim expositionis tempore, Presbyterium ingredi ibique immorari ad orandum.

4. Ecclesia locus est Orationis et, dum preces fundimus coram Domino Dominantium, renunciandum foret commoditati, actu supplici, genubus ad terram positis, Deum adorare et abstinere a sedendo opus esset: sed quia humanae infirmitati consulendum est, tolerantur scamna et sedes in Ecclesia; et utinam iisdem illi soli uterentur, qui sunt aut senio confecti, aut infirmitatibus attriti, aut habitu corporis imbecilles, nec proinde diu valent vel pedibus stare, vel flexis genubus permanere! Haec autem indulgentia locum habere nequit, dum publice atque solemniter expositum est adorationi fidelium SSmum Sacramentum. Ideo *Instructio* postremo iubet: « che durante la detta Esposizione non ardiscano di far portare respettivamente qualsivoglia sorte di sedie nelle Chiese a qualunque persona d'ogni grado, sesso e condizione ». Conveniens quippe non est, ut assistentes sedeant, ob reverentiam tanto debitam Sacramento. Cur igitur Clericis psallentibus in Choro, vel coram Sacramento Sacris Mysteriis adstantibus, sedere permittitur et laicis denegatur? Patet discriminis ratio: etenim in persolvendis Officiis sacrisque conficiendis Mysteriis diversus modus, iuxta diversas actiones et preces, ordo sedendi, standi, genuflectendi ad Ecclesiasticum ritum pertinet. Clerici necessario haec munia debent obire, quae quandoque longius protrahuntur, nec omnes aeque ea corporis firmitate valent, ut diu possint erecti consistere, et simul Psalmos, Hymnos aliasque ecclesiasticas preces canere. His consulendum erat: sed quia incongruum est, ut in Choro in eadem actione aliqui sedeant, dum alii stant, ideo, agendo de divina Psalmodia coram Sacramento exposito, ad omnes extenditur indulgentia; dummodo tamen, ut vidimus, omnes « non omittant saltem in signum reverentiae, detecto capite, existente SSmo Sacramento super Altari, divinis Officiis assistere ». Hae tamen rationes non militant quoad populum confluentem. Quisque enim experiri debet suas vires et cuique liberam est, si diutius nequeat genuflexus permanere, ab Ecclesia discedere. Sedere namque, relate ad populum, non ad ritum pertinet, sed ad commoditatem.

5. Adeo urget haec sanctio, ut legem poenalem adiunctam habeat, ne quis sibi det eamdem infringere; et quamvis ultra Romanos limites non extendatur, ratio tamen, cui innititur, generalis est et reverentiam Sacrae Eucharistiae debitam respicit. Reverentiam dico, quae eadem semper est, dum Sacramentum est expositum, quocumque in loco talis fiat expositio. Igitur si non *Instructio,* eadem tamen ratio plane evincit prohibitionem ad omnes et singulas Christiani Orbis Ecclesias esse extendendam.

§ XXVIII.

« Non si terranno nelle Chiese delle Es-
« posizioni anche particolari bacili per l'ele-
« mosine, nè v'assisteranno Religiosi o altri
« Ecclesiastici, nemmeno persone laicali per
« riceverle, come nemmeno andranno Chie-
« rici, Confratri, Mandatari o altre persone
« questuando per la Chiesa. Molto meno
« dovranno far ciò li poveri, i quali saranno
« per lo spazio di canne dieci lontani dalla

« porta della Chiesa, sotto le pene conte- « nute nell'Editto stampato a parte. Che « perciò sarà parimenti cura dei Superiori « e Sagrestani e degli esecutori, che v'as- « sistano, il procurare, che non entrino in « Chiesa, ad effetto d'evitare la distrazione « dei fedeli che orano, potendo li bene- « fattori caritativi far le limosine fuori delle « Chiese, siccome ordinò la San. Mem. di « Clemente XI con speciale editto, da cui si « proibisce ad ogni fedele dar nelle Chiese « limosine ai poveri ».

1. Ad hanc sanctionem pauca adnotat Cavalerius, quae opportunum videtur hic iisdem verbis referre: « Ad evitandam fidelium distractionem, quam causat facile intus Ecclesiam tempore cuiusvis expositionis, interdicitur eleemosinarum collectio sive mediis lancibus, vel personis stantibus aut Ecclesiam percurrentibus. Lex est rigidior pro pauperibus, quibus ingressus in Ecclesias causa quaestus, pro quocumque ita prohibetur tempore, ut ad repellendam pertinacem illorum importunitatem, quae vix legibus coerceri potest, speciali edicto cautum sit, ne fideles intra Ecclesiam iisdem eleemosynas elargiantur: extra Ecclesias vero per spatium decem cannarum ab Ecclesiae porta distantes stare praecipiuntur, ne clamoribus et strepitibus Ecclesiam impleant, et intus orantes fideles distrahant atque perturbent ».

2. « Quae cum de Ecclesiae collectoribus statuta minime sint, haud ambigo inferre primo, quod extra occasionem Expositionis, adhuc intra Ecclesiam iuxta priscum Ecclesiae usum ipsique coaevum fieri valet eleemosynarum collectio in favorem Ecclesiae, pauperum, animarum Purgatorii aliorumque, iuxta temporum circumstantias et circumstantiarum exigentias; dummodo sine strepitu et cum modo fiat. Secundo : exposito autem ipso Sacramento fieri posse credimus et consueto modo commendari intra concionem, quae tunc temporis haberetur, hac tamen lege, ut mute fiat et non extendatur ultra concionis tempus. Tertio : addere nobis liceat, quod Expositionis tempore non removeri mandantur eleemosynarum capsulae, si quae intus Ecclesiam permanenter habeantur, quinimmo quod, et apponi possunt ad ingressum Ecclesiae, vel in alio congruo loco, dummodo nemo assistat, nec apponantur lances aliave vasa ex proiectione denariorum apta fragorem edere. Mens enim sanctionis non est tunc temporis elargitionem eleemosynarum universim prohibere, sed solum eam, quae quomodocumque apta est interturbare fidelium preces ; et hinc quarto subdimus, quod collectores huiusmodi nihil vetat haberi iuxta Ecclesiae portam, licet non in distantia, pro pauperibus praescripta, dummodo ita se gerant tacite, ut inde nullus rumor vel perturbatio obveniat orantibus intra Ecclesiam ». Hactenus Cavalerius.

3. Tametsi limitationes huiusmodi suam habeant vim, non sunt tamen ita ampliandae, ut sine casuum distinctione, ubique et semper ad placitum locum sibi vindicare possint. Legem eludere non licet ; et ubi non urgeat necessitas, servanda est regula. Concedam tamen aliquid de iuris rigore esse laxandum favore illarum Ecclesiarum, quarum opes impares sunt ad digne ac decenter illam solemnem functionem peragendam, quam propterea nequirent perficere, nisi identidem, urgentibus locorum ac temporum circumstantiis, aliquod sibi compararent subsidium a fidelium pietate. Verumtamen magna cum cautela id fieri oportet, cum ne distrahantur ab oratione fideles, tum ne aliquibus eleemosynarum collectio offensioni et scandalo sit. Idcirco ab ea quaeritanda intra Ecclesiae ambitum abstinendum ; et satius est id fieri silenter ad Ecclesiae ianuam, etiam in Expositionibus minus solemnibus et particularibus, ad quas etiam extenditur *Instructio*. Nam huius finis praecipuus est, quod nulla praebeatur occasio fidelibus avertendi mentem et animam ab oratione. Eumdem quoque modum tenendum esse reor, si conciones habeantur in hisce particularibus Expositionibus; nam in Oratione Quadraginta Horarum, si Praesidum permissu brevia habeantur colloquia, nullo modo eleemosynae quaeritandae sunt. Possunt equidem concionatores excitare fidelium pietatem ad elargitionem eleemosynae erogandae in cultum divinum, sed maxime expedit, ut simul adstantes moneant, quod collectio fit ad Ecclesiae ianuam. Nam si intra Ecclesiam fiat, vix ac ne vix quidem obtineri poterit, ut mute et sine aliquali strepitu fiat, quemadmodum vellet Cavalerius.

4. Quid de pauperibus dicam ? Horum egestati succurrere magnum opus misericordiae est et meriti plenum : aliquorum tamen nimia refraenanda licentia est et multum incommoda petulantia, dum Ecclesiae religionem non veriti per Templorum ambitum nec ullum dent debitae reverentiae loco sancto indicium, sed undique discurrunt, distra-

hentes et perturbantes ab oratione fideles. Provide idcirco Pontifices Summi, ut huic malo occurrerent, iusserunt ne egenis liceret petere eleemosynam in Ecclesiis. S. Pius V Constitutione *Cum primum* data 1 Aprilis 1556, § 5, Ecclesiarum Rectoribus praecipit: « Pauperes quoque mendicantes seu eleemosynas petentes per Ecclesias tempore Missarum, Praedicationum aliorumque divinorum Officiorum ire non sinant, sed eos ad valvas Ecclesiarum stare faciant sub poena etc. »: et Clemens XI prius iniunxit anno 1703: Concionatoribus, ut populo in Quadragesima annuntiarent maioris esse meriti sibique gratius non dare iisdem eleemosynam in Ecclesiis, sed in earumdem ianuis, vel alibi. Deinde vero intelligens continuare nihilominus talem abusum, sub die 11 Iulii eiusdem anni promulgari fecit et in locis solitis Urbis et ad valvas omnium Ecclesiarum tam Secularium quam Regularium sequens edictum: « Riconoscendosi, che tuttociò non sia bastante ad impedire le suddette questuazioni, la Santità di Nostro Signore ecc. espressamente proibisce a tutti i fedeli dell'uno e dell'altro sesso di qualsivoglia stato, grado, condizione il dare limosina di qualsivoglia somma, benchè tenuissima, a mendicanti in qualunque tempo dentro le Chiese; avvertendo, che quelli, che in esse faranno a poveri la limosina, non solamente per cagione delle sopraespresse circostanze non faranno atto meritorio, ma saranno positivamente colpevoli per avere, benchè indirettamente, cooperato alla irriverenza della Chiesa e ai disturbi e distrazioni delle preghiere ed orazione de' devoti; ed anche per aver trasgredito li premurosi comandamenti di Sua Santità, che hanno per unico oggetto la riverenza, il decoro e la quiete, che per divino precetto sono dovuti ai sacri Templi ». Huiusmodi edictum pluries fuit confirmatum, praesertim vero a Cardinali Caracciolo Pro-Vicario die 13 Augusti 1716 et a Cardinali Paracciano Vicario die 23 Septembris 1718, a quo ampliatum multipliciter fuit, ut radicitus evelleretur abusus.

5. Porro haec nostra *Instructio* ad observantiam revocat legem edictalem s. m. Clementis XI de eleemosynarum elargitione in Ecclesiis vitanda: « potendo li Benefattori caritativi far le limosine fuori delle Chiese, siccome ordinò la San. Mem. di Clemente XI con speciale editto, in cui si proibisce ad ogni fedele dar nelle Chiese limosine a poveri ». Quod si generaliter id est interdictum, ne religioni inferatur detrimentum, multo magis esse debet, dum in Throno patet Augustissimum Sacramentum, in cuius adoratione omnes circumstantes unice debent esse intenti. Quamobrem, ut vidimus, et alia etiam iubet *Instructio,* quae eumdem finem habent, removendo scilicet quamlibet distractionis et perturbationis occasionem. Quoniam vero nedum turbari possunt fideles a pauperibus stipem intus Ecclesiam quaerentibus, verum etiam ab eorum vocibus et clamoribus, si prope adstarent; consulto hos arcet *Instructio* « per lo spazio di dieci canne lontani dalla porta della Chiesa ». Forte non semper, non ubique haec servari poterit distantia, (optandum tamen et curandum ut servetur); at studeant saltem Ecclesiarum Rectores, quod eo in loco pauperes sint, unde eorum voces usque ad Ecclesiam non perveniant.

§ XXIX.

« Si avverte che non termini l'Ora-
« zione in una Chiesa, se non che dopo
« che sarà principiata nell'altra; e ciò si
« osserverà da qualunque Chiesa, benchè
« Basilica e Collegiata, o in qualsivoglia
« modo privilegiata ».

Nihil in hac sanctione occurrit notatu dignum. Per eam consultum est perennitati Orationis. Nam si cito nimis in una Ecclesia Repositione Sacramenti cessaret Oratio, in alia vero longe tardius Expositione inciperet: fieret contra institutum, quod exigit ut per integrum anni circulum, ne ad minimum quidem temporis spatium debeat intermitti. Quamvis vero Romae ita sit omnino servandum et, ut alibi idem fiat, lex non urgeat; ipsa tamen Instituti ratio iure quodam suo postulat, ut si alicubi more romano in usu sit Oratio Quadraginta Horarum, non in una alterave Ecclesia tantum, disiunctis intervallo temporibus, sed in quamplurimis per turnum distinctis, ad integrum anni spatium complendum, eadem regula obtineat, ne ulla sit hora in ea Civitate vel loco, in qua SSmum Sacramentum publice et patenter non sit expositum. Atque eadem ratio est, ob quam lex dirigitur ad omnes omnino Ecclesias, vel hae sint Basilicae et Collegiatae, vel quibuscumque auctae privilegiis. Nam si hae exemptae a legis praescripto censerentur, facile evenire posset,

ut saltem ad breve tempus Oratio, quae perennis esse debet, interruptione cessaret. Ut supra vidimus ad § XII, num. 1, S. Carolus Borromeus, ne Oratio intercipi contingeret, iussit : « comincisi l'orazione nella Chiesa seguente un'ora prima che finisca nella precedente » : quamvis iuxta illius Ecclesiae morem, oratio : « duri in ciascun luogo il tempo preciso solo delle quarant' ore e non più oltre ».

§ XXX.

« Terminata la Messa della Reposizione, « il Celebrante prenderà il piviale (osser- « vando il rito respettivamente sopra de- « scritto dopo la Messa dell'Esposizione) e « genufletterà con i Ministri avanti il San- « tissimo Sacramento nel mezzo sull'infimo « grado dell'Altare. Immediatamente i Can- « tori principieranno le Litanie ; e si conti- « nuerà sino al ℣. *Domine exaudi oratio-* « *nem meam* inclusive. Dopo alzatosi il Ce- « lebrante con i Ministri, ponerà ivi nel « mezzo l'incenso senza benedizione; e « genuflesso incenserà tre volte il SSm̃o « Sacramento e prenderà il velo umerale. « Fatta l'incensazione, il Diacono con le « dovute riverenze leverà il Sacramento « dal Trono; ed immediatamente stando « in piedi lo consegnerà al Celebrante ge- « nuflesso, genuflettendo anche esso Dia- « cono, subito che avrà consegnato il Sa- « cramento ; praticandosi poi respettiva- « mente ciò che nell'Esposizione si è detto « circa le cerimonie e il rito della Proces- « sione ecc. ».

1. Dum ad illustrandam hanc sanctionem accedo, operae pretium esse arbitror ritus et caeremonias exponere, quas communiter Auctores liturgici tradunt omnino servandas in solemni Missa ad Aram, in qua expositum est Sacramentum, celebranda. Ea omittam quae cuicumque Missae solemni communia sunt ; persequar tantummodo ea, quae peculiaria sunt pro hac Missa. Itaque pro Repositione SSm̃i Sacramenti solemnis Missa praemitti debet, uti etiam celebrari solet coram exposito in solemni octiduo SSm̃i Corporis Christi ; et licet alias, ut vidimus, a celebrando coram eo abstinendum sit, nihilominus alicubi, nescio an ex privilegio, an ex consuetudine, nonnunquam extra praefatos casus solemne Sacrum peragitur.

2. Sed en statim se offert dilucidanda quaestio, num in hac, quemadmodum in omnibus aliis Missis, vel cantatis vel lectis, celebratis coram Sacramento exposito, collocanda sit Crux in Altari? Equidem apponenda non est, ut ibi conspiciatur per integrum spatium, quo durat Expositio: controversia limitatur ad tempus Sacrificii. Rubrica Missalis sine ullo discrimine iubet part. 1, tit. 20, « quod supra Altare collocetur Crux in medio ». Hac attenta Rubrica, magnum fuit olim inter liturgicos Scriptores dissidium. Negabant alii Crucem apponendam esse in Altari, dum expositum patet Sacramentum, ea potissimum ratione innixi, quod ubi adest in Throno figuratum, non est, cur simul apponatur eiusdem figura. Gavantus qui part. 1, tit. 20, litt. u, docet : « in Altari, in quo asservatur Sacramentum clausum in Tabernaculo collocandam esse Crucifixi imaginem, si in eo celebranda sit Missa » ; agens alibi, scilicet part. 2, tit. 14, num. 6, de Missa coram Sacramento exposito, ac praecise de genuflexionibus et thurificatione, ait : « Pro Cruce, quae adesse non debet, incensetur Sacramentum ». In eadem sententia sunt Bauldryus, Bissi aliique plurimi. Contrariam vero tuentur Pasqualigus de Sacrif. novae legis quaest. 715, num. 2, Hannao tom. 2, de Sacrificio Missae disputat. 25, sect. 5, num. 9, Oliverius Bonartius de Missae Sacrificio lib. 1, cap. 19, num. 3, Caeremoniale Excalceatorum SS. Trinitatis et Ordinis de Mercede ; ac tandem, ut de aliis sileam, novissime horum sententiae accessit Meratus part. 1, tit. 20, num. 7, part. 2, tit. 14, num. 7, qui a doctrina Gavanti recedens, existimat parvam Crucem esse apponendam ; et hoc conforme esse Rnbricae, quae cum indefinite expostulet Crucem in Altari, in quo est celebrandum, nullam exceptionem videtur admittere.

3. Explodunt hi contrariam sententiam, quia figuratum, id est reale Christi Corpus praesens est sub speciebus Eucharisticis ob oculos fidei et montis, non vero ob oculos corporis. Sed Rubrica praescribit praesentiam figurae, quae sit ob oculos Celebrantis, ut facilius actu sibi revocet in memoriam passionem Christi eiusque cruentum Sacrificium ; quae quidem memoria, attenta infirmitate nostrarum distractionum, magis ex Crucis sensibili aspectu, quam ex ipsa Hostia in nobis excitatur; sicuti fatetur et ipse Gavantus loco cit., ut firmet regulam, quod apponenda est Crux in Altari, in quo asservatur Sacramentum reconditum in Tabernaculo. Sed facile refelli possent

rationes istae, si nostri instituti esset quaestionem hanc solida argumentatione discutere, et liberum alteram tueri sententiam, quod arbitror non licere, postquam Apostolica Sedes sua interposita auctoritate declaravit variam Ecclesiarum consuetudinem servandam esse, ut mox videbimus.

4. Huic declarationi praelusisse videtur Paulus Maria Quarti, qui ad Rubricas Missalis part. 1, tit. 20, quaest. 10, censet Crucem necessariam non esse, quia Sacramentum palam expositum ex se aptum est deservire ad fines, ob quos Crux apponitur. Verum non arbitratur inconveniens, si nihilominus apponatur, quia inconveniens non est, quod ubi est Persona Principis, sint etiam eius Insignia et Imago; alias quippe cum peracta Consecratione, Christus constituatur illico realiter praesens, necesse foret Crucem statim ab Altari removere. Axioma igitur illud : « ubi est figuratum, debet cessare figura » intelligendum apparet de Sacrificiis veteris legis, quae erant figura Sacrificii Crucis et Christi Crucifixi; non vero de Imagine Crucis et Crucifixi, qua repraesentatur ipsa realis Crucifixio iam consummata; et ponitur ob oculos corporis, quod SSm̃a Eucharistia minime praestat, unde et usus obtinuit, quod in ipsa Hostia consecrata habeatur nihilosecius impressa Imago Crucifixi.

5. Haec autem sententia est, quae ex declaratione Congregationis Sacrorum Rituum et successiva Constitutione s. m. Benedicti XIV modo obtinet. Equidem Sacra Congregatio, proposito Dubio : « An super Altare, in quo SS. Sacramentum expositum est, Crux de more collocari debeat?» non sine magna suffragiorum discrepantia, ut testatur laudatus Pontifex in dicta Constitutione, responderat : « Nunquam omittendam Crucis cum Imagine Crucifixi apposita collocationem: re tamen maturius discussa in Aquen. 2 Septembris 1741 (num. 2365), quamlibet Ecclesiam in sua consuetudine relinquendam esse edixit. En verba Decreti, in responsione ad dubium 1. « Etsi aliquando praeceperit haec S. R. C. quod in Altari ubi est publice expositum SS. Sacramentum, tempore Sacrificii Crux de more collocetur, non est tamen in viridi observantia; et Patriarchales Ecclesiae Urbis oppositum servant. Supervacaneum enim adiudicant Imaginis exhibitionem ubi Prototypus adoratur. Et hacce de causa *Instructio* pro Oratione Quadraginta Horarum Clementis XI, Benedicti XIII et Clementis XII Summorum Pontificum iussu edita, sub silentio praeterit : an locanda removendave sit huiusmodi Crux, linquens quamlibet in sua praxi ». Et haec est sententia, quam commendat, tenet servandamque proponit Benedictus XIV in sua Constitutione *Accepimus etc.* die 16 Iulii 1746, ubi, variis sententiis expositis ac relato S. R. C. Decreto, concludit : « Quae cum ita se habeant, Rituumque interpretes et Scriptores ob ea, quae mox relata sunt, in varias abierint sententias, satis commendari non possunt ea quae prudenter sapienterque decreta fuerunt a praedicta Sacrorum Rituum Congregatione, nempe, ut quaelibet Ecclesia vel Dioecesis suam retineat consuetudinem, ita ut nihil immutetur in ea Dioecesi ubi Crux in Altari constitui solet, dum Missa celebratur, etiamsi Sacra Eucharistia publice prostet; neque nova disciplina excitetur in ea Dioecesi, ubi contraria huius rei consuetudo iampridem invaluerit ».

6. Quaelibet igitur Ecclesia suam servet praxim. Quod si mos obtineat collocandi Crucem, duo notanda sunt. Primum, quod apponenda erit tempore dumtaxat Sacrificii. Hoc expleto, cessat ratio, propter quam apponitur. Secundum, quod thurificato Sacramento non est incensanda, sed Crucis incensatione omissa, illico est procedendum ad thurificationem Altaris. Ita sancitum est a S. R. C. in Carthaginien. 29 Novembris 1738, quae proposito dubio 4 : « An, dum incensatur Altare, in quo est expositum publicae adorationi Venerabile, post illud incensatum, debeat quoque Crux incensari ? » absolute respondit : « Negative ». (Num. 2340). Hac super re videri possunt Cavalerius tom. 4, cap. 7, Decret. 32, num. 3 ; et cap. 18, Decret. 5 , num. 5; ac Tetamus in Append. cap. 3, artic. 2, num. 7.

7. Praemittendum id erat : ad explanandum ea, quae peculiaria sunt Missae coram Sacramento celebratae, modo progredior. Isthaec Missa cum sit revera solemnis, non secus ac cum Ministris paratis celebrari debet, quemadmodum iubet *Instructio* de omnibus Missis, quae per Expositionis triduum cantandae sunt. Hinc Celebrans et Ministri e Sacrario exeuntes, vix e conspectu sunt Sacramenti, etiam priusquam Cappellam ingrediantur, in qua est expositum, omnes caput denudare debent ; et bireta tradere Caeremoniario aut assistentibus Clericis. Cum vero ad Altare pervenerint in plano Presbyterii, ante infimum gradum omnes flectunt utrumque genu et

simul caput profunde inclinant, quod solum fit cum primum ad Altare accedunt; et finita Missa, ab eo non reversuri recedunt. Nam in Missae prosecutione, dum accedendum vel recedendum est, aut ab uno ad alterum Altaris latus transeundum, dexterum dumtaxat genu flectendum est, ut alias vidimus; et communiter notant Gavantus part. 2, tit. 14, num. 5: ibique Merati cum aliis pluribus ab eodem laudatis. Id fit, ut facilius et commodius surgant; et nimis cunctandum non sit in sacris muneribus ex rubricarum praescripto peragendis. Advertendum praeterea est, quod faciendo genuflexionem unico genu, non debet caput inclinari, ut a multis perperam fieri notat P. Meratus ibidem. Sed et aliud insuper animadvertendum, ne Sacri Ministri prope Altare vel accedentes vel recedentes, dum genuflectunt, manuum extremitatem ad Altaris oram admoveant; nam id soli Celebranti permittitur, dum manus impeditas non habet.

8. Facta Confessione absque ulla genuflexione accedunt ad Altare, ubi deinceps unico genu flectunt; et Celebrans dicit: *Oramus te Domine etc.* iuxta solitum; mox imponit incensum in thuribulum, non in medio Altaris, sed tantillum conversis humeris ad cornu Evangelii, facie vero ad cornu Epistolae: quod semper servandum est, dum imponitur thus ad Altare, in quo expositum est Venerabile. Diaconus aliquantulum inclinatus ministrabit naviculam, Thuriferario stante vel genuflexo, ob Celebrantis commoditatem, sustentante thuribulum iuxta morem: a Celebrante benedicendum est thus, quia, praeter Sacramentum, adolendum est etiam Altare, ac dein ipse Sacerdos. *Caeremoniale Episcoporum lib. 1, cap. 23, num. 19:* Gavantus et Merati loc. cit., Bauldry part. 2, cap. 9, art. 3, num. 3. Diaconus autem ob Sacramenti reverentiam abstinere debet ab osculis, dum et naviculam et thuribulum porrigit Celebranti. Imposito et benedicto thure, recedente Thuriferario ad locum suum cum debita genuflexione, Celebrans cum Ministris Sacris descendit ad secundum gradum Altaris aliquantulum oblique conversus, ita ut in descensu terga non vertat Sacramento: genuflectit in suppedaneo medius inter Sacros Ministros ibi pariter genuflexos; thuribulum accipit a Diacono sine osculis, statimque, praemissa cum Ministris profunda inclinatione, incensat Sacramentum triplici ductu, motu gravi, interposita brevissima morula unum inter alterumque ductum; et eo tempore Ministri Sacri aliquantulum elevent posteriorem partem Planetae, interim omnibus circumstantibus manentibus genuflexis.

9. Fatetur Meratus praxim Basilicarum Urbis, quae omnium Ecclesiarum Mater est et Magistra, eam esse, quam supra posuimus, videlicet quod Celebrans in suppedaneo genuflexus Sacramentum incensat, atque ita faciendum esse communiter Auctores Liturgici docent, quos inter Gavantus, qui ait: « Incensatur Sacramentum a Celebrante super altiorem Altaris gradum »: nihilominus subdit praefatum ritum contrarium videri *Caeremoniali Episcoporum lib. 2, cap. 33, num. 26;* unde notat aliquos in ea versari sententia, quod Celebrans debeat in infimum gradum descendere, ibique thure adolere Sacramentum. Hi tamen casus omnino diversos mire confundunt. *Caeremoniale loco cit.* agit de thurificatione Sacramenti in solemnitate SS̃mi Corporis Christi post Processionem: et tunc bene est, quod Celebrans, qui unice incensare debet Sacramentum, illud e loco incenset, in quo genuflexus iam reperitur. At diversa ratio est quoad Missam, in qua Celebrans loco moveri debet, ut Sacramentum genuflexus incenset, quo incensato, procedendum est ad thurificationem Altaris. Consultus super hac quaestione eruditissimus Episcopus Pompeius Sarnelli, *Lettere Ecclesiastiche tom. 7, lett. 26;* adhaeret communi sententiae casusque opportune distinguit, docens quod quando incensatio fit extra Missam, tunc procul dubio debeat haec fieri a Sacerdote genuflexo super infimo Altaris gradu; sed quando occurrit incensare Sacramentum intra Missam solemnem celebratam coram eodem Sacramento exposito, tunc, inhaerendo sententiae Gavanti part. 2, tit. 14, num. 6 et num. 12, tenet cum ipso Sacramentum incensari debere a Celebrante super altiorem Altaris gradum una cum Ministris genuflexo, ut sit magis expeditus idem Celebrans ad ceteras functiones eiusdem Missae peragendas.

10. Atque hic Cavalerius quaestionem movet: An Sacerdos, dum se, ut supra, retrahit ab Altari pro impositione incensi, et iterum se constituit ad Altaris medium, descensurus illico ad incensationem Sacramenti, debeat genuflectere? Suggillat Meratum, inquiens: Negat Meratus part. 2, tit. 14, num. 7, « qui tamen sibi discors num. 12 genuflexionem demandat: nec ali-

ter exposcit generalis regula, quam ipse cum universitate Doctorum firmat, genuflectendi scilicet in accessu quolibet et recessu ab Altaris medio, aut transitu per ipsum ». Ego autem hanc non agnosco discordiam ; imo, si quis carpendus est, potius Cavalerius, qui diversos casus diversasque actiones non distinguit, quam Meratus videtur. Is namque de hac incensatione agens, ait utique: sine ulla genuflexione descendit ad secundum gradum Altaris: et iure quidem, quia, imposito thure, statim incensandum est Sacramentum; et cum genuflectendum sit in suppedaneo, non video cur genuflectere debeat, antequam descendat. Diversus est casus in secunda thurificatione, quia antequam incensetur Sacramentum, incensanda sunt Oblata, utpote quae pertinent in praeparatione et purificatione materiae ad essentiam Sacrificii: et in hac circumstantia docet clariss. Auctor : Antequam Celebrans se retrahat aliquantulum ad cornu Evangelii ad imponendum incensum, genuflectere debet, sicut etiam postquam imposuit incensum et convertit se ad Altare thurificaturus Oblata : sibi tamen constans genuflexionem fieri negat, priusquam descendat ad thurificandum Sacramentum : iis incensatis (scilicet Oblatis) sine genuflexione Celebrans et Diaconus descendunt ad secundum gradum Altaris, ut genuflectant super suppedaneum : actiones sunt diversae, diversus etiam est modus. Ubi ergo discordia?

11. Ceterum non desunt, qui docent nec genuflectendum priusquam incensentur Oblata. Ita Gavantus part. 2, tit. 14, num. 12: In oblatione Oblatorum benedicit incensum et sine genuflexione incensat Oblata; tum genuflexus super altiorem gradum incensat Sacramentum : Bauldry part. 2, cap. 17, num. 11: « Incensaturus Oblata, statim benedictione facta thuris, eadem incensat, non prius genuflectens ; quod magis confirmat part. 2, cap. 8, artic. 3, ubi expresse agit de thurificatione SSmi Sacramenti expositi in Altari, praecipue num. 3 et 6. Corsetti part. 1, tract. 1, cap. 17, num. 9 : « In incensatione Oblatorum benedicitur incensum de more et sine genuflexione Celebrans incensat Oblata. Horum sententiae adhaerendum videtur, quia revera Celebrans impositurus thus non discedit ab Altaris medio, sed tantillum se retrahit, conversis humeris ad latus Evangelii, ministrante Diacono e cornu Epistolae, ita ut thuribulum in medio sit ; quia igitur cessat ratio accessus et recessus vel transitus, iam patet iure omittendas esse genuflexiones.

12. Incensato Sacramento, Celebrans et Sacri Ministri, praemissa profunda inclinatione, surgunt et ad Altare accedunt, ubi omnes genuflectunt unico genu ; mox Celebrans incensat Altare more solito; et quoties transit ante Altaris medium, una cum Ministris, semper unicum flectit genu. Advertendum hic est, quod illis in Ecclesiis, in quibus mos obtinet apponendi Crucem cum imagine Crucifixi, ut supra iam monui, Crux non est thurificanda ; siquidem, incensato Originali, non est cur incensetur eiusdem figura. Solum in Feria VI maioris Hebdomadae post incensatum Sacramentum, incensatur etiam Crux, quia tali die speciali cultu Crucem Christi Domini veneramur; et ideo, nemine excepto, omnes ante eam transeuntes genuflectunt. Completa autem Altaris incensatione, Celebrans a parte laterali Epistolae descendit in planum, ubi se convertit ad populum, advertens, ne terga vertat Sacramento, idcirco dum descendit, respiciat cornu Evangelii. Ibi in plano incensatur triplici ductu a Diacono stante contra ipsum, scilicet conversis humeris ad populum, qui Diaconus ante et post incensationem se profunde inclinat Celebranti : Subdiaconus vero interim se collocabit a sinistris Diaconi, vertendo pariter terga populo. Caeremoniarius et Thuriferarius consistant in locis consuetis. Ita erit servandum etiam in alia incensatione ad Offertorium, et in eodem loco pariter Celebrans manus lavabit. Unum solum discrimen erit, quod tunc Subdiaconus non accedat ad sinistram Diaconi thurificantis; sed manebit in plano, ubi reperitur tectam velo Patenam sustinens.

13. Quoties Celebrans ad populum se debet convertere dicturus *Dominus vobiscum etc.,* prius osculatur Altare, quando est faciendum ; deinde, facta genuflexione in medio, se tantillum retrahit ad cornu Evangelii ; et ita se vertit oblique ad populum, humeris conversis potius ad cornu Evangelii quam ad Altare; et ad medium se restituens, iterum genuflectit. Idem praestandum est ad *Orate Fratres.* Notandum tamen, quod circulum non debet perficere, sed ad Altaris medium reverti, ut fit ad ℣. *Dominus vobiscum.* Haec autem tenenda est methodus in Altari osculando, ut quoties Celebrans iam est in medio Altaris, prius illud osculari debeat et postea genuflectere ; quando vero non est in medio, sed

venit ab aliquo Altaris latere, prius genuflectat et postea osculabitur Altare.

14. Quamvis vero, exposito Sacramento, ut saepe dictum est, omitti debeant oscula manus et rerum quae Celebranti porriguntur, nihilominus Subdiaconus, dicta Epistola, osculabitur manus Celebrantis more solito et ab ipso benedicetur; Diaconus vero recipiet benedictionem ante Evangelium de more et manum Celebrantis osculabitur, sicut ipse Celebrans osculari debet librum Evangelii a Subdiacono ipsi delatum. Rursus Diaconus ad Oblationem osculabitur Patenam, Calicem et manum Celebrantis; tum in fine Orationis Dominicae easdem Patenam et manum similiter osculabitur. Unde patet quod illa tantum omitti debeant oscula, quando faciendum aliquid est quod specialiter Sacramentum expositum dumtaxat respiciat, non illa quae ad ritum Missae solemnis proprie pertinent. Percontabitur fortasse quis: Cur ergo Diaconus abstinet ab osculis cochlearis et manus, quando Celebrans impositurus est incensum in thuribulum? Licet Sriptores velint a Celebrante benedici debere thus, quia praeter Sacramentum, etiam Altare thurificandum est ac insuper etiam Sacerdos. Obiectum, ut verum fatear, aliquam habet vim; facilis tamen est solutio. Si standum esset, sine casuum distinctione, *Caeremoniali Episcoporum,* nedum ab osculis, verum etiam ab ipsa benedictione foret abstinendum. Ita *lib. 2, cap. 33, num. 19:* « absque osculo cochlearis et manus, Episcopus cum Mitra sine benedictione thus imponet etc. et num. 36: imponet incensum sine benedictione et osculo »: notandum tamen, quod ibi res est de thurificando Sacramento extra Missam. Diversa ratio est intra Missam, in qua eadem actio duplex habet obiectum, scilicet thurificationem Sacramenti, nec non Altaris et Celebrantis, ac etiam Oblatorum post Offertorium. Ideo autem indicitur benedictio, quia thure adolenda sunt Altare, Oblata et Celebrans; imo Oblata ut ad essentiam Sacrificii pertinentia, ante Sacramentum: unde consequitur non ratione Sacramenti, sed ratione Altaris, Oblatorum ac ipsius Celebrantis, thus benedici. Oscula vero omittuntur, quia sunt actus mere reverentiales, qui locum habere nequeunt exposito Sacramento. At actus mere reverentiales non sunt oscula manus Celebrantis post Evangelium et Epistolam, Calicis, Patenae etc., sed potius mixti, qui, cum ad ritum pertineant, omitti non debent. Si haec non arridet ratio, quae mihi non levis videtur ponderis, quisque quam mavult sententiam teneat, dummodo validiora afferat argumenta, quae allatas rationes evertant.

15. Post Offertorium Celebrans imponit incensum in thuribulum, ut supra dictum est, et ad Altare conversus de more incensat Oblata, quibus incensatis, Sacerdos et Diaconus descendunt: et genuflexus Celebrans in suppedaneo, Diacono a dexteris pariter genuflexo ministrante thuribulum, incensat SSm̃um Sacramentum. Hic iterum Cavalerius carpit Meratum, qui Diaconum genuflexum collocat ad dexteram Celebrantis in suppedaneo; sed paulo post, quasi poenitens, eum ponit in gradu inferiori. Immerito tamen: nam Cl. Auctor ait tantummodo: Interim Diaconus aliquantulum retro.... Casulam elevatam tenebit: ac refert opinionem Cerracchini, qui eum collocat in gradu inferiori. Sed illud *aliquantulum retro* non aliud significat, nisi quod Diaconus genuflexus in suppedaneo, dum elevat casulam, non teneat eamdem physice lineam. Nec arridet ratio a Cavalerio allata, ut eum a suppedaneo deiiciat, sic exigente dignitate Sacerdotali, quae non videtur valde convenienter pati Diaconum a dexteris in eodem gradu, sed magis in inferiori, in quo aeque commode ministrare valet. Nam si Diaconus eum locum tenet, non ideo tenet, ut sibi indebitum honorem usurpet supra Celebrantem, verum ut necessitati inserviat et ad ministrandum sit paratus et promptus: at non esset, si inferiorem teneret gradum. Quod et ipse Cavalerius cum dissimulare nequeat, fateri cogitur, immediate subdens: Quoniam tamen etiam a dexteris positus in eodem gradu assistit, ut ministrans, probabile valde est etiam in eodem gradu se collocare posse.

16. Id autem speciale habet huiusmodi thurificatio, quod licet in aliis solemnibus Missis, dum incensatur Crux, Calix e medio Corporalis amoveri debeat et ad latus collocari, non idem faciendum sit in Sacramenti incensatione, tametsi haec stet loco incensationis Crucis. Et ratio est, quia dum incensatur Crux, ideo seponitur Calix, quia periculum est ut thuribuli ductu Calix concutiatur et decidat, vel saltem vinum pro Consecratione iam oblatum effundat. Hoc autem non imminet periculum in thurificatione Sacramenti, quae non fit prope Altare, sed longe ab eo, scilicet in suppedaneo.

17. Postea Celebrans cum Diacono surgit et cum eodem ascendit ad Altare, ubi ab utroque facta genuflexione unico genu, illud incensat more solito, dicens *Dirigatur Domine etc.,* Diacono elevante partem posteriorem Planetae Celebrantis, ut in aliis solemnibus Missis. Incensato Altari, Celebrans reddit thuribulum Diacono in cornu Epistolae, deinde descendit per gradus laterales eiusdem partis in planum, ubi conversus ad populum incensatur a Diacono; et quin loco moveatur, ibidem lavat manus (Ministro non osculante ampullas) easque abstergit: et mox iterum ad Altare ascendit, ubi facta genuflexione, Missam prosequitur usque ad Communionem iuxta solitum; si excipias, quod ad *Orate fratres* non perficit circulum, ut notatum est supra. Diaconus vero, incensato Celebrante, procedit ad thurificandum de more Chorum et redit ad Altare cum debitis genuflexionibus, ubi a parte Epistolae incensat Subdiaconum; et inde, facta genuflexione, pergit ad locum suum, ubi, repetita genuflexione, incensatur a Ministro, et postea cum genuflexione loco movetur, ut pergat ad ministrandum Celebranti. Minister vero ultimo loco, facta genuflexione in medio Presbyterii, procedit ad ingressum eiusdem et quasi stans a latere Evangelii, non in medio, ne terga vertat Sacramento, more solito populum incensat.

18. Sumpta Purificatione, Celebrans ponit Calicem in cornu Epistolae extra Corporale, postea genuflectit Sacramento, tum accedit ad cornu Epistolae, ubi accipit Calicem, abluit et abstergit digitos, posito Calice prope Corporale: deinde accedit ad medium Altaris, ubi iterum genuflectit; et mox Calicem dextera accipit et ablutionem sumit: qua sumpta, Calicem abstergit Subdiaconus, de more accommodat, aufert ab Altari, ad credentiam defert, cum debitis genuflexionibus. Celebrans vero genuflectit et redit ad librum, ubi versiculum legit, qui *Communio* dicitur; inde reversus ad medium Altaris, illud osculatur, genuflectit, conversusque ad populum dicit *Dominus vobiscum,* quo dicto, convertitur ad Altare, et genuflectit; Ministri Sacri, qui eum sequuntur, pariter genuflectunt: regressus ad librum, canit Orationem, aut Orationes si plures dicendae sunt, quibus absolutis, accedit ad medium Altaris, illud osculatur et post genuflexionem, versus populum dicit *Dominus vobiscum;* Diaconus vero dicturus *Ite Missa est,* prius genuflectit, vertit se versus populum, ita tamen ut oblique illum respiciat et terga non vertat Sacramento, et cantat *Ite Missa est.* Subdiacono de suo loco non se movente.

19. Dicto *Ite Missa est* et responso a Choro *Deo gratias,* Celebrans et Diaconus iterum se vertunt ad Altare et ab utroque facta genuflexione, Celebrans dicit: *Placeat tibi Sancta Trinitas etc.* et interim Diaconus et Subdiaconus facta genuflexione recedunt a medio Altaris et ille a cornu Epistolae, iste a cornu Evangelii utroque poplite genuflectunt in suppedaneo expectantes Celebrantis benedictionem: Celebrans vero dicit: *Benedicat vos Omnipotens Deus;* tum genuflectit, convertitur ad populum; et tantisper secedens ad cornu Evangelii, ut alias notatum est, impertitur populo benedictionem more solito; qua data, non perficit circulum, nec redit ad medium pro facienda genuflexione, sed procedens versus Altare recedit ad legendum *Evangelium S. Ioannis,* ad cuius initium non signat Altare, sed tabellam Evangelii et se ipsum; et ad *Verbum caro factum est etc.* non genuflectit versus cornu Evangelii, sed aliquantulum versus Sacramentum, unico tamen genu, sine capitis inclinatione. Finito Evangelio cum Sacris Ministris pergit ad *Instructionem,* quae regulas tradit quoad medium Altaris, ubi omnes genuflectunt.

20. Haec ad Missam pertinent, nunc ad ea, quae agenda sunt post Missam. Itaque, cum statim fieri debeat Processio pro Sacramenti Repositione, Celebrans una cum Ministris, facta genuflexione unico genu in medio suppedanei sine capitis inclinatione, praecedente Subdiacono, sequente Diacono descendit per gradus laterales a cornu Epistolae in planum; et ad credentiam, sive ad locum paratum retro Altare, exuit Planetam et deponit Manipulum, prout etiam deponunt Ministri Sacri; et induit pluviale eiusdem coloris, qui Missae convenerat: mox iunctis manibus, nudo capite, medius inter Sacros Ministros elevantes hinc inde pluvialis fimbrias, pergit per planum Presbyterii et e conspectu Altaris, tam ipse quam Sacri Ministri, utroque poplite cum profunda reverentia genuflectunt, mox surgunt et sine capitis inclinatione genuflectunt in infimo gradu Altaris, ibique permanent, donec absolvantur preces.

21. Ut iam diximus supra, cantandae sunt Litaniae Sanctorum et adiunctae preces, prout notantur in libro, nisi pro tem-

porum circumstantiis ad Superiorum placitum variandae sint. Hoc autem intercedit discrimen quod pro Sacramenti Expositione prius per Processionis tractum cantatur Hymnus *Pange lingua etc.*, et in reditu ad Altare stropha *Tantum ergo* cum sequenti; deinde Litaniae cum precibus et orationibus : in repositione vero Litaniae et preces cantandae sunt ante ; postea intonatur Hymnus, fit interea Processio, qua expleta et collocato Sacramento in Altari, cantatur *Tantum ergo* cum versiculis, et orationibus. Hinc praecipit sanctio : « Li Cantori principieranno le Litanie e si continuerà sino al *Domine exaudi orationem meam etc.* ». Post hunc versiculum surgit Sacerdos cum Ministris, imponit incensum in thuribulum sine benedictione et osculis, ministrante Diacono naviculam et Subdiacono elevante dexteram pluvialis fimbriam ; et deinde genuflexus in eodem infimo gradu ter incensat Sacramentum, facta ante et post profunda inclinatione, prout etiam faciendum est a Ministris interim elevantibus pluvialis fimbrias. Deinde ei imponitur velum humerale etc. In reliquis idem servandus est modus, de quo supra ad § XIX ; hoc tantum intercedente discrimine, quod ante Processionem pro Expositione Diaconus sumit Ostensorium de Altari, ut Celebranti tradat: pro Repositione vero illud tollit de Throno. Non persequimur ea quae ad Processionem pertinent, quia nihil addendum est iis, quae diximus relate ad aliam, quae fit pro Expositione ; siquidem praescriptae regulae utrique communes sunt.

22. Accidit quandoque, ut non Celebrans, sed alter, vel Cardinalis vel Episcopus, functionem peragat Repositionis ; et forte etiam accidere potest quoad alias Expositiones, quae non sunt pro Oratione Quadraginta Horarum, ut non statim post Missam Sacramenti Repositio fiat ; quod praecipue obtinet in octiduo Corporis Christi, dum coram eo Missa conventualis cantatur post Tertiam et benedictio impertiri solet post Nonam. Utroque in casu sequens tenendus est modus a Celebrante et Ministris. Finito Evangelio Celebrans revertitur ad medium Altaris, ibique habens Diaconum a dexteris, Subdiaconum a sinistris, facta genuflexione unico genu sine capitis inclinatione, statim cum iisdem descendit in planum, ea tamen cum cautela, ut omnes in descensu oblique incedant ne Sacramento terga vertant ; ad planum perventi, ante infimum Altaris gradum utrumque genu singuli flectunt cum profunda capitis inclinatione ut fecerunt in primo accessu ad Altare. Tunc omnes pariter surgunt, discedunt aperto capite, nec bireta accipiunt, quibus caput tegant, nisi postquam erunt extra conspectum Sacramenti.

23. Ex iis autem, quae dicta sunt, colligi poterit quae ratio tenenda sit, si quis Cardinalis vel Episcopus post solemnem Missam ab alio cantatam sacrae functioni finem velit imponere. Iam notata, ubi res erat de Expositione, repetere hic vanum est. Iterum tamen adnotabo, quod hoc in casu cum Missa et quae ad Repositionem pertinent, habenda sint tamquam actiones distinctae et separatae, color albus in Processione et repositione adhibendus videtur; etiamsi pro qualitate Officii et ritus, coloris diversi paramenta inservierint pro Missa, veluti diximus supra ad § XVIII, num. 3 et seq.

24. Ne quid praeteriisse videar, pauca addere iuvat de ritibus servandis, si quandoque Missa privata celebretur coram Sacramento exposito. Id certe in Urbe non accidit quoad Expositionem Quadraginta Horarum, cum duo tantum sint Solemnes Missae, quae coram Sacramento cum Ministris paratis cantantur ; sed facile evenire potest extra Urbem, imo et forte etiam in ea quoad alias Expositiones minus solemnes ; quamvis maxime deceat, ad Rubricarum sensum, ab hac celebratione abstinere. Sed quoniam difficillimum est abrumpere consuetudinem, quae bene multis laudabilis videtur, colligam ex Rubricistis quae in hanc rem notata sunt, ut pro casuum diversitate quisque sub oculis methodum servandam habeat, quin alios Scriptores cogatur consulere.

25. Igitur Sacerdos Missam privatam celebraturus coram Sacramento exposito, statim ac Cappellam ingreditur, aliquantulum consistens caput detegit, porrigens biretum Ministro ; et caveat ab illorum sequendo exemplum, qui perperam, vel supra Calicis bursam, vel supra Missale, biretum deponunt. Cum pervenerit ad Altare, ante illius infimum gradum in plano flectit utrumque genu et genuflexus caput profunde inclinat, quod et Minister facit. Mox surgunt Sacerdos et Minister: ille iuxta morem ascendit ad Altare et Calice collocato ad partes Evangelii, antequam capiat bursam ad extrahendum Corporale, genuflectit, unico tamen genu et sine capitis inclinatione; et sic fieri debent omnes aliae genuflexiones, ul-

tima excepta, quae fit, dum, finita Missa, ab Altari est discedendum. Inde surgens extrahit Corporale, quod de more extendit et superimponit Calicem ; facta genuflexione sine capitis inclinatione, accedit ad cornu Epistolae, ut librum aperiat et signet Missam, quae dicenda est.

26. Statim redit ad medium Altaris, genuflectit, ut supra, nullaque interposita mora, retrahens se aliquantulum ad cornu Evangelii, facie versa ad cornu Epistolae, ne vertat dorsum Sanctissimo Sacramento, descendit ad planum Altaris, humeris versis de cornu Evangelii. Postquam descenderit pro incipienda Missa, genuflectit in infimo gradu sine capitis inclinatione : mox surgens facit confessionem : Minister vero, facta genuflexione utroque genu in primo accessu ad Altare, accedens de more ad cornu Epistolae, ibi deponit Missale, unde discedens et pergens ante medium flectit utrumque genu, quod semper facit transiens per medium ; quamobrem magis solicitus esse debet, quam in aliis Missis, in recedendo a suo loco ubi est, ut tempore consueto ministrare possit.

27. Celebrans, finita Confessione, ascendit ad Altare sine genuflexione, quam aliqui gratis faciunt; sed ut ad illud pervenerit, priusquam incipiat : *Oramus te Domine etc.*, genuflectit ; finita Oratione et osculato Altari, iterum genuflectit et surgens procedit ad cornu Epistolae dicturus *Introitum,* quo dicto, ad medium Altaris revertitur, iterum genuflectit, deinde dicit *Kyrie* et *Hymnum Angelicum,* quatenus dicendus sit; mox osculatur Altare, genuflectit sine capitis inclinatione, vertit se ad populum paulo versus cornu Evangelii, dicit *Dominus vobiscum,* iterum genuflectit in medio Altaris et pergit ad cornu Epistolae, ubi dicit *Orationes, Epistolam, Graduale,* aut *Alleluia,* aut *Tractum,* iuxta temporis et Missae exigentiam. Deinde accedit ad medium Altaris, ubi, elevatis ad Sacramentum oculis statimque demissis, genuflectit, dicit *Munda cor meum etc.*, iterum genuflectit ; et postea pergit ad cornu Evangelii, ubi legit Evangelium more solito et osculatur librum ; revertitur ad medium Altaris, genuflectit et dicit *Symbolum,* quatenus dici debeat : quo dicto, osculatur Altare, iterum genuflectit, et vertens se ad populum versus cornu Evangelii, dicit *Dominus vobiscum;* et postea, iterando genuflexionem in medio, dicit *Oremus* cum capitis inclinatione, dein *Offertorium,* si dicendum non sit *Symbolum;* accedens ad medium genuflectit, et postea osculatur Altare, et quin iterum genuflectat, vertit se ad populum etc., ut iam dictum est.

28. Dicto *Offertorio,* cetera facit, ut moris est. Postquam vero dixerit *Suscipe etc.* genuflectit, accedit ad cornu Epistolae, accipit Calicem, infundit vinum cum aqua, Ministro non osculante ampullas ; et reversus in medium, genuflectit, accipit Calicem iam praecedenter positum super Corporale et dicit : *Offerimus etc.* Dicto *Veni Sanctificator,* et benedictis Oblatis, non iungit manus, nec inclinat caput, sed manibus super Altare positis, genuflectit, recta incedit versus cornu Epistolae, descendit in planum, ubi se vertit ad populum, lavat et extergit manus, redit ad medium Altaris, genuflectit, dicit *Suscipe Sancta Trinitas etc.,* osculatur Altare, genuflectit et, obversis humeris versus cornu Evangelii, dicit *Orate Fratres,* non perficit circulum, sed reversus ad Altare, iterum genuflectit ; et postea usque ad Communionem alia omnia peragit iuxta solitum. Ad *Sanctus* et ad *Elevationem* non pulsatur campanula.

29. Purificatione sumpta, Sacerdos ponit Calicem extra Corporale a cornu Epistolae, genuflectit in medio Altaris unico genu et vadit ad cornu Epistolae, ubi est Calix quem accipit ; et facta in eo digitorum ablutione et abstersione, eumdem ponit prope Corporale, tum revertitur ad medium Altaris, genuflectit, accipit Calicem, sumit ablutionem ac deinde iuxta morem extergit os et Calicem. Hoc autem, ut fieri debet, suo velo tecto et in medio mensae collocato, genuflectit, accedit ad cornu Epistolae, dicit *Communio,* ad medium redit, genuflectit, osculatur Altare, convertitur ad populum, humeris tantillum conversis ad cornu Evangelii, dicit *Dominus vobiscum,* iterum genuflectit, revertitur ad cornu Epistolae, legit Orationem, vel Orationes si dicendae sunt plures ; quibus expletis, vadit ad medium Altaris, genuflectit, osculatur, vertit se ad populum eo modo quo dictum est, dicit *Dominus vobiscum* et *Ite Missa est;* et postea, rediens ad medium Altaris, genuflectit et surgens dicit : *Placeat tibi Sancta Trinitas etc.* Si Missae qualitas exigat *Benedicamus Domino,* Sacerdos, dicto *Dominus vobiscum,* revertitur ad medium Altaris, genuflectit et stans dicit : *Benedicamus Domino;* et postea more consueto dicit orationem *Placeat.*

30. Deinde Sacerdos osculatur Altare,

dicit : *Benedicat vos omnipotens Deus* sine capitis inclinatione, mox genuflectit, vertit se ad populum modo, ut supra, benedictionem more solito impartitur, non perficit circulum, non accedit ad medium Altaris, non genuflectit, sed ad Altare conversus, progreditur ad cornu Evangelii, ubi legit Evangelium, ad cuius initium nunquam signat Altare, sed vel librum, vel tabellam, et se ipsum solum ; et ad *Verbum caro factum est,* non genuflectit versus Altare, sed versus Sacramentum sine capitis inclinatione: terminato Evangelio, accedit ad medium Altaris, genuflectit, accipit Calicem et humeris aliquantulum versis ad cornu Evangelii, descendit in planum, ubi utroque poplite genuflectit cum profunda capitis inclinatione ; et surgens discedit sine alia reverentia, detecto tamen capite, quod bireto non tegit, nisi postquam non est amplius ante conspectum Sacramenti. Quae omnia servanda sunt, etiamsi Sacramentum sit expositum in Ostensorio velato, vel patente intus Tabernaculum Pyxide.

§ XXXI.

« Ritornato dopo la Processione il Cele-
« brante all'infimo grado dell'Altare, il Dia-
« cono genuflesso riceverà da esso, che starà
« in piedi, il Santisssimo, verso cui il Cele-
« brante genufletterà immediatamente e de-
« porrà il velo umerale. Il Diacono lo col-
« locherà sopra il Corporale in mezzo del-
« l'Altare e ritornerà al suo luogo. Il Ce-
« lebrante al ℣. *Genitori Genitoque etc.,*
« alzatosi coi Ministri, porrà, come sopra,
« l'incenso senza benedirlo ; ed incensato il
« Sacramento, li Cantori diranno ℣. *Panem*
« *de Coelo etc.* (a cui s'aggiungerà l'*Alle-*
« *luia* nel tempo Pasquale solamente ed in
« tutta l'ottava della Festività del Corpus
« Domini in qualsivoglia esposizione, che si
« faccia). Il Celebrante alzatosi, senza far
« nuova genuflessione, sostenendo li Mini-
« stri il libro (senza dire ℣. *Dominus vo-*
« *biscum,* come per Decreto della Sacra
« Congregazione de' Riti) canterà le Ora-
« zioni a mani giunte, le quali terminate, ge-
« nuflesso prenderà il velo umerale; ed
« ascendendo solo all'Altare, fatte le do-
« vute riverenze, prenderà nelle mani ri-
« coperte, come si disse, con l'estremità
« del velo umerale l'Ostensorio e darà con
« esso la benedizione al popolo; e riposto
« il Sacramento sopra il Corporale, discen-
» derà e starà genuflesso al suo luogo. Il
« Diacono immediatamente, o un Sacerdote
« con Stola, fatte le dovute riverenze, chiu-
« derà il Sacramento nel Tabernacolo, il
« quale per tale effetto dovrà ritenersi nel-
« l'Altare dell'Esposizione; e l'Ostia conse-
« grata si dovrà consumare nella Messa, o in
« quella mattina o nella seguente : dopo di
« che partiranno e terminerà l'Orazione di
« Quarant'ore ».

1. De methodo in Processione tenenda diximus iam satis multa, quin aliquid addendum sit. In regressu ad Altare unicum, quod intercedit discrimen, illud est, quod Diaconus, dum de manibus Celebrantis recipit Sacramentum, illud non collocat in Throno, ut fit in Expositione, sed deponit super Corporale in medio Mensae Altaris, eo quia finis est Orationis nihilque superest, nisi populum cum benedictione dimittere. Neque repetam ea, quae supra disserui, de loco, in quo Diaconus recipere debet Sacramentum de manibus Celebrantis et de concilianda dispositione Instructionis cum Caeremoniali Episcoporum. Recolenda sunt quae diximus ad § 24, num. 1 et seq. In reliquis adeo clara haec est sanctio, ut nihil addendum ad eam videatur ; nihilominus ad quaestiunculas quae forte excitari possent enodandas, abs re non erit aliqua etiam magis illustrare, quae saltem proderunt, ne quoad alias Expositiones oriantur dubia, et ne a praescriptis receptisque moribus longe alieni inducantur abusus.

2. Vidimus iam supra ad § 24, num. 15, ob quam rationem post Hymnum *Tantum ergo etc.,* in Expositione non dicatur versiculus *Panem de Coelo etc.,* omittendus vero non sit in Repositione. Notandum solummodo est, quod huic versiculo non semper, sed iuxta temporum exigentiam, addi debet *Alleluia,* videlicet tempore Paschali et per totam octavam SSmi Corporis Christi. Non enim solemnitas actionis, sed laetitiae tempus, celebritatis qualitas et praescriptus ab Ecclesia ritus exigunt *Alleluia.* Rituale Romanum, ut notat Baruffaldus tit. 24, num. 14, addendum esse iubet *Alleluia* ad Antiphonam *O Sacrum convivium etc.* post administratam Communionem tempore Paschali: et quamquam agens tit. 80, § 6, de Festo Corporis Christi, non item id memoret, nihilominus ex communi Ecclesiarum praxi additur *Alleluia* in eadem solemnitate et octiduo, quae certe praxis in legem transivit, multo magis postquam Clementina Instructio eam adoptavit.

3. Praeterire hic loci nolo aliqua Sacrae

Rituum Congregationis Decreta quoad rem hanc, quae specietenus pugnantia inter se videntur; revera tamen non sunt, quatenus diversitatem casuum et temporum consideremus. Porro Decreta illa *Clementina Instructione* antiquiora sunt. Quod si postquam haec prodiit, simile Dubium delatum fuisset, non aliter certe ac in ea praescriptum est, eadem Sacra Rituum Congregatio respondisset.

4. Iubet *Instructio,* ne Celebrans praemittat Orationibus ℣. *Dominus vobiscum.* Et hoc opportunum erat, ne quis praemitti oportere crederet, quia in antiquis *Ritualis Romani* editionibus ita notatum est, et Gavantus part. 4, tit. 12, num. 7, cohaerenter *ad Rituale* docet a Celebrante dicendum ℣. *Dominus vobiscum* cum Oratione *Deus qui nobis etc.;* contra namque stat *Caeremonialis Episcoporum* silentium, quod praevalere debet dispositioni *Ritualis Rumani.* Si quis dubitet sub specie, quod silentium *Caeremonialis* argumentum praebet mere negativum, animadvertat, quod argumentum huiusmodi suam habet vim, quia de re agitur, quam notare debuisset *Caeremonialis Rubrica,* quae nihil omittit eorum, quae in sacris functionibus servanda sunt. Sed quia opponi posset negativi argumenti robur infringi e conspectu positivi, quod habemus in *Rubrica Ritualis,* omnem diremit quaestionem Sacra Rituum Congregatio, quae in Granaten. die 16 Iunii 1663, edixit: « Servanda est dispositio Caeremonialis Episcoporum lib. 2, cap. 33, de Festo Sanctissimi Corporis Christi, ubi nulla fit mentio de versu *Dominus vobiscum,* sed iubetur tantum post ℣. *Panem de Coelo,* et ℟. *Omne delectamentum etc.* cantari Orationem etc.; et sic servat in Urbe Sanctissimus Dominus Noster et observatur ab omnibus, quidquid alii in contrarium asserant (num. 1265 in responsione ad dub. 7) »: et in Salernitana 28 Septembris 1675, respondit: Servandum esse Caeremoniale, ubi nulla fit mentio de ℣. *Dominus vobiscum etc.* (num. 1548). Hisce innititur Decretis *Instructio ;* et modo composita res est, nec amplius *Rituale a Caeremoniali* discordat, cum in recentioribus eiusdem *Ritualis* editionibus (illa excepta, quae iussu Benediti XIV prodiit anno 1752, de qua infra) Rubrica illa sit reformata.

5. Cur autem omittendus sit ℣. *Dominus vobiscum,* quaerere quis posset. Baruffaldus hoc sibi dubium proponit et postquam tit. 8, num. 73, dixerat: Quo vero ad versiculum *Dominus vobiscum,* qui in primis Ritualibus adnotabatur, per multos annos in usu fuit; sed Sacra Rituum Congregatio in eadem Instructione allegata n. 31, contrarium censuit. Inde aliquas huius rei rationes invenire studens, dubitantis more prosequitur: « Fortasse eo, quia frustra dicitur, quod Dominus sit cum adstantibus, si de facto adest in Sanctissimo Sacramento coram illis. De facto in Missa dum Sacramentum patet oculis Sacerdotis, numquam dicitur *Dominus vobiscum* ». Eum tamen merito carpit Meratus part. 4, tit. 12, num. 19, omisso enim, quod in Missa, etiam praesente Sacramento, imo dum Sacerdos nedum prae oculis habet, sed manu tangit et supra Calicem frangit Hostiam, dicit *Dominus sit semper vobiscum:* si ratio valeret per ipsum allata, in Missa, quae celebratur coram Sacramento, semper omittendus foret ℣. *Dominus vobiscum,* prout etiam in Horis Canonicis, quae in octava Sanctissimi Corporis Christi coram Sacramento recitari solent: imo et corrigenda esset Instructio, quae § 24, ante orationes, iam exposito SSm̃o Sacramento sub baldachino, iubet dici ℣. *Dominus vobiscum.*

6. Alia igitur ratio quaerenda est, quae iustum ac rationabile, non emendicatum et erroneum discrimen ponat. Hanc producit Merati, quem sequitur Cavalerius tom. 4, cap. 9, Decr. 3, num. 3. Ideo enim in Repositione et in aliis omnibus Expositionibus non praemittitur Orationi de Sacramento ℣. *Dominus vobiscum,* quia immediate post cum Sacramento populo adstanti impertienda est benedictio, quae est realis et validior deprecatio, quod Dominus sit cum adstantibus, quam ea quae per vocem exprimitur. Quod si preces aliquae in Expositione recitentur cum Oratione Sacramenti et discedendum postea sit ab Altari, ita ut aliquod spatium intercedat inter Expositionem et Repositionem, idem versus Orationi praemittendus erit, quia cessat ratio, ob quam omittitur. Ideo *Instructio* in Expositione Sacramenti, ad quam non sequitur ipsa realis benedictio, praefatum versum dicendum assignat; secus vero in Repositione, ad quam immediate sequitur benedictio. Regula igitur generalis esse debet, quod vocalis deprecatio *Dominus vobiscum* sit omittenda ante Orationem de Sanctissimo Sacramento, ad quem sequitur illico ipsa realis deprecatio media benedictione eiusdem Sacramenti. Secus vero, si immediate non subsequatur. Quamobrem omitti nullatenus debet in Missa, Horis Canonicis ac aliis precibus, quae co-

ram Sanctissimo Sacramento exponendo vel iam expositio recitantur. Verum et alia occurrit ratio. In Expositione, absolutis Litaniis et precibus, statim dicuntur Orationes; in Repositione intercedit Hymnus de Sacramento, ideo in prima dici, in altera omitti debet ℣. *Dominus vobiscum etc.*

7. Contra tamen hanc regulam obiicies. *Ex Rituali Romano* dicitur ℣. *Dominus vobiscum* cum defertur Viaticum ad infirmum, ante Orationem *Domine Sancte etc.* adhuc praesente Sacramento, cum quo priusquam Parochus recedat, benedicit infirmum; et post reditum ad Ecclesiam, praemittendus est idem ℣. Orationi de Sacramento; et immediate post cum eiusdem benedictione populus dimittendus. Obiectum huiusmodi nihili faciendus est, utpote ab eodem *Rituali* desumptum, cuius regula per posteriora Decreta et *Clementinam Instructionem* fuit emendata. Et quamquam etiam in recentioribus editionibus ea legantur, habenda ea regula perinde est, ac si non esset, saltem relate ad Orationem dicendam in Ecclesia ante benedictionem. In hac eamdem *Instructionis* regulam ob identitatem rationis servandam esse non immerito existimo. Baruffaldus ad titulum de Communione infirmorum § XXIII, num. 198, notat: *Dominus vobiscum* licet a Rubrica assignetur, tamen in nova Instructione ab Urbe missa ad functiones Eucharisticas sub Clemente XI Pontifice, sublata fuit haec dictio de mandato Sacrae Rituum Congregationis. Equidem cl. Auctor silet ad alteram Rubricam, n. XXVI, quae ait praemittendum esse ℣. *Dominus vobiscum* Orationi *Domine Sancte Pater etc.*, licet, si supersit aliqua particula in Pyxide, infirmus sit benedicendus. Et merito quidem; magna quippe est discriminis ratio. Primo, quia non subsequitur Oratio de Sacramento. Secundo, quia benedictio non est publica et solemnis. Tertio tandem, quia (et haec est ratio potissima) Oratio illa dicenda est, etiamsi nulla supersit particula; est enim deprecatio pro infirmo. Omittendum etiam versum *Dominus vobiscum* putat Baruffaldus, si Sacerdos, post Communionem fidelium rediens ad Altare, dicat Antiphonam *O Sacrum convivium etc.* cum ℣. *Panem de coelo* et Oratione: tit. 24, de Communione Fidelium num. 70. Verum ad hanc rubricam reformandam haud trahi posse videntur S. R. C. Decreta et *Clementina Instructio,* quia populus non benedicitur cum Sacramento, sed ab ipsomet Sacerdote formula deprecatoria.

8. Verumtamen Catalanus in suis ad Rituale Romanum commentariis repudiat Baruffaldi sententiam, nec adhaerendum censet *Instructioni Clementinae* et Decretis S. R. C. de omittendo ℣. *Dominus vobiscum* ante Orationem de Sanctissimo Sacramento, dum immediate sequitur benedictio. « Licet enim (inquit ipse ad titulum de Processione in Festo Corporis Christi § V, num. 3) in recitato Caeremonialis Episcoporum loco et ex S. R. C. Decreto, cuius meminit Baruffaldus ad hunc locum num. 73, ad Orationem praetermitti debeat salutatio illa *Dominus vobiscum;* dicendam tamen eam censeo, quia scilicet ita praescribit hic noster § in Rituali Romano, quod nos explicamus, novissime Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIV iussu edito et aucto. At hic clariss. Auctor errat quammaxime et pugnat cum lege et cum universali praxi. Bene igitur Typographus e re sua duxit hanc adnotationem subiicere: « In recentissimis tamen huius Ritualis Romani editionibus deest praescriptio haec; et quod caput est, in ipsa Urbe Roma ab ipso Pontifice Romano salutatio illa *Dominus vobiscum* hodie quoque praetermittitur ». Non inficior, in Rituali Romae anno 1752 Benedicti XIV iussu edito, legi, prout etiam legitur: in Sacerdotali ad consuetudinem Romanae Ecclesiae, in Rituali Cardinalis S. Severinae et in vetustis editionibus Romani: Deinde Sacerdos stans dicit *Dominus vobiscum etc.:* non ideo tamen id habendum pro lege, qua abrogentur Decreta S. R. C., dispositio Instructionis et universaliter ab omnibus Ecclesiis recepta praxis. Non immerito existimo particulam illam irrepsisse oscitantia et incuria editoris, qui fuit P. Emmanuel de Azevedo Lusitanus, vel impressoris, qui recensuerunt hanc novam editionem ad formam antiquarum, non advertentes deesse eam particulam in recentioribus, post emanata praefata S. R. C. Decreta et *Clementinam Instructionem,* quibus omnis quaestio dirimitur. Absit, ut id quis tribuat Pontifici editionem iubenti, quasi is expresse mandaverit, ut antiqua restitueretur lectio et praxim ad huius normam reformandam voluerit. Si id voluisset, demandasset etiam, ad disputationum semina evellenda, ut lectio *Caeremonialis Episcoporum,* quod pariter eius iussu editum fuit, lectioni Ritualis redderetur conformis.

9. Nequeo hinc Catalano assentiri; nec possem, si vellem. Relinquantur Decreta, quae vetustiora sunt editione Ritualis anni 1752: habemus aliud recentissimum illa

posterius. Propositum enim fuit Dubium super hac re; et dubitandi ratio oriebatur: quia Rituale nuper a Benedicto XIV editum id praescribit in Festivitate Corporis Christi post reditum Processionis. Et Sacra Rituum Congregatio, nulla habita ratione praedicti Ritualis, respondit: « In Benedictione Sanctissimi Sacramenti ante Orationem non debet dici *Dominus vobiscum,* iuxta Decreta S. R. C. in Granaten. sub die 16 Iunii 1663, in responsione ad dub. 7. (Num. 1265); et in Salernitana », sub die 28 Septembris 1675 (num. 1548). Post hoc Decretum quis adhuc dubitare poterit?

10. A Decretis igitur et Instructione recedendum non est, quando in Expositionibus solemnissimis vel minus solemnibus, publicis aut privatis, post Hymnum et Orationem vel Orationes, immediate danda est benedictio; et tenenda est praxis omnium Ecclesiarum Urbis, quae eadem ubique est, post solemnem Processionem in Festo SSmi Corporis Christi; et servatur etiam ab ipso Summo Pontifice in Basilica Vaticana. Quod vero attinet ad benedictionem impertiri solitam infirmis, si aliqua supersit particula post Viaticum eis administratum, et populo post reditum in Ecclesiam, crederem diversam Ecclesiarum consuetudinem posse servari, quamvis ob rationem supra allatam magis congruat versum illum omittere, saltem ante Orationem de Sacramento dicendam in Ecclesia; quia relate ad Orationem *Domine Sancte* dicendam prope lectum infirmi ante benedictionem, longe diversa est ratio, ut supra notavi.

11. Ne quid desideretur, addere hic iuvat non deesse qui alteram quaestionem movent; num scilicet, cum surgit Sacerdos, ut Orationes dicat, iterum genuflectere unico genu debeat, antequam illam recitet. Hanc quaestionem dirimit Sacra Rituum Congregatio, quae in una Urbis 2 Augusti 1698, respondit: Genuflexionem non esse iterandam (num. 2008). Sed et eam dirimit quoque *Instructio,* quae tam in hoc § 31, quam supra § 24, expresse ait: « il Celebrante alzatosi senza far nuova genuflessione ecc. canterà ecc. ». Scite apteque ad haec Cavalerius loc. cit. Decret. 4 inquit: Generalis hinc firmatur regula, ut quoties quis iam genuflexus surgit aliquid facturus, sed in eodem loco consistens, non debet iterum genuflectere, sed sine ulla genuflexione suum respective munus exequi, tametsi id praestet coram Sacramento.

12. Pergit *Instructio* ac breviter adnotat quae ad benedictionem populo elargiendam cum Sacramento pertinent. Itaque Celebrans pedibus stans ac manibus iunctis, cantatis Orationibus, statim genuflectit; eique imponitur velum humerale, mox surgit et ascendit illico ad Altare; ibi, facta genuflexione, accipit, manibus coopertis veli extremitatibus, Ostensorium et convertens se ad populum, benedictionem impertitur. Quando autem Sacerdos ascendit ad Altare, cum eo ascendunt etiam Sacri Ministri, sed hi genuflectere debent in ore suppedanei, ubi inclinati elevant pluvialis fimbrias, dum Sacerdos benedicit populum. In Expositionibus vero minus solemnibus, in quibus non adhibentur Ministri Sacri, hoc munus implent Sacerdotes alii vel Clerici superpelliceis induti. Dum benedictio populo datur, ipse Sacerdos nihil dicere debet, neque licet aliquid interim canere; possunt tamen Organa pulsari suavi ac gravi sonitu, qui sit aptus ad devotionem conciliandam, sicuti fit ad elevationem Sanctissimi Sacramenti in Missa.

13. Celebrans, data benedictione, ita collocat super Corporale Sacramentum, ut Crucifixi imago populum respiciat; et deinde facta prius genuflexione, descendit cum Subdiacono ad infimum Altaris gradum, ubi genuflexi ambo manent, amoto interim velo a Celebrantis humeris a Subdiacono, vel, ut alii malunt, a Caeremoniario. Interea Diaconus remanens in suppedaneo Altaris, reponit Sacramentum in Tabernaculo, factis ante et post debitis genuflexionibus: propterea *Instructio* iubet, quod Tabernaculum « per tale effetto dovrà ritenersi nell'Altare dell'Esposizione ». Quamvis vero deceat et congruat hoc munus per Diaconum expleri; non est tamen necessario per eum implendum: potest alter Sacerdos cum superpelliceo et Stola hoc fungi munere, idcirco *Instructio* ait « il Diacono, o un Sacerdote con Stola »; quemadmodum fieri debet in aliis Expositionibus, in quibus non parantur Ministri Sacri.

14. Quaedam modo elucidanda sunt, ut et quae in his servanda sit methodus, pateﬁat; et, si qui alicubi irrepsere, abusus corrigantur, neve aditus pateat ad novos inducendos tam in hac solemnissima actione, quam in aliis expositionibus, quae in una alterave Ecclesia per anni circulum persaepe fiunt. Primum quaeritur: Qui tenendus sit modus in danda benedictione, cum in eo designando Auctores ab Caeremoniali Episcoporum aliquantulum dissentire vi-

deantur? Quaestio haec delata fuit ad Sacram Rituum Congregationem in Collen. 21 Martii 1676, sub hoc Dubio: « An in benedicendo populum cum SSmo Sacramento sit servandus modus infrascriptus. Cum Sacerdos stat ante populum, Ostensorium ante pectus tenet, tum elevat illum decenti mora non supra caput, sed tantum usque ad oculos; et eodem modo illud dimittit infra pectus, mox iterum recta illud attollit usque ad pectus et deinde ad sinistrum humerum ducit et reducit ad dexterum; et rursus ante pectus reducit, ibique aliquantulum sistit, quasi peracta ad omnes Mundi partes Cruce, eam etiam venerandam omnibus praebet, tunc gyrum perficiens, collocat Ostensorium super Altare ». *Michael Bauldry etc.;* et ab eadem Sacra Congregatione responsum fuit: « Si placet, potest observari supradictus modus, quem tradit idem Bauldry: sin minus servandus est modus dispositus in Caeremoniali Episcoporum lib. 2, cap. 33, n. 27, ubi requiritur tantummodo, ut cum eodem SSmo Sacramento Celebrans producat Crucis signum super populum (num. **1563**, dub. 2). Uterque igitur modus in arbitrio est, iuxta ac fert varia Ecclesiarum praxis. Utique commune est, quod signum Crucis super populum producatur, quamvis actio Sacerdotis in eo producendo non sit uniformis. Cavalerius hoc Decretum refert tom. 4, cap. 9, Decret. 6; quod tamen, non ut in regestis legitur, sed nonnihil variatum suae accommodat sententiae, ac ita componit, ut videatur Sacra Congregatio nude, simpliciter et absolute probasse modum a Bauldryo traditum, alterum vero *Caeremonialis,* ut servari posset, tantummodo indulsisse. Siquidem, restituto Decreto genuinae lectioni, longe diversus eiusdem est sensus. Nam quoad Bauldry modum utitur dictione, *si placet, potest,* quae permissiva est; quoad secundum, *servandus est,* quae dictio praeceptiva est; ita ut mentem Sacrae Congregationis eam fuisse credimus, quod regula *Caeremonialis* principem locum habeat, quin tamen reformanda sit altera a Bauldryo tradita, si haec alicubi in more sit.

15. Quamobrem ego, dum utrumque modum simul confero, vix levissimum discrimen invenio. Quid enim *Caeremoniale* praescribit? Non aliud, nisi: « Vertit se ad populum, et cum illo signum Crucis super populum facit, nihil dicens ». Igitur signum Crucis iubet, non modum servandum in eo producendo exponit. Quod *Caeremoniale* silet, (idem de *Rituali* dicito) id Auctores explicant; et praxis, quae servatur in Ecclesiis Urbis, declarat. Siquidem, ut ait Meratus loco cit., n. 1: « Communis usus Ecclesiarum Urbis est, ut postquam Sacerdos reduxit Ostensorium ad latus dexterum, non debet rursus ante pectus reducere, sed statim ad cornu Evangelii se convertere; et ita perficere circulum, sicut cum dicit, *Orate fratres* ». Numquid non omnes in eo conveniunt, ut Signum Crucis sit producendum? Numquid modus diversificat a regula, quae semper eadem est? Ubi igitur discrepantia?

16. Dum autem Episcopus vel Sacerdos benedictionem cum Sacramento populo impertitur, nihil dicere debet. Ita *Caeremoniale Episcoporum,* ita *Rituale Romanum,* ita *Instructio,* ita Auctores omnes, qui de re hac scripsere. Si vis huius silentii rationem, ea in promptu est. Non enim Sacerdos est, qui benedicit populum, sed Sacramentum; et Sacerdos hoc in casu non est nisi simplex minister nudumque instrumentum: idcirco, antequam benedicat, deprecatoriam Orationem recitat, dum vero benedicit, omnino silet. Verum, ne populi attentio ad alia distrahatur obiecta, utque unice in id feratur quod maxime interest, obsequium scilicet erga Sacramentum, quod ineffabili dignatione manibus Sacerdotis nos benedicit, nec musici canere, nec Clerici et circumstantes debent. Praeter Scriptorum placita, Sacrae Rituum Congregationis decisionem habemus. Mos invaluerat in quodam oppido Dioecesis Caputaquen. (communis etiam aliis Regni Neapolitani Ecclesiis, ut testatur Catalanus ad hunc locum Ritualis Romani, qui tamen eum fortasse tolerabilem dicit; cum opus suum scripserit, priusquam S. R. C. praesenti Decreto eum reprobaret), ut in actu benedicendi populum cum SSmo Sacramento populus vel Ministri Altaris canerent versiculum Psalmi: *Benedicat nos Deus, Deus noster etc.;* sed cum huiusmodi mos Ecclesiae regulis contrarius videretur, rogata fuit Sacra Rituum Congregatio, quae sub die 9 Februarii 1762, respondit: « In benedicendo populum cum SSmo Sacramento Celebrans nihil dicere, Cantores et Musici nihil quoque canere interim debent, ad praescriptum Ritualis Romani et Caeremonialis Episcoporum, non obstante quacumque contraria consuetudine (num. **2464**). Si, ut supra vidimus, nec ℣. *Dominus vobiscum* a Sacerdote praemittendus est Orationi, dum statim sequitur benedictio; potiori iure omittenda est pre-

catio illa vel alia quaecumque in ipso actu benedictionis, quando universale silentium devotionem conciliat et excitat affectus erga Sacramentum.

17. Neque sit aliquis, qui censeat unum alterumve cantari posse versiculum, dummodo verba excerpta sint ex Missali et Breviario, aut saltem ex Sacris Scripturis, aut ex Sanctis Patribus, ut declaravit Pontifex Alexander VII in Constitutione supra laudata. Praeterquamquod qui ita opinatur adversus habet praelaudatum Decretum; certum est insuper Alexandrinam Constitutionem nihil habere commune cum specie nostra. Ibi enim res est de tempore, quo Divina persolvuntur Officia, vel SSm̃um Sacramentum expositum manet; neque indulgentia illa extendenda est ad tempus et actum benedictionis, pro qua ex *Caeremoniali, Rituali, Instructione* et Decretis longe diversa est regula, quae omnino servanda ubique locorum est.

18. Atque hic nolo praeterire aliquas Sacrae Rituum Congregationis decisiones, quae omnino ab Ecclesia eliminant cantiunculas, etsi non profanas sed sacras, vulgari sermone in Festivitate Corporis Christi aliisque Ecclesiasticis functionibus. Proposito enim dubio: « Num tolerabilis videretur abusus cantandi carmina, vel alia quaecumque verba italo idiomate, in Ecclesiis, in quibus reperiatur expositum SSm̃um Sacramentum? » responsum fuit: « Minime tolerandum abusum huiusmodi, sed vel adsit expositum SSm̃um Sacramentum, vel non, omnino Episcopus idem prohibeat in Ecclesiis cantiones, vel quorumvis verborum cantum materno idiomate ».

19. Eruntne igitur omnino proscribendae breves quaedam cantiunculae, quae apud quosdam Missionarios in more sunt; et forte aliae, quae in una alterave Ecclesia cantari solent eodem actu, quo a Sacerdote cum Sacramento benedicitur populus, veluti sunt: « Lodato ogni momento sia il Santissimo Sacramento: sia lodato ogni momento Gesù figliuol di Dio e di Maria nel Sacramento: vi adoro ogni momento, o vivo Pan del Ciel gran Sacramento: Gesù, Giuseppe, Maria vi dono col mio cuor l'anima mia »: et aliae huiusmodi? Si spectemus Decreta ac Ritualium Rubricas, etsi tales similesque cantilenae vere piae et laudabiles sint et dignae etiam adprobatione; haud tamen essent ea occasione modulandae, quia, ut supra notavi, in ea actione ad recolligendos dirigendosque pios animi affectus, plurimum confert devotum universale silentium. Nec propterea credas meum esse sensum, quod omnino eliminentur. Usus invaluit, eum tolerant Ecclesiastici Praesules, forte sine populi offensione nequiret intercipi. Equidem ei non assistit antiqua et universalis praxis, quae iuris dispositioni innititur: absolute tamen dici nequit, quod probatae non sint; nam, si non expresse, quadam tamen acquiescentia et tolerantia cantari huiusmodi cantiunculae permittuntur. Quid igitur dicam? Facilem arbitror modum simul conciliandi inductum morem, ubi nequeat abrumpi, cum dispositione iuris. Eum praebet Instructio Innocentii XII confirmata a Clemente XII, servanda in delatione SSm̃i Viatici ad infirmos. Siquidem alia ex praescriptis regulis ea est § 52, quod in reditu ad Ecclesiam Parochus benedicat populum cum Sacramento nihil dicens; reposita vero Sacra Pyxide intus Tabernaculum, « prima di chiudere il finestrino, dirà a voce alta e divota e profondamente inchinato queste parole: – *Sia lodato e ringraziato ogni momento,* e tutti gli altri risponderanno, *il Santissimo e Divinissimo Sacramento* ». Ita fieri posset quoad versiculos et cantilenas, quae immediate ad Eucharistiam referuntur. Nam, si quae sunt aliae, in quibus Deipara et Sancti invocentur, magis expediret eas canere, clauso iam Tabernaculi ostiolo, antequam populus discedat.

20. Cavalerius, qui tom. 4, cap. 9, Decret. 8, nullo modo admittendas censet praefatas cantiunculas seu cantilenas, haud tamen reprobare videtur, quod preces aliquae decantentur ex speciosis et approbatis in Breviario et Missali ac Rituali; quinimo in circumstantia repositionis (quod tamen nullatenus praestandum est benedictionis tempore, sed magis cum Sacramentum post benedictionem includitur in Tabernaculo) ad rem est valde apposita stropha, *O salutaris Hostia,* quae a Caeremoniali Episcoporum lib. 2, cap. 23, in cantu pio et devoto in quasi simili circumstantia cantari laudatur ». Ibi num. 12. Hac autem auctoritate magis confirmatur modus supra indicatus servandus in cantiunculis concinendis, quatenus, ne offensio et scandalum veniat, mos easdem cantandi nequeat impediri.

21. Sed et alia corruptela est profliganda et nimis crassus error corrigendus. Ait Catalanus auctor certe non antiquus, sed recentissimus, qui sua ad Rituale Romanum commentaria Benedicto XIV nuncupavit: « In quibusdam Ecclesiis, cum cantatur

℣. *Genitori Genitoque,* Celebrans accipit SSm̃um Sacramentum; et cum dicitur, *sit et benedictio,* populum benedicit semel. Sed hoc videtur, ut Bauldryus notat, nimis rusticum et est expresse contra Rituale Romanum: ita mos iste non videtur permittendus. Hunc abusum, quem alias servatum vidi in quadam insigni Urbis Ecclesia a Presbyteris, qui se doctos iactant et sacrorum rituum servatores, iam merito improbarunt praeter Bauldryum, Sarnellus tom. 7, Epist. Ecclesiastic., et Macrus in Hierolexico verb. *Benedictio* ». Miror autem adhuc erroneum illum obtinuisse morem in insigni aliqua Urbis Ecclesia, dum Catalanus scribebat, postquam S. R. C. in Sabinen. die 5 Februarii 1639, ad dubium: « Quando sit danda benedictio cum SSm̃o Sacramento; An in fine Hymni *Pange lingua,* an quando pervenit ad versiculum *sit et benedictio?* responderat: In fine Hymni » (num. 665). Cave tamen, ne materialiter accipias verba Decreti et in alterum incurras errorem, ut credas, absoluto Hymno, immediate dandam esse benedictionem. Sensus namque est, ut servetur praescriptum *Caeremonialis* et *Ritualis* de benedictione elargienda expletis Hymno, versiculis et Oratione. Dixi nimis crassum errorem ac omnino damnandum; nam, ut verbis utar Macri loc. cit., « notantur imprudentiae (cur non etiam crassae et supinae ignorantiae?) Sacerdotes, qui ad benedicendum populum cum Eucharistiae Sacramento, expectant id agere, quando nempe Chorus cantat verba Hymni *sit et benedictio,* nam sensus illius verbi *benedictio* non refertur ad nos seu populum, sed ad SSm̃am Triadem, ubi benedictio laudem proprie sonat; et sic ridicule populus loco Trinitatis sub illis verbis benedicitur.

22. Alter invaluerat abusus (et utinam ita esset sublatus, ut in aliqua adhuc Ecclesia non vigeret!) impertiendi duplicem benedictionem in Monialium Ecclesiis; alteram nempe versus Chorum seu Ecclesiam interiorem Monialium; alteram versus populum. Praeterquamquod huiusmodi mos adversatur Ritualis Romani dispositioni, per quam Sacerdoti unicam benedictionem impartiri conceditur, cuiusdam diffidentiae signum demonstrat; ac si benedictio eadem, qua populus in exteriori Ecclesia degens benedicitur, non se extendat ad aliam partem internam eiusdem Ecclesiae; et manus Dei sit abbreviata. Ita Baruffaldus ad Rituale Romanum tit. 88, num. 77: videndus etiam Cavalerius tom. 4, cap. 9, Decret. 7. Quamobrem S. R. C., ad dubium: « An liceat Patribus Carmelitis ingredi Ecclesiam Monialium..... et ibidem benedictionem impartiri eisdem Monialibus et deinde populo? » respondit: « Licere Patribus Carmelitis ingredi Ecclesiam Monialium, accedente consensu Episcopi; ibique impertiendam esse unicam benedictionem Monialibus ». Sed quoniam abusus nihilominus gliscebat in dies multosque reperiebat fautores, qui illum totis viribus tueri et sustinere nitebantur, eadem Sacra Rituum Congregatio Generali Decreto a s. m. Pio VI confirmato: « Ad hanc reprehensibilem et a sacris ritibus et Ecclesiae praxi deviam consuetudinem radicitus convellendam, praesenti Generali Decreto districte prohibet illam in posterum observari, etiamsi diuturno et immemorabili tempore ac usu convaluerit; ac praecipit, ut Sacerdos sacram illam exercens functionem in quibusvis Ecclesiis Monialium, ubique locorum erectis, cuiusvis sint Ordinis et Instituti, omissa speciali et separata Monialium benedictione, unicam tantum cum eodem SSm̃o Sacramento benedictionem interessenti populo elargiatur » die 11 Decembris 1773, num. 2499). Huic Decreto quis est, qui adquiescere non debeat?

23. Heic loci altera se offert discutienda quaestio: num scilicet Thuriferarius, dum Sacerdos benedicit populum, debeat incensare Sacramentum? Silentium, quod tenent *Caeremoniale, Rituale, Instructio Clementina* et Auctores fere omnes, qui ceteroqui nihil omiserunt de iis, quae in sacra hac actione servanda sunt, plane suadet hanc incensationem esse omittendam: nihilominus Cavalerius ibidem Decret. 7, num. 7, et Tetamus, qui eum sequitur, in Appendic. cap. 3, artic. 6, num. 45 et 48, in fin., innixi quodam Decreto, quod dicunt Romae datum 16 Martii 1746 et Rubrica Missalis titul. 13, existimant faciendam esse, vel saltem in arbitrio relinqui. Videtur tamen magis congruere contrariam sententiam consentaneam silentio *Caeremonialis, Ritualis* et *Instructionis.* Cur enim in his, licet enumerentur ritus et caeremoniae omnes servandae, de hac una ne verbum quidem fit? Non alia est ratio, nisi quia locum habere nequit. Si quaeris: cur? Dicam: quia dignior, idest Sacerdos, iam Sacramentum thurificavit, nec inferior debet postea thurificationem iterare. Dum benedicitur populus, supplet vices incensi bonus adora-

tionis odor. Nec me commovent assertum Decretum et Missalis Rubrica. Nam ad illud quod attinet, iam supra notavi decretum illud non reperiri in Regestis S. R. C., ac penitus ignorari a qua Congregatione, vel cuius auctoritate datum fuerit; et forte nil aliud est nisi privatum responsum ad consultationem factam alicui Rubricarum perito, qui potius variam Ecclesiarum consuetudinem attendens, quam rationum vim, respondit: « Servari posse alterutrum ». Quod vero spectat Rubricam Missalis, longe diversa militat ratio. Ideo enim Rubrica praescribit in Missa solemni: « Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolae ter incensat Hostiam cum elevatur; et similiter Calicem, posito incenso in thuribulo absque benedictione »: tum quia unica haec est incensatio, quae ad Sacramentum adolendum fit in Missa solemni, tum quia alius non est Thuriferario dignior, qui eo fungatur munere; nam Sacerdos celebrat, Diaconus ei assistit, Subdiaconus impeditus est Patena, Caeremoniarius invigilat, ut quisque suo fungatur officio. Id adeo verum est, ut in Missa defunctorum cum dignior Thuriferario Subdiaconus non sit impeditus, Sacramentum incensat, iubente Rubrica: « Subdiaconus non tenet Patenam post Celebrantem, sed tempore elevationis Sacramenti in cornu Epistolae illud incensat »: contra vero dum benedicendus est populus cum Sacramento, curnam iteranda erit thurificatio per Acolythum, si iam ab omnium in ea actione ministrantium dignissimo, Celebrante scilicet, peracta fuerat? Si has rationes parvi fieri oportere existimas, haud contemnendum censeas Librorum ritualium silentium, qui certe hanc thurificationem demandassent, quemadmodum iusserunt fieri ad Hymni cantum ante Orationem. Haec dixi, ne, quid magis congruum mihi videtur, praeterirem: ceterum absit, ut velim turbas movere ac damnare consuetudinem, quae, licet minus conveniat, ritus tamen substantiam non laedit. Cum autem eadem consuetudo in bene multis Ecclesiis obtineat, difficillimum esset eamdem penitus eliminare.

24. Tandem praecipit *Instructio:* « L'Ostia consegrata si dovrà consumare nella Messa, o in quella mattina o nella seguente »; et per hoc (notat Cavalerius ad hunc locum) docemur eam neque integram, neque in partes sectam fidelibus posse distribui; et per hoc confirmationem recipit Decretum aliud, quod a nobis alibi exponitur (scilicet tom. 4, cap. 4, Decret. 2); absumi denique praecipitur « o in quella mattina o nella seguente », ad praecavendum periculum corruptionis; quod si absit, nil vetat diutius custodiri, dummodo brevi altera Expositio facienda sit. Verumtamen non hae tantummodo rationes sunt, propter quas, iuxta sanctionis praescriptum, consumi debet Hostia vel in Missa celebranda immediate post Repositionem, vel saltem in altera ex Missis postera die legendi; sed et alia est: cum enim Expositio fiat quandoque in Ecclesiis Confraternitatum, aut in aliis, in quibus vetitum est retineri Augustissimum Sacramentum; expediens erat, ut hanc regulam poneret *Instructio,* ne, sub praetextu Expositionis vel demandatae vel permissae, indebitum ius Ecclesiae illae sibi assererent et usurparent. Ideo Sacra Rituum Congregatio Confraternitati S. Sebastiani Terrae Curtii, quae consuevit exponere SSmum Sacramentum occasione Quadraginta Horarum, indulsit eius retentionem usque ad sequentem diem.

§ XXXII.

« Nel tempo, che durerà l'Orazione me-
« desima, si proibisce espressamente il pre-
« dicare, ma volendo fare dopo li Vesperi
« qualche breve sermone per eccitare li
« fedeli alla devozione verso il SSmo Sa-
« gramento, si dovrà prendere la licenza
« e benedizione da Noi o da Monsignor
« nostro Vicegerente, anche nelle Chiese
« de' Regolari ed in qualunque modo privi-
« legiate; e non solo nell' Esposizione di
« Quarant'ore, ma in qualsivoglia altra Espo-
« sizione; la quale licenza si darà in *scriptis.*
« Quello poi che dovrà sermoneggiare, sarà
« almeno costituito nell'Ordine Diaconale; e
« sermoneggerà con la Cotta, benchè sia Re-
« golare, ma senza la Stola; ed a capo sco-
« perto vicino all'Altare, dove sta esposto
« il SSmo; ed in un sito, che non obblighi
« li circostanti a fare atti d'irriverenza con
« voltare le spalle al SSmo Sagramento ».

1. Paucis verbis plura circa eamdem rem haec sanctio iubet. Declarat principio per modum regulae, quod non licet in solemni Expositione Quadraginta Horarum conciones ad populum haberi; permittit nihilominus breve aliquod colloquium, non de mane, sed vespertinis horis absolutis, excitandi causa adstantes ad devotionem erga tantum Caritatis Mysterium. Id tamen non in arbitrio relinquitur, sed additur

necessaria conditio de obtinenda prius licentia vel ab Emo Vicario vel ab eius Vicesgerente : quae quidem licentia non valet oretenus data, sed scripto tradenda est, ne piis fraudibus locus relinquatur, utque Ecclesiarum Praesides de facultate concessa non aequivocum habeant documentum. Quae sane conditio communis respective est Ecclesiis extra Urbem, cum non liceat concionari, nisi prius obtenta ab Episcopo venia. Hinc locorum Ordinarii, non ratione Instructionis, sed sacrorum canonum vi, avimadvertere debent num conveniat huiusmodi licentiam impartiri; et quatenus concedant, simul praescribant modum, nequid obsequium sacramento debitum depereat. Stricte loquor de Expositione Quadraginta Horarum, cuius institutum cum sit adoratio perpetua, haec non patitur, ut concionibus populus ad alia distrahatur. Ideo brevia illa solummodo permittuntur colloquia, quae in eumdem finem diriguntur et idem servant obiectum. Equidem Romae regula adamussim servatur, nec, quod sciam, ulla est Ecclesia, in qua tempore Expositionis huiusmodi colloquia habeantur. Optandum, ut in simili circumstantia idem ubique servetur.

2. Praescriptum extenditur ad Ecclesias quoque Regularium, aut quocumque modo privilegiatas, quarum specialibus exemptionibus et indultis hac in parte lex derogat, quae tamen lex in hac specie ad Urbis Ecclesias tantummodo limitatur. Quid ergo extra Romam? Succedunt Ordinarii locorum, sed stant integra privilegia, si quae Apostolica auctoritate alicui reperiantur concessa. Quoad Regulares vero servanda sunt Tridentini Concilii Sess. 5, cap. 2 Decreta, ita ut, si extra Ecclesias suorum Ordinum conciones ad populum habere debeant, non aliter hoc fungi munere poterunt, nisi obtenta licentia ab Episcopo; quatenus vero id in ipsorum Ecclesiis praestandum sit, sola indigent benedictione. Patet hinc, quod si locorum Ordinarii opportunum ducant, ne in Ecclesiis pleno iure sibi subiectis et non exemptis, conciones habeantur tempore Expositionis, possunt denegare licentiam etiam Regularibus; sed etiam possunt quoad ipsas Regularium Ecclesias saltem indirecte. Quum enim publica SSmi Sacramenti Expositio, nec a Regularibus in propriis Ecclesiis fieri queat sine licentia Episcopi, is potest, dum licentiam impartitur, etiam praescribere modum et quasdam servandas regulas; idcirco et praecipere, ne, durante expositione, conciones habeantur.

3. Quoad Urbem vero lex non limitatur ad solas Expositiones Quadraginta Horarum, sed generatim comprehendit quascumque alias, ita ut nemini liceat in his concionari ad populum, nisi habita prius ab Emo Vicario, vel eius vicesgerente, licentia et alterutrius benedictione. Erit forte quis, qui, cum legat in *Instructione:* « Volendo fare dopo li Vesperi qualche breve sermone per eccitare i fedeli alla devozione verso il SS. Sacramento », ita accipiendam regulam hanc existimet, ut et etiam in his minus solemnibus Expositionibus non liceat matutinis horis conciones haberi; et harum subiectum versandum semper fore circa Sacramentum. Non hic est sensus *Instructionis,* quae in prima sanctionis parte disponit solummodo de concionibus ex Superiorum venia quandoque permissis in Expositione Quadraginta Horarum, quae habendae sunt post Vesperas; et versari circa subiectum, quod magis congruit tempori et circumstantiae, quam circa quidquam aliud: siquidem in ea non tam attendi debet sola Sacramenti expositio, quam institutum eiusdem, causa et finis. Ad alias Expositiones quod attinet, diversa est ratio: haud *Instructio* iubet, ne conciones haberi possint matutinis horis, nec praescribit quod esse debeat concionum subiectum, sed solummodo praecipit, ne habeantur, nisi obtenta licentia et benedictione.

4. Et revera in Urbis Ecclesiis perquam frequentes huiusmodi Expositiones sunt, nullaque est dies, quae iisdem careat. In his plerumque habentur conciones, quae tamen ad Sacramentum non pertinent; sed versantur circa alia obiecta, quae circumstantiis magis convenire videntur. In festivitatibus Deiparae et Sanctorum, in praeparatione ad easdem novemdialibus vel triduanis precibus institutis: nonne haberi poterunt sermones de eorum laudibus, unde ad virtutes imitandas excitemur? Si expositio fiat ad postulandum divinum auxilium in Christianae Reipublicae necessitatibus, ad avertenda flagella, quibus propter peccata merito affligimur, si ad gratiarum actiones Deo reddendas pro acceptis beneficiis, si ad suffragandas defunctorum animas: nonne maxime convenit, ut, siquae permittantur conciones, fiant iuxta exigentiam casuum, rerum et circumstantiarum, respondentque fini, propter quam sacra illa functio peragitur?

5. Si qui vero ad huiusmodi habenda colloquia ex Praesidum venia assumantur, eos vel Sacerdotes vel saltem Diaconatus Ordine insignitos esse iubet *Instructio :* ac insuper in hoc obeundo munere superpelliceo uti debere, etiamsi ex Regularibus Ordinibus sint tam in propriis, quam in alienis Ecclesiis : Stolam vero adhibere aeque omnibus vetitum est. Non est cur quaeram heic loci causam, quare *Instructio* saltem Diaconatus Ordinem in iis requirat, qui, ut hoc fungantur officio, seliguntur : aut alteram quaestionem discutiendam mihi proponam : num Clericis in minoribus constitutis quandoque liceat praedicare, praesertim si ad aliquod ex Regularibus Institutis, quae pluribus gaudent privilegiis, pertinerent ? Si de his dissererem, extra chorum canerem. Quidquid sit de iure, de regulis generalibus, de Episcoporum facultatibus, de privilegiis Ordinum regularium, de limitationibus etc.; in nostro rerum themate lex peculiaris attendenda est, quae municipalis est quoad Urbem et secumfert obligationem relate tantummodo ad conciones habendas occasione Orationis Quadraginta Horarum. Ad hanc igitur omnes utriusque Cleri tenentur. Eamdem vim habent aliae duae conditiones appositae de superpelliceo adhibendo sine Stola e collo pendente.

6. Quamquam vero in Urbe relate ad alias Expositiones aliasque Ecclesiasticas functiones, in quibus Ecclesiae institutum, Missalis et Ritualis Rubricae Stolam adhiberi non iubent, eius usus sit interdictus, ob eas, quas supra attulimus, rationes : alibi tamen, extra Urbem scilicet, ubi eam adhibendi in concionibus invaluit usus, etiamsi conciones habeantur coram Sacramento, aut patente aut velo obducto, poterunt concionatores ab huiusmodi more non declinare, tum quia lex municipalis est, tum quia in hac *Instructionis* santione eisudem usus non interdicitur ratione Sacramenti expositi, sed ob longe diversum motivum, qui peculiaris cum sit pro Urbe tantum, omnes alias conciones universim complectitur. Quoad vero superpelliceum lex *Instructionis* religiose servanda est etiam a Regularibus, si quandoque iisdem, durante Oratione Quadraginta Horarum, concionari permittatur. Quod si sermo sit de aliis concionibus, quae frequenter in una alterave Urbis Ecclesia habentur, Sacramento exposito, eadem lex non obligat Regulares, qui in proprio sui Ordinis habitu eo funguntur munere : propterea extra Urbem ita poterunt etiam in Oratione Quadraginta Horarum. Siquidem proprium est Regularium, ut distinguantur a Clero Seculari (extra Sacramenta et alias ecclesiasticas functiones, in quibus Rituale superpelliceum omnino exigit) eum non adhibere : ideo in Processionibus proprio ordinario habitu induti incedunt. Quod vero magis est, Caeremoniale Episcoporum, agens de Regulari sermocinante ante Episcopum lib. 1, cap. 22, hanc ponit regulam : « Si autem fuerit Regularis, erit in habitu ab ipso deferri solito in concionando » : qui est proprius et ordinarius Instituti. Perperam autem, et nescio quo iure Cavalerius tom. IV, cap. 7, decr. 29, num 5, loco verborum, quae de Caeremoniali sunt recitata, sequenti utitur lectione : Si autem fuerit Clericus Regularis, erit in habitu suae Religionis. Perperam dixi ; nam plures diversasque Caeremonialis editiones consului, neque in ulla ea verba legi, cum Caeremonialis Rubrica agat de Religiosis ex Ordinibus monasticis aut mendicantibus, non autem de Clericis Regularibus, qui, cum habitu non distinguantur a Clericis Secularibus, possunt, imo debent, in concionibus habendis uti superpelliceo : ideo Catalanus ad eum locum apte notat : Sacerdos simplex ex Clericis tam Secularibus, quam Regularibus . . . superpelliceo et Stola utatur . . .; si autem sermonem habiturus Regularis fuerit, idest ex Ordine monastico vel mendicantium, habitu suae Religionis tunc utatur deferri solito in concionando. Longe clarior est Rubrica Caeremonialis Romani Augustini Patritii, nomine Marcelli Corcyrensis evulgati, quae agens *de habitu sermonem habituri lib. 3, cap. 8, tit. 3,* hanc ponit regulam : Ille qui orat . . . in Cappella, si est Episcopus vel Abbas, cum pluviali orat . . . si est inferioris Ordinis et in Cappella portat Cappam vel Rochettum, cum illis orat ; si non portat Rochettum, tunc oraturus assumit Cappam tantum sine Rochetto . . . Mendicantes et alii Religiosi orant in suo habitu : et *tit. 4, cap. 5,* Religiosi non Praelati orant in suo habitu. Nec alia est regula, quae habetur in Caeremoniali Paridis Crassi lib. 1, cap. 40 : « et si illum (sermonem scilicet coram Episcopo) facturus sit Clericus Secularis, tunc indutus cotta, si autem Religiosus, in suo habitu quotidiano ». Ex his igitur patet, Monachos et Religiosos mendicantes superpelliceo uti debere dumtaxat, si Romae concionaturi sint coram Sacramento expo-

sito pro Oratione Quadraginta Horarum ex peculiari lege *Clementinae Instructionis.*

7. Prosequitur *Instructio:* « sermoneggerà a capo scoperto ». Id autem non unam respicit Orationem Quadraginta Horarum, neque ad solas Urbis Ecclesias tantummodo fertur; sed commune est omnibus Expositionibus Sacramenti et ubique servandum : non enim fieri debet, quia peculiaris haec iubet *Instructio,* sed omnino oportet, quia ita exigit functionis et Mysterii sanctitas. Si contrarius alicubi invaluerit abusus, Praesulum studio eliminandus est, quin ad eum tuendum et cohonestandum valeant consuetudo et immemorialis temporis lapsus. Idcirco S. R. C. edixit: « Nullo modo convenire, ut caput tegant Concionatores, quando praedicant vel sermonem habent in Ecclesia, ubi super Altare SS. Sacramentum in Tabernaculo crystallino publice, ut a Christifidelibus veneretur, exponitur, prout fieri solet infra octavam solemnitatis SS. Corporis Christi, et quando per annum Oratio continua Quadraginta Horarum indicitur; sed eos semper capite detecto, dum concionem habent coram Sacramento, stare debere » : et in Giennen. 9 Decembris 1628 : « Indecens omnino esse ante Sacramentum publice expositum concionem vel sermonem habere, capite cooperto, consuetudinemque contrariam non esse consuetudinem, sed abusum tollendum et eliminandum, prout omnino tolli et prohiberi mandavit » (n. 488, ad dub. 4). Convenit Rubrica Caeremonialis Episcoporum, quae lib. 2, cap. 33, decens esse ait, ut qui Horas Canonicas persolvunt, nec sedeant, nec caput operiant : verum humanae infirmitatis rationem habens, permittit ut sedeant, ne diu stantes nimis defatigentur ; praecipit tamen, ut saltem non omittant, in signum reverentiae, detecto capite assistere. Unde colligimus quandoque permissum esse coram Sacramento exposito sedere , nunquam vero cooperto capite assistere. Quod si ab omnibus est religiose servandum, multo magis erit ab illis, qui coram Sacramento vel conciones habent vel devota colloquia.

8. Numquid autem huiusmodi lex nullam unquam limitationem aut moderationem admittit? discrimine est opus. Vel enim conciones habentur coram Sacramento publice exposito et detecto ; et lex universalis est et ubique servanda ; vel agitur de Sacramento utique publicae venerationi exposito, sed aliquo modo operto : et rursus est distinguendum. Aut subtile velum impositum Ostensorio non omnino Sacram Hostiam abscondit, ut plerumque accidit, dum expositio fit pro aliquo infirmo ; aut velum ex crassiori panno apponitur ante Thronum, ita ut nec Ostensorium adstantibus pateat. In primo casu haud licet bireto caput operire, quia revera Sacramentum, etsi velatum, non omnino absconditur : in altera vero specie, haud dedecere videtur cum Concionatori tum aliis, siqui adstant de Clero, pileolo aut bireto uti ad operiendum caput. Etenim in Expositionibus, quae non ex praecepto, sed ex voluntate fiunt, aut ratione Instituti, aut devotionis ergo, saepenumero conciones habentur ; et mos invaluit, ut interea ante Thronum apponatur velum, quo Sacramentum tegatur. Id cum fit, est quodammodo reconditum ; ac propterea nonnulla admitti ac tolerari possunt, quae non licent, vel saltem dedecent, dum patet discooperlum. Dixi *nonnulla,* quia, cum reapse Sacramentum in Throno resideat expositum, licet velatum, eiusdem solemnis praesentia exigit ut non consideretur plane reconditum ; unde abstinendum saltem ab iis, quae cum debita reverentia non componuntur ; cuiusmodi sunt : eidem directe terga vertere, aut pileis et galeris caput tegere (ubi mos viget operiendi caput tempore concionum) et id genus alia. Licitum tamen est sedere, nec dedecet adhiberi biretum ad operiendum caput tam a Concionatore, quam ab adstante Clero ; quamvis maioris obsequii argumentum esset caput nullo modo tegere. Hinc autem nulla notanda censura est consuetudo habendi conciones, quae magis congruunt circumstantiis, Sacramento velamine tecto ac sedente populo ; sed nullatenus sedere populo permittendum esset, si conciones haberentur coram Sacramento nullo velamine tecto. Atque en alia ratio, propter quam in Oratione Quadraginta Horarum vel nullae omnino habendae sunt conciones, vel quambrevissimae, quibus excitetur circumstantium devotio ad Sacramenti venerationem. Non enim, ea durante, licet ante Thronum velum apponere, quo Sacramenti abscondatur aspectus ; et vetitum est populo scamnis aut sedibus uti, quum omnes ante conspectum Domini genuflexi manere debeant. Quamobrem, si huiusmodi permittantur colloquia, haec respondere debent cum reali Eucharistiae praesentiae, tum religioni adstantium adorationi etiam corporis compositione incumbentium : sed etiam con-

sulendum est aliquorum infirmitati, ne prolixa nimis Concionatorum oratione diu permanere genuflexi cogantur.

9. Sed illud, unde tantisper discessimus, repetendum est. Licere diximus tam Concionatori, quam Clero caput operire bireto, si appositum velum sacrum Ostensorium abscondat: et iure diximus, nedum quia ita fert non reprobanda universalis consuetudo, verum etiam, quia ita nuperrime decretum fuit a S. R. C. in Bracharen. sub die 10 Septembris 1796. Nam proposito Dubio: « An Chorus, dum recitat Horas Canonicas ante SS. Sacramentum velo tectum in loco eminenti, sedere et tegere caput cum bireto valeat, vel stare debeat nudo capite, quasi esset sine velo? » respondit: « Poterit Clerus sedere, tecto etiam capite cum bireto, sed laudandus esset, si sederet, detecto capite » (num. 2552, ad dub. 1). Igitur si Clerus laudandus est, si sedeat sine bireto ob reverentiam debitam Sacramento, licet in Ostensorio velato, in legem non peccabunt Concionatores et Clerus si pileolo vel bireto caput tegant, quamvis minus laudabiliter se gerant. Talis est Decreti sensus, quo maiori decentiae consulitur, non praeceptum imponitur; imo licere dicitur, quod etsi minus deceat, haud tamen indecens et improbandum est. Audiendus hac de re Cavalerius tom. 4, cap. 7, Decret. 29, num. 9: « opportunus admodum est nonnullarum Ecclesiarum usus, quae, ut irreverentias quaslibet amoveant, concionis tempore, velum quoddam apponunt ante Sacramentum, unde nonnulla admitti seu tolerari possunt quae minus licent, dum patet discoopertum . . . . . Iisdem igitur licitum erit sedere; et tam Concionator et Clerus sacerdotali bireto uti poterit aut parvo pileolo ». Verum tamen haec indulgentia nimis ab eodem extendi videtur, quum prosequatur: « et ita dictum sit etiam pro expositionibus, in quibus exponitur Pyxis aut Sacramentum ab initio velatum ». Siquidem dum Pyxis Sacramentum continens, aperto Tabernaculi ostiolo, patet, et Ostensorium non omnino absconditur, non esse a regula declinandum supra notatum est; quia in utroque casu Sacramentum circumstantium oculis subiicitur, etsi Sacra Hostia vel nullimode, vel non omnino conspici possit. Contra vero, dum crassioris panni velamen, quod Ostensorium undique tegat, ante Thronum apponitur, haberi perinde debet ac si Sacramentum clausum lateret in Tabernaculo.

10. Cavendum praeterea est, ne, dum brevia illa colloquia habentur coram Sacramento patenter exposito, populo indirecte praebeatur occasio declinandi ab obsequio Sacrae debito Eucharistiae. Idcirco vult sanctio, ut, si brevis aliqua concio permittatur tempore Orationis Quadraginta Horarum aut in aliis Expositionibus iuxta morem fiat, locus pro Concionatore sit: « vicino all'Altare, dove sta esposto il Santissimo; ed in un sito, che non obblighi gli ascoltanti a fare atti d'irriverenza con voltare le spalle al Sacramento ». Hoc enim pacto vindicatur Sacramentum ab actibus, qui forte committi possent contra religionem et cultum ei debitum, si locus pro Concionatore paratus procul ab Altari distaret. Quamquam in hoc dari certa regula nequit; diversa Ecclesiarum structura, varia Presbyterii forma, amplitudo, angustia non eumdem exigunt modum: illud autem firmum manet, quod ille seligatur locus, qui sit magis aptus ad finem, qui est, ut irreverentiae actus evitentur.

11. Vult Cavalerius, quod si alius desit idoneus locus, Concio satius fiat ex latere Altaris Expositionis, ubi concionandum esset a Celebrante, quando intra Missam praedicari debet, docet Gavantus part. 2, tit. 14, num. 11, ubi et ritum declarat: si concionandum sit a Celebrante, quando intra Missam praedicare debet, fiat ab eo stante a cornu Evangelii et aperto capite, Ministri ad dexteram stabunt a cornu Evangelii. Ego vero non video casum habendi concionem per Celebrantem in Altare, in quo expositum est Sacramentum. Forte Gavantus rationem habuit Expositionis faciendae initio spiritualium exercitationum. Quae tamen necessitas praedicandi ad Altare et infra Missam? et non potius, hac expleta, ad latus quidem Presbyterii et prope Altare, sed non ad ipsum Altare? Mihi certe praefatus modus insinuatus a Cavalerio innixo doctrinae Gavanti inopportunus et minus decens videtur; quippe quia, si Concionator a cornu Evangelii stans in suppedaneo ad populum sermonem habeat, facile est, ut corporis gesticulatione et motu, terga quandoque vertat Sacramento, quod vitandum omnino est. Si breve aliquod soliloquium fieri velit ad excitandam populi devotionem erga Sacramentum, quod in Oratione Quadraginta Horarum *Instructio* non omnino reprobat, dummodo Praesidum intercedat facultas, expediret maxime, ut id fieret a Sacerdote vel Diacono genuflexo in

altero ex Altaris gradibus a cornu Evangelii: quod certe non multum afferret incommodi, quum huiusmodi soliloquia brevi expediantur, eo magis, quia, si adstantes sedere nequeunt et indecens est ut stent pedibus, convenit etiam ut Concionator genuflexus iisdem exemplo sit. Verumtamen vel prope Altare concio habeatur, vel in alia Ecclesiae parte, semper cavendum est, ne detur occasio actibus a debito obsequio et reverentia alienis, vel sit Sacramentum expositum pro Oratione Quadraginta Horarum, vel pro alia qualibet occasione et causa, vel sit Ostensorium detectum vel velatum, aut in Throno emineat, aut pateat velata Pyxis, aperto Tabernaculi ostiolo.

§ XXXIII.

« Le Chiese, ove sarà l'Orazione di Qua-
« rant'ore, dovranno la sera stare aperte,
« fintanto che vi sarà popolo per orare, ma
« perchè non può darsi in ciò un'ora de-
« terminata sì per la situazione di esse, come
« per la mutazione delle stagioni; perciò
« potranno chiudersi circa le tre ore l'e-
« state; e l'inverno ad ore cinque: s'av-
« verte però, che anche a porte chiuse do-
« vrà continuare l'Orazione, come s'è detto
« al numero IX, non dovendo mai essere
« interpolata l'Orazione di Quarant'ore, come
« per Decreto della Sacra Congregazione
« de' RR. ».

1. Dum Clemens PP. VIII Orationem Quadraginta Horarum primum instituit, expresse declaravit eam velle perpetuam, quapropter quasdam iussit designari Ecclesias, in quibus: « Certis praefinitis diebus pia et salutaris Quadraginta Horarum Oratio celebretur, ea servata Ecclesiarum et temporum distributione, ut diu noctuque quavis hora, toto vertente anno, sine intermissione, Orationis incensum Domino dirigatur ». Cohaerenter ad haec iubet *Instructio,* ut aperte pateant Ecclesiae ianuae quousque populus veneraturus SSm̃um Sacramentum ad eam confluit. Neque tamen per integram noctem patere debent, sed claudendae sunt, dum populus deficit. Qua demum hora? Nequit certo determinari. Variae anni tempestates, maior minorque populi frequentia, Ecclesiarum distantia aliaeque similes circumstantiae prudentibus Ecclesiarum Rectoribus aliquam regulam praebere poterunt. Hinc praesens sanctio non iubendo, sed potius insinuando quid pro temporum varietate magis expedire videtur: inquit: « si potranno chiudere l'estate circa le tre ore; e l'inverno ad ore cinque ». Etsi vero dum cessat, aut multum imminutus est populi concursus, Ecclesiae ianuae claudendae sint, non ideo tamen arcendi sunt illi, qui devotionis fervore moti adhuc in Oratione perseverare cupiunt, vel hac de causa petunt ingressum in aliqua ex nocturnis horis. Id autem caute fiat et nonnisi illi admittantur, quorum explorata est religio ac pietas. Foeminis nullo modo, nulla ratione nulloque praetextu permittatur, sed tantummodo viris, qui, ut iam innui, non alio motivo, nisi religionis, permanere ibi aut ad orandum ingredi cupiunt: et hi ingredi et exire poterunt per aliquod internum ostium pro opportunitate claudendum, vel reserandum. Id conforme est regulis S. Caroli Borromaei, quarum altera est: « Ancorchè la notte si faccia Orazione, la Chiesa però non stia aperta, ma ciascuno picchi e se gli apra; e potranno andare ad orare non solo quei che saranno del compartito fatto, ma altri ancora ». Quoniam vero, ut vidimus ad §§ IX et X, singulis horis tam diurnis, quam nocturnis, dari signum debet maioris campanae sonitu, haud falli puto, si existimo, nedum id fieri oportere, ut Ecclesiastici sibi in Oratione vicissim succedant, verum etiam ut et laici moneantur, siqui sunt, qui velint ad Ecclesiam accedere, ut ibi ad horam in Oratione persistant; quamobrem non eis est denegandus ingressus.

2. Tametsi in hac etiam parte Romae omnino servanda sit *Instructio,* ita ut pateant Ecclesiae fores viris aeque ac foeminis per aliquot primae noctis horas, non extenditur regula ad alias Ecclesias extra Urbem. Ordinarii locorum decernere debent quod magis expedit, iuxta locorum, temporum, personarum mores et circumstantias. Quod in magnis Urbibus licet, in quibus facile comparari possunt media, ne oriantur scandala et nequid fiat cum offensione et perturbatione fidelium, haud fieri et permitti convenit in parvis Oppidis, in quibus talia media nequeunt adhiberi. Hinc in his magis congruit, ut, etiamsi Oratio sit perpetua, ingruentibus tamen tenebris, Ecclesiae ianuae claudantur. Ita iussit Bened. XIV, dum erat Bononiae Episcopus, non quoad Civitatem, sed quoad loca quaedam Dioecesis: nam intelligens in quibusdam suae Dioecesis locis per quadraginta horas SSm̃um Sacramentum exponi, atque Ecclesiae fores per integram noctem patere eoque viros simul et mulieres confluere, omnino prae-

cepit, ut post horam vigesimam tertiam cum dimidio clauderentur. Laud. Institut. 30 num. 24.

3. Clausis Ecclesiae ianuis, non est propterea ab Oratione cessandum, nec Sacramentum intus Tabernaculum recludendum. Id non patitur *Instructio*, quae Orationem vult esse perennem, et Sacra Rituum Congregatio definivit (ut opportune monet praesens sanctio): « Non licere in Oratione Quadraginta Horarum reponere Augustissimum Sacramentum tempore noctis; et contrariam consuetudinem esse abolendam ». Tanto cum rigore perpetuitas Orationis servanda est, ut non defuerint aliquando, qui existimarent nec esse interpolandam triduo Passionis. Ideo « Sacerdos deputatus a Vicario ad conficiendum turnum Orationis Quadraginta Horarum in Urbe petiit: An Feria VI in Parasceve sit prosequenda huiusmodi Oratio cum Expositione Sacramenti; an vero abstinendum? » Sacra Rituum Congregatio « mandavit omnino cessandum a mane Feriae V usque ad mane Sabbati Sancti ». Ita in una Urbis sub die 12 Martii 1661 (num. 1190). Et bene quidem. Haud enim congruit triumphalis Sacrae Eucharistiae expositio iis diebus, in quibus, deficientibus Hostia et Sacrificio, Ecclesia versatur in tristitia, amaritudine et luctu. Quae ratio est, propter quam solemnitas Institutionis Sacramenti, quae celebranda esset Feria V in Coena Domini, transferatur ad Feriam V post Festum SSmae Trinitatis.

4. Quod si alicubi fiat huiusmodi Expositio ad formam quidem Orationis Quadraginta Horarum, ita ut ad tertium usque diem protrahatur, nocte tamen recondatur Sacramentum, non amplius locum habebunt sanctionis regulae, quae tantummodo obligant Ecclesias per turnum designatas pro Oratione Quadraginta Horarum. Improprie namque dicitur ad formam quadraginta horarum, cum desit id quod praecipuum est Instituti; perpetuitas scilicet Orationis per quadraginta successivas horas nunquam interruptas, licet per tres dies fiat.

5. Et revera cum pio huic Instituto adnexa sit Indulgentia vel partialis vel plenaria; certum est quod illam de iuris rigore consequi haud possunt fideles, nisi servata forma Institutionis. Idcirco Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium negotiis praeposita die 5 Aprilis 1627 declaravit: « Si expositio SSmi Sacramenti continua non sit die noctuque, admoneri debet populus non lucrifieri Indulgentias pro Oratione Quadraginta Horarum concessas ». Vide Cavalerium tom. 4, cap. 7, decret. 50, num. 1; Lucium Ferrari Verb. *Eucharistia* num. 67; Tetamum in Appendice cap. 3, art. 7, sect. 3, num. 62 et 63, ubi ait: « Constitutio Clementis VIII anni 1592, singulis poenitentibus et confessis ac Sacra Communione refectis, qui in qualibet Urbis Ecclesia, ubi Oratio Expositionis SSmi Sacramenti Quadraginta Horarum continua et non interrupta fuerit indicta, devote orando unam saltem horam perseveraverint, Indulgentiam plenariam concedit; iis vero, qui inibi pias ad Deum preces effuderint breviori tempore, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis aut alias debitis poenitentiis relaxat ». Notandum quod cl. Auctor de suo addidit: *Oratio Expositionis SSmi Sacramenti etc.*: nam revera in laudata Constitutione verbum quidem fit expositionis Eucharistiae, sed dispositio sistit institutione Orationis perennis, cui an ab initio, ut adderetur expositio Sacramenti, iniunctum fuerit, incertum est; quamvis haec vel sit institutioni coaeva, vel paulo post introducta, est generaliter admissa. Quamobrem iuxta litteram praefatae Constitutionis unica conditio ea est, quod Oratio sit perennis ad effectum lucrandi Indulgentias: modo vero addita est altera, quod Oratio fiat coram Sacramento publicae adorationi exposito, non ratione institutionis sed consuetudinis, quae in legem transivit.

6. Paulum V ampliasse praefatam plenariam Indulgentiam pro tempore, per quod orare cuilibet fuerit commodum, litteris brevibus datis 10 Maii 1606, testantur Auctores supralaudati. Verumtamen, quia quandoque ita comparatae sunt circumstantiae ac tales tantique momenti possunt concurrere causae, ut opportunum maxime et fortasse etiam necessarium videatur Praesulibus de nocte Sacramentum recondi ac perennem Orationem intercipi: ne propterea populus spirituali illo bono privetur, Benedictus XIV in sua Constitutione *Accepimus etc. tom. 2 Bullarii, num. V*, eamdem plenariam Indulgentiam lucrari posse declaravit, etiamsi noctu interrumpatur Oratio. En verba: « Porro id necessario requiritur ad consequendas eas Indulgentias, quae fidelibus conferuntur, qui precantur in illis Ecclesiis, ubi Divina Mysteria spatio continuo quadraginta horarum exposita publice sunt. Etenim id omnino praecipitur in hac Indulgentia concedenda, quae a quadraginta horis continuis nomen accepit. E-

quidem, veteris disciplinae severitate remissa, nunc eadem Indulgentia concedi intelligitur, etiamsi Sacramentum Eucharistiae per horas quadraginta continuas gravissimis de causis minime prostet; modo tamen horis diurnis semper expositum relinquatur ».

7. An autem huiusmodi Indulgentiae plenariae ampliatio comprehendat etiam Ecclesias Urbis, dubium excitare quis posset. Etenim Epistola data est ad Episcopum Wormatiensem; et eius postulatis Pontifex respondet; quamobrem videtur limitatum indultum ad Ecclesias tantummodo eiusdem Dioecesis. Sed dubium hoc facile exploditur: plura quippe sunt, quae fere ad evidentiam evincunt ampliationem illam universalem esse et extendi etiam ad Ecclesias Urbis, si detur casus, quod gravissimis de causis nocte recondatur Sacramentum. Praeterquamquod Epistola illa *in Bullarium* inserta est, hanc generalem fert epigraphen; *Christi fideles Indulgentiam visitantibus Ecclesias concessam, etiam Sm̃a Eucharistia non exposita, lucrantur.* Hoc erat postulatum Episcopi, cui sapientissimus Pontifex satisfecit: falsam vero esse illorum opinionem demonstrans, qui arbitrabantur non lucrari Indulgentias concessas visitantibus Ecclesias, nisi SSm̃um Eucharistiae Sacramentum in iisdem publicae venerationi expositum exhibeatur, necessario id requiri dicit, si in ipsa concessione tamquam conditio fuerit iniunctum: exemplum affert Expositionis et Orationis Quadraginta Horarum: declarat tandem quid de antiquo rigore fuisse remissum; et lucrari Indulgentiam, etiamsi, gravi interveniente causa, de nocte interrumpatur Oratio. Ex his colligimus Pontificem de hac re incidenter fuisse loquutum, quae a postulato erat extranea, licet multum conferret ad solutionem dubii. Praeterea non ipse tunc primum relaxavit legis aut disciplinae rigorem, aut quid indulgere voluit Wormatiensi Dioecesi, quod Episcopus non petebat nec erat obiectum postulati; sed tantummodo id per modum narrationis retulit, quod in more iam erat; ac propterea non utitur dictionibus: *concedimus, indulgemus, declaramus, extendimus etc.*, bene vero alia longe diversa: *nunc eadem Indulgentia concedi intelligitur:* quae dicendi formula significat *iam concessum, iam declaratum, iam in more positum.* Quod magis patet, quia immediate verbis supra relatis addit: *de hac re plura tradita sunt in libro P. Theodori a Spiritu Sancto:* unde facile arguimus aliquod Decretum indultivum et declarativum emanasse a Sacra Congregatione Indulgentiarum, vel sapientissimum Pontificem praefati Auctoris probasse sententiam. Quae dixi, ni fallor, satis sunt, ut firmetur regula, quod Indulgentiae non depereant etiam quoad Ecclesias Urbis, si urgentissimis de causis contingat alicubi, iubentibus vel permittentibus Praesulibus, de nocte recondito Sacramento, Orationem intercipi, dummodo diurnis horis expositum semper pateat.

8. Neque heic loci tegenda silentio est pia quaedam multaque commendatione digna Institutio novissima, quae in id unice tendit, ne debitum obsequium erga Sacram Eucharistiam vel elangueat, vel deficiat nocturno tempore, dum non amplius populo ad Ecclesiam liber datur accessus; prospicitque perpetuitati adorationis a Summis Pontificibus commendatae. Clemens VIII, S. R. C. Decreta, *Instructio* quam illustrandam suscepimus, ut diu noctuque per quadraginta horas indeficiens perseveret Oratio, omnino iubent. Verumtamen facile contingere poterat tam sanctae legis violatio, in Ecclesiis praesertim pauperibus Clero destitutis, in quibus unus tantum aut alter mercede conductus erat, qui vigilias ageret et Orationi incumberet. Id animo recogitantes pii quidam viri, zelo honoris Dei commoti, omnes direxerunt curas, ut huic malo occurrerent. Eidem opportune consultum existimarunt ope Societatis, cui qui nomen daturi essent, per vices ante Sacram Eucharistiam palam expositam, recedente populo clausisque ianuis noctu preces effunderent. Nec multum nec diu adlaborandum fuit: brevi namque tot ex Ecclesiasticorum laicorumque hominum ordinibus pro meditato opere exequendo simul convenerunt, ut mense Novembris 1810 praeconcepta Societas ortum et firmitatem habuerit. Qui eam componunt *Adoratori di Gesù Sacramentato* nuncupantur. Collatis interea consiliis, ut facilior redderetur operis exequutio, neve conceptus fervor temporis progressu, subortis difficultatibus, tepesceret, Moderatores quasdam leges perpetuo servandas edixerunt, quae ab universo coetu probatae sunt. Meum non est eas recensere. Harum duplex est finis: primus ne unquam deficiat Oratio; alter, qui in primum recidit, ne Sodales nimio graventur labore. Etenim bene norant Instituta, quamtumvis sancta multisque celebranda nominibus, quae certam non inducunt obligatio-

nem, sed sunt libera, paullatim languescere et quandoque etiam resolvi, nisi prudenter suaviterque dirigantur. Omnes, qui Societatem componunt, in tres classes distribuuntur. Aliqui sunt, qui uni tantum praecipuoque nocturnae adorationis oneri satisfaciunt: alii (quibus etiam piae quaedam foeminae adnumerantur), cum nequeant vel ratione sexus, vel aetate, vel salutis incommodis, vel occupationibus impediti, nocturnas vigilias agere, eo, quo possunt, modo pium fovent institutum et aes ad expensas necessarium elargiuntur; alii demum, qui simul adorationi incumbunt et aes ministrant. In singulis diebus octo Consodalium nomina extrahuntur ex urna, horum quatuor in Ecclesiam conveniunt incipiuntque vigilias statim ac fores clauduntur; his alii succedunt, qui ab Oratione cessant, simul ac, reseratis ianuis, liber confluenti populo patet ingressus. Hac servata discreta methodo, facilior redditur pii operis exequutio et nimio labore non premuntur Sodales et adorationi opportune consultum est. Equidem Ecclesiarum distantia, temporum intemperies ac alia quandoque non praevisa, quae observantur incommoda, afferre possunt impedimenta, interponere difficultates. Hisce etiam provisum est, comparatis praescriptisque mediis, quae iuxta circumstantiarum varietates, ad finem magis idonea visa sunt. Sodalibus, qui adorationi incumbunt, unus semper praeest Sacerdos, qui Directoris nomen habet. Is est, qui tempora partitur, partim vocalibus precibus, partim meditationi, partim divinae psalmodiae assignando, veluti in Rituali ad hoc disposito praescriptum est. Satis de pia hac novissima Institutione dixi; utinam quod coeptum Romae est, ad omnes Civitates et loca propagetur, in quibus Oratio Quadraginta Horarum ad formam Constitutionis Clementis VIII peragitur!

9. Ne quid praeteream, Pius VII, quem Deus sospitet, speciali rescripto dato 12 Maii 1807, benigne concessit ut Indulgentia plenaria primum a Clemente VIII in exordio Institutionis elargita, postmodum vero ab eius Successoribus confirmata et ampliata, adplicari in posterum possit per modum Suffragii animabus fidelium defunctorum: ac insuper declaravit omnia Altaria illius Ecclesiae, in qua per turnum fit expositio, esse privilegiata, durante tempore expositionis.

10. Pauca hic addere pro coronide iuvat de plenaria Indulgentia indulta orantibus ante Sacramentum, licet non expositum in turno quadraginta horarum, sed ex alia gravi causa et communi bono vel per triduum, vel per unam diem tantum. Pluribus in Ecclesiis piam invaluisse consuetudinem iam a seculo decimo sexto exponendi SSmum Eucharistiae Sacramentum ad instar Orationis Quadraginta Horarum per tres dies a Quinquagesimae Dominica usque ad Feriam tertiam, ut fideles hoc pacto, neglectis mundi illecebris, ad sancta opera incenderentur, Deumque bacchanalium criminibus ad iracundiam gravius provocatum mitigarent, testatur Benedictus XIV Instit. 14, num. 8. Consuetudo isthaec magnum habuit temporum successu incrementum; et modo frequentes sunt Ecclesiae, in quibus etiam per aliquot hebdomadae Septuagesimae et Sexagesimae dies, tum per triduum Quinquagesimae, aut SSmum Eucharistiae Sacramentum solemniter exponitur, aut aliae piae exercitationes peraguntur. Idem Benedictus XIV ad fovendam et excitandam fidelium religionem eosque avocandos a perniciosis bacchanalium ludis, datis litteris ad Episcopos Status Ecclesiastici die 1 Ianuarii 1748 (relatis in eius Bullar. tom. 2, pag. 382, edition. Romanae) Indulgentiam plenariam indulsit visitantibus alteram ex iis Ecclesiis, in quibus ea de causa Sacram Eucharistiam exponendi mos est.

11. Ita Pontifex in his Episcopos alloquitur: « curandum praeterea vobis est, ut in una aut pluribus Ecclesiis SSmum Eucharistiae Sacramentum per triduum publico cultui exponatur; et quotidie populo ad Vesperas benedicatur in Septuagesimae, aut Sexagesimae, aut Quinquagesimae hebdomadis, aut tribus omnibus. Nos interea fidelibus hac nostra Epistola circulari plenariam Indulgentiam concedimus, quae a vobis solitis formulis promulgabitur, quaeque cum ad opus pium directa sit, non impeditur alia plenaria Indulgentia, quam Ecclesia, ubi Eucharistia exponitur, aliis de causis habere possit; plenam, inquam, culparum veniam impertimur quibuslibet Christifidelibus, qui poenitentia et Sacra Synaxi rite muniti, singulis diebus Augustissimum Christi Corpus visitaverint, Deum orantes iuxta Ecclesiae mentem, quam desuper exposuimus: *mens autem Ecclesiae est.* Nec huic morum perversitati (de ludis bacchanalibus loquitur) Ecclesia, ut potuit, non opportune consuluit, et semper precibus operibusque piis enixe Dei praesidium imploravit, ut poenas impiis debitas differret; et omnipotenti auxilio suo huic malo remedia praeberet ».

12. Deinde eius Successor Clemens XIII praefatam Indulgentiam pro Statu Ecclesiastico concessam extendit ad omnes Catholici Orbis Ecclesias; et lucrari insuper posse indulsit nedum in triduo Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, verum etiam in sola Feria V infra hebdomadam Sexagesimae. Iuvat hic integrum referre Decretum datum per organum Congregationis Indulgentiarum sub die 23 Iulii 1765. « Cum alias Benedictus XIV ad frequentes Episcoporum Pontificiae dictionis querelas gravioribus abusibus, qui bacchanalium tempore irrepserunt, opportuno remedio, opportune occurrere concupierit, perspexeritque in aliquibus Ecclesiis salutari consilio institutam esse Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti expositionem per tres dies, sive in hebdomada Septuagesimae, sive in altera Sexagesimae, aut Quinquagesimae ante diem Cinerum, ad hoc praecipue, ne fideles tempore tentationis a via Domini recederent et in praedictis Ecclesiis pie orantes, divina impetrarent auxilia; universis utriusque sexus Christifidelibus confessis et Sacra Communione refectis, qui easdem Ecclesias, in quibus fit Venerabilis expositio, sive in uno, sive in singulis ex praedictis triduis devote visitarent, Indulgentiam plenariam misericorditer concessit et indulsit. Hinc Sanctissimus Dominus Noster Clemens Papa XIII sedulo recogitans praefatam Augustissimi Sacramenti expositionem plurimum hisce diebus profuisse ac deinceps fore profuturam, eamdem plenariam Indulgentiam ad quascumque catholici Orbis Ecclesias, ubicumque locorum existentes, ubi Venerabilis expositio sive in hebdomada Septuagesimae, sive Sexagesimae vel Quinquagesimae, sive in singulis praedictis hebdomadis per tres dies, atque etiamsi tantummodo in Feria V infra hebdomadam Sexagesimae, peragatur, ex uberi Pontificiae caritatis fonte benignissime extendit ».

§ XXXIV.

« In ogni Chiesa di Roma si terrà affisso « in luogo patente la lista delle Quaran- « t'ore per informazione dei fedeli devoti ».

§ XXXV.

« Parimenti in ogni Chiesa, ove è de- « terminata l'esposizione, si dovrà tenere « affissa continuamente nella Sagrestia la « presente Istruzione, acciocchè niuno possa « allegare l'ignoranza delle regole e pre- « cetti, che vi si contengono ».

Nihil esse videtur in hisce sanctionibus speciali adnotatione dignum; quamobrem progredior ad

§ XXXVI.

« Non ardirà alcun Rettore, Curato o « Sagrestano, fuori dell'ordine assegnato « nella lista delle Quarant' ore, esporre il « SS̃mo Sacramento sotto qualsivoglia pre- « testo o consuetudine, per veruna causa « grave, nè per infermi, senza Breve spe- « ciale di Sua Santità, o almeno licenza se- « gnata da Noi o da Monsignor Nostro Vi- « cegerente e sottoscritta dal Deputato delle « quarant'ore, la quale ottenuta s'esporrà il « Venerabile in un Altare o Cappella con « un velo avanti e col suddetto numero « di venti lumi: e si osserverà puntual- « mente il tempo, che dovrà durare l'espo- « sizione, assegnato nella suddetta licenza, « sotto le pene infrascritte e privazione « d'offizio ».

1. Hactenus *Instructio* de Expositione pro Oratione Quadraginta Horarum. In postrema hac sanctione methodum pro aliis Expositionibus praescribit: iubet per modum regulae generalis, ne fiant ulla ex causa, non obstante quacumque consuetudine aut praetextu, sine Pontificio indulto, aut licentia Em̃i Vicarii vel eius Vicesgerentis, quae firmata subscriptione sit ab illo, qui ad conficiendum tabellam Ecclesiarum pro Oratione Quadraginta Horarum specialiter est deputatus. Huiusmodi autem lex municipalis est, nec praetergreditur Urbem eiusdemque confinia; sed quoniam respicit Sacrae actionis decus debitumque cultum Sacrae Eucharistiae palam expositae exhibendum, ubique esset religiose servanda; et praecipuum onus Episcoporum est invigilare, ne in respectivis eorum Dioecesibus publica ulla fiat expositio, nisi petita et obtenta ipsorum licentia, ut Sacra Rituum Congregatio pluries edixit, ceu mox videbimus.

2. Etenim, iuxta disciplinam quae modo viget, saepenumero fit SS̃mi Sacramenti expositio, quod praesertim accidit in cultis Civitatibus, in quibus elegantia, nitore, amplitudine Ecclesiarum, vasorum et suppellectilium, quae necessaria sunt, copia, populorum religione decenter debitoque cultu praestantissima haec functio exequi potest.

Verum non omnes Expositiones aeque sunt solemnes, sed aliae plus aliae minus celebritatis habent. Solemnissima est illa, de qua huc usque egimus; tales sunt etiam, quae tam Romae, quam alibi fiunt in octava Corporis Christi, vel tempore bacchanalium, vel in octiduo defunctorum. His adnumerari possunt Expositiones quaedam extraordinariae, quae praecipiuntur in gravi aliqua Christianae Reipublicae necessitate, in publicis calamitatibus et periculis, vel in gratiarum actione pro acceptis a Deo beneficiis. Aliae sunt minus solemnes et ad breve tempus vel statis diebus fiunt in implementum piarum fundationum, vel in Sanctorum natalitiis diebus, vel in novemdialibus et triduanis precibus peragendis, vel etiam pro aliquo infirmo aut alia privatae personae seu familiae necessitate. Et hae omnes, cum exponatur Sacramentum palam in Throno, sive ex publica sive ex causa privata fiant, publicae dicuntur. Aliae demum sunt omnino privatae et in his non collocatur Ostensorium sub umbella, sed aperto Tabernaculi ostiolo, Sacra Pyxis, sua operta velo, populo patefit.

3. Ut primum de Expositione publica loquar, vel haec solemnissima sit vel minus solemnis, dummodo extrahatur Sacramentum e Tabernaculo et palam collocetur in Throno sub umbella, fieri nequit privata auctoritate, sed Ordinarii licentia omnino est necessaria. Innumera sunt S. R. C. Decreta, quae id declarant. Unum tantum ex iisdem indicare sat erit: In Cracovien. 28 Aprilis 1640, declaravit: « nullo modo convenire, nec posse per Regulares neque Seculares publice exponi (Sacramentum) sine expressa licentia Ordinarii; et ideo omnino prohibendos contrafacientes »: in quo Decreto notandum est, quod petitio solos respiciebat Regulares, sed Sacra Rituum Congregatio opportunum duxit declarare, quod etiam Seculares lege tenentur (num. 703). Neque, ut supra iam dixi, ad Expositionem publicam, pro qua necessaria est licentia Ordinarii, requiritur magna celebritas ex causa gravi ac publico Ecclesiae bono; satis est, quod Sacramentum e Tabernaculo extractum collocetur in Throno, etiamsi fiat cum Ostensorio velato. Ne alia quaeramus argumenta, una sufficit *Instructio,* quae rem declarat, prohibendo: « d'esporre il SSmo Sacramento sotto qualsivoglia pretesto o consuetudine per veruna causa grave, nè per infermi, senza breve ecc. o almeno licenza ecc. ». Quod si liberum cuique foret sub praetextu consuetudinis aut causae privatae, quae magnam non exigit solemnitatem, Sacramentum publice exponere, innumeri orirentur abusus; et forte Expositiones fierent sine decenti apparatu, frequenter nimis et cum maximo cultus et Religionis detrimento. Quamobrem non ita faciles esse debent Episcopi in elargiendo licentiam cuique petenti: ad ipsorum solicitudinem pertinet in id potissimum incumbere, ut et rationabilis interveniat causa et debito consulatur obsequio, ne Expositio inopportune fiat, vel necessaria desideretur decentia.

4. Esset hic percontandi locus num Expositionis Sanctissimi Sacramenti frequentia magis congruat, quam si raro fiat. Quaestio haec est, quae adhuc pendet indecisa. Christianus Lupus de Sac. Processionibus cap. 12, inter eius opera tom. 11, frequentiam laudat, quod populum abstrahat a spectaculis, otio et confabulationibus, ad virtutum actus excitet, ad Ecclesiam convocet; et templis ipsis, veluti dum in aula Rex sub Throno palam conspicitur, maiorem conciliet venerationem. Contra vero Thiersius lib. 2, cap. 2, magis convenire existimat, quod raro fiat, quia ex frequentia Sacrosancta Mysteria vilescunt et imminuitur Christianae plebis devotio; hinc tria constituit, scilicet: Primum haud permittendum unicuique, ut Eucharistiae Sacramentum, cum lubet, exponat, sed Pontificis et Episcoporum in hac re sententiam servandam. Secundo iuxta Ecclesiae instituta et sapientum virorum opinionem id concedi rarius debere. Tertio idipsum per octavam Corporis Christi perfici solum fas esse, vel cum gravissima causa Religionis aut Reipublicae id postulet, quae ab Episcopo diudicanda est. Theophilus Rainaudus Heter. tom. 15, Ecclesiae iudicio rem esse relinquendam censet, quamquam in Thiersii sententiam propendat. Timendum est, inquit, ne maiestas Mysterii Fidei tam crebra, vel etiam assidua eius vulgatione deteratur, nec adeo facile percellat contuentium oculos, quam si infrequentius et quod fere consequens est, maiori cum apparatu et accuratione proponeretur; et viderint ii, ad quos attinet, quid magis in hac re sit e Dei gloria et bono animarum: nam hic meum iudicium interponere consultum non foret. Benedictus XIV, adhuc tamen Cardinalis et Bononiae Episcopus, relatis horum Auctorum sententiis, a suo abstinet promendo sensu, inquiens: « Nos sane negotio implicari nolumus, quo pars utra-

que nihil aliud contendit, nisi ut cultus Eucharistiae debitus augeatur » Instit. 30, n. 5, 6, 7 et 8 ; neque voluit hanc dirimere quaestionem ad Petri Cathedram evectus, ut patet ex Constitutione *Accepimus in Civitate etc.* data die 16 Aprilis 1746 : Bullar. tom. 2, pag. 31, Editionis Romanae; videtur tamen potius adhaerere sententiae, quae frequentiam non improbat, dummodo cum debita reverentia decenter fiat, quod curare Episcoporum est.

5. Quis autem ego sum, qui velim in hac me ingerere controversia? Si id facerem, temeritatis notam non effugerem. Quamobrem, quidquid de ea sit, vel raro, vel frequenter fiat Expositio SSmi Sacramenti, duo tamen certa sunt. Primum, quod fieri nullo modo debet, nisi permittente Ordinario. Secundum, quod non licet, nisi decentiae satis consultum sit. Unum includit alterum ; nam Ordinarii locorum licentiam non debent impertiri, nisi aut certi sint, quod debita cum reverentia sacra illa functio peragatur, aut praescribant modum, quo peragenda sit, quin ab eo liceat declinare. Haec duo fortasse in ratione habebat B. Ioseph Maria Cardinalis Thomasius dum consultus: utrum singulis Dominicis in templo recens excitato sacram exponendi Eucharistiam morem probaret ? respondit: « Utrum sacra Mysteria per singulos Dominicos dies palam exponenda sint, serio perpendi debet, antequam deliberetur. Id enim non semper Deo gloriam affert populoque utilitatem. Nam, ut verbis utar Antonii Albergati Sedis Apostolicae Nuntii in Belgio, multo melius est, ut non ita frequenter exponatur et tunc cum debita reverentia, quam ut frequentius et sine debito obsequio et reverentiae significatione id fiat : apud Benedictum XIV ibidem ».

6. Dummodo tamen omne absit irreverentiae periculum et Ordinarii locorum sedulo invigilent, nec permittant Sacramentum publicae venerationi exponi, nisi id fiat cum debito obsequio et reverentiae significatione; praesens Ecclesiae disciplina non videtur aliena a frequenti Expositione indulgenda. Sacra Congregatio, quae de Ecclesiasticis Ritibus ius dicit, cum ab Episcopo Pisauri rescivisset ea in Civitate invaluisse morem exponendi in quolibet die festivo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in omnibus tam Secularium, quam Regularium Ecclesiis, eo dumtaxat temporis spatio, quo fidelibus benedictio impertiatur, unde fit, ut nec ipsis ad commodum tanti Sacramenti venerationem exponatur ; et ex tam multiplici et perfunctorio benedictionum numero oriatur facile confusio et devotio tepescat; sub die 2 Augusti 1692, non absolute inhibuit frequentiam, sed modum abususque damnavit: ideo statuit : « Esse committendum *(eidem Episcopo)* ut talem in posterum pro sua prudentia in Expositione SSmi Sacramenti praescribat formam ut omnibus praedictis abusibus prospiciatur » : et unum solummodo praeceptum dedit : *dummodo praedictas benedictiones de nocte fieri expresse prohibeat:* quae adiecta exclusiva conditio magis demonstrat quinam esset Sacrae Congregationis sensus circa frequentiam (N. **1879**).

7. Nostra autem *Instructio* nihil prorsus habet de frequentia. Duas tamen praefatas conditiones omnino requirit, ut liceat Sacramentum exponi : auctoritatem scilicet et decentiam ; quae duae conditiones sunt, quas, quotquot hac de re scripserunt, licet, in contrarias sententias quoad frequentiam incedentes, necessarias omnino esse docuerunt ; quod et ipsa religio actionis plane suadet. Quoad primam, e medio tollit *qualsivoglia pretesto o consuetudine* et expressam exigit scripto licentiam ; quoad secundam, certum praescribit luminum numerum, iubet velari Ostensorium et, ne ultra concessum temporis spatium Expositio protrahatur, omnino vetat.

8. Quoad autem hasce Expositiones extra Urbem optandum esset, ut omnes Episcopi illam semper sequerentur methodum, quam tenuit Benedictus XIV, dum Bononiae erat Episcopus; et exposuit in laudata Institutione 30, nunquam satis commendanda. Inhaerens primum iuris dispositioni, quae arbitrarias Expositiones vetat, inquit num. 13: « cum Sacra Eucharistia absque facultate nostra et publica causa exponi nequeat ; et cum Ecclesiae leges populique cultum erga Divinum Eucharistiae Sacramentum integre tueri maxime optemus; ideo summopere commendamus ac probamus, quod in hac Civitate singulis diebus Eucharistia publice in aliquo templo colenda exhibeatur . . . . idque satis esse ad nostram facultatem declaramus, quod Ecclesiarum nomina, in quibus exponitur Sacra Eucharistia, nostra auctoritate in lucem proferantur »; et n. 14: « quod si Regulares aut Seculares iis diebus Sacram Eucharistiam exponere velint, qui in eadem tabella minime designantur, pro re gerenda facultatem a Nobis expostulent causamque declarent ». Haec ad facultatem

pertinent: ad decentiam vero num. 70, conditiones enumerat omnino servandas, ut Sacra Eucharistia, quo par est, honore ac religione publice coram populo exponatur, iuxta ea, quae Romani Pontifices et Clemens etiam XII praescripserunt. Et revera conditiones istae conformes sunt regulis nostrae *Instructionis,* si pauca quaedam excipias, quae essentialia non sunt, nec ubique servari aeque possunt. Non ego sum, qui existimem ab enumeratis per Benedictum XIV conditionibus nullibi recedendum esse: scio non ubique id fieri posse, quod fit in cultis Civitatibus, quae populo abundant et opibus; ratio habenda est locorum, temporum et personarum. Propterea si quaedam desit solemnitas, satis erit quod decentia non deficiat; quemadmodum, data opportunitate, monui in commentariis ad aliquas ex praecedentibus sanctionibus.

9. Satis dixi de Expositionibus publicis. Verum priusquam ad alia progrediar, adhuc unum in *Instructione* est, quod illustrandum videtur. Percontabitur fortasse quis: curnam ceteras inter conditiones, quae decentiam spectant, illam ponit *Instructio,* quod Sacramentum exponatur *con un velo avanti?* non enim distinguit inter casum et casum, sed omnes simul Expositiones comprehendit, *fuori dell'ordine assegnato nella lista delle quarant'ore.* Ut verum fatear, nulla mihi se offert idonea ratio, quae quamlibet eliminet dubitationem; dicam tamen vestigium fortasse hoc esse veteris disciplinae. Ante Urbani IV tempora, ut alias notatum fuit, nondum in usu erant vasa monstrantia: et aevo S. Caroli Borromaei sacra Hostia in eleganti pretioso Tabernaculo ad modum cilindri elaborato et in pyramidis formam desinente includebatur; Ostensorium, quo nunc utimur, ad recentiora tempora pertinet. Docemur insuper ex eiusdem Sancti Antistitis Instructione etiam in Expositione solemnissima Quadraginta Horarum sacrum illud Tabernaculum non in Throno sub umbella, sed in Altaris mensa collocari consuevisse, ac desuper velo, quod obumbraret, sed non omnino tolleret aspectum Sacramenti, imposito. Ita factum arbitror ob reverentiam Sacramenti et ad devotionem adstantium conciliandam. Temporis vero successu, invento Ostensorio ad modum radiantis sphaerae moreque inducto illud collocandi in eminentiori Altaris parte tamquam in Throno sub baldachino, in desuetudinem abiit antiquus usus illud tegendi oblongo velo in Expositionibus publicis, quae fiebant de Superiorum mandato; et forte etiam in solemnissimis per octiduum Festi Corporis Christi; sed adhuc eumdem usum continuasse in aliis Expositionibus publicis, non de praecepto, existimo. Ab hac distinctione rationem petiisse videtur *Instructio,* dum iussit velari Ostensorium in omnibus Expositionibus, praeterquam in illa pro Oratione Quadraginta Horarum. Verum id quoque paulatim ac sensim sine sensu immutatum est, et modo ea viget consuetudo, quod non tegatur velo Ostensorium, nisi in casu, quod expositum sit pro privata aliqua necessitate; et quod initio fuit reverentiae argumentum, modo adhibetur in signum tamquam non dubium, quod expositio non fit ex Praesidum mandato et publica causa, sed pro aliquo infirmo aut alia privata necessitate permittitur. Nemo namque est, qui non sciat facile esse mutationibus obnoxia, quae ad extrinsecam disciplinam pertinent et rituum substantiam non laedunt. Si quis aliam rationem hac validiorem inveniat, opinionem hanc meam libenter repudiabo.

10. Aliquid modo addendum superest de Expositionibus privatis. Tales sunt, quae fiunt, aperto Tabernaculi ostiolo, patente velata Pyxide. Benedictus XIV in saepe laudata Instructione his adnumerat etiam Expositiones, quae fiunt cum Ostensorio velato sub umbella. Agens enim de exponenda privatim Eucharistia, cum nullis Ecclesiae legibus, publica causa et Episcopi facultas necessario requirantur, rem totam ad Praefectum illius Ecclesiae reiicit, ubi vel pro alicuius aegritudine levanda, vel pro necessitate ac desiderio alicuius religiosi viri, Sacra Eucharistia debet exponi; et normam observandam praescribit, videlicet: ut Eucharistiae Tabernaculum solum aperiatur et Sacra Pyxis clausa suoque velamine obtecta populi oculis subiiciatur, vel si Eucharistia e Tabernaculo proferenda sit, Sphaera inter Crystallum inclusa sub umbella statuatur.... Sphaera tamen velo adoperta ita sit, ut Sacrae Hostiae aspectus impediatur (Ibid. n. 16). Videtur tamen iuxta *Instructionis* sensus secus de hoc secundo modo sentiendum, et ad publicas Expositiones pertinere illam, quae fit, velato Ostensorio, ex causa privata; quandoquidem praesens sanctio opportunam Praesidum licentiam exigit, vetans sine ea *esporre il SS$\overline{mo}$ Sacramento sotto qualsivoglia pretesto o consuetudine per veruna causa grave, nè per infermi.* Verumtamen parum interest

hic determinare an publica dicenda sit Expositio, quia palam in Throno Sacramentum exponitur adorandum; vel privata, quia ex causa privata fit. Lis est de nomine: nobis sufficit quod Romae servanda est regula *Instructionis;* quamquam forte etiam Benedictus XIV cum ea convenit, licet generalem facultatem Ecclesiarum Praesidibus elargiatur; tum quia ad Romanum morem se refert: *altera vero Romanae Urbis consuetudine probatur:* tum etiam quia eamdem permittit, apposita conditione, quod cetera omnia circum apponantur, de quibus sermonem inferius instituemus. Ubi se habet relative ad regulas, quas inferius enumerat in Expositionibus publicis omnino servandas. Et revera expositio cum Ostensorio velato vix differt ab altera, quae fit cum Ostensorio detecto, si excipias causam, quam dat privata necessitas, et maiorem minoremque solemnitatem.

11. Redacto igitur sermone ad Expositiones vere privatas, quae fieri possunt sine Ordinarii licentia; certum est in his non licere Pyxidem ex aperto Tabernaculo extrahere et benedictionem populo cum ea impertiri. Sacrae Congregationes Episcoporum et Regularium, Concilii Tridentini interpretum et Sacrorum Rituum, conformi sententia expresse iubent, ne Pyxis e Tabernaculo extrahatur, sed velata pateat recluso ostiolo. Si quandocumque privata ex causa Sacrosancta Eucharistia exponenda videbitur, a Tabernaculo nunquam extrahatur, sed in Pyxide velata, in aperto eiusdem Tabernaculi ostiolo, cum assistentia alicuius Sacerdotis Stola et superpelliceo induti, et cum sex saltem luminibus cereis collocetur. Ita Congregatio Episcoporum et Regularium 9 Decembris 1602: et Sacra Congregatio Concilii sub die 17 Augusti 1630: Non licet Regularibus, etiam in propriis Ecclesiis, SSm̃um Eucharistiae Sacramentum publice venerandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario: ex causa autem privata possunt, dummodo Sacramentum e Tabernaculo non extrahatur et sit velatum ita ut ipsa sacra Hostia videri non possit. Consonant alia eiusdem Congregationis Decreta die 28 Februarii 1654, et 14 Aprilis 1674. Et Sacra Rituum Congregatio servari Decreta aliqua super hoc edita mandavit; scilicet: « Non licere Regularibus, etiam in eorum propriis Ecclesiis, SSm̃um Eucharistiae Sacramentum palam adorandum exponere nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario; ex causa vero privata, licere, dummodo non extrahatur a Tabernaculo et maneat velatum, ita ut Hostia videri non possit ». Quae duae conditiones expressae necessario secumferunt aliam, etsi non declaratam verbis, quod videlicet nequeat populus cum Sacramenti sic private expositi benedictione dimitti.

12. Ne quis sit, qui secum reputet Decreta huiusmodi vel solos Regulares afficere, vel contraria consuetudine obsolevisse. Controversiam hanc dirimit sapientissimus Pontifex Benedictus XIV in Epistola data ad Cardinalem Urbis Vicarium die 27 Iulii 1755, occasione qua prius quidam Sacerdos, ad compescendum incendium in viciniis excitatum, convocato ad Ecclesiam populo aeris campani gravi sonitu, Sacra Pyxide e Tabernaculo extracta, benedictionem cum illa super populum e conspectu incendii fuit impertitus. Siquidem § 13 haec habet: « Adiecit et illud Ecclesia, quod si privata tantum et non publica causa subsit, Sacramentum exponatur, ita tamen, ut reserato Tabernaculo, inde Sacrum Christi Corpus minime educatur, sed vel Sacra Pyxide sit inclusum, aut velo obtectum, ita ut videri non possit; quemadmodum deprehenditur ex iteratis conformibus Decretis editis a Congregationibus Urbis et per Summos Pontifices probatis: quos omnes collegimus ipsi, cum Bononiae essemus in una ex nostris Institutionibus » (quae est 30 saepe laudata). Itaque si Pontifex Summus ad Ecclesiae institutum se refert, si casus qui dederat scribenti occasionem, acciderat non in aliqua Regularium Ecclesia, verum in Seculari et Collegiata, scilicet S. Nicolai in carcere Tulliano; recte consequitur, legem de non extrahenda Pyxide non limitari ad solos Regulares, sed ad quoscumque etiam Seculares extendi. Igitur si ex Ecclesiae instituto, ex Decretorum praescripto, in Expositione privata, pro qua non requiritur specialis Ordinarii facultas, Pyxis e Tabernaculo educenda non est; quisque videt planeque intelligit vetitum esse in his privatis Expositionibus populum cum Sacramento benedicere. Ita propterea concludit laudatus Pontifex: « Si autem Sacramentum non debet a Tabernaculo educi: facile intelligitur in designatis casibus non esse illud efferendum.... et cum eodem benedictionem impertiendam ». Integra legenda est praefata Epistola, in qua spartam hanc Pontifex sapientissimus mirifice illustrat.

13. Verumtamen Cavalerius licitam esse arbitratur Expositionem etiam privatam cum Pyxide velata in throno, ac proinde eamdem posse e Tabernaculo educi. Innititur ipse Decreto Congregationis Episcoporum et Regularium anni 1598, quo permittitur huiusmodi privata Expositio, dummodo Sacramentum « non exponatur detectum, sed ostiolo Tabernaculi aperto, aut ad summum in Pyxide velata ». Sic enim ait (tom. 4, cap. 7, Decret. 8, num. 3) : « Expositio privata, si modo laudata Decreta attendantur (scilicet annorum 1602, 1630) ita debet fieri, ut numquam Sacramentum extrahendum sit e Tabernaculo, sed media Pyxide in ostiolo Tabernaculi aperto : praesens tamen sanctio reapse indulget eamdem etiam fieri in throno cum Pyxide velata ; cum enim statuat Expositionem privatam faciendam esse cum Sacramento velato in ostiolo Tabernaculi aperto et mox subdat: *aut ad summum in Pyxide velata;* profecto novam ponit dispositionem, per quam cavetur e Tabernaculo Sacram Eucharistiam extrahi item posse et super Throno collocari, in Pyxide tamen solummodo velata ». Adhaeret Tetamus in Append. ad Diar. Civil. et Ecclesiastic. cap. 3, art. 1, num. 2. Oppido tamen uterque fallitur. Forte neuter advertit Decreta, quae secus disponunt, illo anni 1598 esse posteriora. Esto enim a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium anni 1598, vel modum utrumque fuisse permissum, vel satis clare non fuisse dispositum : certe tamen iterum iterumque ad examen revocata quaestione annis 1602 et 1630, id declaratum fuit, quod forte erat ambiguum ; et alter tantummodo ex praefatis modis probatus sub conditione expressa, *dummodo Sacramentum non extrahatur a Tabernaculo: nunquam extrahatur.* Quibus adstipulatur recentius Decretum supralaudatae Sacrae Rituum Congregationis, quod Cavalerius dissimulat. Porro explorati iuris est posteriora Decreta prioribus derogare. Qua igitur veritate asserere poterant cl. Scriptores per Decretum anni 1598 poni novam dispositionem ; cum potius dicere debuissent per dispositionem posteriorum ann. 1602, 1630, 1642 etc., id fuisse emendatum, quod minus recte, vel non satis clare in Decreto anni 1598 habebatur expressum?

14. Quoniam vero in altero ex praefatis Decretis legitur : *a Tabernaculo nunquam extrahatur,* dictio illa *nunquam* angit Cavalerium (ibidem Decret. 9) qui propterea fateri cogitur eamdem seorsim spectatam ita esse accipiendam, ut absolutam negativam importet ; et nullo tempore, nulla ex causa, nulla occasione modum alterum teneri posse significet : ne tamen ab opinione sua recedere videatur, simulque conciliet disiunctivam, quam exhibet Decretum anni 1598, late magis interpretandum vult dictionem illam pro *non,* ita ut viam alicui limitationi non praecludat. Quae autem sit vis arbitrariae huius interpretationis, inquirere non est opus. Si Grammaticos appellare vellem, inveniretur forte nemo, qui ei plauderet ac mecum non conveniret, quod in hoc casu dictio *nunquam* in suo proprio et genuino sensu accepta et a contextu non divulsa, nil aliud significare potest. nisi : *nullo casu, nullo tempore, nulla occasione, nullius arbitrio.* Quid tamen prodest in hac inani quaestione de unius verbi significatione immorari, dum certum est posteriora Decreta, quae Ecclesiae instituto et universali maiorum praecipue Ecclesiarum praxi sunt conformia, prioribus derogare? Quamobrem improbanda videtur illorum licentia, qui sibi ius arrogant, qualibet ex privata causa, vel etiam uno devotionis motivo, extrahendi a Tabernaculo velatam Pyxidem, ut cum ea benedictionem populo impertiantur. Abusus certe intolerabilis et omnino eliminandus. Si hoc fieri nequeat, ne pusillis detur offensionis occasio, certis tamen legibus cohibendus erit et intra quosdam confines continendus; quia, si id in arbitrio relinquatur, multa venient incommoda cum non levi religionis et cultus detrimento.

15. Quatenus vero non omnino recedendum esse quis vellet a Decreto anni 1598, quo iuxta Cavalerii opinionem, permitti videtur Sacrae velatae Pyxidis extractio et extra Tabernaculum expositio ; esset eadem collocanda in throno sub umbella, quemadmodum fit, dum Sacramentum exponitur in Ostensorio velato. Hoc tamen vetitum omnino est, utpote admissis ritibus et Romanae Ecclesiae consuetudinibus repugnans. Audiendus Benedictus XIV in laudata Instructione 30, num. 16 : « Penitus interdicitur Sacram Pyxidem ob privatam causam extra Tabernaculum efferri, ac velatam sub umbella collocari ; cum nullum huius ritus vestigium apud Scriptores nullaque Sedis Apostolicae consuetudo deprehendatur , quam sequi omnino debemus ». Igitur si Sacra Pyxis in throno non est collocanda; nec erit extra Tabernaculum exponenda.

Quamobrem firmum immotumque stat, quod ex causa privata non licet e Tabernaculo educere Sacram Pyxidem ac proinde nec cum eadem benedictionem populo impertiri.

16. Haec est regula, haec Apostolicae Sedis consuetudo pluribus Sacrarum Congregationum decisionibus roborata. Attamen obiicies: non deesse pios quosdam, nec omnino indoctos viros, qui mordicus sustinent etiam in Expositione privata populum cum Sacramento Pyxide incluso esse benedicendum; imo et facto comprobare hi nituntur, quod perperam opinantur. Quas afferunt ipsi rationes, sunt: 1. Quia Rituale Romanum iubet benedici infirmum et populum in delatione Viatici, si supersit in Pyxide aliqua particula; et idcirco ad Ecclesiam regressus fiat. 2. Quia in quamplurimis Urbis Ecclesiis ea invaluit consuetudo. 3. Quia eadem nonnihil confert ad pietatem fovendam. 4. Quia Benedictus XIV, licet hanc consuetudinem sacris ritibus et ab Ecclesiae moribus alienam dicat, excipit nihilominus casum, quod forte aliquis maximae dignitatis vir quemadmodum Rex aut Regina, pietatis causa, eam benedictionem expeteret. 5. Demum, quia idem Pontifex, cum adhuc Episcopus et Cardinalis esset, facto suo ab ea, quam firmaverat, sententia recessit, indulgendo quod semel in die posset populus cum Sacramento in Pyxide velata benedici: non indiscriminatim in omnibus, verum in aliquibus Ecclesiis, quibus longaeva favebat consuetudo. Si bene sentio, hae similesque rationes ad tuendam eorum sententiam minime prosunt, ut mox ostendam.

17. Non valet prima ex Rubrica Ritualis desumpta. Hoc unum ad ponendum discrimen satis esse videtur, quod si deferendum sit Viaticum ad infirmos, Sacra Pyxis e Tabernaculo necessario educenda est. Decet proinde ac maxime convenit, ut Sacerdos, priusquam recedat ab infirmi cubiculo, cum Sacramento eum benedicat, quod et faciat erga populum in Ecclesia, priusquam Sacramentum in Tabernaculo recondat. Sed non eadem est ratio in simplici Expositione privata, in qua iuxta laudata Decreta, nequit Sacra Pyxis e Tabernaculo educi, neque ulla urget necessitas ut educatur. Verum qui ea se ratione tueri posse arbitrantur, res inter se omnino diversas mire confundunt. Non enim hic quaestio est: num liceat populum benedicere cum velata Pyxide, quod nemo negat, dummodo id fiat vel ex legis praescripto, vel permittente Ordinario; sed alia longe diversa, scilicet; num sit in privatorum arbitrio vel ex causa devotionis et pietatis, vel pro infirmo, aut pro alia particulari necessitate, nedum exponere intus apertum Tabernaculum velatam Pyxidem, verum etiam hanc educere ad populum cum benedictione dimittendum. Haec quaestio est, quam ipsa lex dirimit. Eadem actio, quae in aliqua circumstantia nedum permittitur, sed est etiam in praecepto, in alia prorsus diversa circumstantia ex eodem iure interdicitur. Sit equidem in se spectata, nedum licita, sed multa etiam digna commendatione; non erit amplius in arbitrio, si in quibusbam circumstantiis eam lex vetet. Itaque laudabile multum et rationabile est benedicere populum cum Sacramento. Si haec una spectetur actio, eam licitam esse quis inficiabitur? Sed non omnia, quae in se bona et sancta sunt, ut pro lubitu semper fiant, quia aliquando lex fieri iubet, laudabile et rationabile est. Ecclesiae regulae servandae sunt, quibus certus ordo opportune traditur in sacris functionibus obeundis omnino tenendus. Si quis ab hisce regulis suo arbitratu, devotionis et pietatis praetextu, declinat, reus violatae legis efficitur. Sed nimis fortasse immoratus sum in re, quae probatione non indiget.

18. Hinc, ut ad secundum progrediar, si mos in aliquibus Urbis Ecclesiis inductus privato hominum studio, quin publica accesserit auctoritas, obtinuisse fertur; quis non illum illicitum, irrationabile minimeque laudandum dixerit? Quae quidem censurae non in ipsam feruntur actionem, quae sancta est, verum in agentes, adversus quos leges urgent, dum vetant ac expresse nolunt ut fiat; iubendo ne Sacra Pyxis e Tabernaculo extrahatur: « cum novi ritus, inconsulta Sede Apostolica, permitti nequeant, licet pietatis aliqua causa adducatur » ut ad rem ait laudatus Pontifex d. Inst. 30, num. 23. Ideo enim Rituales Libri editi sunt, « ut ea, quae ex antiquis Catholicae Ecclesiae institutis . . . . ritibus ac Caeremoniis praescribuntur, ea, qua par est, diligentia ac religione custodiantur et ubique fideliter serventur »: ut legitur in Rituali Romano tit. 1: et novissime Benedictus XIII in Concil. Roman. tit. 15, cap. 1, expresse iubet, ut non pro libito inventi et irrationabiliter inducti, sed recepti et approbati Catholicae Ecclesiae ritus, qui, in minimis etiam sine peccato negligi, omitti

vel mutari haud possunt, peculiari studio ac diligentia serventur. Quamobrem Episcopis districte praecipimus, ut contraria omnia quae . . . . . irrepsisse compererint, detestabiles tamquam abusus et corruptelas prohibeant et omnino studeant amovere....; cum non quod fit, sed quod fieri debet, sit attendendum: et regula est non cantari, nisi quod legitur esse cantandum.

19. Quamquam huiusmodi mos quoad Urbem, antiquus certe non est et ad recentissima tempora referendus. Testem appello, quo nemo praestantior. Is est Benedictus XIV, qui in laud. Institutione ibidem damnans morem, quem obtinuisse deprehendit Bononiae, ubi pluries eadem die benedictio cum Sacra Pyxide populo, impertiri solebat, ita prosequitur: « Nullum de hoc ritu documentum deprehendimus... ne Romae quidem, quae sacrorum rituum Magistra merito appellatur, id fieri consuevit, nisi forte maximae dignitatis vir, quemadmodum Rex aut Regina, pietatis causa, eam benedictionem expeteret. Quamquam nos plusquam viginti annis Sacrae Rituum Congregationi adfuimus, tamen a praecipuo eiusdem Ministro consilium super hac re poscere non praetermisimus, qui hanc consuetudinem omnino interdicendam respondit etc. ». Nondum igitur ea tunc consuetudo invaluerat; sed nec inducta est postea, tempore scilicet, quo ipse in Petri Cathedra sedit, ut plane consequitur ex laudata eius Epistola, quae data fuit anno 1755, praesertim vero ex verbis, quae recitavimus supra num. 12. Secus enim, si ad eius aures pervenisset, quod in aliquibus Urbis Ecclesiis id fieret, quod per Decreta Sacrarum Congregationum, a Summis Pontificibus probata, erat omnino vetitum, coerceri Rectorum licentiam demandasset. Ipse enim est, qui fretus Concilii Tridentini Canone 13, sess. 7, *de Sacrament. in genere* dixerat, ibidem § 12: « Neque enim fas cuique esse debet privata auctoritate, vel ex verae etiam devotionis zelique affectu novum ritum inducere . . . et quoties aliquem ritum eiusmodi induci contingit, etsi nihil continentem pietati et religioni oppositum, Apostolica Sedes eumdem ipsum interdicere non dubitavit ex quibusdam extrinsecis circumstantiis nullatenus praevisis, vel neglectis ab eo qui ritum invexit ». Et ideo ipse reprobavit factum Sacerdotis, qui zelo ac pietate motus, non se continuit intra ecclesiasticarum legum confines, sed Sacram Pyxidem e Tabernaculo extraxit et e conspectu incendii benedictionem populo fuit impertitus: in eum non animadvertendum iussit, excusando intentionem; ne tamen exemplum ad similia viam panderet, mandavit Cardinali Urbis Vicario, ut peculiari edicto provideret ne quid simile in posterum fieret: « cum haud iustum et aequum sit, ut, quae sunt minus recte gesta, conniventia invalescant, iteratisque actibus quamdam veluti legitimae spectabilisque consuetudinis speciem obtineant ». Ibidem § 27.

20. Si qua igitur consuetudo in quibusdam Urbis Ecclesiis inducta est, ea certe posterior est aevo Benedicti XIV et ad finem seculi decimi octavi amandanda. Quod si velis eamdem initium iam ante habuisse in una alterave Ecclesia; fateberis etiam privatorum arbitratu et studio, insciis Praesidibus, clanculum in aliqua ex minoribus Ecclesiis incepisse; et postea, ut saepenumero accidit in rebus quae sub pietatis specie populum alliciunt, sensim sine sensu ad alias propagatum fuisse. Quamobrem, seclusa lege quae eam prohibet, nec obtinere posset vim illam, quam immemorabilibus, dummodo quaedam conditiones concurrant, iura concedunt. Abusus est, qui facile induci potuit simul ac aliqui ex eorum numero, qui pietatem consulunt, non legem, sibi persuaserint se honorem Deo reddituros. Quum enim, ut notatum iam fuit, pro Expositione privata Ecclesiastici Praesulis licentia necessaria non sit; facile est ut paulatim transvectis terminis liberae facultatis, ad ea transitus fiat, quae a lege non permittuntur, quin ad aures Superioris id perveniat. Non valet argumentum: non obstante lege vetante, in Urbe fit; ergo licet et fieri potest. Probandum primum est, quod legitime fiat, quod non privata auctoritate fiat, aut saltem, quod consuetudo eas habeat conditiones, ut legi scriptae valeat derogare. At legitimum illud non est, quod licet esset ceteroquin laudabile, arbitrarie tamen a privatis contra legem fit; nec proinde eam inducere potest consuetudinem, quae nullo infecta vitio vere rationabilis sit et tuto sine formidine retinenda; nam, ut habet Textus in Cap. *Erit autem, dist. 4, consuetudo, deficiente ratione, est omnino extirpanda.*

21. Nec valet effugium, quod huiusmodi consuetudo nonnihil confert ad fovendam pietatem. Ita sit. Quid tum postea? erit ne ergo hac de causa in privatorum arbitrio a prudentissimis illis sanctissimis-

que legibus recedere, quas Ecclesia mature constituit pro sacris functionibus rite decenterque obeundis? Absit ut quis ita secum reputet: nam, ut verbis utar Bissi litt. R. num. 90, § 2: « maior devotio apparet in observandis iis, quae praecipiuntur, quam privata auctoritate pervertere ordinem sanctissime traditum ». Verumtamen longe a veritate aberrant, qui censent istiusmodi morem multum conferre ad pietatem fovendam. Tantum hoc distat a vero, ut imo potius timendum sit, quod, deficiente extrinseco illo apparatu ad decentiam composito, qui ad conciliandam reverentiam sacris functionibus est apprime necessarius, pietas decrescat et non supersit, nisi quaedam pietatis umbra. Certum quippe est, quod si privatorum arbitrio daretur in Ecclesiae functionibus novas actiones novosque inducere ritus, propterea quod novae actiones novique ritus idonei videntur ad fovendam pietatem devotionemque excitandam; innumera venirent incommoda cum maximo religionis et cultus detrimento. Finge, quod Ecclesiarum Moderatoribus et Sacristis, ut licet privatе exponere Sacram Pyxidem, aperto Tabernaculo, liceat etiam populum cum eadem benedicere, quoties libuerit; quis non videt abusus, qui sensim sine sensu orirentur? Sola frequentia in privatorum arbitrio posita, nulla coercita lege, abusus est, quem proinde Benedictus XIV adhuc Cardinalis ab Ecclesiis suae Dioecesis eliminandum duxit. Ex hoc tamen sequerentur alii multo graviores. Facile esset adinvenire nonnullos forte pios, sed in Sacrorum Rituum scientia minime versatos, qui qualibet ex causa, qualibet occasione, ad cuiuslibet instantiam, fas sibi crederent Tabernaculum aperire et, vix lecta oratione, Pyxidem extrahere et populum benedicere, sine Ministris, sine sufficienti luminum copia, sine thure, verbo dicam, sine ulla decentia. Id autem evenire posset quinquies, septies, decies et amplius etiam in die. Id si fieret, dignum forte videretur plebeculae, foemellis ac iis omnibus qui non sapiunt: verum hominibus vera pietate praedictis et sacris scientiis excultis offensionem afferret et scandalum; imo incredulis et religionis osoribus Sacra nostrae Fidei Mysteria irridendi occasionem praeberet. Ne talia acciderent et consultum decentiae foret, iure merito ecclesiasticae leges statuerunt, ut quamvis in Ecclesiarum moderatorum arbitrio sit Expositio privata; hoc tamen arbitrium quibusdam sit circumscriptum limitibus; nec, sub pietatis praetextu, negligi possunt appositae conditiones, quae sunt, ut Sacra Pyxis e Tabernaculo non extrahatur, ut sex saltem luceant faces et aliquis Sacerdos superpelliceo et Stola indutus continuo Orationi incumbat.

22. Equidem Benedictus XIV excipit casum, quod forte magnae dignitatis vir, ut Rex aut Regina eam benedictionem expeteret. Hac posita exceptione, quis arbitrabitur (ut ego non semel audivi) per eamdem confirmari et licitum haberi ritum benedicendi cum Sacra Pyxide in Expositione privata; quia si huiusmodi ritus tanti Sacramenti maiestati non conveniret, aut ab ecclesiasticis legibus penitus esset interdictus, nec, summis Principibus poscentibus, permitteretur? Ita ne vero? Si huiusmodi argumentandi ratio valeret, quaeque pro lubitu possent ad actum deduci, quia in se spectata bona et licita sunt, etsi in quibusdam circumstantiis legibus interdicta, quo nil fingi potest rectae rationi magis repugnans. Posset hinc (ne ab eo, quod nostri instituti est, discedamus) publice etiam Sacramentum exponi, non petita Presidum venia, quia Sanctissimi Sacramenti Expositio in se spectata bona et licita est, pietatem fovet et excitat fidelium mentes ad maximum religionis et caritatis Mysterium recolendum; nec tamen haec ratio prodest, quia lex iubet ne fiat, nisi cum ecclesiastici Praesulis licentia.

23. Hinc praeterquamquod axioma iuris est, quod exceptio firmat regulam in contrarium; praeterquamquod etiam erronea est ratio in hac facti specie ab exceptione petita; id profecto fingitur quod in quaestione non est, ut illud firmetur quod ecclesiasticis legibus repugnat. Non enim illicitum dicimus benedicere populum cum Sacra Pyxide, si actio ipsa seorsim a lege in se spectetur: secus enim corrigenda esset rubrica Ritualis de communione infirmorum: non licere contendimus in Expositione privata, quia lex est ne fiat. Nonne liberum Ecclesiae est admissos probatosque usus ad praecavenda mala et impediendos abusus in quibusdam circumstantiis interdicere, quos et permittit et etiam iubet in aliis, in quibus non eadem obversantur incommoda? Licet propterea magno Principi postulanti benedictionem cum Pyxide satisfacere, quia Ecclesia id indulget: non licet in Expositionibus, quae pro causa privata moderatorum Ecclesiarum arbitrio fieri permittuntur, quia eadem Ecclesia id prohi-

bet; etsi in utroque casu actio in se spectata licita et sancta sit. Siquidem in primo casu, qui rarissime evenire potest, nihil est timendum, quod religionem et necessariam decentiam laedat; non ita in altero, quia in privatorum arbitrio non est relinquenda actio ceteroqui sanctissima, ne exinde oriantur mala, abusus, incommoda, quae supra commemoravimus. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt,* aiebat Apostolus. Dicam ego: licet equidem populo benedictionem impertiri cum SSm̃o Sacramento, sed non expedit ut semper, qualibet data occasione, quacumque de causa, indiscriminatim fiat. Modus servandus est, tenendus est ordo, nec discedendum ab iis regulis est, quas tanta cum maturitate et sapientia conditas Ecclesia praescribit. Nam si in publicis sacris actionibus valeret argumentum: *licitum est et sanctum: ergo privatorum etiam arbitrio fieri potest;* inutiles evaderent rituales libri, Sacrarum Congregationum Decreta deleri possent et, Ecclesiae auctoritate pessumdata, omnia sacra susdeque verterentur. Id igitur firmum immotumque stat, quod, attenta regula generali, Expositio ex causa privata fieri potest sine speciali Ordinarii licentia; sed non licet Pyxidem ex Tabernaculo extrahere et cum ea benedicere populum: quia unum ecclesiasticae leges permittunt, alterum prohibent.

24. Demum ad id venio, quod postremo obiicitur de facto Benedicti XIV qui, etsi ritum benedicendi cum Pyxide alienum esse ab Romanae Ecclesiae consuetudine docuisset; nihilominus, ut semel in die aliquibus in Bononiae Ecclesiis fieri posset, indulsit. Porro quid ex hoc consequi poterit? Non aliud, nisi quod Ordinariis adempta non est facultas relaxandi legis rigorem, si id ipsis, attentis circumstantiis, magis videatur expediens: non autem consequitur, quod ex hoc facto in arbitrio privatorum quandoque sit id facere, quod est lege vetitum: quinimo sapientissimi Antistitis factum ostendit planeque evincit, quod huc usque demonstrare adnisi sumus: videlicet, morem illum illicitum evadere, quia legibus vetitum: hinc in privatorum arbitrio non esse relinquendum; posse tamen ad actum deduci, si loci Ordinarius opportunam facultatem concedat. Ita enim Bononiae se gessit laudatus in sacrorum rituum scientia nemini secundus Antistes doctissimus Lambertinus, qui, cum agnovisset morem inductum benedicendi populum cum Pyxide omnino tolli haud posse sine fidelium offensione et scandalo, licentiam privatorum coercendum duxit, sed simul potestatem fecit, ut in Ecclesiis, quibus antiqua consuetudo favebat, fieri id posset semel tantum in die. Verumtamen ut religioni et decentiae consuleret, modum praescripsit in sacra illa actione omnino servandum poenasque comminatus fuit adversus illos, qui secus facerent: « Verum (en eius verba) ne eadem pietas imminuenda sit etiam ob eam rationem, quod idem crebro repetatur (agnoscebat pietatem potius imminui, quam foveri ex eo more ut nos supra innuimus) decernimus, ut benedictio solum in illis Ecclesiis populo impertiatur, quae veterem huius rei consuetudinem tenent, (nota, quod relate ad alias non interdicit Expositionem privatam, sed vetat solummodo morem benedicendi) caveantque, ut semel tantum in eumdem diem id perficiant; delinquentes nostro arbitrio plectemus. Curent quoque omnia diligenter fieri, ita ut duo saltem Clerici superpelliceo induti cereos vel intortitia manu praeferant ardeantque reliqui cerei, qui super Altari in Candelabris statuuntur: d. Instit. 30, num. 23 ». Itaque sapientissimus Antistes, interdicto primum more, quem privatorum studio in suae Dioecesis Ecclesiis inductum repererat, concessa postmodum, sub quibusdam conditionibus, aliquibus tantummodo Ecclesiis facultate benedicendi populum cum Pyxide, facto ostendit ad hoc opus Ordinarii licentiam esse necessariam. Atque hoc illud est, quod nos tuemur.

25. Quaerendum superest num in Expositione privata Sacramentum in Pyxide velata absconditum thure sit adolendum? Adfirmat Cavalerius loc. cit. Decret. 9, num. 6, inquiens: « Expositio et repositio huiusmodi, quamvis Sacramentum e Tabernaculo non extrahatur, fiet ritu ordinario, nempe cum incensatione, genuflexionibus aliisque etc. et post Orationem consuetam SSm̃i Sacramenti, addi poterit collecta pro ingruenti necessitate ». Cl. Scriptoris sententiae libenter adhaereo. Nam quocumque modo fiat Expositio, eidem semper est honor qui reddi Sacramento debet.

26. Ex his autem, quae huc usque sunt disputata, breviter colligimus quae consequuntur. Primum, firmatur regula generalis, quod in Expositione privata non licet Sacram Pyxidem e Tabernaculo extrahere et cum ea benedictionem populo impertiri. Secundum, si privata auctoritate secus fiat, actio per se licita, illicita evadit, non ex

natura sui, quae semper eadem et sancta est, sed ex Ecclesiae legibus, quae potissimis de causis in quibusdam circumstantiis eam interdicunt. Tertium, si in aliqua Ecclesia vigeat contraria consuetudo, haec probanda est ab Ordinario; qui, si agnoscat eam abrumpi non posse sine populi offensione et pietatis detrimento, poterit ipse opportunam facultatem concedere. Quartum, quo in casu, non est relinquenda in arbitrio id agendi facultas, toties quoties videbitur, qualibet data occasione, in eadem die; sed indulgendum, ut solummodo fieri possit semel in die, vel etiam rarius, prout Ordinarius, attentis circumstantiis, magis expedire iudicaverit. Quintum, praescribendus est modus, ut religioni et decentiae satis consultum sit. Sextum, nunquam permittendum ut Pyxis loco Ostensorii in Throno collocetur, quia id Sanctae Romanae Ecclesiae consuetudinibus adversatur. Septimum, indicenda sanctio poenalis adversus inobedientes. Itaque si Ordinarii locorum, ob longaevam consuetudinem, vel ob aliam laudabilem ac rationabilem causam, opportunum ducant licentiam impertiri benedicendi populum cum Pyxide in Expositione privata, nimis liberales non sint, parce hac facultate utantur, prius circumstantias omnes expendant, quid magis conferat ad cultus splendorem et augmentum considerent, decentiae et religioni providis legibus consulant et provideant, ne quid fiat ultra limites concessionis, neve invalescant abusus.

§ XXXVII.

« Finalmente si comanda espressamente,
« che tutti e singoli i sopradetti ordini si
« debbano inviolabilmente osservare; e che
« si obbedisca esattamente, per quello che
« potesse occorrere di più, al nostro Depu-
« tato sopra le quarant'ore, sotto la pena agli
« Maestri di ceremonie, che assisteranno alle
« funzioni, se non saranno adempite esat-
« tamente tutte le ceremonie ed i riti pre-
« scritti; i quali Maestri di ceremonie de-
« vono essere almeno in Sacris, tanto in que-
« sta, che in ogni altra funzione solenne,
« secondo il Ceremoniale de' Vescovi lib. 1,
« cap. 5: ed agli trasgressori respettivamente
« de' suddetti ordini, di scudi dieci d'oro da
« applicarsi a luoghi pii: ed alli Regolari,
« della privazione di voce attiva e passiva,
« di carcere e di altre pene maggiori ri-
« servate a nostro arbitrio; dichiarandosi,
« che in difetto dell'osservanza, si proce-
« derà più rigorosamente contro li Supe-
« riori e Sagrestani delle Chiese, alli quali
« appartiene, più che ad ogni altro, la buona
« regola e cura di esse ».

« Dato dalla nostra residenza questo
« dì 1 Settembre 1731.

« P. Cardinal Vicario.
« Carlo Guazzuglia Deputato.

« Nicolò Antonio Canonico Cuggiò Se-
« gretario ».

1. Explicit *Instructio* et nos etiam hisce nostris commentariolis finem imponimus. Nihil enim occurrit in postrema hac *Instructionis* parte, quod ulteriora studia requirat. Generalis hic lex poenalis indicitur, quae omnes complectitur regulas in superioribus §§ enumeratas; unde colligimus propositum Pontificis iubentis fuisse, quod tradita methodus tanto cum rigore in posterum servanda foret, ut nemini liceret ab ea tantillum declinare. Haec tamen poenalis lex, ut de aliis in Instructione contentis notavimus, ultra Romanae Urbis fines non extenditur; normam tamen praebere potest Episcopis, qui ut ad eamdem se discrete conforment, laudabile est. Dixi *discrete,* quia non ubique possibile est in omnibus eamdem rationem adamussim sequi. Quamobrem Ordinarii locorum, servatis regulis quae communes omnibus sunt, in reliquis eas possunt et debent apponere conditiones, quas magis profuturas esse cognoverint, iuxta locorum, temporum ac personarum circumstantias, ut simul decentiae debitaeque venerationi consultum sit; ac opportune provisum, ne inducantur abusus.

2. Isthaec autem poenalis lex, etsi adversus omnes inobedientes indicta sit, afficit primo Ecclesiarum Moderatores et Sacrariis Praefectos, quibus praesertim incumbit onus invigilandi, ut cuncta ad formam legis exigantur; nec praeterit Caeremoniarum Magistros, quorum praecipuum munus est curare, ut in sacris functionibus praescripti receptique ritus serventur. Vult autem *Instructio,* ut hi saltem sint in Sacris constituti veluti praecipit *Caeremoniale Episcoporum lib. 1, cap. 5,* ubi sic Rubrica disponit: « Duo eligantur Caeremoniarum Magistri, quorum alter Sacerdos sit . . . . alter vero iunior Subdiaconatus saltem Ordine insignitus ». Equidem lex dicta est pro Cathedralibus;

nihilominus extenditur, aliqua cum moderatione, etiam ad alias Ecclesias pro functionum diversitate, ita ut Clericus in Sacris constitutus praeesse debeat ecclesiasticis caeremoniis in solemnioribus functionibus, praesertim vero in Expositione et Repositione SSm̃i Sacramenti pro Oratione Quadraginta Horarum, in Solomnitate SSm̃i Corporis Christi et similibus ; quin vetitum sit, quod Clericus in minoribus assistat aliis functionibus, quae minus habent celebritatis. Non obscure id innuit *Instructio* sacrum Ordinem requirens : « tanto in questa, che in ogni altra funzione solenne ». Difficile etiam esset in minoribus Ecclesiis, dum Sacrae peraguntur functiones, pro his dirigendis semper habere aliquem Sacerdotem, vel Clericum Subdiaconatus saltem Ordine decoratum. Parum tamen interest de hac re plura loqui, cuius obiter meminit *Instructio*.



INDEX

DE INSTRUCTIONE ORATIONIS QUADRAGINTA HORARUM.

§ I.

§ II.

§ III.

duntur. Hinc videtur Benedictus XIV morem hunc, quem Bononiae reprobaverat, quoad Urbem tacite saltem admisisse. *p.* 13.

13, 14, 15 et 16. Reprobatur mos alicubi inductus canendi versiculos vespertinis horis in Oratione quadraginta horarum. *pag.* 13 et 14.

17. Tolerari posse videtur in extraordinariis expositionibus, quae interdum fiunt post Dominicas Sexagesimae et Quinquagesimae. *pag.* 15.

§ IV.

1. Illicita est expositio sacrarum Reliquiarum in Altari, in quo patet Sacramentum. Hac de re S. R. C. Decretum. Minus accurata Gavanti expressio causam dat opinioni contrariae. *pag.* 15.

2. Gavanti sensus et verba declarantur. *pag.* 16.

3. Permittuntur simulacra Angelorum, qui luminaria sustineant. Opinio Cavalerii, quod non licet uti mediis figuris ex Sac. Scriptura depromptis cum distinctione amplectenda. Non obtinet in expositione, quae fit ad instar Proscenii, dummodo nihil sit, quod minus conveniat. *ibid.*

4. Exemplum affertur expositionis, quae fit quotannis triduo Sexagesimae Romae in Oratorio S. Mariae Pietatis. *ibid.*

5. Regula de non apponendis Reliquiis generalis est, et ad omnes expositiones extenditur. Forte excipienda est expositio privata, quae fit, aperto solummodo Tabernaculi ostiolo. Congrueret non apponere Reliquias in Altari, in quo asservatur Sacramentum. *ibid.*

6. Non apponendae Imagines animarum purgantium, etiamsi expositio fiat in earumdem suffragium. *pag.* 17.

7. Nec quid lugubre apponendum per totum Sacelli ambitum. *ibid.*

8. Decretum S. R. C., quod id confirmat. Festiva sint omnia oportet, quae directe Sacramento inserviunt, ut fit Feriis V et VI maioris hebdomadae. *ibid.*

9. Si expositio fiat pro defunctis festive ornato Sacello, in quo eminet Sacramentum, possunt parietes Ecclesiae vestiri nigris pannis, et imaginibus mortuorum. *ibid.*

10. Novissimum Decretum S. R. C., quo id luculenter declaratur. Mos reprobatur exponendi Sacramentum in privatis exequiis. *ibid.*

11. Ex Scriptorum auctoritate, Ecclesiarum praxi, Decretis S. R. C., declaratur sensus postremae partis huius sanctionis coniungendae cum praecedenti. *pag.* 18.

§ V.

1. Thronus seu Tabernaculum pro Sacramento exponendo eminenter assurgat. Eiusdem ornatus sit Sacrae Eucharistiae conveniens. *pag.* 18.

2. Tabernaculum a Throno distinguitur. Ne apponatur, ubi magnum imminet baldachinum, vel sustentatum columnis, vel e laqueario pendens. Quantum eminere debeat Thronus seu Tabernaculum, nequit certo determinari. *ibid.*

3. Albi coloris sint, quae immediate Sacramento inserviunt. Festivus parietum ornatus, sed non determinati coloris, dummodo nihil exhibeat profanum. *pag.* 19.

4. Corporale extendendum supra throni basim. Licet etiam adhibere Pallam. Olim solum Corporale in usu erat : postea Palla invecta. *ibid.*

5. Ideo Corporale et Palla promiscua nomina. *ibid.*

6. Nihil apponendum, per quod Sacramenti impediatur aspectus. Decretum S.R.C. vetans retentionem vasis cum floribus ante Tabernaculum, in quo asservatur Sacramentum. *ibid.*

7. Ostensorium seu Custodia in sensu Instructionis idem significant. Cavalerii sententia explosa. Quid antiquitus veniret nomine Custodiae. *pag.* 20.

8. Auctoritas S. Gregorii Thuronensis et exemplum S. Clarae Cavalerio non prosunt. Antiquitus non exponebatur Sacramentum detectum. *ibid.*

9. Ante Urbanum IV in expositionibus sola patebat Custodia, intus latente Sacramento. Probatur exemplo S. Clarae; a pictorum licentia argumenta contraria desumenda non sunt. *ibid.*

10. Circa aevum Urbani IV invecta Vasa monstrantia. *pag.* 21.

11. Auctoritas Thiersii. *ibid.*

12. Aevo S. Caroli Borromaei aliqua antiqui moris adhuc supererant vestigia, et Tabernaculum cum Sacramento collocabatur in Altaris mensa oblongo velo tectum. Forte nondum in usu erat baldachinum. *ibid.*

13. Postmodum mos invaluit efformandi monstrantia ad formam radiatae Spherae, et hanc collocandi sub baldachino in expositionibus pro causa publica, opertam velo pro causa privata. *ibid.*

§ VI.

§ VII.

§ VIII.

3. Quaerendus modus arcendi canes ab Ecclesia, qui non levem afferunt orantibus perturbationem. *ibid.*

§ IX.

1. Exposito SSmo Sacramento quacumque ex causa, aliqui e Clero persistere debent in oratione ad Aram cum superpelliceo, etsi Regulares sint. *pag.* 31.

2. Etiamsi solum pateat Sacra Pyxis. Decretum S. C. Episc. et Regul. *pag.* 32.

3. Regula haec ubique servanda. Orantes vel Sacerdotes sint, vel in Sacris constituti. His deficientibus, suffici poterunt Clerici in minoribus. Non repugnat, quod adhibeantur Laici Conversive Regulares. Duorum vel unius saltem assistentia praecipitur. *ibid.*

4. Sac. Rit. Congregatio edixit Sacerdotes et Clericos superpelliceo indutos, etiam extra Urbem, assistere ex decentia debere ad formam legis quae Romae viget. *ibid.*

5. Certa tamen regula dari nequit pro omnibus locis. Episcopi consulere debent cultui Sacrae Eucharistiae debito. *pag.* 33.

6. Si desint Clerici, ut accidit in parvis oppidulis, non ideo omittenda est expositio ; dummodo laici numquam ab assistentia et oratione deficiant, et caetera non desint ad sacram illam actionem necessaria. *ibid.*

7. Superpelliceum semper adhibendum. Cavalerii sententia explosa. Decretum Congregationis Episcoporum et Regularium. *pag.* 34.

8. Instructio nihil habet de Stola. Adhibendam non esse censent Cavalerius et Tetamus in Urbe. Praxis contraria. Sacerdotes orantes Stolam deponunt, si Pontifex ad venerandum Sacramentum veniat. *ibid.*

9. Stola non semper est signum iurisdictionis, sed habetur ut distinctivum dignitatis Sacerdotalis. *ibid.*

10. Parochi, etiam praesente Pontifice, ex indulto *Benedicti XIV,* in publicis supplicationibus Stolam deferunt. Pontifex semper defert Stolam, non ut Urbis Episcopus, sed ut Pastor universi Orbis. *ibid.*

11. Instructio vetat usum Stolae Concionatoribus, non item orantibus ante Sacramentum. *pag.* 35.

12. Si adsit aliqua laicalis Sodalitas, debent confratres assistere, vicissim in oratione succedentes. Scamnum pro his parandum extra Presbyterium. Lex non extenditur ad laicos regulares, qui superpelliceo induti possunt assistere in scamno intra Presbyterium. *ibid.*

13. Ornatus scamni pro Ecclesiasticis nobilior illo adhibendo pro scamno laicorum. *pag.* 36.

14. Scamnum pro Ecclesiasticis locandum in plano Presbyterii. *ibid.*

15. Ecclesiastici etiam noctu orare debent. Laici lege non tenentur. *ibid.*

16. Quod Instructio disponit de Sodalitatibus, extendi debet ad Moniales atque ad Virorum et Mulierum Collegia. *ibid.*

17. Sententia Cavalerii de hac re cum distinctione admittitur. *ibid.*

§ X.

1. Horologium retinendum in Sacristia ad designandas horas, ut, qui assistere debent, congruis distributis temporis spatiis, vicissim in oratione succedant. *pag.* 37.

2. Ad singulas horas, maioris campanae levi et intercisa pulsatione signum dabitur, ut parati sint qui debent ad orandum accedere. Nemo se ab hoc religionis actu dispenset. Affigenda in Sacristia tabella distributionis horarum. *ibid.*

§ XI.

1. Festivus campanarum sonitus celebritatem praenuntiet. *pag.* 37.

§ XII.

1. Missae non celebrandae in Altari expositionis, praeter duas solemnes pro expositione et repositione. Regula S. Caroli Borromaei peculiaris pro Ecclesia Mediolanensi, ubi physice et non moraliter quadraginta horae numerantur, et Missa expositionem non praecedit. *pag.* 38.

2. Decreta S. R. C., quae vetant celebrationem Missae in Altari expositionis. *pag.* 39.

3. Alterum ex his Decretis erronee a Cavalerio relatum genuinae lectioni restituitur. *ibid.*

4. Praefata Decreta ut generalia habenda sunt, et solum casum necessitatis excipiunt, *ibid.*

5, 6 et 7. Quae sit necessitas, propter quam liceat a regula declinare. *pag.* 40.

8. Missa solemnis expositionis et repositionis debet esse votiva de Sacramento, exceptis diebus, qui ab Instructione notantur. In his cantanda Missa de die cum commemoratione Sacramenti sub unica conclusione. *ibid.*

9. Si celebretur de currenti in die Do-

§ XIII.

§ XIV.

§ XV.

soluta, sed relativa; aliqua tamen solemnitas necessaria pro ratione locorum, ut liceat Missam votivam pro re gravi celebrari. *ibid.*

§ XVI.

1. In Missis privatis cessandum est a pulsatione tintinnabuli. Ratio. *pag.* 52.

2 et 3. Cavalerius existimat pulsandum esse in Missis solemnibus, quae celebrantur ad Altare Expositionis. *ibid.*

4. Signum cum campanula dandum, dum Sacerdos progreditur ad Altare Sacrum facturus. *pag.* 53.

5. Congruit quod nec in Missa solemni pulsetur tintinnabulum. *ibid.*

§ XVII.

1. Tempore expositionis Missae de requiem non celebrandae. *pag.* 53.

2. Id iam edixerat S. R. C., priusquam prodiret Instructio. Cavalerius cum aliis censet haec Decreta non ad omnes casus extendi. *ibid.*

3. Reiicitur eiusdem sententia; et si quid ambiguum forte est in praefatis Decretis, per novam Instructionem declaratur. *pag.* 54.

4. Eadem S. C. posteriori Decreto, permittens Missas de requiem in Altaribus minoribus, dummodo expositio non sit pro publica causa, seipsam explicat et adhaeret Instructioni. Tria ex hoc ultimo Decreto consequuntur. *ibid.*

5. Fatetur Cavalerius rigidiorem esse Instructionem, nihilominus suae tenax opinionis, excipit duos casus: Missam nempe conventualem die prima mensis non impedita, et aliam in Commemoratione omnium defunctorum. *ibid.*

6. Excipiendam non esse Missam conventualem ex ipsis Instructionis verbis evincitur. *ibid.*

7. Nec Rubrica urget; quia, cum expositio solemnissima sit, secum fert impedimentum, quominus Missa de requiem celebretur. *pag.* 55.

8. Si nec Missa de Requiem celebranda est pro humando cadavere, multo minus cantanda erit Missa conventualis. *ibid.*

9. Cavalerii argumenta pro Missis de requiem in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum. *ibid.*

10. Recens Decretum S. R. C., quod ei favere videtur. *pag.* 56.

11. Decretum exponitur, et permissivum tantummodo esse demonstratur. Impedita ea dies censenda est. Neque animabus defunctorum ullum praeiudicium venit, cum triduo expositionis omnia Altaria sint privilegiata. *ibid.*

12. Eadem S. R. C. binis Decretis transferri iussit Festa Sanctorum occurrentia in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum; quia aliquam adiunctam habebant solemnitatem. *ibid.*

13. Quaeritur: Curnam de iis potius fieri Officium non edixerit cum Missis de Requiem? Decidendi ratio desumitur a solemnitate, quae cum luctu non componitur. *pag.* 57.

14. Oratio quadraginta horarum magnam habet solemnitatem, sed nequit transferri; hinc potius transferenda videtur commemoratio pro defunctis. *ibid.*

15. Nec celebrandae Missae de requiem in solemnibus SSmi Sacramenti expositionibus, quae fiunt per octiduum pro defunctis. *ibid.*

16. Methodus, quae servatur in Urbe. Precationes pro defunctis faciendae, reposito Sacramento. Intelligitur de publicis, non de privatis. *ibid.*

17. Si Missae privatae votivae celebrentur, exposito Sacramento, nullo gaudent privilegio. *pag.* 58.

18. Sanctio de Missis votivis privatis facultativa est, non praeceptiva. *ibid.*

19. Cavalerii doctrina. *ibid.*

20. Licet Missas votivas Sacramenti celebrari, dum easdem Rubrica permittit. In aliis diebus fiat tantum commemoratio, quatenus hanc ritus admittat. *pag.* 59.

21. Commemoratio Sacramenti praeceptiva est quoad Urbem; sed subintelligitur conditio: quatenus Ritus qualitas non repugnet. *ibid.*

22. Quae conditio eruitur etiam ex Decretis S. R. C. *ibid.*

23. Ea conditio fertur ad Festa 1 vel 2 class., non autem ad Dominicas 1 vel 2 class. ac Ferias privilegiatas, quae admittunt plures Orationes. *pag.* 60.

24. Haud fieri potest commemoratio in Dominica Palmarum, et vigiliis quae unicam habent Orationem. *ibid.*

25. Haec commemoratio facienda post praescriptas a Rubrica in solis Missis privatis. Alia est Instructionis regula quoad solemnes. *ibid.*

26. Hinc in Missis privatis Orationes, licet sint ad libitum, praeferendae sunt commemorationi de Sacramento. *ibid.*

27. Ratio, cur Oratio a Superiore praecepta dici nequit ad libitum. *pag.* 61.

28. Non omnes Orationes ad libitum

commemorationi praeceptae praeferendae sunt, sed tantum illae, quae sunt in praecepto, licet possit Sacerdos unam potius quam alteram seligere. Quod si is pro arbitrio alias addere velit, dum Rubrica permittit, prima erit de Sacramento. *ibid.*

29. Commemoratio quoad Missas solemnes. In Urbe servanda Instructio. Quid extra Urbem? *ibid.*

30. In rem hanc afferuntur Decreta S.R.C. *ibid.*

31 et 32. Curnam praefata Decreta ponant commemorationem post omnes Orationes de praecepto, et Clementina Instructio eam coniungat Orationi de currenti? Ratio discriminis. *pag.* 62.

33. In arbitrio Celebrantis est addere hanc commemorationem in aliis expositionibus. *ibid.*

34. Non est addendum Symbolum ratione Sacramenti expositi. *ibid.*

§ XVIII.

1. Ex quatuor coloribus, quos Ecclesia admittit, albus proprie convenit Eucharistiae. *pag.* 63.

2. Si Missa sit votiva, vel de currenti quae exigat colorem album, Celebrans paramenta eiusdem coloris adhibeat usque ad finem functionis : quatenus vero Missa requirat alium colorem, et hunc retinendum vult Instructio. *ibid.*

3. Videtur tamen Instructio in hac parte potius directiva, quam praeceptiva. — S.R.C. decretum, quod in arbitrio relinquit. Exemplum affertur benedictionis Candelarum et Missae in die Purificationis B. M. V. *ibid.*

4. Multo magis paramentorum mutandus est color, si alter a Celebrante diversus ad explendam functionem expositionis et repositionis accedat ; quia hoc in casu una ab altera actione separata censetur. *pag.* 64.

5. Decretum novissimum S. R. C., quo quaestio dirimitur. *ibid.*

6. Quatenus retineatur color respondens Officio diei ; velum humerale et alia, quae directe inserviunt Sacramento, esse debent coloris albi. *ibid.*

7. Idcirco Altaris pallium, quicumque sit color adhibendus in Missa et Officio, debet esse coloris albi in omnibus expositionibus, etiam quoad Missam quae celebratur pro Sacramento exponendo. Perperam Pittonius a Cavalerio notatur. *pag.* 65.

8. Distinctio Cavalerii non amplectenda. *ibid.*

9. Qui tamen cogitur in eam venire sententiam, quam in Pittonio reprobaverat. *ibid.*

10. In Altaribus minoribus pallia adhibenda coloris Officio conformis. Illud vero Altaris, in quo celebratur Missa conventualis, concordare debet cum colore paramentorum Missae, licet haec non conveniat cum Officio exigente colorem diversum. *pag.* 66.

11. Hae regulae extenduntur ad expositiones ex causa privata cum Ostensorio velato. *ibid.*

§ XIX.

1. Missa solemnis pro expositione usque ad Consecrationem nihil differt ab aliis Missis cantatis. *pag.* 66.

2. Duo consecrandae sunt Hostiae. Exponuntur, quae fieri debent post sumptionem Sanguinis. *ibid.*

3. Ad Missam sex tantum luceant candelae. Alia luminaria opportune accendantur. Quidquid censeant Cavalerius et Tetamus, accensa omnia sint oportet, dum Ostensorium cum Sacramento collocatur in medio Altaris. *pag.* 67.

4. Cavalerius censet Ostensorium velo esse tegendum usque ad finem Missae. *ibid.*

5. Ritualis Rubrica eiusdem aliorumque opinioni favere videtur. Distinguendi tamen sunt casus. Rubrica loquitur de Festo Corporis Christi, non de Oratione quadraginta horarum. *ibid.*

6. Affertur ratio discriminis. *pag.* 68.

7. Ratio, ob quam suam tuetur sententiam Baruffaldus, quem sequitur Cavalerius, hominum doctissimorum est prorsus indigna. *ibid.*

8. Si aliqua vis concedenda est Ritualis Rubricae, haec erit tantum directiva, non autem praeceptiva. Caeremoniale Episcoporum ne verbum quidem facit de hoc velo. *ibid.*

9. Forte Rubrica apposita fuit in Rituali, quia nondum universaliter invaluerat usus collocandi Sacramentum in throno : velum supplebat vices Baldachini. Regula S. Caroli Borromaei. Ex varietate Ritualis et Caeremonialis desumitur diversam fuisse tunc temporis Ecclesiarum consuetudinem. Iuxta hodiernam praxim Ostensorium velo solummodo tegitur in expositione privata pro infirmis. *pag.* 69.

10. Caeterum Ritualis Rubrica ad unum limitatur Festum Corporis Christi. Quoad Orationem quadraginta horarum, Instructio concordat cum Caeremoniali. Concluditur,

Ostensorium non esse velandum. Ita fert praxis universalis. *ibid.*

11. Expleta Missa, Celebrans induit pluviale, ad credentiam imponit incensum, revertitur per longiorem viam ad Altare, in infimo gradu cum Ministris sistit. *ibid.*

12. Discordia Scriptorum. Praxis Basilicarum Urbis. *pag.* 70.

13. Non est iterum ponendum incensum in thuribulum ad Altare. Thurificandum Sacramentum. Rubrica Caeremonialis. *ibid.*

14. Imponitur Celebranti velum humerale: is ad supremum gradum ascendit: accipit de manu Diaconi Sacramentum. *ibid.*

15. Surgit, se ad populum in suppedaneo convertit. Intonatur Hymnus. Instructionis cum Caeremoniali concordia. Rituale dissentire videtur, sed discordia componitur. *pag.* 71.

16. Num Celebrans, statim ac intonatur Hymnus, procedere debeat ad Baldachinum; an in suppedaneo consistere usque ad finem primae strophae? *ibid.*

17. De Baldachino seu Umbella, qua tectus incedere debet deferens Sacramentum. *pag.* 72.

18. Instruenda opportune est Processio, ne sit cunctandum. *ibid.*

19. Quae servanda methodus, si post Missam non fit Processio. *ibid.*

20. Quo in casu bis thurificandum videtur Sacramentum. *pag.* 73.

21. In aliis expositionibus unica vice thurificandum, postquam collocatum fuerit Sacramentum sub umbella. *ibid.*

§ XX.

1. Ordo Processionis. Crucifer cotta indutus, non Tunicella, deferens Crucem hastatam primus incedat inter Ceroferarios ante Clerum. *pag.* 73.

2. Omnes de Clero Ecclesiae interesse debent. Ubi Clerus deficit, saltem octo Sacerdotes Instructio exposcit. *pag.* 74.

3. Cavalerius notatur, qui perperam vult octo istos Sacerdotes, eosdem esse debere, qui in Missa detulerunt intortitia. *ibid.*

4 et 5. Ab Instructione, non a Caeremoniali regula sumenda. Quae pro Missa Pontificali ordinata sunt, trahi nequeunt ad Missam a simplici Sacerdote solemniter celebratam. *ibid.*

6. Instructio loquitur de comitatu Processionis, non autem de intortitiis deferendis ad Canonem. *ibid.*

7. Neque Instructio tanto est cum rigore accipienda, ut in Ecclesiis, quae Clerum non habent, nequeant Clerici ad complendum numerum assumi. Quid relate ad Ecclesias extra Urbem? *ibid.*

8. Cavalerius notatur, qui existimat posse laicos occupare locum Sacerdotum immediate ante Sacramentum, si deferenda sint magni ponderis intortitia. *pag.* 75.

9. Octo illi Sacerdotes vel Clerici incedere debent ante Baldachinum, non hinc inde a lateribus eiusdem. Genuinus sensus Caeremonialis. Arbitraria Cavalerii opinio. *ibid.*

10. Si quae adsit Sodalitas, permitti poterit, ut eiusdem digniores cum facibus hinc inde incedant a lateribus Baldachini. *ibid.*

11. Congruit ut deferantur hastatae lanternae cum intus accensis candelis. *pag.* 76.

12. Candelae deferendae manu extima, non intima. Omnes incedere debent detecto capite, quin liceat adhibere pileolum tuendae valetudinis causa. *ibid.*

13. Qui modus tenendus in thurificatione per viam. *ibid.*

14. Inanis quaestio a Quarti proposita de hac thurificatione. *pag.* 77.

15. Dum fit Processio, festive pulsandae Campanae, nedum Ecclesiae, in qua fit expositio, sed et aliarum, prope quas transit. *ibid.*

16. Quomodo devota supplicatio ordinanda. *ibid.*

17. Aliqua notanda de aliis Processionibus cum Sacramento. *pag.* 78.

§ XXI.

1. Processio intra Ecclesiam. Si haec sit nimis angusta, ad proximam plateam extendatur. *pag.* 78.

2. Si late pateat Ecclesia, sed frequens sit interessentium numerus, non repugnat, quod ad vitandam confusionem, circum plateam Supplicatio ducatur. *ibid.*

3. Mundandae viae, per quas ducitur Supplicatio, ac virentibus foliis sternendae. *ibid.*

4. Aliqua subiiciuntur, quae praesertim vitanda sunt in solemnibus Processionibus cum Sacramento. *ibid.*

5. Decens sit ornatus viarum. Profana arcenda. *pag.* 79.

6. Ne admittantur pueri puellaeque repraesentantes gesta et martyria Sanctorum. *ibid.*

7. Pluviale a deferente Sacramento ad-

hibendum, etiamsi agatur de Regularibus, qui non habent eiusdem usum. *ibid.*

8. Ecclesiastici processionaliter incedentes, si paramenta sacra assumant, non alius coloris adhibeant, quam albi. *ibid.*

9. Damnatur mos deferendi sellas seu scabella, in quibus assideant Celebrans et Ministri per viam, dum sistit Processio. *pag.* 80.

10. Sacramentum deferendum manibus Sacerdotis, non in machina. Celebrans etsi Episcopus, pedibus incedat. *ibid.*

11. Canonici Pontificalium usum habentes ne Mitra caput operiant. *ibid.*

12. Licet deponere Sacramentum in aliquo Altari per viam erecto, dummodo raro fiat. *pag.* 81.

13. Quaeritur: Num, priusquam reassumatur Processio, impertienda sit Benedictio cum Sacramento? Ex universali more affirmative resolvitur, dummodo raro fiat, et decentiae sit consultum. *ibid.*

14. Morem hunc probasse videtur S.R.C., quae tamen generali damnavit Decreto abusum impertiendi duplicem Benedictionem in Ecclesiis Monialium. *ibid.*

15. In his Processionibus omnia sint ordinata ad devotionem fovendam. Absint quae Ecclesiae legibus non sunt conformia. *pag.* 82.

§ XXII.

1. Sodalitates, si quae sunt, Processioni interesse debent. Non omnes aeque adstringuntur. *pag.* 82.

2. Si aliqua intersit, ante Clerum incedat, non confuse, sed ordinate ad formam Caeremonialis Episcoporum et Decretorum S. R. C. — Officiales nequeunt indebitum locum usurpare post Baldachinum. Soli Primicerio id licet incedenti in habitu praelatitio. *ibid.*

3. Instructio admittit etiam Sodalitates, quae peculiari veste non distinguuntur. *pag.* 83.

4. Si plures sint Sodalitates, servandus est ordo Gregorii XIII quoad praecedentiam. Illae sub titulo Sacramenti erectae aliquibus fruuntur privilegiis. Quid de Sodalitatibus, quae propriam vestem non habent? *ibid.*

5. Haud arridet Merati sententia, qua Sodalitates sine peculiari veste confundit cum populo. *ibid.*

6. Damnatur usus, quod duo Confratres incedant prope Sacramentum cum campanulis. *pag.* 84.

7. Guardianis et dignioribus Officialibus conceditur munus gestandi hastas Baldachini. *ibid.*

8. Ad averruncandas lites, quae saepe excitantur de praecedentia inter Procerum famulos, ubique servanda esset regula tradita ab Innocentio XII pro delatione Viatici ad infirmos. *ibid.*

9. Certa praescribenda methodus a Sodalitatibus servanda. *ibid.*

§ XXIII.

1. Lex poenalis contra inobedientes indicta. *pag.* 85.

2. Quae vim coactivam habet solum in Urbe. *ibid.*

§ XXIV.

1. Ritus et Caeremoniae servandae, expleta Processione, dum Celebrans perventus ad Altare tradit Diacono Sacramentum in throno collocandum. *pag.* 85 et 86.

2. Perperam Cavalerius adfirmat per Instructionem corrigi Caeremoniale Episcoporum quoad locum, in quo sistere debet Celebrans Sacramentum Diacono traditurus. *ibid.*

3. Caeremoniale duas diversas actiones distinguit, et convenit cum Instructione quoad locum, in quo celebrans genuflectere debet. *ibid.*

4. Rituale concordat cum Caeremoniali. Item Rubricistae. *ibid.*

5. Modus insinuatus a Caeremoniali magis congruit: altero a Cavalerio traditus reprobatur. *pag.* 87.

6. Sensus potius Instructionis attendi debet, quam littera. Si materialiter accipiatur, cum modum potius quam ritum spectet, etsi dissentire a Caeremoniali videatur, istud tamen non corrigit. *ibid.*

7. Hymnus *Tantum ergo* a quo vel quibus intonandus? *ibid.*

8. Quo praecise tempore. Iterum Cavalerius censet ab Instructione Caeremoniale correctum, sed perperam. *pag.* 88.

9. Intonandus Hymnus, postquam Diaconus, collocato Sacramento in throno, ad dexteram Celebrantis reversus est. *ibid.*

10. Quaeritur: Num, omnes, dum cantatur hymnus *Tantum ergo etc.*, manere debeant genuflexi ad integram stropham, vel tantum ad duos primos versiculos. *pag.* 89.

11. Praxis universalis exigit genuflexionem ad integram stropham. Congruit hinc,

§ XXXI.

aliquem psalmi versiculum. Hac de re S. R. C. Decretum. *ibid.*

17. Neque prodest Constitutio Alexandri VII, quae tempus expositionis respicit, non repositionis. *pag.* 116.

18. Obiter laudantur aliqua S. R. C. Decreta, quae eliminant cantiunculas vulgari sermone, exposito Sacramento. *ibid.*

19. Estne igitur reprobanda consuetudo per aliquos Missionarios inducta canendi aliquas cantilenas in actu Benedictionis? Anceps iudicium. Videtur magis congruere, quod locum solummodo habeant, iam reposito Sacramento, priusquam claudatur ostiolum. *ibid.*

20. Cavalerii sententia, et monitum. *ibid.*

21. Crassus corrigendus error eorum, qui putant Benedictionem impertiendam ad ℣. *et Benedictio. ibid.*

22. S. R. C. generali Decreto improbat abusum duplicis Benedictionis in Ecclesiis Monialium. *pag.* 117.

23. Quaeritur; num thurificandum sit Sacramentum, dum Sacerdos populum benedicit? Validior ratio stat pro negativa. *ibid.*

24. Tandem iubet Instructio, ut immediate post Benedictionem, vel mane sequenti absumatur Hostia in Missa. *pag.* 118.

§ XXXII.

1. Tempore Expositionis conciones vetitae, nisi Praesides permittant brevia aliquot colloquia. *pag.* 118.

2. Lex extenditur ad Ecclesias Regularium, et quocumque modo privilegiatas. *pag.* 119.

3 et 4. Quoad Urbem eadem regula obtinet in aliis etiam expositionibus: quomodo tamen intelligenda? *ibid.*

5. Non alii assumendi ad huiusmodi brevia colloquia, nisi Sacerdotes aut Diaconi, qui superpelliceo utantur, etiamsi sint ex Ordinibus Regularibus: Stola tamen non adhibenda. *pag.* 120.

6. Quid de aliis expositionibus, praesertim extra Urbem, quoad superpelliceum et Stolam? *ibid.*

7. In hisce brevibus colloquiis non utendum bireto. *pag.* 121.

8. Licet tamen caput tegere bireto in aliis expositionibus, si Sacramentum crassiori velo sit tectum, quo eiusdem aspectus abscondatur. *ibid.*

9. Idipsum confirmatur. *pag.* 122.

10 et 11. In praelaudatis brevibus colloquiis habendis locus Concionatoris ea in parte sit, ut populus eum audire possit, quin ullum committat actum irreverentiae erga Sacramentum. *ibid.*

§ XXXIII.

1. Ad aliquot noctis horas patere debent Ecclesiae fores. *pag.* 123.

2. Extra Urbem Episcoporum arbitrio. *ibid.*

3. Clausis ianuis non est ab Oratione cessandum *pag.* 124.

4. Ubi fit expositio ad instar Orationis quadraginta horarum, sed non de nocte, hae regulae locum non habent. *ibid.*

5. Orationi perenni adnexae sunt Indulgentiae tam plenariae, quam partiales ex Constitutione Clementis VIII. *ibid.*

6. Eas ampliavit Paulus V. Benedictus XIV declaravit plenariam lucrifieri posse, etsi, urgentibus de causis, indultum fuerit Sacramentum de nocte reponi. *ibid.*

7. Declaratio huiusmodi universalis est. *pag.* 125.

8. Noctu ne desit Oratio, quaedam instituta piorum hominum Societas pro agendis vigiliis. *ibid.*

9. Pius VII indulsit, ut Indulgentia applicari possit defunctis per modum suffragii, et declaravit omnia Altaria privilegiata, durante tempore expositionis. *pag.* 126.

10, 11 et 12. Indulgentiae a Benedicto XIV et Clemente XIII concessae visitantibus Sacramentum expositum per triduum Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae etc. *pag.* 126 et 127.

§ XXXIV.

§ XXXV.

§ XXXVI.

1. Methodus servanda in aliis expositionibus Sacramenti. Praesidum necessaria licentia. *pag.* 127.

2. Distinguuntur in publicas, magis minusque solemnes, ac privatas. *ibid.*

3. Expositio publica, quacumque ex causa fiat et quamlibet habeat solemnitatem, nequit fieri privata auctoritate; necessaria est expressa licentia Ordinarii. — S. R. C. Decreta. *pag.* 128.

4. Quaestio inter Auctores: num magis congruat, quod expositio faequenter, an raro fiat. Benedictus XIV eam indecisam relinquit. *ibid.*

5. Verum, vel frequenter, vel raro fiat, duo tamen certa sunt, quod scilicet Ordi-

§ XXXVII.



SUFFRAGIA ET ADNOTATIONES

SUPER

DECRETIS S. R. CONGREGATIONIS

MONITUM

Ne quis miretur, si quando in sequentibus Suffragiis sive Adnotationibus, iterum prodeuntibus, appellata Decreta quaedam offenderit, quae in novissima authentica Collectione desiderantur. In hac enim consulto ea omissa fuerunt, utpote iam nunc supervacanea et inutilia; quatenus vel eorum plerumque resolutiones per alia passim Decreta recurrunt, vel in recentiori aliquo Decreto Generali continentur, vel, perraro quidem, prae mutato liturgico iure obsoluerunt. Satius nihilominus putatum est in praesenti nova editione appellationes istiusmodi suo loco servare ; tum in auctorum obsequium , virorum scilicet insigni liturgica eruditione praestantium, quorum dissertationes, si secus, funditus inverti ac reformari oportuerit ; tum ne studiosi lectores optimis utillimisque notionibus de sacra liturgia privarentur, quae ibi affatim congestae inveniuntur.

Ad discentium tamen opportunitatem, decretorum id genus praetermissorum elenchus ad calcem subiicitur.

SUFFRAGIA ET ADNOTATIONES

SUPER

DECRETIS S. R. CONGREGATIONIS

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2574. URBIS (4529)

ARCHICONFRATERNITATIS

SACR. STIGMATUM.

Due sono gl'inconvenienti gravissimi, che derivano dalla pratica fino al presente tenuta dall'Archiconfraternita delle Sacre Stimate di Roma nella funzione da farsi nel Giovedì Santo della Lavanda, altrimenti detta *Mandato*.

Il primo inconveniente è quello di eseguirla in Chiesa, ove alla pubblica venerazione è collocato il SSmo Sacramento nell'Altare e Cappella così detta *del Sepolcro*. Due ne sono le ragioni. La prima e più forte si è, perchè non deve essere distratto il popolo in altri oggetti, benchè edificanti nel luogo istesso, che richiama l'adorazione dei Fedeli al principale sublime mistero, di cui si celebra la memoria; la seconda, che discende dalla prima, perchè la Rubrica vuole, che si faccia: « in loco ad id deputato »; e gli Autori Liturgici convengono, che questo debba essere in un Oratorio, o in una decente stanza prossima alla Sagrestia, ma non mai in Chiesa (se pure non si trattasse di Chiese Cattedrali e vaste, nelle quali è facile eseguir la Lavanda in parte affatto remota dall'Altare del Sepolcro). A questo inconveniente fu rimediato nell'anno prossimo passato con Biglietto d'Officio scritto d'ordine di Sua Santità da Monsig. Primicerio della Compagnia, che una tal funzione si sospendesse fino all'esito della causa pendente.

Il secondo inconveniente si è, che una tal funzione siasi eseguita per lo passato non secondo il rito della Chiesa, per cui appartiene al solo Sacerdote celebrante, il quale rappresenta la Persona del Redentore, ma bensì venga eseguita da questo unitamente ai Guardiani; senza che vagliano a giustificare una tal pratica le ragioni, che si adducono nelle allegazioni distribuite.

Imperocchè è vero, che la Lavanda non è un Sagramento. È vero, che il nostro Divin Redentore non ha dato l'esempio ad un solo ceto di persone, ma universalmente a tutti i suoi seguaci. È vero, che un tal atto di Cristiana umiltà si può esercitare, come si esercita anche da' Laici, e dalle Donne in qualunque occasione e tempo. È vero finalmente, che non per tutto tal funzione spetta allo stesso soggetto, ma possono aver luogo le particolari consuetudini. Ma è vero altresì, che praticandosi nel Giovedì Santo secondo il rito della Chiesa dopo la Messa, Vespero e denudazione degli Altari, funzioni tutte fra loro connesse e successive, non può nè deve un tal rito esser variato od alterato.

La Lavanda non è Sagramento. Ma se questa ragione valesse, proverebbe troppo; imperciocchè si potrebbero a capriccio variare i riti prescritti in tante altre Ecclesiastiche funzioni, che non sono Sagramento: quandochè la Chiesa provvidamente ha prescritte alcune forme, perchè queste sieno osservate, e si tolga la facoltà di usarne altre ad arbitrio.

Il nostro Divin Redentore ha dato un esempio di umiltà, e lo ha dato a tutti, e perciò da tutti può egualmemte praticarsi. Ma qui convien distinguere l'esercizio di umiltà dalla funzione Ecclesiastica, che ha un rito tutto proprio e particolare.

Come esercizio di umiltà si può praticare dai laici, dalle donne e da tutti indistintamente i Fedeli. Dirò ancora, che può praticarsi a vicenda, lavando scambievolmente i piedi l'un all'altro (sempre però fra persone dello stesso sesso): ma come funzione Ecclesiastica da praticarsi nel Giovedì Santo, che include il Mistero, e si fa non solo per esercizio di umiltà, ma altresì per rinnovar la memoria di quanto si fece da Gesù Cristo in tal giorno nel lavare i piedi agli Apostoli, uno solo deve esser quello, il quale, rappresentando la Persona del Redentore, deve lavare i piedi alli do-

dici rappresentanti degli Apostoli. Quindi è che facendosi ancora separatamente dalle altre funzioni del giorno nelli Conventi e Monasteri, il solo Superiore lava i piedi a' suoi sudditi, la sola Abbadessa alle sue Monache. Così può farsi ancora nelle Società Laicali dal Primicerio, dal primo Guardiano o da altro Superiore: ma per atto separato, appartenente bensì alla funzione del giorno, ma non connesso colla medesima. E se si volesse addurre l'esempio dei Sovrani, che sogliono nel Giovedì Santo lavare i piedi a dodici poveri, questo non giova punto, anzi è contrario alla consuetudine della Compagnia delle Stimate; perchè qualunque sia il rito, che in tali lavande si osserva, sempre rimane fermo, che il solo Imperatore o il solo Re è quello, che lava i piedi, nè altri vi ha parte; se non se in servire, assistere e somministrare l'occorrente.

Ogni qualvolta però, tenendosi l'ordine prescritto dalla Rubrica, la funzione della Lavanda succede immediatamente alle precedenti funzioni, e fassi dallo stesso Celebrante, dopo aver cantato la Messa, recitato il Vespero, denudati gli Altari, servito dal Diacono e Suddiacono coi paramenti prescritti dalla Rubrica; siccome egli solo rappresenta la Persona di Gesù Cristo, solo ancora deve incominciare, proseguire ed ultimare la Lavanda. Che se li Guardiani vorranno esercitare un atto di umiltà, potranno farlo col ministrare le conche, con cambiar l'acqua, con porgere la limosina alli rappresentanti degli Apostoli, e con altri simili atti che possono considerarsi, come non ripugnanti all'ecclesiastico rito, e rappresentazione del Mistero.

Non vale perciò la ragione desunta dalle parole di Gesù Cristo, cioè: « Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis » : per provare, che non è indecente la mescolanza d'Ecclesiastici e Laici nella Chiesa delle Stimate. Imperciocchè già si è detto di sopra, che si deve distinguere, e non confondere l'esercizio di umiltà, che può praticarsi in ogni tempo, con la funzione Ecclesiastica del Giovedì Santo, che inchiude il mistero; ogniqualvolta la Lavanda viene eseguita come connessa alle altre funzioni del giorno dal Sacro Ministro, che ha celebrato.

Si vedano gli Ordini Romani, alli quali si appella l'autor del Voto, persuaso di favorir con questi la controversa consuetudine, e francamente pronunzia esservi nelli medesimi tanta discrepanza da poterne empire un volume. Metto da parte l'esagerazione iperbolica: mi fermo su quello che interessa la presente questione. In che consiste la decantata discrepanza? Questa non già riguarda la persona, che deve eseguir la Lavanda ; ma è relativa al luogo, al tempo, ad alcune ceremonie, che ora non sono più in uso, ed in ispecie alle persone ed al numero de' rappresentanti gli Apostoli. Giacchè ora sono nominati dodici Suddiaconi, ora dodici Diaconi, ed in mancanza di questi dodici Cappellani, ed ora dodici poveri : e benchè nelli più antichi costantemente si abbia il numero di dodici, nei più recenti però, come ancora nel Ceremoniale di Agostino Patrizio che al presente è in uso, vi si aggiunge il decimoterzo. Si può vedere il Mabillon : Iter Italic. Tom. 2, pag. 101, in fine, 137, 181, 357, 362, 485, 486, ed il Catalano ne' suoi commenti al suddetto Ceremoniale Tom. 2, cap. 46 de Mandato faciendo.' Il Sarnelli ne parla in diversi luoghi delle sue lettere ecclesiastiche, e più diffusamente in fine del Tom. 10, ed in un Opuscolo stampato in Venezia: Della Lavanda. Non si appartiene alla presente questione l'esaminare, perchè la Lavanda si faccia a tredici, quandochè gli Apostoli non erano che dodici. A me basta l'uniformità de' suddetti Ordini Romani per rapporto alla persona, che rappresenta il Divin Redentore, e sola eseguisce la Lavanda: e soltanto incontro nell'Ordine XV di Pietro Amelio cap. LXVIII che, « eadem die post prandium Papa non potuit lavare pedes pauperum ; sed Patriarcha Gradensis Confessor de mandato Papae lavit pedes pauperum, in parva cappella ». Se facesse d'uopo, potrei dimostrare, che questa seconda lavanda nulla aveva che fare con la funzione della mattina, in cui era solito lavare i piedi a dodici Suddiaconi.

Ammetto, che ne' secoli da noi remoti varie sono state le costumanze delle diverse Regioni, Chiese e Monasterii : ma non mai si troverà nella funzione Ecclesiastica mescolanza di Sacerdoti e Laici in lavare simultaneamente i piedi alli dodici rappresentanti degli Apostoli : anzi nella Chiesa di Toledo, come si legge nel Messale Mozarabo, allorchè il Vescovo unitamente al Clero passava all'Atrio, ove era tutto disposto per eseguir la lavanda, si chiudevano le porte, e venivano esclusi i laici : « clausis ianuis, et Laicis omnibus foris proiectis ». Che se pure in qualche Monastero

la Lavanda si faceva dai Conversi, deve ciò riferirsi ad esercizio di umiltà, ma non già a rito Ecclesiastico connesso con le altre funzioni del giorno. Ma a qual pro ricercare le antiche costumanze particolari delle diverse Chiese e Monasterii, che non sono più in uso, dopo che la Chiesa Romana ha prescritto e determinato la forma con una Rubrica inserita nel Messale, la quale deve essere attesa; ed essendo precettiva, mentre dà norma a tutte le Chiese dell'Orbe Cattolico, toglie l'arbitrio di fare altrimenti?

Nè punto vale la consuetudine, poichè non è capace di legittima prescrizione un uso, che diametralmente si oppone ad un rito dalla Chiesa ordinato, e che corrisponde al Mistero, di cui si rinnova la memoria. La funzione non cade sotto precetto: ma ogni qualvolta si voglia eseguire, non già per solo esercizio di umiltà, ma come azione sacra e congiunta alla solennità delle antecedenti proprie del giorno, deve esser regolata a tenore della precettiva Rubrica.

Ma dato ancora, che una consuetudine immemorabile potesse aver qualche peso a fronte di una chiara rubrica del Messale, questa non gioverebbe nel caso nostro. Ognun sa, che l'immemorabile allora si attende, quando, essendo nascosta l'origine fra le tenebre dell'antichità, fa presumere ogni miglior titolo: non così addiviene, quando si produce il titolo, dal quale è derivata la consuetudine. Imperocchè in questo caso, come tutti convengono i Legisti, la ragione di decidere si desume non già dalla consuetudine, ma bensì dal titolo: e se questo è infetto, niun vantaggio si può trarre dalla seguita consuetudine, benchè questa contasse più secoli.

Così appunto accade nella controversia presente, nella quale non si ha una consuetudine, di cui s'ignori l'origine, ma bensì ci si offre il titolo, da cui la medesima è nata; e questa non già deriva da uno Statuto approvato in forma specifica, ma tutto è fondato sul Ceremoniale ad uso dell'Arciconfraternita, che non porta l'impronta di legittima autorità; e va assai lontano dal vero l'estensore del Memoriale nel supporre il Rituale dell'Arciconfraternita approvato dalla Sede Apostolica: giacchè altro non trovo, che la stampa permessa dal P. Maestro del Sacro Palazzo, la cui facoltà non si estende oltre a ciò che riguarda la dottrina e buoni costumi, nè mai comprende quello che si appartiene alli Riti e Ceremonie della Chiesa: anzi questo è ad esso espressamente vietato; come chiaro apparisce dal seguente Decreto di questa Sacra Congregazione, che viene riportato nell'Autentica Collezione: « Postremo fuit decretum, ut ego Secretarius nomine Congregationis alloquerer Magistrum Sacri Palatii Apostolici, ne imposterum permittat imprimi res spectantes ad sacras caeremonias, seu recitationes Officiorum, et ritus Ecclesiasticos, absque expressa licentia et ordine Sacrae Congregationis etc. Die 21 Maii 1620». Or dunque essendo la consuetudine appoggiata al menzionato Ceremoniale sfornito della legittima autorevole approvazione, quale privativamente si appartiene a questa Sacra Congregazione, non può la medesima esser valutata per verun conto, perchè infetto è il titolo, dal quale trae la sua origine; ed abusivamente nel Memoriale si conchiude, che il far la Lavanda assieme col Celebrante è un privilegio accordato ai Guardiani.

Se non che l'Autore del Voto si appiglia ad un altro partito, e pretende di provare, che, essendo varia la consuetudine delle diverse Chiese, può sostenersi quella, della quale ora si tratta. Ma qui appunto è dove egli prende un grosso abbaglio.

Ammetto ancor io, che in una tal funzione sianvi delle particolari consuetudini non riprovabili; ma qui torniamo alla distinzione di esercizio di umiltà e di funzione Ecclesiastica. Sia pur vero, come è, che in linea di esercizio di umiltà può ciascuno seguire l'uso introdotto, purchè questo nulla abbia di superstizioso ed indecente. Ma per rapporto alla funzione Ecclesiastica, qualunque sia la qualità delle persone da scegliersi per rappresentare gli Apostoli, fermo però rimane, che un solo, o sia Vescovo, o sia Dignità, o Canonico, o semplice Sacerdote, ha da esser quello, che deve lavare i piedi. Viene ciò comprovato da quanto si è detto fin qui; e potrei ulteriormente produrre altre autorità, se non fossero sufficienti quelle del Ceremoniale de' Vescovi e del Tetamo, che mi vengono somministrate dallo stesso Autore del Voto, benchè questi procuri trarle a suo favore con mutilarne i testi.

Vediamo che cosa dice il Ceremoniale dei Vescovi al cap. 24, lib. 2, citato nel Voto: « Sed quia circa hoc diversi sunt ritus Ecclesiarum »: va benissimo; ma vediamo però, in che consiste questa diversità di rito: « alicubi in usu est vestire sumptibus Episcopi vel Capituli tredecim pauperes, eosdemque cibo et potu reficere . . . . alibi Episcopi

lavant pedes tredecim ex suis Canonicis »: e questo è quello, che si dice « faciendum iuxta consuetudinem Ecclesiarum, vel arbitrio Episcopi: si maluerit pauperibus lavare etiam in locis, ubi sit consuetudo lavandi Canonicis ». Ma o gli Apostoli sieno rappresentati da tredici Canonici, o da tredici poveri; o sieno questi a spese del Vescovo, o del Capitolo rifocillati e vestiti, o non lo sieno; sempre però è il Vescovo, o altro in sua vece, che rappresenta la Persona di Gesù Cristo, ed eseguisce la Lavanda. Come dunque si vuol trarre a favore della consuetudine abusiva delle Stimate il testo del Ceremoniale « circa hoc diversi sunt ritus Ecclesiarum »?

Andiamo al Tetamo. Mi rincresce di dover dire, che l'Autor del Voto nel riportarne l'autorità si è dimenticato di trascrivere alcune sostanziali parole intermedie, anzi neppure ha accennata l'omissione con una sigla o puntini. Non voglio credere averlo fatto, perchè anche egli conosca che le parole trascurate sono quelle, che ad un colpo troncano il nodo.

Dopo aver il Tetamo proposta la questione: « ad quem spectet hodie lavare pedes »: risponde benissimo, che spetta al Superiore o Prelato, e nel caso, che questo o sia impedito, o nol voglia fare: « potest alter singulorum pedes lavare, qui illius vicem gerat, dummodo (si badi bene) dummodo sit Sacerdos ». Prosiegue egli non esser questa funzione Sacerdotale nella sua prima istituzione, e come atto di umiltà poter praticarsi ancora dalle donne: e ciò non si controverte. Soggiunge però, che, facendosi secondo il rito della Chiesa, richiede la qualità Sacerdotale. « Etsi autem hodierna lotio pedum per Dignitatem non omnino oporteat fieri Sacerdotalem; nihilominus eo ritu et solemnitate, quibus, iuxta rubricas Missalis Romani, fieri debet in Ecclesiis Cathedralibus etc. oportet, ut sit Sacerdos, qui eam exequatur etc. ». Prosiegue a dire che nelle Cattedrali si fa dal Vescovo, dalla prima Dignità, o in mancanza di questa dal più degno, così ancora nelle Chiese Collegiate, Parrocchiali ecc.

Qui è dove soggiunge: « Hactenus dicta intelligenda sunt, nisi inveterata consuetudo, temporis decursu et Praelatorum scientia et consensu confirmata perseveret ». Ma in che consiste questa consuetudine? Si restituisca il testo alla sua integrità, e proverà tutto il contrario di quello si pretende nel Voto. Ecco come dal medesimo vien trascritto: « ex cuius vigore haec et similes functiones aliis personis competant ». Qui cade l'interpunzione fra la parola « personis » e l'altra « competant ». Imperocchè dopo il « personis » si spiega quali queste sieno, cioè « sive ex Dignitatibus, aut Canonicis, aut Portionariis, sive ex aliis Sacerdotibus non capitularibus in aliquibus Ecclesiis competant ». Dunque il Tetamo ammette la consuetudine; sempre però relativa all'estrinseca decorazione della Persona, ma non già in rapporto alla dignità del carattere Sacerdotale. Sia pure diversa la consuetudine delle Chiese, sempre però è un Sacerdote quello, che deve eseguir la funzione. Come dunque può trarsi l'autorità del Tetamo al caso in questione? come può favorire l'abuso praticato dall'Arciconfraternita delle Stimate?

Dunque il Ceremoniale de' Vescovi, ed il Tetamo tanto è lontano che possano favorire la consuetudine, come si pretende dall'Autor del Voto, che anzi sì l'uno, che l'altro provano tutto il contrario; cioè a dire, che quantunque siano diversi gli usi particolari delle Chiese, sempre però fermo resta, che dal solo Vescovo, o Sacerdote celebrante si deve eseguir la funzione della Lavanda nel Giovedì Santo, secondo il rito prescritto tanto nello stesso Ceremoniale de' Vescovi, quanto nel Messale Romano. Essendosi poi inoltre dimostrato, che punto non vagliono gli altri argomenti prodotti: perciò non resta che rigettare la petizione, con abolire una consuetudine del tutto opposta alli sacri Riti della Chiesa.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2576. CAMERINEN. (4532)

Sac. Congregationis responsum conforme est dispositioni Literarum Apostolicarum Urbani PP. VIII dat. Idibus Sept. an. 1642 pro observatione Festorum; ubi, enumeratis distincte Festis in universa Ecclesia sub utroque praecepto servandis, ad peculiaria Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Locorum quod attinet, sancitum legitur, quod eodem modo, videlicet cum praecepto audiendi Sacrum et cessandi a servilibus, recolantur etiam Festa « unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno sive Provincia, et alterius pariter principalioris, in quacumque Civitate, oppido vel pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contingat ». Cum autem Civitates et Loca, quae nomine veniunt Status seu Ducatus Came-

rini minime pertineant ad Provincias limitrophas, sed unam separatam Provinciam constituant; ideo, iuxta formam praefatae Constitutionis, ne dum teneniur ad solemnia Festi principalis Patroni universi Status, qui est S. Venantius Martyr; verum etiam ad alterum principalis Patroni (si quis habeatur electus, et confirmatus, iuxta formam Decretorum generalium 23 Martii 1630) Civitatis seu Loci; ac proinde etiam Parochi in respectivis civitatibus, oppidis vel pagis ad applicationem Sacrificii pro populo tenentur.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2577. PUTEOLANA. (4534)

Ad Dubium I. Plura occurrunt Sacrae Congregationis Decreta, quibus firmatum est Canonicos concionanti Episcopo assistentiam praestare debere, dumtaxat quando pontificalibus est indutus, servata forma Libri Caeremonialis; sed non teneri, si Episcopus extra Pontificalia cum simplici Mozzetta et Stola verbo Dei velit pascere suas oves. Ita responsum lego die 19 Decembris 1643, et rursus in Nolana 23 Martii 1685, in respons. ad Dub. 1, et in Calaritana 3 Decembris 1701 in respons. ad Dub. 2. Praesertim vero in Pacten. 19 Martii 1760, ubi Dubium idem erat ac illud a Puteolanae Cathedralis Canonicis propositum, videlicet: « An ab ipsis debeatur assistentia R̃mo eorum Episcopo Pacten. pueros plebemque docenti Christianam Doctrinam? » Cui responsum fuit: « in casu, de quo agitur, assistentiam non deberi ».

Ad Dubium II. Huic Dubio occasionem dedit expositio Sacrae Pyxidis in maioris Altaris Tabernaculo, quae fieri solet post Vesperas; unde Canonici Completorium differre coguntur, ut interim concio habeatur, nonnullae recitentur preces et populus, post benedictionem cum Sacra Pyxide ei impertitam, dimittatur. Ne quis autem sit, qui credat Sacram Congregationem, dum stricte Dubio respondit, tacite saltem non reprobasse morem extrahendi Sacram Pyxidem e Tabernaculo, ad effectum eam exponendi sub Umbella, vel elargiendi populo benedictionem. Etenim PP. EE. eidem S. C. praepositi, Dubio respondentes, haud ampliarunt examen ad id, quod non quaerebatur. Equidem caeremoniarum Magister, qui, ut super propositis Dubiis votum suum aperiret, rogatus fuit, morem exponendi Sacram Pyxidem sub umbella, vel e Tabernaculo extrahendi pro impertienda confluentibus benedictione, agnoscens esse contra receptos Ecclesiae ritus, opportune notavit: « de quo ritu hic agere ad me non pertinet ». Nam expositio cum Pyxide privata est, et sub ea conditione permittitur: « Dummodo e Tabernaculo non extrahatur »: veluti repetitis Decretis expresse iubent Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium die 9 Decembris 1602, altera Concilii Tridentini interpretum 17 Augusti 1630, 28 Februarii 1654 et 14 Aprilis 1674, ex Lib. 19 Decretorum p. 319, et Lib. 28 pag. 72, ac tandem S. R. C. in Savonen. 31 Martii 1642. Spartam hanc mirifice illustrat s. m. Benedict. XIV tam ut Doctor privatus in altera ex suis *Institutionibus Ecclesiasticis*, quae est XXX latinae editionis, quam ut Pontifex in Epistola ad Cardinalem Guadagni suum in Urbe Vicarium dat. die 27 Iulii 1755, legenda in Bullario eiusdem Pontificis Tom. 4, pag. 317, et sequent. editionis Romanae. Hinc etiam fit, ut nec liceat Sacram Pyxidem loco Ostensorii radiati sub umbella exponere. Ita laudatus Pontifex in cit. Institut. num. 77: « Penitus interdicitur Sacram Pyxidem ob privatam causam extra Tabernaculum afferri, ac velatam sub umbella collocari, cum nullum huius ritus vestigium apud Scriptores, nullaque Sedis Apostolicae consuetudo deprehendatur, quam sequi omnino debemus ». Haec obiter adnotasse sufficiat.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2578. DUBIORUM. (4536)

Ad Dubium I. Dubium hoc vel non est satis clarum, vel male expositum. Quod in aliqua Cathedrali intervertatur ordo Horarum a Rubricis praescriptus, pro celebratione Missarum solemnium, dum eadem die canendae duo sunt, altera scilicet de Festo occurrente, altera de Feria, novum non est: et utinam id genus abusus frequentes non essent! cum non desint multi, qui propriis student commodis potius, quam in sacris servandis ritibus legum ecclesiasticarum dispositioni obediant. Id vere novissimum est, et hactenus inauditum, quod Canonici aliqui praefatum pervertentes ordinem, se tueantur, aientes vicem gerere Episcopi. Novissimum iure dixi, nam onera Missarum propria sunt Canonicorum, non autem Episcopi, cum is teneatur ad Missas Pontificales dumtaxat in solemnioribus festivitatibus; et, dum id agit, ipse etiam Regulae Libri cae-

remonialis parere debet, quin pro lubitu queat horam diversam a Caeremoniali vel Missali praescriptam indicere. Quamobrem data quoque falsa hypothesi, quod Canonici Cathedralis in Missarum solemniis vices gererent Episcopi, non ideo possent turbare ordinem, si neque Episcopo id licet. Nec prodest consuetudo, quae, ut abusus, nequit praescriptionem inducere, eamque etsi immemorabilem Sac. Congregatio nihili pendendam duxit in Venusina die 9 Augusti 1760 et omnino servandas esse Rubricas respondit in una Eremitarum Camaldulensium sub die 22 Ianuarii 1701, et 16 Ianuarii 1743, licet obstarent peculiares Constitutiones, et consuetudo.

Nescio tandem cur in dubio exponatur quaestionem esse de Cathedrali non privilegiata, quasi in illis, quae pluribus auctae sunt privilegiis, fas esset ordinem a Rubricis praescriptum pro Missarum Solemniis invertere. Sint insigniores, sint multis decoratae praerogativis: has inter non ulla erit, qua permittatur pro lubitu non statutis horis Missas canere, sed potius, secus ac Ecclesiasticae Leges iubent, illas inverso ordine celebrando, propriis commodis consulere.

Quoad horam celebrandi Missam conventualem videri etiam possunt Decreta in Imolen. 6 Augusti 1735 et 7 Iulii 1759, Polena 9 Maii 1739 et Venusina 9 Augusti 1760.

Ad Dubium II. Quamvis regula generalis sit, quod certus locus non sit assignandus caeremoniarum Magistro qui stare, aut discurrere debet pro officii ratione, ut omnia, quae ad sacras pertinent caeremonias, rite et recte peragantur, uti patet ex Decretis in nostra Collect. legendis: relate tamen ad speciem in dubio propositam clara est dispositio Caeremonialis lib. 2, cap. 3, num. 1, ubi legitur: « Coadunatis Canonicis et aliis de Clero in Chorum, praedictus Canonicus Celebrans procedet e Sacristia hoc ordine: praecedunt duo Acolythi deferentes candelabra cum candelis accensis, deinde Caeremoniarius et aliqui Ministri cottis induti, mox Presbyteri pluvialibus parati bini et bini, ultimo loco Canonicus Celebrans pluviali indutus medius inter duos ex dictis Presbyteris, qui fimbrias anteriores pluvialis ipsius parumper elevent ». Haec idcirco regula tenenda est; et dum clara est Caeremonialis dispositio, minime attendi debent privatorum scriptorum placita, qui in diversas abeunt opiniones, ac varii sunt in assignando locum caeremoniarum Magistro.

Ad Dubium III. *Palmatoria* seu *Bugia*, ut vulgari appellatur voce, non omnibus Praelatorum Collegiis indistincte, ac multo minus Ecclesiarum Cathedralium Canonicis convenit. Iure ea utuntur tam S. R. E. Cardinales, quam Episcopi; alii vero ex Indulto, quibus Pontificis auctoritate et clementia concessum est. Non omnibus tamen, qui hoc gaudent privilegio, datum est eo frui ubique, et in omnibus ecclesiasticis functionibus, sed quisque debet se continere intra fines, quibus circumscripta est concessio, vel haec nobile aliquod Collegium respiciat, vel singulariter personas. Certum est autem quod Canonicis Cathedralium Palmatoriae usus de iure non competit, neque eis licet vel in propria, vel in aliena Ecclesia, publice aut privatе huiusmodi adhibere instrumentum. Nec tam facile concedam id ipsos posse ex privilegio, quod nequeunt ex dispositione iuris; cum nec eo gaudeant Praelati utriusque Signaturae Referendarii, et Protonotarii Apostolici titulares, etiamsi celebrent in Ecclesiis illarum Civitatum, quarum regimini praeficiuntur, veluti declaravit S. R. C. in Caesenaten. die 9 Februarii 1675. Et stricte ad Canonicos Cathedralium habetur declaratio eiusdem Sac. Rit. Congregat. in Vicentina 11 Iulii 1699 ut ex decreto, quod in nostra Collectione omissum, sed laudatum a pluribus de re liturgica Scriptoribus, praesertim vero a san. mem. Benedicto XIV de Sacrific. Missae, a Catalano ad Caeremoniale Episcoporum, a Merato ad Gavantum, aliisque, enos modo ex regestis authenticis nuper restitutis exscripsimus: « Vicentina – Humiliter Sac. Rit. Congregationi supplicantibus Capitulo, et Canonicis Cathedralis Ecclesiae Civitatis Vicentiae, quatenus ipsis usum Palmatoriae benigne concedere dignaretur: Sacra eadem Rit. Congregatio, referente Emo et Rmo Domino Cardinali Noris, censuit respondendum: Negative. Die 11 Iulii 1699 ». Quin immo, nisi palmatoriae usus sit expresse ac nominatim concessus, haud comprehenditur in Pontificalium Indulto, quo Insignium quarumdam Cathedralium Canonici decorantur, veluti colligimus ex Sac. Rit. Congregationis responso in Urbinaten. 29 Ianuarii 1752. Non desunt tamen, qui Capitulum, seu Collegium, cui sunt adscripti, hoc privilegio ditatum fuisse contendunt; sed abusum, et indebiti honoris usurpationem privilegio tueri conantur, quod numquam extitit. Quod autem eo careant Canonici, de quibus hoc in dubio quaestio est,

patet ex postrema dubii parte, in qua petitur: « An id ipsis liceat, ex praetextu obscuritatis in aliquibus casibus? » Quae sane petitio frustra fieret, si aliquo Apostolico Indulto Canonici illi donati fuissent. Cum vero quod primum ad tenebras depellendas (simplex tunc in usu erat candela) fuit adhibitum, temporis successu fuerit commutatum in instrumentum et signum honoris et dignitatis; ideo obscuritatis praetextus non id licitum reddit, quod ex praesenti Ecclesiae disciplina, quibusdam tantum Collegiis et Personis iure competit, vel privilegio concessum est: aliis vero ad artificiale lumen, ingruentibus tenebris, praestandum, simplex candela satis esse debet supra candelabrum posita, non manu inservientis ministranda. Ita Sac. Rit. Congregatio die 10 Septembris 1701 in Cortonen. proposito dubio: « An in lectionibus canendis competere possit Canonicis usus instrumenti, vulgo *bugia,* vel usus Candelabri ab alio sustentati? » Respondit: « Negative; et si obscuritas ingrueret, poterit prope Legile apponi Candelabrum unum super pavimento cum facula accensa ».

Ad Dubium IV. Etsi nulla lege praescriptum sit, ut Dalmatica et Tunicella nedum in colore, de quo non est quaestio, verum etiam in qualitate inferiores non sint Casula, qua utitur Celebrans, congruit tamen, ut, quantum fieri potest, ab illa non differant, minime obstante quod Celebrans sit Canonicus; in officio vero Diaconi et Subdiaconi Beneficiati aut simplices Sacerdotes ministrent. Quippe sacra haec indumenta non ad personae ornatum adhibentur, sed ecclesiasticae functionis decori inserviunt. Verumtamen certa regula dari nequit, quia non omnes Ecclesiae sacris suppellectilibus aeque sunt instructae, et in aliquibus pretiosiores Casulae habentur ex pia fidelium largitione; desunt vero similes Dalmaticae et Tunicellae, neque ad illas comparandas idonea suppetunt media. Curandum tamen, ne nimis differant.

Ad Dubium V. Clara est Rubrica de Missa solemni tit. 10, num. 4, nec non Caeremonial. Episc. lib. 1, cap. 18. Nulla quippe fit distinctio inter Canonicos, Beneficiatos ac simplices Presbyteros. Cuiusque namque ordinis hi sint, ac quacumque dignitate fulgentes, si ministrant in Ordine diaconali vel subdiaconali, debent manus Celebrantis osculari, toties quoties praescriptus ritus id exigit, quia tunc non attenditur personae dignitas, sed qualitas ministerii. Id adeo verum est, ut rogata Sac. haec Congregatio: « An Canonicus Patriarchalium Urbis, Diaconi munus exercens in Missa solemni, post petitam benedictionem Evangelii, teneatur osculari manus Celebrantis etiamsi ipse Celebrans non sit Canonicus, neque in aliqua ecclesiastica dignitate constitutus? » die 23 Aprilis 1690 respondit: « Teneri ». Quid plura quaerimus, ut concludi debeat Canonicum in officio Diaconi ministrantem teneri osculari manum Concanonici celebrantis?

Ad Dubium VI. Plura sunt S. R. C. Decreta, quae statuunt Canonicis Cathedralium, Vicariis generalibus, Protonotariis Apostolicis honorariis etc. in Sacro privatim faciendo nullam distinctam honorificentiam deberi, eosdemque nihil differre a simplicibus Sacerdotibus. Quin immo, quamvis plura sint privilegia, quibus gaudent Abbates usum Pontificalium habentes, attamen dum privatim Sacrificium offerunt, nequeunt a simplici Sacerdote distingui, ut cautum est in Decreto generali iussu s. m. Alexandri VII emanato, sub die 27 Septembris 1669; multo etiam minus permissum erit Dignitatibus, Canonicis, Vicariis, Protonotariis Apostolicis honorariis etc., quod Praelatis omnibus, qui usum Pontificalium habent, sed Episcopo sunt inferiores, vetitum est. Videri prae aliis possunt Decreta in Oritana, Tudertina, Pisana, Caesenaten., Senen., Fulginaten., Aquilana et Asculana.

Ad Dubium IX. Authenticum et genuinum est Decretum editum sub die 9 Decembris 1638, sed mendum irrepsit in citatione Caeremonialis, et legi debet lib. 1, cap. 5, ubi revera agitur de caeremoniarum Magistris. Neque tamen ex eo consequitur, quod ille, qui Ecclesiasticas functiones dirigit, numquam sedere debeat. Equidem Caeremoniale Episcoporum nullum ei locum in sedendo assignat, quia regulas dumtaxat praebet in exercendo munere servandas, et certum est quod in actuali exercitio non est ei sedendi locus. Iure laudatum Decretum dum praecipit « stare debet », limitationem ponit « dum munus suum exercet ». Quid ergo prohibet, ne sedeat dum ab officio quiescit, nihilque est quod eius vigilantiam requirat? Indecens immo esset, ut ipse staret satis diu inoperosus, quando omnes in Choro sedent Matutinas et Vespertinas horas solemniter cum cantu persolventes; et Celebrans, Sacri Ministri aliique nec assistentia indigent, nec directione. Quod autem non exprimit Caeremoniale, et forte obscurum est in praefato Decreto, declara-

tur per alia Sac. Congregationis Responsa, praesertim in Patavina et Viterbien.

Ad Dubium X. Miror datam occasionem proponendi huiusmodi dubium. Vix enim induci possum, ut credam aliquem reperiri, qui ita despiciat munus Magistri caeremoniarum, quod sane honorificum est, ut qui ad huiusmodi muneris exercitium assumitur, non secus habendus sit ac si esset Capitularium famulus! Is namque ille est, qui sacras dirigit actiones, et vigil adest ut Ecclesiae leges quoad ritus et caeremonias adamussim serventur. Quamobrem omnes, etsi gradu longe maiores, in iis tamen quae ad Divinum Cultum pertinent, ei obtemperare tenentur. Ita iubet Caeremoniale Episcopor. lib. I, cap. 5, num. 5: « Episcopi curae erit omnes tam Canonicos, quam alios de Choro praemonere, ut ipsis Caeremoniariis, in his, quae ad Divinum Cultum spectant, sine contradictione obediant; nec tantum eorum verbis acquiescant, sed ut oculos in ipsos convertentes observent; et illico illius nutu, aut levi aliquo signo vel intuitu, quod agendum sit significantibus, statim pareant ». Et S. C. in Metropolitana 17 Iulii 1734 respondit: « Omnes capitulares teneri obedire Magistro caerem. ab Episcopo electo, quoad ea quae Divinum Cultum concernunt sub poena arbitrio Episcopi ». Atque adeo verum est, quod Magistri caeremoniarum officium honorabilioribus adnumeratur, ut eadem S. C. responderit: haud repugnare, quin ad illud exercendum assumatur Canonicus Cathedralis. Ita in Licien. 10 Ianuarii 1693. Quo iure igitur dicendus Capitularium famulus?

Ad Dubium XI. Etsi nulla sit Rubrica, quae praecipiat populo impertiendam esse benedictionem cum vivificae Crucis Reliquia post eiusdem ostensionem aut expositionem? mos tam invaluit ut id fiat. Dum in Basilica Vaticana ex alto podio Crux, Lancea, Sudarium statis diebus, vel aliis datis occasionibus, solemniter ostenduntur, haud reconduntur in custodia, nisi prius, aut Episcopus, aut Canonicus Sacerdos cum iisdem confluenti populo benedixerit. Quod etiam accidit in aliis insignioribus Urbis Basilicis, in quibus populo ostenduntur Sacra Lypsana, si aliqua adsit Reliquia Redemptoris Nostri Iesu Christi Sanguine contactuque consecrata. Quid si res sit de Expositionibus aut Processionibus, in quibus eadem SSmae Crucis Reliquia circumfertur? Sacrae huius Congregationis habemus responsum de benedictione populo cum eadem elargienda. Siquidem rogata: « An quando post aliquam sacrae Crucis Expositionem vel Processionem reponitur, benedicendus sit populus cum ipsa, ut nonnulli in hac provincia practicant, licet huiusmodi benedictio saltem relate ad Processionem, teste Tonellio S. R. lib. 3, cap. 2, § 4, num. 6 nullibi praescribatur? » in Brixien. sub die 15 Septembris 1736 respondit: « Affirmative ». Quod sane responsum, cum positivum sit, firmat regulam quod danda sit cum Crucis vexillo benedictio post eiusdem Processionem et Expositionem. Id magis declaratur ex diversa formula, qua usa est eadem S. C. relate ad Reliquias in genere. In Albinganen. die 24 Iulii 1683 ad dubium: « Utrum post Processionem Reliquiarum impertiri populo debeat benedictio cum Reliquiis? » haud positive respondit, sed fieri posse censuit: « Posse, nullam tamen adesse obligationem ». Magnum quippe intercedit discrimen inter Reliquias Sanctorum et instrumenta Passionis D. N. I. C. Cum igitur in Cathedrali, de qua agitur, in Festo tam Inventionis quam Exaltationis SSmae Crucis sacra exponatur Reliquia, populus cum ea benedicendus erit ante repositionem: vel Canonicus sit qui celebrat, vel Beneficiatus. Non enim benedictio pendet a dignitate personae celebrantis, sed impertienda est ratione qualitatis Reliquiae.

Ad Dubium XII. Dubium hoc tres continet partes. Prima est de signis apponi solitis supra tumulum vel castrum doloris: Secunda circa officium in Anniversario Summi Pontificis celebrandum versatur: Tertia est quoad Orationem, cum in Missa tum in Officio in eodem Anniversario recitandam. Novum illud est, quod principio quaeritur: quis enim est, qui nesciat communem esse Ecclesiarum morem, supra castrum doloris in Anniversariis, vel nullum signum apponere, vel illud dumtaxat quod designet qualitatem personae, cuius funebris memoria fit? Ideo, etiamsi Anniversaria celebrentur pro Animabus Summorum Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Sacerdotum, satis est Triregnum, Mitram, Biretum rubrum aut nigrum, nigri aut violacei coloris Stolam imponere, ad distinguendum personae diversam dignitatem et characterem. Dum igitur Anniversaria dies agitur alterius ex Summis Pontificibus, a more recedendum non est, neque apponendam Casulam cum Stola, quippe Triregnum satis superque est ad significandam supremam Personae, pro cuius anima funebre Officium peragitur, di-

gnitatem. Quod si nec Casula, nec Stola tumulo apponenda sunt, frustra de colore disquirerem. Insignia huiusmodi rubri coloris ea in Cathedrali adhiberi solent, forte quia Pontifex, dum exequiis interest, rubro utitur Pluviali, eiusdemque coloris Casula defuncti cadaver induitur: sed haec consuetudo Pontificiae Cappellae singularis et peculiaris est in aliquibus dumtaxat functionibus, quae, tamen antiquis ritibus nequit adnumerari, sed postremis saeculis inducta est; veluti demonstrat Dominicus Giorgi in erudito opusculo *Degli abiti sacri del Sommo Pontefice paonazzi e negri*. Numquid autem quod proprium et peculiare est Pontificiae Cappellae, extendere licet ad Insignia castro doloris imponenda, dum alicuius Summi Pontificis Anniversaria dies funebri pompa recolitur?

Ad secundam dubii partem quod attinet, breviter dicam. Quamvis Anniversarium aliquid habeat solemnitatis, et in eodem, si mortuorum Officium persolvatur, ut tres integri Nocturni cum Invitatorio et duplicatis Antiphonis recitentur, in communi sit more, iuxta disposita in Rituali Romano; nihilominus improbanda non est consuetudo, si viget alicubi, unum tantum recitandi Nocturnum, nisi obstet Fundatorum voluntas de integro persolvendo Officio, vel etiam immemorabilis consuetudo. Non idem tamen dicendum de Invitatorio, quod cum Psalm. *Venite* etc. legi dumtaxat debet, ex rubricarum Breviarii praescripto, dum Officium integrum est. Non omnia Anniversaria, vel ex consuetudine, vel ex Testatorum dispositione, adnexum habent Officium, et plura sunt, quae unica tantum Missa solemniter cantata, cum absolutione circa castrum doloris persolvuntur: hinc fit, quod necesse non est Officium addere, vel, si addatur, non semper oportet illud integrum persolvi; at, si unum tantum Nocturnum recitetur, servanda est regula de non recitando Invitatorio. Equidem non ignoro Ritualis rubricam titulo de Exequiis, quae praecipit, quod « si ob temporis angustiam . . . Officium mortuorum cum tribus Nocturnis, et Laudibus, dici non potest . . ., dicatur saltem primum Nocturnum cum Laudibus, maxime ubi eiusmodi viget consuetudo, incipiendo ab Invitatorio-*Regem, cui omnia vivunt, Venite* etc. ». Sed haec rubrica taxative disponit de Officio recitando in depositione defuncti, si rationabilis causa interveniat, ne integrum Officium peragatur. Quod tamen pro uno casu, moderando regulam generalem, statutum est, ne defuncti corpus sine Officio terrae tradatur, trahi nequit ad alios casus longe diversos, veluti est Anniversarium; in quo proinde, si Invitatorium dici velit aut debeat ex voluntate Testatorum vel petentium, omnes tres Nocturni cum duplicatis Antiphonis erunt recitandi. Sed quoniam, ut supra dictum est, in Anniversario ut plurimum solemni, Missae non adiungitur Officium, nisi excepto casu iniunctae obligationis aut consuetudinis; si spontanea et libera sit vel ex more inducta recitatio unius dumtaxat Nocturni, huic praemittendum non erit Invitatorium, repugnante Breviarii rubrica, videlicet: « Hoc Invitatorium dicitur tantum in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, et in die depositionis defuncti, quibus diebus dicuntur tres Nocturni infrascripti, et Antiphonae duplicantur. Aliis temporibus dicitur tantum unum Nocturnum cum Laudibus ». Quae Breviarii Rubrica ad duos tantum casus limitata, concordi Scriptorum sententia et omnium Ecclesiarum usu, extenditur ad casus omnes, in quibus tres Nocturni recitantur. Aliquos non deesse fateor inter Rubricistas, qui limitationes Ritualis appositas pro depositione defuncti extendunt ad diem tertiam, septimam, trigesimam et Anniversarium, inter quos adnumerantur Gavantus et Baruffaldus, quibus alii Rubricarum expositores adhaerent. Sed praeterquamquod verba Gavanti satis clara non sunt, et in alium longe diversum sensum intelligi possunt, magis arridet Bissi sententia, qui in sua Hierurgia verbo *Invitatorium* § 5, posita limitatione Ritualis, quaerit: « an autem etiam sit dicendum (Invitatorium cum uno dumtaxat Nocturno) in die tertio, septimo, et trigesimo, depositionis? » Affirmative, respondet Gavantus. Ex rubrica quidem Breviarii citata contrarium colligi videtur, in qua habetur, quod Invitatorium dicitur tantum in die etc., et utique ly *tantum* restringit ad duos casus; nihilominus Gavantum non refello, si dicantur tres Nocturni; in eo namque casu semper esse dicendum Invitatorium videtur sensum esse rubricae, et ita in praxi fuit explicatum, nec dissentit Guyetus lib. 4, cap. 23, quaest. 17.

Succedit tertia Dubii pars, quae est de Missa solemni in Anniversario Summi Pontificis. Ad reprobandum morem, de quo in eodem dubio, satis esset auctoritas Scriptorum de re liturgica, quos inter Gavantus ad Rubricas Missalis par. 4, tit. 17, num. 6, haec habet: « In die Depositionis et Anni-

versario Summi Pontificis dicitur prima Missa; quia, quae raro adhibentur, pretiosa reputantur, neque quotidiana vilescunt consuetudine ». Amalar. lib. 3, cap. 40. « Et ideo Missa semel in anno constituta in Commemoratione omnium defunctorum dici iubetur in exequiis Summi Pontificis et Episcoporum ». Et Meratus ad hunc locum : « Dicitur Missa, prout describitur a Gavanto supra, cum Oratione *Deus, qui inter Summos Sacerdotes etc.;* illa nempe, quae est prima inter Orationes diversas pro defunctis cum sua Secreta et Postcommunio ». Quid tamen interest ad Scriptorum auctoritatem confugere, dum clara est nec indiget interpretatione rubricarum regula? In illa, quae praemittitur Orationibus diversis pro defunctis, ita legitur : « In die Depositionis et Anniversario Summi Pontificis dicitur prima Missa, praeter Orationes, quae dicuntur ut infra : Deus, qui inter Summos Sacerdotes etc. ». Cum igitur per hanc Rubricam regula servanda tradatur cum in exequiis, tum in Anniversario Summi Pontificis, eadem tenenda est, neque licet pro arbitrio praescriptae aliam sufficere Missam, ac diversas Orationes recitare.

Ad Dubium Additionale I. Clara et generalis est rubrica Ritualis Romani tit. 1, num. 7, videlicet : « In omni Sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus, et desuper stola eius coloris, quem Sacramenti ritus exposcit ». Idipsum habetur, ut de aliis Synodis sileam, in Concilio Provinciali I Mediolanensi, ubi S. Carolus Borromaeus expresse iubet, « ut Sacerdotes in Sacramentorum administratione semper superpelliceum et stolam adhibeant »; et in Instructione de Sacramentorum administratione pariter mandat « in omni Sacramentorum administratione semper superpelliceum decens et stolam adhibebit». Cum autem lex generalis sit, nulla excipitur persona quavis dignitate praefulgens: hinc fit, ut etiam Canonici, usum Cappae magnae habentes, Sacramenta administraturi eam debeant deponere, et superpelliceum assumere. Quod declaratum video pluries ab hac S. Congregatione. Ita in una Dubiorum Urbis : « An Canonicis usum Cappae habentibus liceat Sacramenta administrare cum solo Rochetto, et deposita Cappa » sub die 12 Iulii 1628 responsum fuit : « Sacramenta esse administranda cum superpelliceo et stola, iuxta Rituale Romanum ». Neque credas huiusmodi Decretum longo temporis decursu obliteratum in desuetudinem abiisse : nam eadem S. R. C. illud instauravit, et ad observantiam revocavit, simili quaestione proposita in Congregatione habita die 19 Iunii 1773 a Canonicis Collegiatae S. M. in Cosmedin Urbis. Idipsum dispositum habetur in Syracusana die 2 Augusti 1698, et in Pisauren. 12 Decembris 1750.

Ad Dubium Additionale II. Nemini dubium, quod Canonici Cappae magnae usum habentes, aut aliis honorificis Insigniis decorati, illam vel ista adhibere possint in propria Ecclesia, vel assistentes, vel incedentes et sacras functiones peragentes capitulariter, vel uti singuli operantes, excepto dumtaxat casu administrationis Sacramentorum, quae cum ex Rubricarum praescripto, tum ex Sacrae Congregationis Decretis, ut ad proximum Dubium notatum est, exigunt usum Superpellicei et Stolae. Ideo si quis ex Canonicis conciones habeat ad Populum, vel Sacris explanandis Scripturis, vel ad instituendos reformandosque mores Catechesibus ac spiritualibus exercitationibus incumbat, poterit in propria Ecclesia uti Cappa aliisve Canonicatus Insigniis pro temporum varietate. Haud tamen idipsum poterit in alienis Ecclesiis, vel intra, vel extra Dioecesim. Ita a Sac. Rit. Congregatione declaratum lego die 10 Septembris 1650 et 12 Martii 1678; praesertim vero habenda ratio est alterius Decreti in Capuana 15 Iulii 1651. Siquidem Canonici habentes ex Apostolico Indulto usum Cappae et Rochetti, tam in eorum, quam in quibuslibet aliis Ecclesiis, declarari postulabant : « num iisdem Insigniis uti possent in aliis Ecclesiis, dum Conciones habent » ; quibus responsum fuit : « Id eis non licere, nisi in propria Ecclesia ». Ex quo Decreto colligimus, quod privilegia deferendi Canonicalia Insignia extra propriam Ecclesiam, ita sunt intelligenda, ut id liceat, quando Canonici capitulariter, vel in Processionibus incedunt, vel in alienis Ecclesiis sacras peragunt functiones aut iisdem assistunt; Corpori siquidem concessa sunt, non Canonicis uti singulis. Quamobrem consequitur quod Canonicus habens usum Rochetti et Cappae extra Ecclesiam propriam concionaturus, aut aliam Ecclesiasticam functionem peracturus, uti non poterit privilegio Capitulo et Canonicis unum corpus constituentibus concesso, nec proinde adhibere Rochettum et Cappam, aut aliud honorificum Canonicale Insigne. Ne quis tamen sit, qui credat antedictum Sacrae Congregationis responsum accipiendum ita esse, ut Canonicis in pro-

pria Ecclesia liceat uti Cappa, nedum in Concionibus habendis, verum etiam in Sacramentorum administratione; cum generalis sit dictio: « Non licere, nisi in propria Ecclesia », quae nullam ponere limitationem videtur. Nam responsum relativum est ad Dubium super intelligentia privilegii extra propriam Ecclesiam; et Sacra Congregatio significare et declarare voluit, quod non omnia, quae fieri possunt in propria, aeque licent in aliena Ecclesia; quin tamen id permissum censuerit quod iura vetant: quale est administratio Sacramentorum cum Cappa et non cum Superpelliceo. Decreti igitur sensus est, quod Canonici possunt in propria Ecclesia uti singuli conciones habere, aliasque omnes functiones non capitulares peragere cum Cappa, excepta Sacramentorum administratione: extra vero propriam Ecclesiam nullibi et in nulla omnino functione eadem vel aliis Canonicatus Insigniis uti posse. Haud tamen inficior in more positum esse in Basilicis Urbis Sacramentum Poenitentiae administrari tam a Canonicis, quam a Beneficiatis Stola imposita supra Cappam in propria Ecclesia. Improbanda ne erit huiusmodi consuetudo, immo ne potius retinenda? Si mihi licet proprium expromere sensum, crederem morem hunc posse retineri; difficile namque esset illum abrumpere, et certum est Regulares vel ex consuetudine, vel ex privilegio, Sacramentum Poenitentiae administrare solitos, Stola dumtaxat adhibita, sine superpelliceo. Lex igitur coarctari potest ad aliorum Sacramentorum administrationem; Baptismatis scilicet, Eucharistiae, Matrimonii.

Quaeritur praeterea in eodem dubio. Num Canonicus, fungens officio Sacerdotis assistentis in Missa noviter ad Presbyteratus Ordinem evecti, debeat Cappam deponere? Nulla quod sciam, est lex, quae in tali occasione et officio usum Cappae prohibeat Canonico, in propria Ecclesia (in alienis servanda est regula generalis, de qua supra); quamobrem necesse non est, ut Sacerdos Assistens illam deponat, sed aeque poterit cum illa vel cum superpelliceo supra Rochettum hoc munus explere; non enim res est de conficiendo aut administrando Sacramento, sed de simplici assistentia Celebranti praestanda. Quoniam vero contingere potest, ut Sacerdos assistens debeat, aut tangere Calicem post Consecrationem, aut quid aliud agere immediate circa Sacramentum, proindeque stolam adhibeat; decens magis videtur, ut Cappam deponat, et induat Superpelliceum. Et revera si in Patriarchalibus et insignioribus Urbis Basilicis, dum fit solemnis ostensio Sacrarum Reliquiarum Canonici, qui assistunt Episcopo aut alteri Sacerdoti sacram peragenti actionem, Cappa deposita, Superpelliceum Rochetto imponunt; potiori iure, ob rationem supra allatam maxime congruit, ut idem fiat, dum Canonicus assistentiam praestat Sacerdoti primum Sacrum Deo offerenti. Neque id adversatur S. Congr. responso; quod, cum sit relativum ad Dubium: An teneantur deponere? facultatem importat, non inducit necessitatem. In hoc igitur crederem servari posse consuetudines Ecclesiarum.

Ad Dubium Additionale III. In qualibet Ecclesiastica functione illi adhiberi debent Ministri, qui ad eam rite diligenterque explendam sunt necessarii, iuxta regulas traditas tam a Rubricis, quam a Sac. Rit. Congregationis Decretis. Certum porro est, quod Canonicis in functionibus non Capitularibus, praesertim extra Cathedralem, ius nullum est cogendi Magistrum caeremoniarum, et Clericos violacea veste indutos ad sibi inserviendum. Visum est supra Canonicos uti singulos extra propriam Ecclesiam in Ecclesiasticis functionibus vix, ac ne vix quidem a simplicibus Presbyteris distingui. Quaestio igitur coarctari debet ad functiones non Capitulares, quales sunt Missa privata, administratio non solemnis Sacramentorum in Cathedrali explenda. In his Canonicus eos adhibere potest Ministros, quos exigit actio; Clerici vero, qui servitio Cathedrali sunt addicti, ei inservire tenentur induti talari veste eius coloris, quo illa in Ecclesia distinguuntur. Quod vero attinet ad caeremoniarum Magistrum, huic vestis violaceae usus competit, dumtaxat in functionibus Pontificalibus, non autem in Capitularibus. Siquidem rogata S. R. Congr. « An Magister caeremoniarum electus a Canonicis pro functionibus canonicalibus ex permissione Capituli, uti valeat veste violacea, tam praesente, quam absente Episcopo? » respondit in Aquilana die 22 Ianuarii 1735: « Affirmative tantum in functionibus Episcopalibus, ex dispositione Caeremonialis, non vero ex dispositione Capituli ». Videri etiam potest Bituntina 31 Aug. 1737. Quod si non licet Capituli Caeremoniario uti violacea veste in functionibus Capitularibus, multo minus ei licebit in aliis non Capitularibus; in iis videlicet, in quibus aliquis ex Canonicis vel Missam celebrat, vel Sacramenta administrat, vel alteri Ecclesiasticae functioni incumbit.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2581. NEAPOLITANA. (4543)

Quamvis hoc Decretum pertineat dumtaxat ad Iudices, qui operam navare debeant instruendis Inquisitionibus, vel Ordinaria, vel Apostolica auctoritate, in causis Servorum Dei et Beatorum, nihilominus opportunum duximus, illud huic nostrae Collectioni adnectere, quia ut generale haberi potest, et explicat, quae forte in taxa Benedicti XIV satis clara non sunt; quamobrem quaestionibus causam dederat. Siquidem in eadem taxa praecipitur, quod Canonici et Dignitates pro huiusmodi assistentia in Iudices delegati, « neppure possono pretendere, o conseguire alcun emolumento..... tanto in Roma, che fuori: ma solo nei giorni di tale assistenza, se siano obbligati al Coro, s'intendano dispensati dal medesimo, e lucrino le distribuzioni, come i presenti ». Quoniam vero aliquae sunt distributiones, praeter ordinarias et quotidianas, vel ex piis legatis, vel ex peculiaribus Constitutionibus, vel ex alia quacumque causa, quibus gaudere nequeunt, nisi actu et personaliter interessentes, quin ad eas lucrandas prosit aut inclinata aetas, aut infirmitas, aut aliud cuiuscumque generis impedimentum: ideo Dubium, num praefatae taxae dispositio ad has etiam distributiones extendatur. Per praesens autem Decretum omnis quaestio cessat, cum Sanctitas Sua declaraverit, Canonicis et Dignitatibus, ea de causa e Choro absentibus: « deberi distributiones, nedum ordinarias et quotidianas, verum etiam alias omnes quocumque iure, titulo et nomine, et quibusvis sub clausulis personale servitium exquirentes ».

ADNOTATIO
SUPER

2582. DECRETO GENERALI. (4544)

Missa pro Sponso et Sponsa, dum hanc celebrari licet, Votivis adnumerari certum est. Ad harum quippe classem refertur in Missarum Codice: quamobrem ritus servandi sunt a Rubricis pro Votivarum celebratione praescripti; etiamsi legatur, vel ex declaratione Rubricae, vel ex speciali indulto in diebus quoque ritus dupl. per annum mai. vel min., servata forma Decreti generalis 20 Decembris 1783; quia ritus Officii diei non mutat naturam Missae Votivae, quae ab illo omnino differt. Mirum hinc est quod non omnes aeque Parochi, hanc celebrantes Missam, unum eumdemque ritum tenere consueverint. Aliqui sunt, qui *Hymnum Angelicum* addi debere arbitrantur, alii vero eo usque deveniunt, ut etiam *Symbolum* vel semper addendum asserant, rati quod praefata Missa censenda sit pro re gravi, vel si iuxta Rubricas in Missa Officio diei respondente legendum foret, quasi Missa votiva quid commune haberet cum Officio occurrente. Haec opinionum divisio praesenti Decreto causam dedit. Certum porro est Nuptiarum Missam non esse pro re gravi, quae publicum Ecclesiae aut Communitatis bonum utilitatemque respiciat, non cum cantu celebrari, non ullam habere extrinsecam solemnitatem, quae conditiones sunt, quibus concurrentibus, vel *Gloria,* vel *Credo,* vel utrumque addi debent, prout diversa Missae qualitas exigit; sed est Missa privata sine cantu, sine solemnitate, et pro uno privatorum hominum nubentium bono. Pluribus possem id demonstrare, sed in re satis clara frustra tempus tererem. Una sufficiet Rubrica. Nedum in Missali votivis adnumeratur Missa pro Sponso et Sponsa: idcirco obtinet generalis regula: « In ipsis non dicitur *Gloria in Excelsis* nec *Credo* nisi pro publica Ecclesiae causa », verum etiam in ea singula, quae servanda sunt, speciatim distincteque notantur; praesertim vero in fine haec habentur: « Dicto *Benedicamus Domino,* vel si Missa illius diei conveniat, *Ite, Missa est* (videlicet si iuxta rubricas praefatumque Decretum celebrata sit Missa de Dominica aut Festo occurrente) Sacerdos, antequam populo benedicat, conversus ad Sponsum et Sponsam dicat etc. ». Igitur si in hac Missa (dum Votiva dicitur, non autem de Dominica aut Festo occurrente) omittitur *Ite, Missa est,* et ex rubricae praescripto dici debet *Benedicamus Domino,* palam fit, nec *Hymnum Angelicum* in ea sibi locum posse vindicare. Quoad *Symbolum,* praeterquamquod nulla ratio est, cur in Missa votiva lecta sine solemnitate, et ad publicum Ecclesiae vel Communitatis bonum utilitatemque non ordinata, dici possit; illud sufficit, quod, quando recitandum est, speciatim in Missali notatur; sed id certe non legitur in Missa pro Sponso et Sponsa. Addam recentissimum Decretum ab hac Sac. Congregatione editum die 13 Martii 1804. Director Calendarii Clericorum Regularium Minorum Villae Matriten. quaerebat: « Num

sequendus esset Ordo cuiusdam Calendarii Dioecesani, iubentis in Missa votiva pro Sponso et Sponsa Hymnum Angelicum, et unicam Orationem etc.?» et responsum fuit: «Servetur rubrica Missalis; et recens Decretum a S. R. C. die 20 Decembris 1783 emanatum, et a s. m. Pio VI confirmatum». Atqui ex Rubricarum lege *Hymnus Angelicus* Missis votivis lectis addi non debet, nec dimittendus Populus cum ℣. *Ite, Missa est,* cuius loco Sacerdos ad Altare conversus dicit: *Benedicamus Domino;* plane consequitur Sacram Congregationem, respondendo: «Servetur Rubrica Missalis»: ne *Hymnus Angelicus* legatur in votiva Nuptiarum Missa, clare decrevisse; addendo vero in reliquis servandam esse formam Decreti generalis anni 1783, declarasse eamdem Missam legi posse in duplicibus per annum, sive mai., sive min., sed per huiusmodi declarationem, aut, si vis, privilegium, non mutatur natura Missae votivae privatae, quae proinde exigenda est ad Rubricarum praescriptum, quemadmodum iubet prima pars responsionis: «Servetur Rubrica Missalis».

In hac autem Missa votiva praeter Orationem propriam eiusdem Missae, facienda est commemoratio de eo, de quo factum est Officium, cum tertia Oratione ad formam Rubricarum. Praefatio vero vel de Missa diei, si habeatur propria, sin minus, communis, ultimum Evangelium semper S. Ioannis. Vide Guyetum in Hortologia lib. 4, cap. 21, quaest. 12 et 14.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

URBIS

2584. CAPPELLAE PONTIFICIAE (4546)

«Sacerdos graeci ritus arbitratus non «sibi licere a patrio more recedere Fe«ria V in Coena Domini, et Communionem «sumere cum aliis duodecim Presbyteris «in Azymo, occasionem dedit quaestioni, «quam SSmus D. N. Pius VII Pont. Max. «ad Sac. Rituum Congregationem remisit. «Priusquam tamen proponeretur, Emus et «Rmus Dominus Cardinalis de Somalia Prae«fectus et Ponens dignatus fuit meum ex«quirere sensum: parui mandatis, breves«que aliquas adnotationes confeci, quas hic «subiicio».

La Comunione, che si premette alla Lavanda nella Feria V della Settimana Maggiore, include il gran Mistero dell'Istituzione della Eucaristia. È dogma di Fede, che il Divin Redentore nel far ciò usasse il pane di frumento; ma non è ugualmente di Fede, che questo fosse azimo, piuttosto che fermentato. Pressochè gli Autori tutti tengono che consecrasse in Azimo, per quella forte ragione, che l'ultima Cena fu nel tempo degli Azimi. Questo è il sentimento, che tiene la Chiesa Latina, la quale però sempre si è astenuta dal decidere la questione.

Certo è altresì che la Chiesa Cattolica Romana (checchè sia della questione acremente agitata da dotti Scrittori, se ne' primi secoli fosse in uso il fermentato, o se promiscuamente sì l'azimo, che il fermentato si adoperasse (certo è, dico, che da molti secoli addietro non altro adopra, se non che l'azimo, e vieta onninamente il fermentato. Bramerebbe ancor la medesima l'uniformità delle altre Nazioni Cattoliche, presso le quali è in uso il fermentato; ma poichè è assai difficil cosa il togliere certe consuetudini radicate ne' popoli, che sono tenaci nelle medesime; e trattandosi di punto non dogmatico, ma bensì di circostanza questionabile; Ella usa una saggia economia, affine di mantenere la concordia, la pace, l'unità fra le Nazioni, che, salvo il Dogma, discordano soltanto nel Rito; perciò provvidamente permette, che su questo articolo ciascuna Nazione mantenga il proprio rito, come venne dichiarato, dopo lunga discussione, nel Concilio Fiorentino. Quindi è che la medesima è assai cauta, e dirò ancora difficile nell'accordare il passaggio dal Rito Greco al Latino; e nol concede, se non concorrono gravi e ragionevoli motivi. Si può vedere la Costituzione di Benedetto XIV. *Etsi Pastoralis etc.* in data delli 26 Maggio 1742, in cui vengono prescritte le regole da doversi osservare rapporto agl'Italo-Greci.

Ma se al Dogma non appartiene la diversa modificazione della materia, cioè se la pasta, purchè sia di frumento, si adopri in azimo o fermentato per la Consecrazione e Comunione; vi può essere qualche caso, in cui venga permesso ai Greci di usar l'azimo. Non parlo dei Monaci di Grotta Ferrata, i quali, benchè siano di rito greco, nondimeno in vigore di Pontificia dispensa consacrano e si comunicano in azimo; e forse che altre dispense esser vi possono simili a questa; ma limitandomi a quelli, i quali, seguendo il rito della loro nazione, usano il fermentato, mi attengo a quanto trovo disposto da Bene-

detto XIV. Vieta Egli ai laici di Rito latino il ricevere la Comunione in fermentato; diversamente dispone rapporto ai Greci, permettendo loro l'azimo, allorchè si trovano fuori delle rispettive Parocchie, nè hanno Sacerdoti del loro rito. Così nella sullodata Costituzione art. 6, § 13: « Graecis tamen Laicis permittimus, ut ubi Parochiam Graecam non habent, possint, si velint, in Ecclesia latina Eucharistiam sub specie Azymi a Latinis Sacerdotibus sumere ». E siccome in alcuni luoghi vi era l'abuso, che promiscuamente i Latini si comunicavano in fermentato e li Greci in azimo; prevedendo il savio Pontefice la somma difficoltà di estirparlo, non comandò che assolutamente e radicalmente si togliesse, ma volle, che i Vescovi si studiassero con dolci modi di abolirlo, procurando di ridurre tutti all'osservanza del proprio rito. « Siquidem haec consuetudo sine Populi offensione animorumque commotione removeri non potest, Ordinarii curam suam suavissimis modis impendant, ut Latini semper in Azymo, Graeci autem, ubi propriam Parochiam habent, in Fermentato communicent ». Ciò vale lo stesso che dire di chiuder gli occhi, e tollerare la consuetudine, benchè abusiva, quando non si possa togliere senza cagionar scandalo, ed eccitar turbolenze.

Venendo ora al caso, che dà luogo alla presente questione, voglio ammettere non essere di assoluta necessità, che il Prete di Rito Greco nel Giovedì Santo a motivo della Lavanda riceva in azimo la Comunione; vi trovo peraltro un titolo, e meglio ancor dirò, più titoli di somma convenienza. Imperciocchè, se vi è circostanza, nella quale concorra una assai forte ragione di avere per dispensato il Prete Greco dal Rito della sua Nazione, onde possa uniformarsi a quello della Chiesa Latina appunto è la Comunione Eucaristica, che dai tredici Sacerdoti prescelti per la Lavanda si deve a questa premettere. Conviene all' unità dell'azione la conformità del Rito. Se la Comunione si premette ad imitazione degli Apostoli, che ricevettero dalle mani del Divin Redentore la sacra Eucaristia nella Istituzione di questo Sacramento; se una fu allora la qualità del pane a tal uopo usato; perchè mai il Prete Greco dovrà separarsi dagli altri, e non piuttosto nella identificazione a quelli unirsi con partecipare del medesimo Sacrificio? Possono i laici Italo-Greci, come si è notato di sopra, trovandosi fuori delle loro Parrocchie, ricevere in qualunque tempo la Comunione in azimo dai Preti Latini; e perchè nol potrà il Prete Greco una sola volta in una validissima circostanza, che lo esige; dovendosi il medesimo unire nell'istesso luogo ed all'istesso oggetto agli altri rappresentanti gli Apostoli per assistere al medesimo sacrificio, e celebrare la memoria del gran mistero, di quel che operò il nostro Divino Maestro, che prima di consumare la sua Passione volle dar loro un pegno di amore da durare per tutti i secoli nella Istituzione dell'Eucaristia, ed un esempio di umiltà, con lavare ad essi i piedi? Una fu l'azione, una fu la qualità del pane adoperato da Gesù Cristo; dunque nella rappresentanza del Mistero deve mantenersi l'uniformità del Rito colla unità dell'azione.

Di più, da' medesimi Sacerdoti non solamente sono figurati gli Apostoli, ma a certo modo altresì tutti i fedeli di Cattolica Comunione, benchè di Rito non sostanzialmente diverso, sparsi per le varie Regioni dell'Orbe Cattolico, riuniti sotto il loro Capo il Romano Pontefice, che ad imitazione del Redentore si umilia a lavare ad essi i piedi. Quantunque poi la maggior parte de' Padri ed interpreti sostengano seguita l' istituzione dell' Eucaristia dopo la Lavanda; non mancano però altri, i quali credono tale istituzione esser stata prima che Christo lavasse i piedi agli Apostoli, appoggiati all'espressione dell'Evangelista S. Giovanni cap. 13, v. 2, 4: « Et Coena facta – Surgit a Coena »; e si vuole, che il Divin Redentore ciò facesse per troncar la disputa insorta fra gli Apostoli sulla maggioranza; e con un esempio di tanta umiltà insegnar loro volesse, quale esser debba il carattere de' suoi Discepoli. (Si può vedere il Calmet a questo luogo). Attesa adunque la prima ragione desunta dalla rappresentanza, ed avutasi in qualche conto l'opinione non del tutto spregievole di quelli che sostengono l' istituzione della Eucaristia preceduta alla Lavanda; sembra cosa assai conveniente, che li tredici Sacerdoti unitamente ricevano la Sacra Comunione prima di passare alla Sala della Lavanda; e sarebbe disdicevole, che rappresentandosi l'istituzione del Sagramento, non tutti al tempo stesso e nello stesso Rito si comunicassero.

E poichè, come si è accennato, può con verità dirsi universale il sentimento, che tiene la Chiesa Romana, quantunque non

formalmente deciso, che Gesù Cristo consecrasse in Azimo, essendo tale il pane comune, che dagli Ebrei si usava per la Festa degli Azimi, non trovo ripugnanza, che per questa ragione unita alla gravissima circostanza di osservare l'uniformità nella rappresentanza, che fa il Prete Greco cogli altri Sacerdoti prescelti per la successiva Lavanda, possa e debba il medesimo partecipare in azimo della Sacra Eucaristia.

La suddetta ragione, tratta dalla qualità del pane usato da Gesù Cristo nella Cena Eucaristica, era di tanto peso presso gli Etiopi Cattolici, che quantunque seguissero il rito di consecrare in fermentato, nondimeno nella Feria V della Settimana Maggiore usavano l'azimo. Si può vedere l'Antoine, de Euchar. in append. § I, de Materia, ove vien riferito, che « Monachus Ordinis Sancti Antonii in declaratione coram amplissimis Cardinalibus facta anno 1594 rogatus: An Ethiopes celebrent in pane fermentato, vel in azymo? » respondit: « Ethiopes in fermentato celebrant, et illi, qui in azymo celebrant conficiunt etiam. Et nos in tota Ethiopia Feria V in Coena Domini singulis annis in huius rei memoriam in azymis celebramus ».

Tanto più che qui non si tratta *de Sacrificii confectione,* ma bensì *de Sacrae Eucharistiae participatione.* Imperciocchè, se, concorrendo una causa ragionevole, si accorda talvolta ai Sacerdoti Italo-Greci di poter consecrar in azimo fuori delle loro Parrocchie e Monasteri, ne' luoghi, nei quali non possono avere il comodo di praticare il loro rito; perchè non si avrà ad accordare, o espressamente, o tacitamente, la stessa dispensa, allorchè si tratta di sola partecipazione, che equivale alla Comunione *more laicorum,* in una circostanza che richiede uniformità di rito, per ragione del Mistero, di cui si celebra la solenne memoria? Cosa sarebbe inconveniente e ripugnante al buon ordine, che comunicandosi tutti gli altri rappresentanti gli Apostoli, e partecipando dello stesso Sacrificio, uno solo, cioè il Prete di rito greco a ciò mancasse, o in niun conto comunicandosi, ovvero celebrando o ricevendo la S. Eucaristia anticipatamente nella Chiesa del suo rito, per usare del fermentato, e non dell'azimo.

Credo perciò, che il Sacerdote di rito greco non solo possa, ma debba altresì unitamente agli altri Sacerdoti destinati per la Lavanda assistere alla Messa, che a tal oggetto si celebra, e ricevere in azimo la Sacra Eucaristia. E quando ancor restasse qualche dubbiezza, potrebbe il Santo Padre torla di mezzo, concedendo per questo solo caso in perpetuo la dispensa; e perciò potrebbe essere il Rescritto: « Affirmative, et ad D. Secretarium cum SSmo ».

Rimetto questo mio qualunque siasi sentimento al più purgato giudizio della E. V. Rma, che colla sua intelligenza saprà supplire al di più, che si sarebbe potuto dire a maggior dilucidazione del proposto Dubbio.

Così per verità ecc.

Luigi Gardellini
Assessore
della Congregazione de' Sacri Riti.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

DUBIA

2585. DE EPISCOPIS TITULARIBUS. (4547)

Quod Episcopi residentes in propria Dioecesi possint in Episcopali Palatio stabilem Cappellam erigere, in qua tam ipsi, quam alii Sacrum faciant, iura concedunt; et nemo est, qui de huiusmodi facultate excitet controversiam. Imo tales Cappellae a publicis vix, ac ne vix quidem, differunt; ideoque festivis diebus quotquot ibi Missae intersunt, satisfaciunt praecepto. Tale privilegium tam late extenditur, ut valeat, etiam si Ecclesia suo sit viduata Pastore, vel Episcopus absit. Nedum enim ita respondit Sacra Congregatio in casu particulari, verum etiam per modum regulae edixit in generali Decreto die 2 Iulii 1661: « In Cappella Palatii Episcopalis, etiam absente (Episcopo), vel vacante Sede, posse Missam celebrari potissimum vero per Vicarium: nec non in diebus festis inibi Sacrum audientes implere praeceptum Ecclesiae; sicque in casibus particularibus in posterum responderi mandavit ».

Verumtamen quaeri potest: num Episcopi vel de Residentia, vel Titulares, queant ubique locorum absque speciali Indulto habere Sacellum domesticum; vel hospitantes domi cum Parentum, tum Extraneorum, qui gaudent Oratorio privato, hoc uti valeant, ibique Missam celebrare vel celebrari facere ultra Sacrum illis concessum, quibus privilegium datum est. Utrique quaestioni respondens Andreuccius, de Episcopo

Titulari, part. 5, cap. unic., a num. 249 ad plures sequen., affirmativam tuetur sententiam, ubi diversa proponit sibi hac super re dubia, suasque responsiones conformat sententiae, quam principio adoptaverat, videlicet, quod Episcopi Titulares « possunt in suo Palatio deputare locum stabilem, in quo indifferenter ab omnibus Missa celebretur » ; ac plures pro se habere putat Theologos et Canonistas. Nec secus opinari videtur cl. Gatticus, de usu Altaris portatilis, cap. 12, privilegio innixus Episcopis a iure concesso, « ne ulla dies sine Sacrificio transeat », veluti habetur in cap. *Quoniam Episcopi,* de privilegiis in 6 : hanc tamen iis datam facultatem quosdam intra limites coercet, concluditque non licere, aut Sacrum fieri sine Episcopi praesentia, aut plures celebrari Missas ; quia, sicuti Indultum personale est, et non locale, utpote quod datum est in spirituale Episcopi commodum, nequit ampliari ; et finis stricte attendi debet, quem Pontifex habuit in concessione. Hinc Ara, quam in privata domo Episcopus componit, « ne ulla dies sine Sacrificio transeat », nequit ullo modo confundi cum Sacra Episcopii Cappella, quae ut publica reputatur.

Itaque repudianda est Andreuccii sententia ; et Gattici opinio non sine aliqua distinctione amplectenda. Discrimine est opus, et distingui debet Oratorium domesticum ab Ara portatili seu Viatoria. Si de illo res sit, certum est non licere Episcopis sine Apostolico privilegio privata in domo stabile fixumque Oratorium erigere ; etiamsi non in aliorum commodum, sed pro sui dumtaxat usu erigatur; sed neque fas ei erit uti Oratorio domestico aliis concesso, nisi servatis conditionibus et limitationibus in Brevi seu Pontificio Rescripto expressis.

Id adeo verum est, ut Episcopi Solio Assistentes, qui longe maioribus privilegiis cumulantur, praeter illa quae omnibus Episcopis communia sunt, nequeat in privatis eorum domibus Oratorium instruere, nisi ex speciali Indulto Gregorii XV, qui tamen huiusmodi Oratoria subiicit visitationi Cardinalis Vicarii in Urbe, et respectivi Ordinarii alibi ; imo consuetas addit clausulas et conditiones, et signanter illam celebrandi unicam Missam, vel ab alio Sacerdote celebratae interessendi : « dummodo in domo huiusmodi celebrandi alteri licentia concessa non fuerit »; quin ad satisfaciendum praecepto aliis haec Missa prosit, exceptis dumtaxat Familiaribus actuali servitio necessariis. Videnda Constitutio Gregorii Papae XV die 17 Augusti 1622 in magno Bullario Mainardi tom. V, part. V, num. LXXI, § 8.

Verumtamen temporis successu, cum plures irrepsissent abusus, forte quia Episcopi etiam non Assistentes, Oratorium domesticum simul confundentes cum Ara portatili, licere sibi arbitrabantur Sacrum facere in quolibet privato Sacello, minime servatis conditionibus et clausulis apponi solitis ; Clemens XI Apostolicae auctoritatis robur adiecit generali Decreto Congregationis Concilii, iussitque : « In Oratoriis privatis non licere quibuscumque Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare diebus Paschatis etc.; in reliquis vero diebus Sacerdotibus quibuscumque etiam Episcopis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quae Indulto conceditur, fuerit celebrata etc. ».

Etsi vero Episcopi nequeant in privatis domibus sine Apostolico Indulto Sacellum instruere, quod Oratorii domestici nomine venit, et teneantur se conformare legibus concessionis, si celebrare velint, vel Sacro adesse domi Laicorum, qui privilegio gaudent; non eis tamen interdictus est usus Arae portatilis in casibus a iure contemplatis ex dispositione Bonifacii VIII, relat. in cap. *Quoniam Episcopi,* de privilegiis in 6. Poterunt igitur in casibus a iure permissis amovibilem Aram componere etiam apud Laicos, qui domestico gaudent Sacello, neque hoc privilegium per Concilii Tridentini Decretum sublatum est, ut saepe declaravit Sacra Congregatio ; praesertim vero patet ex lib. Decretorum 12, pag. 120, ubi legitur: « Sacra Congregatio etc. censuit, Cardinales non solum, sed et Episcopos, sine ulla Episcopi Dioecesani licentia, uti posse privilegio Altaris portatilis ad praescriptum Constitutionis felic. recordat. Bonifacii VIII, quae incipit *Quoniam Episcopi;* nec huiusmodi privilegium sublatum fuisse Concilii Decreto cap. unic. sess. 22 ».

Errant qui putant a Clemente XI privilegium hoc sublatum fuisse Decreto emanato 15 Decembris 1703, in quo legitur: « Episcopis, et his maioribus Praelatis, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub praetextu privilegii clausi in corpore iuris, neque alio quoque titulo, nullo modo licere extra domum propriae habitationis in domibus laicis, etiam in propria Dioecesi, quod fortius intelligitur in

aliena, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, sive celebrari facere etc. ».

Non enim sapientissimus Pontifex eo privilegio privatos voluit Episcopos, sed abusus eliminandos iussit, qui irrepserant in sanctarum Sanctionum contemptum ac Sancti Sacrificii irreverentiam, revocando usum privilegii ad tramites iuris, et ad casus, in quibus talis usus concessus est, adempta facultate illud perperam interpretandi, et extendendi pro lubitu ad casus omnes non contemplatos, sed arbitrarios. Talem esse sensum Clementini Decreti firmat Benedictus XIV de Missae Sacrificio lib. 3, cap. 6, num. 6: « Ratio, quae Pontificem ad illud condendum Decretum impulit, ea fuit, quod resciverat nonneminem Episcoporum tam in sua, quam in aliena Dioecesi, domo sua egredi consuevisse, et ut primario cuipiam viro laico gratum faceret, qui non haberet privati Oratorii privilegium, ad illius domum se conferre, ibique vel ab aliquo Missam celebrare facere, aut etiam plures, si vir ille habuisset Oratorium privatum, ubi nonnisi unicam Missam eadem die liceret celebrari ». Episcopi etiam in aliena Dioecesi extra domum propriae habitationis, in privatis Laicorum domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum aut plures e suis Cappellanis vivificam Christi Hostiam immolari. Idcirco opus fuit Decretum Clementis XI declarare etc. Id factum fuit ab eius Successoribus Innocentio XIII in Constitutione *Apostolici Ministerii* legen. in dicto Bullar. tom. XI, par. II, n. XXXIV, § 24, et Benedicto XIII iuxta Decretum, quod habetur in Concilio Romano tit. XV, cap. 3: « Declaramus tamen, quod cum in praedicto Decreto (Clementis XI) statuatur non licere Episcopis extra domum propriae habitationis, in domibus laicis erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare sive celebrari facere, huiusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione visitationis vel itineris hospitio excipiantur, et nec etiam quando Episcopi in casibus a iure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicae licentia, absentes a domo propriae ordinariae habitationis moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis; his enim casibus licita iis erit erectio Altaris, ad effectum praedictae celebrationis ».

Ex his consequitur quod Episcopus domi commorans laicorum, qui Indulto gaudent Oratorii privati, haud possit hoc uti ultra terminos concessionis; valeat tamen in casibus dumtaxat a iure permissis, vel clare expressis, vel tacite contemplatis, in sui commodum, Aram portatilem seu viatoriam adhibere. Sed quoniam longe decentius videtur Sacram Hostiam Deo offerre in fixo ac stabili Altari, quam in Ara portatili et mobili; idcirco Sacra Congregatio sapienti consilio, postquam ad tramites Iuris responderat primo ex propositis Dubiis « Affirmative »; addidit: « Verum consulendum SSmo pro extensione privilegii, videlicet, quod Episcopi in casibus a iure permissis hospitantes domi vel parentum, vel extraneorum, qui gaudent indulto Oratorii domestici, possint et valeant in eodem celebrare vel celebrari facere loco et vice Arae portatilis, quam tantum extra propriam Dioecesim iisdem indulget Bonifacius VIII, cap. *Quoniam Episcopi*, de privilegiis in 6; servata in reliquis forma Decreti s. m. Clementis XI, iuxta tamen posteriores declarationes s. m. Innocentii XIII et Concilii Romani sub Benedicto XIII cap. XV, num. III ».

Neque tamen quis credat privilegium Bonifacii VIII adeo esse effraene, ut sine ulla omnino limitatione possit pro lubitu extendi ad casus non contemplatos a iure, vel ita posse ampliari, ut Missa ad formam eiusdem privilegii celebrata prosit pro adimplemento praecepti omnibus interessentibus et assistentibus. Talis non est sensus Decretalis; neque Innocentius XIII et Benedictus XIII declarando Decretum Clementis XI a iuris dispositione recesserunt. Quippe privilegium personale est, atque ideo concessum, ne contingat aliquam praeteriri diem, in qua Episcopus non celebret, vel saltem Sacro non assistat: ergo datum est ad solius Episcopi commodum, et spirituale solatium.

Id patet clarissime si spectetur cum causa, tum finis privilegii. Qua enim ratione motus Bonifacius VIII indulsit Episcopis: « ut Altare possint habere viaticum, et in eo celebrare vel facere celebrare ubicumque »? Vide quod sequitur. « Quia Episcopi se debent diversis ex causis a suis Ecclesiis et Dioecesibus absentare frequenter, nec semper possunt commode ad Ecclesias accedere pro Missa celebranda vel audienda in ipsis ». En igitur causa: qui vero finis? « sine qua (Missa scilicet) eos transire non decet absque causa rationabili

ullam diem ». Non est ergo privilegium tam late accipiendum, ut vel Episcopus sine ulla rationabili causa ubique locorum Aram erigere possit: vel Sacrificium in ea oblatum valeat pro omnibus interessentibus in adimplementum praecepti, vel plures Missas ibi celebrari liceat. Merito igitur Clemens XI non id, quod erat iure dispositum, deletum voluit, sed licentiam cohibuit, et sensim inductos abusus ex mala legis interpretatione eliminavit, veluti deinde ab eius Successoribus fuit declaratum.

Cum itaque Sacrae Congregationis rescriptum Pontificis auctoritate roboratum relationem habeat ad dispositionem iuris, plane consequitur ampliationem indulti ad Oratoria domestica et Altaria fixa favore Episcoporum hospitantium in aedibus laicorum, in quibus tale Sacellum ex speciali privilegio existit, non plus eis indulgere, praeter id, quod Pontifex Bonifacius concesserat; sed dumtaxat in casu facultatem transferre ab Ara viatica ad Altare fixum, ne contingat in una eademque domo, uno eodemque tempore Sacrum fieri in Altari fixo vigore particularis indulti, aliam vero Missam celebrari in Ara mobili et viatica, vi alterius privilegii clausi in corpore iuris. Atqui, attenta causa finali huiusmodi privilegii, Episcopo licet uti Ara viatica, ne ulla sit dies, in qua vel ipse non celebret, vel saltem Missae ab alio celebratae non assistat, iam quisque videt, planeque intelligit, ad unicam Missam in die contrahi novum indultum utendi Altari fixo, vice et loco Arae portatilis. Recte idcirco Gatticus loc. cit. num. 14 adversus Pasqualinum limitavit privilegium ad unicam Missam; quippe ait: « Quantum ad finem attinet concessionis, unica tantum permittitur Missa, eamque proinde in singulari nominat Bonifacius, et distinctione facta, illam celebrandi vel audiendi ». Sed quoniam maxime decet, ut Episcopus, Sacro peracto, alteri assistat, et hoc fere apud omnes positum in more est; idcirco Sacra Congregatio, ne Episcopi spirituali hoc solatio priventur, equidem *dubio secundo* respondit ad iuris formam, sed simul addidit: « Consulendum Sanctissimo pro extensione privilegii ad alteram Missam, quam post Sacrum ab ipsis operatum Episcopi audire solent »: quia solius Pontificis est privilegia privilegiis addere.

Hinc alterum descendit, quod, quum privilegium stricte datum sit Episcopis, nequit extendi ad domesticos et familiares, qui frui dumtaxat poterunt speciali indulto ipsis concesso, servatis clausulis et conditionibus in eodem appositis. Contra vero huius vigore Rescripti poterunt Episcopi in Ara fixa loco Arae portatilis celebrare, et celebrare facere in solemnioribus etiam diebus, in quibus alias non licet, quia Bonifacius VIII nullam excipit diem, dummodo causa intercedat, cuius intuitu privilegium datum est.

Eadem de causa, vel Episcopus celebret, aut celebrare faciat vigore Indulti tam in diebus solemnioribus, vel aliis festivis de praecepto, Missa non prodesse declaratur, nisi familiaribus illis, qui actu sunt necessarii, quia, ut supra probatum est, privilegium clausum in corpore iuris personale est favore Episcoporum, ne contingat ullum transire diem, quin Missam vel ipsi celebrent, vel celebrare faciant.

Hinc fit, ut vigore Indulti utendi Altari fixo sive Oratorio domestico loco Arae viatoriae, de quo in responsionibus ad duo prima Dubia adprobata et confirmata a Sanctissimo Domino Nostro Pio VII Pontifice Maximo, poterit Episcopus Sacrum facere vel audire in Ara fixa, etiamsi in eadem alia celebrata vel celebranda sit Missa illorum favore, quibus peculiare privilegium cum consuetis clausulis, conditionibus ac limitationibus datum est. Cum enim haec duo privilegia distincta sint diversisque personis concessa, non ita confundi debent, ut unum impedimentum alteri afferat.

SUFFRAGIUM
SUPER
2586. CONSTITUTIONE PII PP. VII. (4548)

« Quum Archiconfraternitas S. Mariae « de Campo sancto mordicus conaretur « tueri asserta privilegia, quibus innixa, « sine ullo delectu quoscumque petentes « sodalibus adscribere consueverat, ad hoc « praecise ut fruerentur Indulto Oratorii « domestici, rogatus ego, ut pro veritate « meum exponerem sensum, id pro mo- « dulo feci, ut sequitur ».

Due sono le questioni, che possono farsi intorno al privilegio, che si asserisce concesso da Leone Decimo a' Sacerdoti e Cappellani della Compagnia di Maria SSma detta di Campo Santo, mercè il quale possono, far uso dell'Altare portatile, e celebrarvi ancor prima dell'aurora.

La prima è, se veramente ancor sussista il menzionato privilegio, oppure sia stato rivocato.

Per la seconda, nell'ipotesi che sussista, si cerca se debba limitarsi ad alcuni soltanto, oppure estendersi senza eccezione, non che ai Fratelli che formano l'Archiconfraternita, ma a tutti gli aggregati in varie parti dispersi.

Riguardo alla prima questione, lasciamo da parte ciò che è estraneo dalla medesima, e limitiamoci al privilegio, il quale non può negarsi essere esorbitantissimo; ed appunto per esser tale, sono intimamente persuaso che fu compreso fra gli altri annullati dal Sacro Concilio di Trento, Sess. 22, cap. *De observan. et vitan. in celebrat. Missar.;* giacchè quel Venerabil Consesso ebbe principalmente il fine di raffrenare e moderare l'esorbitanza de' privilegi, per cui ne venivano gravissimi ed innumerabili abusi.

Peraltro dall'Autore del Pro-memoria si pretende, che l'anzidetto privilegio tuttavia sussista per tre (da esso riputate) validissime ragioni, cioè: 1. Perchè il Concilio di Trento parla delle facoltà illimitate, quali si erano arrogate i Vescovi, e non degl'Indulti Apostolici; 2. Perchè, quando ancora si voglia nella censura compreso, fu poscia restituito al suo pieno vigore da Pio IV con una nuova Bolla confermatoria; 3. Perchè li Sommi Pontefici Pio VI e Pio VII non hanno voluto derogare a sì fatto privilegio; onde si vuol dedurre, che lo abbiano approvato e confermato. Se ben si rifletta, e vengano esaminate queste tre ragioni con animo sgombro da prevenzione, si vedrà che si risolvono in nulla.

Ed in quanto alla prima, non è altrimenti vero che la censura del Decreto Tridentino si limiti all'oggetto di raffrenare li Vescovi nell'accordare simili Indulti. Si leggano attentamente le clausule amplissime aggiunte in specie al suddetto capo, le quali si estendono anche a quello che non è espresso nel Decreto, e derogano a tutti i privilegi, consuetudini ecc. « Haec igitur omnia quae summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, ut non solum ea ipsa, sed quaecumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi a Sacrosancta Synodo potestate, ac etiam ut Delegati Sedis Apostolicae, prohibeant, emendent, corrigant, statuant atque ad ea inviolate servanda censuris ecclesiasticis aliisque poenis, quae illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant: non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque ». Si ponga mente non solo a quel *summatim enumerata,* ma molto più alli termini estensivi ed ampliativi: *quaecumque alia huc pertinere visa fuerint,* e finalmente all'amplissima deroga dei privilegi ecc.; e poi si dica, che l'effrenato Indulto di Leone X non è compreso nella censura del Decreto.

Di più l'interpretare i Decreti del Concilio di Trento non è affare de' privati Scrittori, a' quali vien vietato il glossarli: motivo, per il quale non fu pubblicato il Settimo delle Decretali di Clemente Ottavo, perchè opportunamente fu previsto, che pubblicandosi, sarebbero stati glossati i Decreti del suddetto Concilio in esso inseriti, come era avvenuto riguardo agli altri libri del Diritto canonico. Vi è il Tribunal competente istituito da Pio IV per l'esecuzione, confermato ed esteso da Sisto V per l'interpretazione dei Decreti; voglio dire la Congregazione del Concilio, alla quale perciò privativamente spetta l'interpretare, lo spiegare e il dichiarare le questioni, che insorgono o sull'osservanza, o sull'intelligenza dei suddetti Decreti, non solamente riguardo alle cose espresse, ma altresì rapporto alle non espresse, e comprese sotto l'amplissima estensione: *quaecumque alia huc pertinere visa fuerint.* Or dunque in tutte le questioni a quel Tribunale portate, ha sempre il medesimo dichiarato, che pel menzionato Decreto restano annullati tutti i privilegi, non esclusi quelli, che hanno forza di legge universale, perchè inseriti *in corpore iuris.* Si veda Gattico, *de usu Altaris portatilis,* capo 13; Giraldi al capo suddetto del Tridentino; Fagnano al capo *In his, de Privilegiis;* Benedetto XIV, *De Sacrificio Missae,* lib. 3, cap. 6, num. 2, ed altri molti che tralascio per brevità. Non trovo alcuno degli Autori allegati, che si faccia carico di dimostrare, che vi sono alcuni privilegi non soggetti alla censura del Tridentino Decreto. Eccettuano soltanto il diritto dei Vescovi di erigere l'Altare nelle proprie abitazioni. La quale eccezione va presa così strettamente e con tanto rigore, che nè ai Vescovi, nè a' Cardinali è lecito l'erigere l'Altare portatile senza legittima causa, ma arbitrariamente nelle altrui abitazioni, benchè essi vi celebrino o vi facciano celebrare in loro presenza, come talvolta accadeva per abuso, oltre li casi contemplati dal Diritto. Così riferisce Benedetto XIV loc. cit. num. 6; onde Clemente XI sotto

il giorno 15 Decembre 1703 pose riparo a tal inconveniente. Ecco il Decreto: « Ad abusus huiusmodi eliminandos etc., Sanctissimus Dominus Noster, ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, inhaerendo aliis declarationibus alias hac re editis, expresse declarat Episcopis, et his maioribus Praelatis, etiam Cardinalatus dignitate fungentibus, neque sub praetextu privilegii clausi in corpore iuris, neque alio quoque titulo, nullo modo licere extra domum propriae habitationis in domibus laicis etiam in propria Dioecesi.... erigi Altare etc. ». Il qual Decreto fu preso con tale e tanto rigore, che si credette non avere i Vescovi altra facoltà fuor di quella d'avere un solo Altare nel proprio Palazzo Vescovile; ma venne poi spiegato da Innocenzo XIII e da Benedetto XIII nel Concilio Romano cap. 15, num. 3, che si doveva intendere dell'abuso di portarsi alle case de' Laici, ed ivi, eretto l'Altar portatile, celebrarvi o farvi celebrare la Messa. Ma non già, che non potessero i Vescovi erigere l'Altare nelle case, ove si trattenevano in occasione di visita, o per altra giusta ragione, a norma della Decretale di Bonifacio VIII in cap. *Quoniam Episcopi, de Privilegiis* in 6. Se dunque il sullodato Decreto del Concilio è stato interpretato con tanto rigore, che appena preserva il diritto de' Vescovi per uso proprio, e nei casi contemplati dal Diritto Canonico; vogliamo poi dire, che nella censura non si debba aver per compreso il Privilegio in questione?

Nè si deve trascurare, che il Decreto del Concilio non è limitato a' soli Regolari, ma espressamente comprende ancora li Secolari: « *Neve patiantur privatis in domibus Sanctum hoc Sacrificium a saecularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi* ». Dunque nella proibizione sono compresi tanto li Secolari che i Regolari, ed in conseguenza i privilegi sì degli uni che degli altri cadono sotto la clausola derogatoria. Ma qui mi sento replicare che le decisioni della Sacra Congregazione del Concilio parlano de' soli Regolari. È vero; ma qual conseguenza si può da ciò ritrarre? Oltre l'esser questo un argomento negativo, che nulla prova; v'è poi la ragione, ed è lo strepito ed impegno de' Regolari per sostenere i loro privilegii; onde il Gattico loc. cit. dice: « tanta contentione animorum disputatum est in favorem huius interpretationis (cioè che non fossero cassati li privilegii, ma bensì soggettati per l'esecuzione all'approvazione de' Vescovi) ut plusquam 25 Scriptores invenerim allegatos, qui tamen fere omnes causam suam tueri satagebant etc. ». Quindi le querele portate alla suddetta Sacra Congregazione, ed i dubbi insorti per la diversità de' sentimenti. Onde la medesima fu obbligata a dichiarare l'abolizione de' privilegi. Allo stesso modo avrebbe deciso, se fosse stato disputato del privilegio, che ora si vuol sostenere dall'Archiconfraternita di Campo Santo. Sì questo che quelli sono amplissimi, tutti accordati dall'Apostolica autorità, alcuni inseriti *in corpore iuris*. Qual sarà dunque la cagione, per cui nell'uguaglianza delle circostanze, alcuni abbiano ad aversi per annullati e cassati, ed altri no? Per me dunque è cosa chiara ed evidente, che la vantata Bolla di Leone X è involta nell'abolizione degli altri privilegi.

Se non che (qui mi si replica) dato ancora che la suddetta Bolla in vigore dell'accennato Decreto sia rimasta involta nell'abolizione degli altri privilegi, la posterior Bolla di Pio IV la fa rivivere. Cosa è questa facile a dirsi; la difficoltà consiste nel sostenerla. Se è vero l'assioma che *posteriora derogant prioribus,* la vantata conferma svanisce. Si combinino le diverse date, e poi si decida. La Bolla confermatoria del privilegio, portando la data *die decimatertia Ianuarii 1503 Pontificatus nostri anno quarto,* è anteriore alla Bolla, colla quale dallo stesso Pio IV fu confermato il Concilio, il quale non prima di tal conferma acquistò forza di legge. Il Concilio ebbe il suo compimento alli 4 Decembre 1563, ed i Legati fecero istanza per la conferma alli 26 Gennaio 1564, e sotto questo giorno fu data la Bolla *Benedictus Deus etc.* (Bollario Tom. 4, part 2, pag. 168). Ma se la Bolla confermatoria del privilegio è anteriore, si rende certo, che venne rivocata dall'altra concistoriale, mercè la quale li Decreti del Concilio acquistarono fermezza Apostolica.

Se ciò non basta, v'è ancora di più. Dopo aver Pio IV confermato il Concilio, dopo aver prefisso il tempo, in cui dovevano mettersi in osservanza i Decreti, dopo aver deputata una Congregazione di otto Cardinali, ai quali fu commessa l'esecuzione; pubblicò altra Bolla *In Principis Apostolorum Sede etc.* data li 20 Febbraio 1565; colla quale vengono espressamente rivocati tutti i privilegi benchè effrenatissimi, pre-

cedentemente concessi a corporazioni, congregazioni, persone rispettabilissime e perfino a Nunzii Apostolici e Legati *a latere*. Troppo anderei in lungo, se volessi qui riportare l'enumerazione di tutti li corpi e persone celebri ed insigni, che vengono comprese nella legge. Ognuno si può soddisfare, leggendola nell'anzidetto Tomo del Bollario pag. 214. Ora chi vorrà darsi a credere, che dalla legge universale andassero esenti gli esorbitanti privilegi dei quali si pretende arricchita la Compagnia di Campo Santo? È dunque da conchiudere, che a sosteoere il vantato privilegio nè vale la Bolla di Leone X, nè giova la confermatoria di Pio IV, ma restano ambedue annullate per il Decreto del Concilio, che quantunque anteriore alla seconda, è però posteriore in quanto all'avere acquistata forza di legge in virtù della conferma Apostolica ad esso data un anno dopo l'accennata Bolla emanata a favore della Compagnia di Campo Santo. Ma quando ancora si volesse su ciò questionare, tronca ogni disputa la Costituzione *in Principis Apostolorum Sede*, che annulla tutti i privilegi.

Ciò è tanto chiaro, che non fa d'uopo trattenerci sulla seconda revoca fatta da Clemente VI nell'anno 1703; e perciò passo ad esaminare la terza ragione. Con somma franchezza nel *Pro-memoria* si asserisce, che l'impugnare la sussistenza della Bolla di Leone X e successiva conferma di Pio IV è contro la decisa intenzione dei due Sommi Pontefici Pio VI e Pio VII come si promette di dimostrare. Se è così, è finita ogni questione. Domando però io: ove è questa dimostrazione? su quali fondamenti s'appoggia? Per quanto vedo, tutta la dimostrazione si risolve in nude e vuote parole. Si dice: « Egli è noto, che il gran Pontefice Pio VI nell'anno nono in circa del suo Pontificato, esaminato codesto privilegio, non volle derogarvi ». Ma a chi mai è noto? esternò forse il Santo Padre questa sua indiretta approvazione in qualche piena Congregazione avanti a sè adunata, o la rese pubblica con suo speciale rescritto? Nulla di ciò. S'asserisce: *Egli è noto;* ma non si produce alcun argomento, che il faccia noto. Peraltro diamo per un momento, che sia noto; convien vedere ciò che si debba, non ciò che si voglia aver per noto. Può ben stare, che il Santo Padre non abbia voluto fare alcun atto positivo contrario, senza che questo porti tacita approvazione. Può aver creduto non esser necessaria nuova deroga; bastando che al supposto privilegio abbia derogato il Concilio, ed in seguito Pio IV colle sue sopraccennate Bolle. Se Pio VI avesse voluto approvare o avere per tuttavia sussistente il privilegio, gli era facile il farlo con suo Breve, anzi si rendeva necessario per impor fine alle dispute.

Nè diversamente dee dirsi del contegno, che si pretende tenuto dal presente Sommo Pontefice Pio VII. Tutto il fondamento è appoggiato all'assertiva dell'autore del *Pro-memoria*. Una pruova di tal sorte non si ammetterebbe, neppure in una questione triobelare. A buon conto si confessa, che v'erano de' ricorsi per l'abuso del supposto privilegio. A buon conto per porvi rimedio fu minutato il Breve derogatorio, o sia declaratorio della nullità; e questa minuta si trova trasmessa alla Segreteria del Tribunale del Vicariato, ed ivi si custodisce. Tutto questo è certo; il di più consiste in nude parole. — Ma la suddetta minuta non è sottoscritta; ma non è stata ridotta a pubblico legale Pontificio Breve. — Ciò che prova? Non altro, se non che la detta minuta non può avere alcuna forza; ma non già, che il Pontefice persuaso della sussistenza del Privilegio abbia creduto indoveroso il derogarvi. (Ciò tanto è vero, che se allora non si potè dare esecuzione al Breve già minutato per le dolorose sopraggiunte vicende: per altro, dopo il ritorno del Santo Padre alla sua Sede, una delle sue prime cure è stata quella di troncare il corso agli abusi, come gli ha tolti, e proveduto all'avvenire colla presente Enciclica).

Da tutte queste ragioni io sono pienamente persuaso e convinto, che il decantato Privilegio è del tutto abolito, e più non esiste. Si passi ora alla seconda questione; nella quale (data l'ipotesi, che il Privilegio sussista) si cerca se sia limitato e ristretto, ovvero di tanta estensione, quanta si pretende da chi sostiene il preteso diritto dell'Arciconfraternita. Considerata bene la Bolla di Leone X, io sono d'avviso, che il privilegio si debba intendere per conceduto soltanto a quelli, che ascritti in Roma, ove è fondata la Confraternita, nella medesima attualmente esercitano quelle opere di pietà, che sono proprie della medesima, e furono il motivo, onde il Pontefice accordasse sì questo, che gli altri privilegi contenuti nella Bolla.

Si vede qual fu la causa motrice. La

premura, che « quaecumque pia opera et pia Christifidelium devotione ordinata, ut perpetuis futuris temporibus persistant.... et, ut praemissa Christifidelium vota facilius concurrant, fideles ipsos quibusdam spiritualibus et allectativis muneribus libenter prosequimur ». Ed atteso che gli ascritti alla Confraternita, fra l'altre opere di pietà, s'impiegavano a pro degl'infermi sì nel loro Spedale, che nelle case, ed a pro de' pellegrini qua e là per Roma dispersi, con seppellire i defonti nel loro cemeterio, come diffusamente viene dichiarato nella detta Bolla: per animare i fratelli al proseguimento di opere così pie ed insieme laboriose, Leone X si mosse a decorare la medesima d'amplissimi privilegii, e specialmente di quello, che dà motivo alla presente questione. Giova qui trascrivere interamente la particola; « Liceatque eisdem confratribus, qui Praelati aut Presbyteri fuerint, ac etiam Cappellanis praefatis habere Altare portatile cum debitis reverentia et honore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis sine iuris alieni praeiudicio, etiam antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, ita tamen quod id eis aut Sacerdotibus taliter celebrantibus ad culpam nequeat imputari ».

Se dunque il privilegio è accordato a contemplazione delle opere di carità cristiana, che sono proprie dell' Istituto, nell'assistere gl'infermi, nell'aiutare i pellegrini, in dar sepoltura ai defonti; ne viene per conseguenza, che a poter far uso del Privilegio, si rende necessario impiegarsi in tali opere; onde si deve credere, che la mente del concedente sia stata di accordarlo a' Prelati, Preti e Cappellani, che ascritti all'Arciconfraternita, e dimoranti in Roma, si esercitano, per quanto loro è permesso, con tutto l'impegno nelle opere suddette. Sarebbe una stravaganza il supporre, che Leone X abbia voluto render partecipi de' privilegii tutti indistintamente, cioè sì quelli che attualmente s'impiegano nelle opere dell'Istituto, e gli altri che, abitando lungi da Roma, non hanno altro fine nel dare il nome alla Compagnia di Campo Santo, se non quello di godere li privilegii. Chi pensasse così, farebbe un torto alla memoria di Leone X.

Ma dove è la facoltà concessa all'Arciconfraternita d'accordare l'aggregazione a chiunque la chiede, benchè assente e domiciliato in lontane regioni? Potrà la medesima aggregare altre Confraternite, che si conformino *in substantialibus* all'Istituto, secondo le regole prescritte da Clem. VIII, ma non godere d'una effrenatissima facoltà di comunicare agl'individui ascritti e lontani li privilegii, senza far distinzione fra quelli, che si ascrivono per esercitare le opere di pietà, per le quali sono stati accordati gl'indulti, e quelli, che domiciliati assai lungi da Roma, nè vogliono, nè possono impiegarsi nelle medesime, bastando loro godere de' privilegii senza soggiacere ai pesi. È del tutto incredibile che Leone X abbia voluto accordare un indulto così esorbitante, che avrebbe prodotti infiniti disordini, come pur troppo è accaduto per la falsa ed arbitraria interpretazione contraria allo spirito del medesimo ed alla mente del concedente, come ne fanno fede le querele avanzate da' Vescovi.

Anzi tanto è lontano, che il Papa abbia voluto lasciare aperta la strada ad una libertà così effrenata ed illimitata; che v'è ragione più tosto da credere, che abbia voluto limitare il privilegio anche a favore di quelli, che *actu inserviunt*, sicchè vada congiunto l'indulto coll'esercizio. Non per niente è apposta quella clausola condizionale: « cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit ». L'istesso è che dire doversi intendere l'uso dell'Altare portatile e la facoltà di celebrare *ante diurnam lucem* non arbitrariamente, non in qualunque tempo, occasione e luogo, ma bensì allora quando l'occupazione e l'opera impiegata per l'Arciconfraternita l'esigono. Ivi non si parla di qualunque negozio, di qualunque affare, ma di negozii ed affari relativi all'Arciconfraternita. Che se l'indulto fosse semplice, generale ed assoluto, sarebbe fuor di luogo e superflua la suddetta clausola. Quando è certo, che nella parte dispositiva delle Bolle e de' Brevi, nulla v'è che debba aversi per superfluo, e non siavi inserito per qualche ragione.

Che se dunque v'è giusto motivo per credere, che l'indulto, (nell'ipotesi, che sussista) sia condizionato e limitato anche a favore di quelli che s'impiegano lodevolmente nell'esercizio dell'Istituto, compresi perciò ancora i Cappellani amovibili; dovremo poi dire, che il medesimo si debba indistintamente estendere a tutti gli aggregati, benchè questi non abbiano in vista, che la sola partecipazione del privile-

gio, ma non già l'esercizio delle opere, per le quali fu il privilegio concesso? Una tale interpretazione ripugna al buon senso, onde non può esser ammessa per verun modo.

Ma si vada più avanti. L'uso dell'Altar portatile non si concede, che a' Sovrani, a' Cardinali e Vescovi (benchè a questi limitato sia il privilegio per li soli luoghi, ne' quali essi o stabilmente o accidentalmente dimorano, e nelli soli casi permessi dal Diritto), a' Missionarii nelle parti degli infedeli ed a' naviganti, sempre però con alcune condizioni, restrizioni e riserve; e l'indulto dell'Oratorio domestico a' soli nobili, o che vivono *more nobilium,* o che, avendo altronde meriti personali, soffrono incommodi di salute, onde non possono, oppure riesce loro assai grave portarsi alla Chiesa per celebrarvi, o assistere alla Messa. Ma se sussistesse il Privilegio di Campo Santo nella pienezza dell' estensione alla quale è stato portato dall'abuso, ne verrebbe una stravagantissima conseguenza, cioè, che la suddetta Arciconfraternita goda un indulto così illimitato ed esteso, che supera le facoltà accordate alla stessa Segreteria de' Brevi, la quale nondimeno non ne fa uso, che dopo essere stata riferita l'istanza al Papa, che è il solo concedente. Di più, che gl'individui aggregati, nell'estensione del privilegio, sarebbero superiori ai Vescovi, poichè questi non possono far uso dell'Altar portatile, se non che in occasione di visita o d'alloggio o dentro o fuori di Diocesi, e ne' casi contemplati dalla legge, nè fuori dell'Episcopio possono avere l'Oratorio domestico fisso, se non ottengono uno speciale indulto, e son tenuti alle condizioni, limitazioni e clausole contenute nel medesimo. Quando quelli a capriccio porterebbero il loro Altare portatile ovunque loro piacesse, o per proprio, o per altrui comodo. E volendosi restringere la questione all'Oratorio domestico, in molti, e senza dubbio nel maggior numero, mancherebbero le qualità e condizioni volute dalla Segreteria de' Brevi, e anderebbero esenti dalla visita ed approvazione de' rispettivi Vescovi. Inconvenienti grandissimi, che portano più gravi disordini lesivi di quella decenza, riverenza e religione, onde trattar si devono li Divini Misteri. Non so se in vista di tali ragioni vi sarà alcuno, che ancor persista in voler sostenere il vantato privilegio ampliato ed esteso dall'abuso.

Atteso dunque quanto finora s'è detto, ponderate l'addotte ragioni, ed altre, che si potrebbero recare, se facesse di bisogno per la verità ricercata, giudico, che l'Indulto di Leone X poi confermato da Pio IV sia stato abolito, e cessato unitamente agli altri privilegii dal Decreto del Concilio di Trento, e dalle due Bolle dello stesso Pio IV: *Benedictus Deus,* di Gennaio 1564, ed *In Principis Apostolorum Sede,* del Febbraio 1565. In oltre credo per verità, secondo l'intimo mio sentimento, che il Privilegio, giusta la mente del concedente, dovesse andar congiunto coll'esercizio delle opere pie proprie dell'Istituto, non mai esteso agli aggregati per godere la sola comunicazione del Privilegio. Per conseguenza credo che, ripristinandosi dall'autorità Apostolica il privilegio derogato e soppresso, questo non dovrebbe valere, che ai soli confrati, che possono e vogliono, e per quanto loro è possibile, esercitano le opere di pietà e carità cristiana, a contemplazione delle quali fu concesso il privilegio. Ben è inteso però che in vigor dell'indulto, per Altare portatile si debba intendere l'Oratorio domestico, il quale facilmente si confonde coll'Altare portatile.

Che è quanto per verità ecc. Salvo ecc.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2387. HISPALEN. (4549)

Ad Dubium I. In communi plurimorum Martyrum ad ℟. VIII vel II sequens legitur Rubrica: « Sequens Responsorium (Haec est vera fraternitas) dicitur post 8 vel 2 lectionem in Festo plurimorum Martyrum fratrum ». Dubitatum aliquando fuit num haec Rubrica intelligenda esset dumtaxat de fratribus secundum carnem, vel eos etiam comprehenderet, qui spirituali foedere unum idemque Institutum profitentur, et uti fratres habentur et nuncupantur. Stricte sumendam esse Rubricam de fratribus sanguinis vinculo coniunctis, et ex eodem genitore progenitis vere talibus, Rubricarum expositores, Ecclesiae praxis, Sacrae huius Congregationis Decreta plane evincunt. Unus ex Scriptoribus sat erit Gavantus, qui ad hunc locum Rubric. Breviar. sect. 8, cap. 2, num. 9 haec habet: « Responsorium *Haec est vera fraternitas* non dicitur unquam, nisi vere hi sint fratres secundum carnem: quod si cum fratribus carnalibus celebrentur alii non fratres, in eodem festo, non dicitur ». Hanc autem Ru-

bricae interpretationem praxis Ecclesiae probat, si in Breviario mutandum esse Responsorium notatur in eo tantum casu, in quo de solis Martyribus fratribus Officium fit. Id adeo verum est, ut nec Responsorium mutatur in Festo Sanctorum Eustachii, coniugis et filiorum, qui simul eodemque Martyrii genere interiere, quia licet filii inter se fratres sint secundum carnem, coniunguntur tamen in eodem Officio cum Patre et Matre. Declarationes accedunt Sacr. huius Congregationis in una Ordinis Sancti Benedicti ad dub. 3 quaesiti 3, die 10 Iunii 1690, et clarius recentissime in una Ordinis Clericorum Minorum Villae Matriten. die 13 Martii 1804. Nihilominus haec regula, etsi generalis, suas patitur limitationes, si aliquis religiosus Ordo gaudeat peculiari privilegio legendi ℟. *Haec est vera Fraternitas,* dum fit officium plurimorum Martyrum eiusdem instituti. Hoc fruuntur indulto Fratres Minores Sancti Francisci ex eorum Rubricis post maturum examen approbatis et confirmatis a felic. record. Pio PP. Sexto, occasione novae editionis Breviarii trium Ordinum. Siquidem num. 196 habetur: « ℟. ultimum . . . in Officio plurium Martyrum fratrum (sive fratres fuerint secundum carnem, sive nostrae Religionis filii) esse debet ». Porro haec Rubrica exceptionem regulae ponit, cui non detrahit postrema declaratio anni 1804, qua S. R. C. generali quesito: « An rubrica etc. intelligenda sit nedum de fratribus secundum carnem, sed etiam de ipsis secundum institutum Ordinis? » Respondit « Negative ». Nec secus poterat, cum in proposito dubio relatio haberetur ad Rubricam generalem Breviarii, quin ulla fieret mentio peculiaris indulti, quo gaudent Fratres Minores. Diversa vero ratio est in praesenti quaestione, quae exceptionem ponit ex peculiari privilegio. Ne sit autem qui arbitretur responsum S. C. ad hoc primum dubium pugnare cum Decretis supra indicatis. A casuum quippe diversitate diversa petenda est decidendi ratio.

Ad Dubium II. S. haec Congregatio adprobavit anno 1666 sub die 13 Februarii nedum Rubricas peculiares Ordinis Minorum, verum etiam notanda quaedam ad easdem, seu excepta ex eiusdem S. C. resolutionibus, quarum altera est: « In Missa dicendum est *Confiteor* pure et simpliciter, prout habetur in Missali Romano absque additione alicuius Sancti etiam Patroni, qui in sola Oratione *A cunctis,* et postcommun. *Mundet* addendus est »; et in una Ordin. Min. de Observ. Provinciae Conceptionis B. M. V. in Regno Portugalliae ad quaesitum: « An in oratione et versiculis B. Francisci possit addi a Franciscanis *B. Patris nostri* »; sub die 18 Decembris 1779 respondit « Negative ». Huiusmodi autem Decreta generalem ponunt regulam; sed quoniam in nova editione Breviarii trium Ordinum legitur sequens rubrica num. 158: « Omnibus hoc Brevario utentibus licitum est in *Confiteor* ad Primam et Completorium et Missam post nomina Ss. Apostolorum addere nomen B. Patris nostri Francisci; aeque Patris nostri appellatio licet iisdem pariter in ℣. *ora pro nobis etc.,* et in orationibus seu Breviarii, seu Missalis, in quibus Seraficus idem Patriarcha nominatur etc. »; ideo haec specialis facultas Pontificis adprobatione et auctoritate roborata, ut praefatis Decretis posterior est, ita id licitum facit utentibus Breviario trium Ordinum, quod sine huiusmodi privilegio foret illicitum.

Ad Dubium III. Hoc dubium tres habet partes. In prima quaeritur: Num quatuor Anniversaria, quae fiunt pro universis fratribus, benefactoribus etc., celebrari possint occurrente Officio rit. dup. min. In secunda: An in commemoratione generalissima omnium defunctorum Ordinis omitti debeant Psalmi *Lauda anima mea Dominum,* et *De Profundis.* In tertia: An versiculi Nocturnorum dici debeant in singulari, quando pro uno fit Officium defunctorum?

Praemittenda est Breviarii trium Ordinum. Rubrica num. 214: « Quatuor a nostratibus Officia generalia pro defnnctis debent quotannis fieri. Tria pro universis Fratribus, eorumque et nostris propinquis et benefactoribus; quartum pro Patribus et Matribus Fratrum omnium etc. His addendum generalissimum aliud pro Fratribus et Sororibus omnium statuum trium Ordinum etc. ». Et relate ad illa, quae generalia sunt, sed non generalissima, altera attendi debet Rubrica num. 222 videlicet: « Pro aliis vero quatuor Officiis praeter dies pro generalissimo impeditos, impediti quoque sunt illi, in quibus duplicia minora quaecumque vel occurrunt, vel reponi debent ». Posita autem hac Rubrica, quaenam sit ratio dubitandi quoad primam Dubii partem, non intelligo: quandoquidem regula celebrari vetat quatuor illa generalia Anniversaria in occursu Officii etiam ritus dupl. min.; forte enim huic quaestioni occasionem dederunt plura Decreta in hac Collectione

legenda, quibus declaratur Anniversaria quaedam celebrari posse etiam in occursu Festi rit. dupl. mai. Sed quaenam sunt Anniversaria, quae hoc gaudent privilegio? Non alia praeter illa, quae ex dispositione Testatorum quotannis, recurrente ipsorum obitus die, solemniter cum cantu celebranda sunt. Haud igitur privilegium huiusmodi trahi potest ad alia Anniversaria, quae pro lubitu fiunt, aut ex quadam lege Instituti, aut ex alia quacumque causa. Nemo ignorat privilegia stricte esse accipienda, neque extendi posse ad casus non expressos. Itaque nedum attenta peculiari Franciscanorum rubrica de non celebrandis Anniversariis in quocumque Festo rit. dupl., sed et Sacrae huius Congregationis Decreto in una Ordinis Minorum de Observantia Sancti Francisci Provinciae maioris Poloniae 11 Maii 1754 quatuor illa Anniversaria, de quibus in dubio, celebrari minime poterunt in occursu cuiuscumque Festi ritus duplicis per annum.

Venio nunc ad illud generalissimum, quod ex peculiari Franciscanorum rubrica num. 215 fieri debet post Festum Sanctorum trium Ordinum, die item proxime non impedita. Hoc autem celebrari poterit, etiamsi occurrat Festum rit. dupl. min. cum in altera rubrica num. 219 dies impediti enumerentur festivi de praecepto, aut in quibus expositum est Augustissimum Sacramentum, aut occurrunt Festa ritus dupl. mai. vel altioris. Ita etiam declaratum video ab hac Sacra Congregatione in Einsidlen. 5 Mai 1736. Et iure id quidem. Nam Anniversarium, in quo fit commemoratio solemnis omnium defunctorum alicuius regularis Instituti per Christianum Orbem extensi, aequiparatur solemnitati commemorationis omnium fidelium, iisdemque gaudet privilegiis, uti colligitur ex Decreto supra laudato; dummodo tamen certa habeatur assignata dies, ut in more est apud Franciscanos, qui hanc commemorationem facere tenentur post Festum omnium Sanctorum Ordinis, nisi occurrant aut Festum de praecepto aut Officium dup. primae, vel secundae classis, aut etiam rit. dup. mai. Et revera si commemoratio omnium fidelium defunctorum, quae communis est omnibus Ecclesiis, gaudet indulto, ut de ea fiat, etiamsi habeatur Festum rit. dup. min., vel occurrens, vel translatum, cur nequibit eodem frui commemoratio defunctorum alicuius Ordinis regularis, quae non minus celebris est respective ad eiusdem Ordinis Ecclesias, in quibus eadem statuta die peragi debet?

Altera hic quaestio fieri potuisset, nimirum: « An, si fiat ea die Officium Fest. rit. dup. min., vel occurrentis, vel translati, Missae privatae celebrari debeant de Festo, vel *de requiem?* » Dubium solvit praefatum Decretum in Einsidlen., in quo legitur: « Omnes Missae privatae dicuntur pro defunctis in paramentis nigris ». Cavalerius tamen oper. tom. 3, cap. 7, decret. 2, num. 2, dubium excitat: « An item Missae privatae *de Requiem* dici debeant aut possint, si pro Anniversario non applicentur? » Et in negativam propendit sententiam : « Quia privilegium in gratiam defunctorum, de quibus commemoratio solemnis agitur, et in uberius eorumdem suffragium, quo Missae *de requiem* pro iis de Festo gaudere creduntur, praecipue factum extitit ». Huic opinioni adhaerendum non esse videtur; ex ea namque sequeretur, quod minime posset in Ecclesiis Regularium, ubi fit generalis isthaec commemoratio, si incidat cum Festo rit. dup. min., dici Missa *de requiem* pro defuncto in particulari, sed posse dumtaxat, si applicetur generatim pro omnibus; contra ac statuit S. C. quoad commemorationem omnium Fidelium defunctorum in una Dalmatiarum 4 Augusti 1663, Ordinis Cappuccinorum 15 Februarii 1710, et in Aquen. 2 Septembris 1741. Errat autem, aut non clare se explicat Scriptor caeteroqui doctissimus, addens: « Idem iudicium facito de commemoratione omnium Fidelium defunctorum; ita ut, occurrente Festo duplici minori, solum illae Missae *de requiem* dici queant, quae pro defunctis generatim applicari debent ». Illud enim *generatim* cum accipi possit de applicatione indistincte pro omnibus, indiget declaratione, videlicet, quod iuxta Decretorum sensum omnes Missae privatae celebrari debeant *de requiem;* et quod applicari nequeant, nisi pro defunctis, vel in genere pro omnibus, vel in specie pro uno alterove. Pari modo eadem regula sequenda est in commemoratione generalissima defunctorum alicuius Ordinis regularis; ita ut in Ecclesiis, in quibus haec fit commemoratio, aliae privatae Missae celebrandae non sint, nisi *de requiem* pro defunctis cum libera applicatione pro omnibus vel pro aliquo defuncto in specie; etiam si is non pertineat ad illud institutum, pro cuius Alumnis fit commemoratio. Quamobrem si quis ea die, in qua generalissimum hoc fit

Anniversarium, velit aut teneatur legere Missam occurrenti Officio convenientem, id facere nequibit ea in Ecclesia in qua Missae omnes privatae esse debent *de requiem*, sed poterit alia in Ecclesia suae devotioni aut oneri satisfacere.

Altera dubii pars si decidenda foret iuxta Breviarii Romani rubricas et sacrae huius Congregationis Decreta, quibus declaratur, si quid in illis obscurum est, negativo responso absolvi posset. Siquidem Rubrica interpretatione non indiget, cum ad preces Vesperarum Officii defunctorum aperte iubeat: « Hi Psalmi (videlicet, *Lauda anima mea Dominum* ad Vesperas, *De Profundis* ad Laudes) non dicuntur in die omnium Fidelium defunctorum, neque in die obitus seu depositionis defuncti ». At huiusmodi exceptio non extenditur ad commemorationes generales, quae fiunt ab Ordinibus regularibus, quia Sacra Congregatio rogata ac super re pro parte Monachorum Sancti Benedicti sub die 28 Augusti 1782 iussit « servari Decretum in Collen. 5 Iulii 1698 videlicet Psalmi *Lauda anima mea Dominum* et *De profundis* omittuntur in precibus post Officium in die generalis commemorationis omnium Fidelium defunctorum, ut in die obitus et depositionis defuncti dumtaxat, caeteris autem diebus semper et omnino dicantur ». Lex tamen silet, ubi intercedit privilegium. Ita porro est in specie nostra, cum in praefato Breviario trium Ordinum, Apostolica auctoritate roborato, generali rubricae addatur: « Nec apud nos in Officio generalissimo »; nimirum praefati Psalmi omittuntur in generali commemoratione defunctorum trium Ordinum.

Tertia Dubii pars nihil habet ambiguum, quod interpretatione indigeat aut declaratione. Rubrica praefati Breviarii trium Ordinum ad Vesperas Officii mortuorum notat quid sit immutandum, dum pro uno tantum peraguntur suffragia. En Rubrica: « cum Officium eiusve pars pro uno dicitur, hi solum duo, ℣℣. (scilicet: Requiem aeternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen) post Orationem cum suis Responsionibus dicuntur in singulari numero, ut et statim ante Orationem ℟. Erue Domine Animam eius, et sequens. ℣. Requiescat in pace. Reliqua omnia in Vesp., Matutin. et Laudibus dicuntur, ut iacent, sive pro uno, sive pro pluribus recitentur ». Quid clarius?

Ad Dubium IV. Non est ulla dubitandi ratio, dum tam Rubrica generalis Breviarii Romani, quam peculiaris Breviarii trium Ordinum clare disponunt, ut in Officio rit. dup. min. legantur Lectiones de Scriptura occurrente. At haec iuris ecclesiastici dispositio fallit dumtaxat, si ab Apostolica Sede indultae fuerint Lectiones aut propriae, aut de communi. S. R. C. ad quaesitum: « Quid pro Lectionibus primi Nocturni in Festo S. Mariae Magdalenae de Pazzis? leguntur enim in aliquibus Monasteriis Lectiones *In lectulo meo etc.* Demum quid in Officio S. Alexii, in quo quaedam Breviaria assignant pro Lectionibus primi Nocturni *Beatus vir etc.?*» Respondit in saepe laudata Einsidlen. « In utroque casu nihil innovandum, et servetur Rubrica Breviarii Romani, dicendo Lectiones de Scriptura, nisi adsit concessio specialis pro recitatione aliarum Lectionum ». Neque prodest ad effectum variandi Lectiones in Officio S. Eulaliae, quod ad Lectiones primi Nocturni habeantur Responsoria propria. Non enim ex hoc necessario sequitur, quod etiam Lectiones propriae esse debeant, vel sumendae sint ex communi. Rubrica generalem dat regulam, non distinguit, non limitat, non excipit: ergo ad literam servanda est, nisi in casu particulari per Apostolicum Indultum non sit aliter dispositum.

Ad Dubium VI. Cum Festum Patrocinii B. Mariae Virginis non ad ullum Mysterium referatur, sed ideo institutum fuerit, ut eius meritis et precibus nobis Deus propitius fiat; peculiarem et propriam non habet Missam, sed illam ex Votivis, quae tempori convenit. Quoniam autem pro eo recolendo statuta est vel Dominica II Novembris, vel alia certa dies intra eumdem mensem, bene stat quod ex Votivis legi illa debeat, quae in Missali assignatur, videlicet a *Pentecoste ad Adventum;* quin aliqua tradita fuerit regula pro casu translationis ad tempus *Adventus;* nec proinde decisum sit utrum hoc adveniente casu, eadem retinenda sit Missa, an potius in aliam temporis propriam commutanda. Nam Decretis S. R. C. Festa, quae sunt certis affixa diebus, dum impedimentum occurrit, omitti debent, non transferri. Sed haec regula, quoad Festum Patrocinii modo fallit, quia in aliquibus locis gaudet translatione, ac praesertim in Statu Ecclesiastico, ubi in praecepto est ex lege lata a S. M. Benedicto XIV; ideo quandoque accidit (in iis praesertim Ecclesiis, quae Officiis novem Lectionum abundant) ut, impedita Domi-

nica II Novembris ob decursum vel Octavae omnium Sanctorum, vel Festi altioris ritus solemnitatis Patrocinii translatio protrahi debeat usque ad Adventum. Quae igitur Missa erit legenda? Id nondum declaratum fuerat a S. R. C., quia ad hanc usque diem quaestionem hanc definiendam nemo proposuit; et quamquam Editor Calendarii Clericorum Regularium Minorum Villae Matriten. solicitus fuerit de Vesperis ordinandis in concurrentia Festi Patrocinii translati, cum Festo Expectationis Partus B. M. V. ut ex Decreto 7 Martii 1779, non ullum movit Dubium quoad Missam. Haec igitur quaestio enodanda supererat. Itaque cum, ut principio notatum est, huiusmodi Festum neque ad peculiare Mysterium referatur, neque habeat Missam propriam, ei forte congruere possent Officium et Missa de tempore Adventus, si dies adsignata semper incideret in Adventu; quemadmodum in Basilica Patriarchali S. Mariae Maioris, ubi Festum Translationis Imaginis affixum est Dominicae ultimae Ianuarii, et semper de eo fit ex peculiari privilegio, etiam in occursu Septuagesimae, Sexagesimae aut Quinquagesimae, assignatum est Officium cum Missa B. M. V. de tempore a Nativitate ad Purificationem. Sed quoniam Missa de Patrocinio non est votiva, nec votivum est officium; et raro ac accidentaliter accidit ut Festi translatio protrahenda sit usque ad Adventum, non universaliter ab omnibus, sed ab aliquibus tantum, qui illud transferendi in casu impedimenti gaudent indulto, nec pro repositione ullam habent diem liberam ante Adventum; magis expedire videtur, quod nihil immutetur, nisi Antiphona IX ad Matutinum in Officio, et vers. ad Graduale in Missa. Secus enim in casu praefatae translationis opus foret aliud ordinare Officium, quod tempori quidem congrueret, quin tamen necessario id requirat Festivitatis obiectum; cum illud, quod recitamus, aptissimum sit ad implorandum potentissimum Deiparae Patrocinium.

Quoad secundam Dubii partem in Antiphona et ℟. VII magis convenire videtur lectio: *Tuum Sanctum Patrocinium:* quam: *Tuam Sanctam Festivitatem:* praesertim apud Franciscanos ex peculiari Rubrica, quae legitur ad Dominicam secundam Novembris, videlicet: « Omnia, ut in Festo ad Nives et in Officio parvo, praeter lectiones secundi Nocturni. In fine Antiphona ad *Magnificat* et ℟. VII dicitur: *Tuum Sanctum Patrocinium* ».

Ad Dubium VII. Curnam excitetur hoc dubium et quaenam sit dubitandi ratio, nec video, nec intelligo. Nonne clara est Rubrica de Antiphonis finalibus B. M. V. num. 3, ubi legitur: « Dicuntur autem flexis genibus, praeterquam in diebus Dominicis a primis Vesperis Sabbati et toto tempore Paschali »? Ad quem Rubricae locum notat cl. Gavantus num. 17: « Dicuntur flexis genibus praeterquam in diebus Dominicis a primis Vesperis Sabbati, ex Concilio Niceno et Synodo Turonensi ob Dominicam Resurrectionem »: et num. 19 etiam clarius: « Siculi hic standi ritus incipit a primis Vesperis Dominicae, non a media nocte, ita desinit in occasu solis eiusdem Dominicae more Indulgentiarum; et post occasum solis non est amplius standum in Oratione ». Itaque si Rubrica praecipit standum esse in Dominicis; si id fit ob Dominicam Resurrectionem; si a primis Vesperis usque ad occasum solis Dominicae non genuflectitur; si regula standi urget ratione diei, non ratione Officii; recta consequitur, quod recitans Matutinum cum Laudibus pro Feria secunda ante occasum solis diei Dominicae, ad finalem Antiphonam stare debet. Iure autem dixi, standum esse ratione diei, non ratione Officii; nam etiam in hypothesi, quod rubrica satis clara non esset et ambiguitatem involveret; nihilominus ex constanti Ecclesiae praxi omne Dubium solvitur. Nonne stamus in Dominicis, etiamsi haec vacent, prout accidit in illis, quae occurrunt a Nativitate Domini ad Epiphaniam? Nonne flexis genibus recitamus finalem Antiphonam, dum reponitur Officium Dominicae die feriali, scilicet 30 Decembris, vel dum anticipatur pariter in Feria una ex Dominicis post Epiphaniam, vel 23 post Pentecosten? Longe secus fieri opus foret, si regula standi non a qualitate diei, sed a qualitate Officii, petenda esset. Igitur quodvis Officium sit, satis est quod in Dominica persolvatur ante terminum praescriptum ad standum, ne sit genuflectendum. Quoniam vero termini diei Dominicae non sunt a media ad mediam noctem, sed a primis Vesperis ad solis occasum; ideo cessat regula standi, si post occasum solis recitetur Matutinum pro sequenti Feria secunda. Apte igitur Gavantus prosequitur: « Quod hi notent, qui Vespere recitant Officium Feriae secundae post salutationis Angelicae signum datum sub noctem ».

Ad Dubium VIII. Hac super controversia videri potest adnotatio ad dubium quartum

Decreti supra relati. Sed quoniam non simpliciter petitur: num in Choro recitandum sit Officium parvum B. M. V.; sed etiam quaeritur: num retinenda sit laudabilis consuetudo illud legendi in duplicibus, nec non Octavis Paschatis et Pentecostes; ideo iis, quae dicta sunt, aliquid pro casuum diversitate adiiciendum superest. Rubrica, quae habetur in Breviario Romano ante Officium parvum B. M. V. haec est: « Non dicitur quando fit Officium novem Lectionum, nec in Vigilia Nativitatis Domini, nec in Feriis maioris hebdomadae, nec infra Octavas Paschatis et Pentecostes ». Qua posita et literaliter accepta Rubrica, negativo responso absolvenda foret omnis quaestio et omittendum praefatum Officium etiam in semiduplicibus, quia in his aeque ac in duplicibus leguntur novem Lectiones. Atqui secus censuit Sacra Rit. Congregatio in Troiana 1 Septembris 1607 proposito Dubio respondens: « Dictam Ecclesiae Troianae laudabilem consuetudinem recitandi Officium parvum B.M.V. in Choro etiam in Dominicis diebus et Festis semiduplicibus servandam esse »: et iure id quidem. Nam S. Pius V in Constitutione *Quod a nobis postulat etc.* sub initium Breviarii Romani legenda, postquam decreverat absolvendos esse ab onere Officii parvi persolventes privatim horas Canonicas, continuo addidit: « Hoc autem concedimus sine praeiudicio s. consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus Officium Parvum Beatae Mariae semper Virginis in Choro dici consueverat ». Generalis cum sit huiusmodi reservatio, quin Constitutio coerceat vel declaret consuetudinem retinendam esse dumtaxat in diebus ferialibus aut festivis ritus simplicis; palam fit sapientissimum Pontificem praeservatum voluisse laudabilem morem recitandi Officium Parvum etiam in duplicibus. Videri possunt hac super re Gavantus ad Rubricas Breviarii sect. 9, cap. 1, num. 5, et seq.; et Guyetus in Hortologia lib. 4, cap. 19, quaest. 4 et 5.

Ad Dubium IX. Etsi Rubrica Missalis simpliciter iubeat: « Cum dicit (scilicet Celebrans) *et incarnatus est*, usque ad *et homo factus est*, inclusive, genuflectit »; nec tamen declarat num utroque genu vel unico faciendum id sit; nihilominus universalis Ecclesiae consuetudo ea est, ut unico genu hoc fiat; et ratio est, ut Celebrans sit ad surgendum expeditior. Ad hunc Rubricae locum Meratus inquit: « Genuflectit unico genu, extendendo hinc inde digitos iunctos et utramque manum usque ad pulsus extra Corporale super Altare ad facilius surgendum ». Quinimo etiam in die Natalis Domini et in Festo Annunciationis B. M. V. genuflectendum esse unico genu in Missis lectis, Scriptores de re Liturgica docent et praxis Ecclesiae probat; quamvis in Missa solemni ad illius versiculi cantum tam Sacerdos, quam Ministri, omnesque de Clero genuflectent utroque genu, ac in genuflexione perseverent usque ad finem versus. Ita etiam Hagerer in *Ritu exacte servando* in tit. 6, § *in hoc Symbolo:* Ubi agens de genuflexione ad verba *Et incarnatus etc.* haec habet: « quod in Missis privatis etiam in Festo Annunciationis Beatae Mariae Virginis et in tribus Missis de Nativitate Domini, non utroque, sed unico genu solummodo genuflectendum esse etc. ».

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2588. TUDERTINA. (4550)

S. C. indulgens Parochis Tudertinis facultatem deferendi Stolam in Ecclesiasticis functionibus, posuit limitationem, simulque conditionem: « in casu, de quo agitur: dummodo collegialiter incedant »; ne per indultum aliquid additum Parochorum iuribus censeatur et ne quod Collegio concessum est, singula membra sibi datum arbitrentur. Etenim non ita convenit Parochis Stolae delatio, ut semper et ubique pro lubitu sine discrimine, extra exercitium officii simulque ordinis, ea uti possint. Errant qui putant Stolam esse iurisdictionis signum. Distinctivum officii est in illis dumtaxat actionibus, quae sacrum illud exigunt indumentum: et quamquam agatur de actibus, qui omnibus Sacerdotibus communes esse possunt, nequeunt tamen exerceri sine speciali mandato, nisi a Parochis. Siquidem Stola Sacerdotale est indumentum, quod omnibus Presbyteris aeque convenit, sed non semper; bene vero in conficiendis et administrandis Sacramentis, ac in Sacramentalibus. Ideo nec Episcopi Stola utuntur, nisi dum Pontificalia aut Sacerdotalia munera exercent, vel aliud praestant, quod, servata forma Libri Caeremonialis, Stolae exigat delationem. Sacr. Rit. Congr. neque Hebdomadario in canendis Divinis Officiis fas esse Stolam adhibere pluries declaravit, quod « tantum in Sacramentorum administratione et confectione adhiberi debeat ». Ita in Alexanen. 7 Septembris 1658, in altera Dalmatiarum 4 Augusti 1663 et nuperrime sub die 7 Septembris 1816 nedum

idipsum generali Decreto confirmatum fuit, sed insuper additum: « Consuetudinem in contrarium esse abusum per locorum Ordinarios omnino eliminandum ». Neque ad contrarium morem, quem potius reprobandum abusum dicam, cohonestandum quaeri posse quis effugium putet ab antiqua Ecclesiae disciplina, Canonibus Synodorum et Sanctorum exemplis. Primis namque Ecclesiae saeculis longe diversa erat Stolae forma, diversus usus. Tunc enim multo latior et extensior vestis erat quotidiana, qua Sacerdotes a Laicis et inferioribus Clericis distinguebantur. Hinc in Epistola Nicolai I ad Galliarum Episcopos, legitur: « Per quam (scilicet Stolam) quid aliud, quam Sacerdotii declarantur Insignia? » et in Capitularibus Caroli Magni et Ludovici Pii cap. 81 statutum est, ut « Presbyteri sine intermissione utantur Orario propter differentiam Sacerdotii dignitatis ». Concilium Moguntinum anni 817 Can. 28 iubet: « ut Presbyteri Stolam deferant sine intermissione »: et Roterius Veronensis Episcopus Epist. Synodic. tom. 2 Spicileg. praecepit: « ut nullus Sacerdos sine Stola in itinere incedat ». Etsi vero aevo S. Thomae Cantuariensis Stolae forma ab antiqua iam fuisset immutata et diversus eiusdem usus evasisset; nihilominus: « Stolam iugum Christi suave deferebat circa collum diebus ac noctibus »· Apud Mabillonium in Praefat. ad Saecul. Benedict. num. CVIII.

Certum est tamen id a pluribus saeculis obtinuisse, ut Stola rationem dumtaxat habeat sacri indumenti, ac propterea nequeat adhiberi, nisi in confectione et administratione Sacramentorum et in Sacramentalibus, iuxta Rubricarum et Ritualis dispositionem. Nullibi vero legitur, quod delatio Stolae nedum signum sit Sacerdotalis Dignitatis, quando exercitium Ordinis eiusdem usum requirit, verum etiam habeatur ut signum iurisdictionis. Veteris disciplinae immutatio quoad formam et usum, nequit efficere, ut quod prius ponebat discrimen inter Sacerdotes et Laicos, ac inferiores Clericos, evaserit postea iurisdictionis indicium; ita ut Stolae delatio ex iure competat Parochis in quibusdam actionibus, quae sicut cum exercitio Ordinis coniunctae non sunt, ita nequeunt Stolae usum exigere. Solus Romanus Pontifex in signum supremae universalis potestatis, quam a Deo sibi datam habet et exercet in toto Orbe Catholico, Stolam non solum ad Aram, sacrisque actionibus, sed ubique defert. Ideo legitur in Caeremoniali S. R. E. Augustini Patritii sub nomine Marcelli Corcyrensis evulgato, quod Pontifex « numquam debet exire in publicum sine Stola ». Non me latet Scriptores nonnullos, ac eos praesertim, qui agunt de re Parochiali, quoad usum Stolae relate ad Parochos iurisdictionis nomen usurpare. Sed si bene sentio, iurisdictionis nomen confundunt cum Officii simul ac Ordinis exercitio. Nemo invidet Parochis delationem Stolae in quibusdam actibus, qui ad ipsos privative pertinent, neque ab aliis possunt exerceri, nisi de Parochi iussu aut consensu; et Stola utique in his denotat Officium, quod exercent, non autem iurisdictionem, nisi iurisdictio lato modo accipiatur pro actuali exercitio officii, quod exigit Stolae usum. Id verificatur in funeribus defunctorum, in quibus Parochi Stolam adhibent quousque exercent Officium; deponunt dum alter subintrat in eodem munere. Hinc fit, ut Parochus, associando funus, Stolam retineat in transitu per alterius territorium, exuat vero, dum ultimum vale dicit defuncto ad ianuam Ecclesiae, in qua est tumulandus. Cur autem ita? quia transiens per alterius territorium actu exercet officium, quod Stolam requirit: perventus ad Ecclesiam tumulantem, eiusdem officii exercitium cessat. Quod si revera Stola esset signum iurisdictionis, dimittenda foret, statim ac alienum territorium ingreditur. Atque ita Sacr. Romanae Rotae intelligendae sunt Decisiones, quae afferri possent.

Quod si Stolae delatio signum esset iurisdictionis, Benedictus XIV haud concessisset Parochorum Collegio eiusdem usum in publicis supplicationibus ipso Supremo Pastore praesente; sed honorificum hoc signum eis dedit, ut nobile ipsorum Collegium a caeteris Presbyteris distingueretur, eodem ferme modo, quo Capitula distinguuntur ex usu Rochetti, Almutiae aliisque id genus Insigniis. Sed quoniam privilegia « non extenduntur de casu ad casum, ut ait Fagnanus in 5 Decret., cap. 21 *ne pro dilat. De poenitentia et remissione* et cap. *Olim, De verb. signific.* ideo idem Sapientissimus Pontifex, dum Collegium Parochorum illo insignivit Privilegio, cautum simul voluit, ne uti eodem possent illi ex Parochorum coetu, qui a Collegio separati cum suis incederent Capitulis: veluti apparet ex edictali lege evulgata ab tunc temporis Cardinali Vicario et asservata in Vicariatus Secretariae Tabulario.

Hinc fit ut Stolae usus in Parochis haberi nequeat tamquam signum iurisdictionis,

nisi lato modo accipiatur pro exercitio proprii officii, ita ut officium sit cum actuali Ordinis exercitio coniunctum. Qua significatione retenta, vix usurpari poterit iurisdictionis vocabulum quoad delationem cadaverum et exequias super iis peragendas. Adhibent utique Stolam in aliis pluribus functionibus, quae ad ipsos privative spectant; sed ideo adhibent, quia huiusmodi actiones Stolae delationem necessario requirunt, uti sunt Sacramenta, Sacramentalia etc., minime vero ad demonstrandum per extrinsecum illud signum, quod ipsi sunt designati Ministri, et iurisdictione fruuntur. Quod si actio non exigeret Stolae usum et nihilominus eam Parochus deferre vellet, interverteretur ordo adhibendi sacra paramenta, Stolaeque delatio ut vana quaedam ostentatio habenda foret. Pone casum, quod in solemni supplicatione ducenda per ambitum alicuius Parochiae, Sanctissimum Sacramentum deferat aut Cardinalis, aut Episcopus, aut Canonicus, aut alius simplex Sacerdos; is dumtaxat debet uti Stola, neque Parocho licet eiusdem delatio, quia actu non exercet officium Sacerdotale erga Sacramentum. Quod si alicubi id fiat, reprobandus abusus est, et ad vanam ostentationem referendus, quasi Parocho liceret adhibere Stolam sine actuali exercitio Ordinis per ambitum Parochiae. Si Episcopus in sua Dioecesi Processionem sequitur, in qua vel Canonicus, vel alter Sacerdos defert aut Sanctissimum Sacramentum, aut Sanctorum Reliquias, non sibi Stolam imponit, quia actu non exercet officium Pontificale aut Sacerdotale, licet in sua Dioecesi plenam habeat et exerceat iurisdictionem; eritne permittendum Parocho intra limites Parochiae, quod Episcopo in sua Dioecesi non licet? Patet ergo delationem Stolae non esse signum iurisdictionis. Atque heic loci suscitari quis posset an Parocho fas sit assumere Stolam, dum assistit Baptismatis et Matrimonii Sacramentis ab altero administratis? Pro negativa standum esse non dubito; quia simplex praesentia, etsi necessaria, non est Sacerdotalis officii actuale exercitium: clarius dicam: praesentia Parochi non est cum Ordinis exercitio in actuali Sacramenti administratione coniuncta. Si praesentia requiritur, haec suum denotat ius, non autem Stolae delatio, quam actio sine actuali Ordinis exercitio non exigit. Actio cum tali exercitio coniungitur, ut supra notatum est, in delatione et funere defuncti. In his namque Parochus non solum praestat praesentiam, sed actu exercet officium, in quo Stola adhibenda est, intonando Psalmos, recitando Preces, aspergendo aqua benedicta cadaver, aliasque ad Ritualis praescriptum sacras caeremonias peragendo. Contra vero in administrandis Sacramentis Matrimonii et Baptismatis, ille dumtaxat Stolam deferre debet, qui actu administrat, non autem Parochus, qui simpliciter assistit; et licet id ratione muneris faciat, officium tamen Ordinis non exercet. Neque arbitretur quispiam a Parochis hisce in casibus adhibendam Stolam saltem ut muneris distinctivum. Non enim hoc est a iure datum, vel privilegio concessum. Non a iure, quia, si evolvas universos Iuris Canonici Codices, habebis Stolam esse dumtaxat Sacerdotale indumentum. Non ex privilegio, quia si rationem habeas illius, quo Benedictus XIV Collegium Parochorum Urbis decoravit, fatearis oportet indultum fuisse non singulis, sed universo corpori, dum omnes scilicet collegialiter conveniunt, ac proinde privilegium Benedictinum trahi non posse ad casus, in quibus unus Parochus praestat suam praesentiam, sed Officium, quod Stolam requirat, actu non exercet. Mei instituti ratio non fert, ut hac in re illustranda diutius immorer. Quae dixi sat superque esse arbitror, ut quisque intelligat Sacram Congregationem iure merito in Decreto supra relato cum limitationem, tum conditionem apposuisse, ne Parochi, eo freti indulto, abutantur, putentque sibi licitum usum Stolae extra casus a Sacra Congregatione contemplatos, veluti sunt interventus ad Synodum, publicae Supplicationes, aliaeque functiones, in quibus Parochi unitim et collegialiter conveniunt. Si quis plura velit, consulere poterit Tractatum: de Sacris utensilibus cl. Viri Fabii de Albertis cap. 3, 7 et 8.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2591. NEAPOLITANA. (4553)

Ad Dubium I. Dubium hoc obscurum est. Videtur tamen in eo postulari: Num amovenda sint a propria sede, ut ad proximam Dominicam transferantur, illa Patronorum Festa, quae de praecepto servabantur, priusquam prodiret Apostolicum indultum reductionis et translationis Festorum pro utriusque Siciliae Regno; an potius ratio dum-

taxat habenda sit eorum Sanctorum, qui in posterum in principes Patronos erunt forte assumendi? Clara namque est dispositio Brevis, quae comprehendit Patronos omnes tam electos, quam eligendos; nulla quippe fit distinctio, imo directe de Patronorum Festis agitur: « quibus adiunctum sit praeceptum abstinendi ab operibus servilibus »; quae dictio intelligenda praesertim est cum de praeterito, tum de praesenti statu; ita ut sensus sit: « Festa illa Patronorum, quae huc usque in die propria solemniter sub utroque praecepto servata sunt, in posterum transferantur ad proximum diem Dominicum ». Quod vero aeque provisum sit Festis illorum Sanctorum, quorum electio in Patronos alicuius Civitatis vel Loci in posterum fiet, non est dubitandum. Quamobrem sapienter Sacra Congregatio respondit: « Dispositionem Brevis comprehendere omnia Festa Patronorum principalium, tam quoad tempus praecedens, quam quoad subsequens ».

Ad Dubium II. Festa Patronorum perpetuo affixa certae Dominicae immediate post diem propriam, vel alteri pro casuum diversitate assignatae, adnumerandae non sunt Festis mobilibus, nisi lato modo, quia scilicet non semper eadem die mensis celebrantur: habent tamen certam sedem, a qua nonnisi accidentaliter queunt amoveri. Vere mobilia censentur et sunt illa, quae pendent a Cyclo Paschali, idcirco et Festa, de quibus modo res est, mobilia dicenda forent, si Dominica assignata esset ex. gr. tertia post Pascha, quarta post Pentecosten etc. quae singulis annis variant.

Ad Dubium III. In Literis Apostolicis in forma Brevis datis a s. m. Pio VI super reductione Festorum pro Dioecesibus subiectis in temporalibus Potentissimo Regi Borussiae, indulta legitur translatio ad Sabbatum vigiliae Festorum, quae a die propria amota in Dominica infra Octavam reponenda perpetuo erant. Cum igitur par sit ratio, eadem dispositio sequenda erit. Immo si fieri contingat de loci Patrono in die Dominico, et feria secunda occurrat Festum quod vigilia gaudet, in praecedenti Sabbato anticipanda, haec pro utroque prodesse posse videtur. Sed quia contingere potest, ut utriusque vigilia proprium Officium habeat, et non tantum onus abstinentiae et ieiunii; ideo diversa ratio tenenda est, et in casibus particularibus recurrendum ad Sacram Rit. Congregationem, quae, iuxta eorumdem diversitatem, providebit. Id melius declarabitur in altera ex sequentibus adnotationibus.

Ad Dubium IV. Si Festo Patroni principalis assignata est in perpetuum certa determinata Dominica nunquam in posterum varianda, nisi per accidens in occursu Festi aequalis ritus, sed maioris dignitatis; recta consequitur, quod gaudere debet omnibus indultis, privilegiis, praerogativis, quae principalium Patronorum Festis competunt, ac proinde etiam Octava. Quid autem si non habeantur Lectiones propriae pro singulis Octavae diebus? Provisum satis est per Rubricam, quae tit. de Octavis num. 4 generalem dat regulam; deinde vero, quia aliquando propriae lectiones desunt quoad Patronos principales locorum, ita prosequitur: « Infra Octavas vero Patroni, vel Titularis Ecclesiae, vel alterius Festi, quod in aliquibus Ecclesiis consuevit una cum Octava celebrari, si apud illas Ecclesias non habeantur propriae et adprobatae lectiones pro secundo et tertio Nocturno, infra Octavam repetantur lectiones positae in Communi Sanctorum, si de Sanctis fiat Octava, alioquin, Lectiones diei Festi ». Non ita multo post, adprobante S. R. Congregatione, evulgatum fuit Octavarium Romanum a cl. P. Gavanto, qui in praefatione adnotat ad praefatam rubricam: « Hinc habentur, in hoc scilicet Octavario, approbatae lectiones pro Octavis propriis, et communibus Sanctorum. Quod si in tertio Nocturno communes non deserviant aliquibus Festis, quae videlicet proprium habent Evangelium: eo casu post dictum Festum (in quo legi debet proprium Evangelium cum sua Homilia) in sequentibus diebus infra Octavam lege Evangelium in Missa et Officio vel primum, vel aliud congruentius de communi cum suis Homiliis . . . in die vero octava legatur in tertio Nocturno, ut in die festo, si propriis careat ». Quatenus huiusmodi teneantur regulae, difficillimum erit dari casum, cui per easdem satis, consultum non sit.

Ad Dubium VI. Cum agatur de Locorum peculiaribus Patronis, nulla habenda ratio est regulae, quae in plurium Officiorum aequalis ritus occurrentia obtinet. Res est de perpetua translatione ad Dominicam. In hac autem plura occurrere et varia impedimenta possunt, quibus generali dispositione opportune provideri nequit. Ideo S. Congregatio, postquam generaliter respondit Dominicas primae et secundae classis, et Festa aequalis ritus, sed maioris di-

gnitatis impedimentum ponere; simul addidit: « Si Dubia occurrant, habebitur ratio in casibus particularibus ». Forte tamen aliquis rogabit curnam Dominicae secundae classis, hoc est inferioris ritus, nequeant admittere huiusmodi Patronorum Festa, quae, ut supra dictum est, habere debent ut propriam perpetuamque sedem diem Dominicum, in quem transferuntur; quandoquidem iubet rubrica, ut in Dominica secundae classis fiat de Festo dupl. primae classis occurrente? Facile dubium solvitur, si advertatur rubricam loqui de accidentali occurrentia, non autem de assignatione perpetua Dominicae 2 classis pro celebrando Festo rit. dup. 1 classis. Porro id accideret quoad Festa illorum Sanctorum Patronorum, quae semper, aut fere semper, incidunt in Adventu et Quadragesima. Nullatenus proinde licet huiusmodi Festa non accidentaliter, sed perpetuo transferri ad aliqua ex Dominicis secundae classis, quae iuxta Ecclesiae instituta plenae sunt mysteriis, ac solemnibus adnumerantur. Quid igitur? Ubinam huiusmodi Festa collocanda? Ut mihi videtur, illis, quae occurrunt a Septuagesima ad Dominicam in Albis, aliqua assignari poterit ex Dominicis post Pascha; aliis vero, quae cadunt in Adventu, per anticipationem aliqua ex Dominicis mensis Novembris. De hac anticipatione exemplum habemus in praefato Brevi s. m. Pii Sexti pro Dioecesibus in temporalibus subiectis Borussiae Regi, in quo assignatur pro Festo S. Laurentii Dominica antecedens, quia subsequens reservabatur Solemnitati Assumptionis Beatae Mariae Virginis. Rogata vero Sacr. Rit. Congreg. in Gnesnen.: Quid agendum de Festo S. Ioannis Baptistae, ubi est Patronus principalis, si in sequenti Dominica faciendum sit de Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli? Item de Nativitate B. M. V. si in sequenti Dominica occurrat Festum SS. Crucis Titularis? Ac tandem de Festo SS. Apostolorum Simonis et Iudae, ubi erant principales Patroni, impedita sequenti Dominica, ob occursum Festi omnium Sanctorum? noluit rem definire, sed respondit: « Ad Secretarium cum Sanctissimo ». Sanctissimus vero iuxta mentem Congregationis declaravit: « Ad 1. Si Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli occurrat vel in Sabbato, vel in Dominica, vel in Feria secunda post Festum S. Ioannis Baptistae, eo casu tantum in iis locis, ubi S. Ioannes Baptista est principalis Patronus oppidi vel pagi, eius Festum transferendum esse cum Officio et Missa ad Dominicam praecedentem cum Vigilia in Sabbato etiam praecedenti; Ad 3. Festum Nativitatis B. M. V. transferendum esse ad Dominicam praecedentem; Ad 5. Ut ad primum ». Ita autem provisum, ut simul consultum foret occurrentiae Vigiliae, quia utraque habebat Officium et Missam propriam. In casu nostro omnino necessaria est anticipatio, quia, cum anni cursus complementum habeat in mense Decembri, nulla Dominica superest assignanda Festo Patroni quod cadit in Adventu, et Festis Natalitiis. Obiiciet fortasse quis Sacram Congregationem ad dubium 7 antedictae Gnesnen. plaudendo voto Magistri caeremoniarum, qui insinuaverat celebrandam esse solemnitatem in Dominica privilegiata; Officium vero transferendum iuxta Rubricas, anticipationem denegasse. Enimvero proposito dubio secus respondendum non erat, cum non alia, nisi de anticipatione duorum Festorum particularium quaestio esset: sed quoniam modo innumeris fere diversisque casibus consulendum est, neque omnibus et singulis una eademque regula aptari potest; ideo Sac. Congregatio respondit habendam esse rationem in casibus particularibus, quia, attentis peculiaribus circumstantiis singulorum, prout magis expediens erit, providebit. Nam, nisi Festis illis, quae perpetuo occurrunt in Adventu vel Quadragesima provisum fuerit vel per anticipationem, vel per translationem ad certam fixamque Dominicam, eorumdem Octavae non accidentaliter, sed constanter necessario perirent.

Ad Dubium IX. Si annuntiatur in Martyrologio pridie quam celebretur Festum, quod transfertur accidentaliter, potiori iure annuntiandum erit in Sabbato illud, quod a sua sede perpetuo amotum collocatur in Dominica infra Octavam, vel in alia perpetuo assignata iuxta casuum diversitatem, tamquam in sede propria. Et quoniam translatio accidentalis non est, sed perpetua, secumque trahit Octavam et Vigiliam; illa annuntiari debebit in subsequenti Sabbato, haec autem in feria sexta Festum praecedente, quatenus tamen Vigilia habeat Officium; nam illa improprie Vigilia dicitur, quae solum habet abstinentiam et ieiunium, ideoque non annunciatur in Martyrologio.

Ad Dubium XIII. Cum iuxta casuum diversitatem non una generalis regula aeque omnibus inservire possit, iure idcirco S. C. respondit: « In casibus particularibus providebitur ».

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2592. AQUILANA. (4554)

Ad Dubium I. Duo sunt, quae SSmus Dominus Noster per Literas in forma Brevis expeditas die 10 Aprilis anni proxime praeteriti ad consulendum conscientiae, simulque succurrendum egestati et necessitatibus eorum, qui ex labore et industria vivunt, provide clementerque indulsit. *Primum,* quod in utriusque Siciliae Regno, praeter Festa nominatim enumerata rigorose servanda sub utroque praecepto, in aliis nedum possint servilia opera exerceri, verum etiam cesset stricta obligatio interessendi Sacro. *Secundum,* quod Festa Patronorum principalium una cum Officio et Missa transferantur ad diem Dominicum proxime sequentem. Sed per huiusmodi dispositiones nihil prorsus immutatum fuit quoad ritum Officiorum, nec derogatum specialibus concessionibus, nisi in ea parte quae respicit praeceptum, quod modo per praefatum Breve sublatum est. Hisce adnumeratur Festum S. Antonii Patavini elevatum ad rit. dup. 1 class. cum Octava, et sub utroque praecepto servandum. Quippe per antedicti Brevis indultum remissum est onus illud sub praecepto servandi, sed nihil innovatum quoad ritum et indulgentiam. Quod si S. Antonius in aliqua Civitate vel Loco sit unicus aut principalis Patronus, iuxta formam praefati Brevis, ad proximum sequentem Dominicum diem eiusdem Festum erit perpetuo transferendum; nisi Episcopus, utens facultate sibi tributa in altero Brevi sub datum diei 15 Octobris, eiusdemque servata forma indulgeat ut propriam sedem retinere valeat cum omnibus praerogativis ac privilegiis, quibus Patronorum Festa distinguuntur.

Ad Dubium IV. Quum ob Pontificium Indultum nihil sit immutandum quoad ecclesiastica Officia, recta consequitur Parochos, recurrentibus Festis, in quibus populus solutus est ab obligatione audiendi Sacrum, teneri ad applicationem Missae pro populo eodem prorsus modo, quo tenebantur priusquam concederetur Indultum. Atque ita declaratum fuit a Sac. Congregatione Concilii die 28 Martii 1801 in Camerinen.; in qua, propositis duobus dubiis, videlicet: « 1. An diebus Festis de praecepto a s. m. Pio VI suppressis sit applicanda in futurum Missa pro populo in casu etc.? 2. An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc.? » responsum fuit: « Ad 1 et 2. Affirmative ».

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2593. ALIPHANA. (4555)

Ad Dubium I. Tam clara est dispositio primi Brevis, ut dubitandi locum non relinquat. En verba Indulti: « Festa autem Patronorum principalium . . . . transferantur cum respectivis Officiorum et Missarum celebratione ad proximum diem Dominicum ». Lex igitur non solum extrinsecam solemnitatem transferendam esse iubet, verum etiam quaeque ad ecclesiasticum ritum pertinent peragi mandat. Clarius dicam, vigore indulti Festum Patroni principalis celebrandum est in die Dominico tamquam in propria sede, tam quoad chorum, quam quoad forum. Quae igitur ratio excitandi dubium? Quod si vota populi requirant ne Festum principalis Patroni amoveatur a sua sede, ac postulent ut solemniter celebrentur ut antea in die propria, poterit Ordinarius uti facultate ei concessa in posteriori Brevi diei 15 Octobris labentis anni, servatis tamen conditionibus in illo praeceptis. Quae vero in Calendario contingere poterit singulis annis variatio, non est causa sufficiens declinandi a dispositione primi Brevis. Eoque magis, quia variatio huiusmodi tanta non est, quae magnam inferat vel perturbationem vel confusionem in Calendario. Nonne multo plures variationes sunt, quae singulis annis fieri debent ob diversum occursum Festorum Mobilium?

Ad Dubium II. Nec item video cur hoc dubium excitetur. Clara est primi Brevis dispositio: « Sanctorum et Solemnitatum Officia et Missas tam in iisdem abrogatis Festis, quam in eorum Vigiliis retineri sicut prius et in quacumque Ecclesia celebrari mandamus ». Et iure quidem; nam potissima ratio, qua SSmus Dominus Noster reductionem Festorum pro utriusque Siciliae Regno clementer indulsit, ea fuit, ut Populorum conscientiae consuleret, et eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt, indigentiae provideret; quae ratio non valet quoad Ecclesiarum onera et Chori servitium, nec indultum datum est ad Clericorum commodum. Silentio potius tegenda est, quam excutienda, futilis illa ratio, quod cantus intercipiendus sit, quia

populus, festis sublatis, in Ecclesiam frequens non convenit. Numquid enim cantus in sacris peragendis Officiis inductus est adventante populo et non potius ad honorandum Deus hymnis et canticis? Sublata equidem sunt Festa ad succurrendum populorum, ac eorum praesertim, qui ex industria vivunt, egestati et necessitatibus; sed non ideo cessare debent Sacerdotes, Levitae et Clerici, qui ad chorale onus tenentur vel Ecclesiarum servitio sunt addicti, a consuetis Ecclesiasticis Officiis, quae cum cantu aut ex instituto, aut ex consuetudine, aut ratione Festi quod celebratur, aut ex alia quacumque causa, peragi solent.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2597. ASSISIEN. (4560)

Ad Dubium I. Etsi ex Rubricarum praescripto in singulis diebus Dominicis, sive fiat Officium de Dominica, sive de Sanctis, Missa carere Symbolo nunquam debeat: haec tamen regula suas habet limitationes, nec Symbolum admittunt Missae votivae privatae, si quae in die Dominico celebrentur. Equidem, si spectetur Rubrica, nequeunt in die Dominico Missae votivae celebrari, nisi solemnes sint, et pro publico Ecclesiae bono, in quibus dicitur Credo, et etiam Hymnus Angelicus, quatenus Missae qualitati conveniant; quod adeo verum est, ut Sacra Rit. Congregatio, quamvis indulserit Missam Vativam pro Sponso et Sponsa, etiam occurrente Festo ritus dupl., quod non sit primae vel secundae classis; excepit tamen dies Dominicos, vel alios de praecepto servandos, eo quia Missa votiva pro Sponso et Sponsa non est pro re gravi, publicoque Ecclesiae bono, sed privatis adnumeratur. Verumtamen quod dispositione Iuris non admittitur, quandoque fit ex privilegio. Ita accidit in Basilica Lauretana, ubi Missae omnes, quae in Sacello Almae Domus celebrantur, quibusdam dumtaxat solemnioribus exceptis diebus, Votivae semper sunt de Sancta Maria. Ita etiam in Patriarchali Ecclesia Assisiensi Votivam de Sancto Francisco quotidie celebrari speciali privilegio concessum est. Ac tandem S. Congregatio Concilii indulget Sacerdotibus visus tenuitate laborantibus, ut quam memoriter tenent, vel sine multa difficultate legere possunt, Missam Votivam B. Mariae Virginis, etiam in diebus Dominicis ac solemnioribus festivitatibus valeant celebrare. Huiusmodi autem Missae Votivae, quae ex Apostolico indulto leguntur in diebus Dominicis, nequeunt habere Symbolum. Possem id comprobare auctoritate Scriptorum de re liturgica, ac praesertim Merati ad Gavantum part. 1, tit. 4, section. IX, num. 46, et Guyeti in Hortologia lib. 4, cap. 21, num. 13. Sed quid iuvat privatas Auctorum sententias perquirere et afferre, dum S. R. Congregationis Decreta, omnes dirimunt controversias? Quoad Almam Domum Lauretanam ad Dubium: « Quando celebrantur Missae Votivae de B. Virgine in praenarratis festivis diebus (videlicet in Dominicis, nec non in Festis Apostolorum, ac aliis duplicibus) ac etiam infra Octavas, an ratione praedictarum Festivitatum in eis *Credo* recitari debeat? » Sub die 13 Ianuarii 1674 responsum fuit: « Negative, nisi in illis Missis votivis tantum, quae solemniter pro re gravi, et publica Ecclesiae causa celebrantur ». Et quoad Sacerdotes caecutientes ad quaesitum: « An semper (Sacerdos ex indulto celebrans Missam B. Mariae Virginis) in Dominicis dicere debeat *Credo?* » sub die 12 Novembris 1806 declaratum fuit « etiam in Dominicis omittendum Symbolum ». Si rationem quaeras, cur omittendum sit, facile est eam reperire: quia nempe huiusmodi Missae votivae ex indulto celebrandae nihil habere debent commune cum Missa et Officio Dominicae. Eademque de causa non dicitur Symbolum in Missa Litaniarum Maiorum, etiamsi Festum S. Marci occurrat in Dominica in Albis. Rogata namque S. R. Congregatio in Mutinen. die 25 Sept. 1688, « An in Missa Rogationum in Festo S. Marci incidente in Dominicam in Albis dicendum esset *Credo?* » respondit « Negative »; rationemque addidit, scilicet: « Non est dicendum *Credo,* quia est Missa Ferialis »: et confirmatum idipsum fuit die 25 Septembris 1706. Nam, occasione impressionis novi Missalis, inter alia petitum fuit: « utrum in Rubrica tit. 11 de Symbolo addendum sit: illud dici non debere in Missa de Rogationibus in die S. Marci, quando Festum cadit in Dominica? » Cui quaesito respondens Sacra Congregatio iussit: « Imprimatur in principio Missalis cum aliis Decretis illud emanatum sub die 25 Sept. 1688 in una Mutinen. ». Si igitur in Missa Rogationum dici nequit Symbolum, quia Missa Ferialis est, ita etiam omittendum erit in Missa Votiva privata, quae licet vigore privilegii legatur in Dominica, non desinit esse Votiva. Iure igitur Sacra Congregatio propo-

sito dubio respondit: « iuxta alias resoluta, negative ».

Ad Dubium II. Quod Oratio sive Collecta a Superioribus imperata sit omittenda in Festis Rit. dup. 1 clas. tam certum est, quam quod maxime. Declaratum id lege a Sac. Congregat. die 7 Augusti 1627, quae ad Dubium: « an Oratio, *Deus refugium nostrum,* quando Sanctissimus eam pro re gravi dicendam iubet, dicenda sit etiam in Festis primae classis? » respondit: « Non esse dicendam ». Nondum tamen definitum fuit: num eadem regula locum obtineat in duplicibus secundae classis; quamobrem iure cl. vir Ioannes Canonicus Fornici alter ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris hac super re consultus, censuit id, quod nulla est certa lege sancitum, ex rubricarum dispositione deductive esse firmandum. Quamvis enim duplicia primae vel secundae classis, quoad maiorem minoremve solemnitatem et permulta privilegia inter se differant; pleraque tamen habent, quae sunt utrique communia; inter haec illud est, quod neutra admittat commemorationes de *infra Octavas Festorum,* nisi haec ex solemnioribus sint, quae a regula generali excipiuntur; hinc ob paritatem rationis dici posse videtur neutri Orationem imperatam esse adiiciendam. Dubium tamen oritur, quia si occurrat in dupl. secundae classis Festum rit. simpl., fit de hoc commemoratio in Missis privatis, quamvis in dupl. primae classis non fiat. Cur igitur dicenda non erit Oratio imperata, si legitur de Festo simplici? Enimvero illatio non valet. Ideo Missa in Festo rit. dupl. secundae classis admittit commemorationem Festi simplicis, quia nisi ea fieret in Missis privatis, eo anno foret omnino omittenda; imo et etiam semper quoad simplicia illa, quae quotannis incidunt cum dupl. secundae classis, veluti est Festum Sancti Adriani Martyris in solemnitate Nativitatis B. Mariae Virginis. Id vero non accidit de die infra Octavam, quia si haec silet occurrente duplici secundae classis, obtinet tamen in aliis diebus. Concludi hinc posse videtur, quod nec Oratio imperata locum habere debet, quia si in occursu duplicis secundae classis non legatur, dicitur tamen in reliquis anni diebus non exceptis. His accedit principum Ecclesiarum Urbis praxis, quam sequendam esse putat clar. Gavantus part. 1, tit. IX, ad num. 16; qui postquam dixerat ex Decreto S. Congregationis Orationem imperatam omittendam esse in dupl. primae classis, ita prosequitur: « In aliis vero secundae classis communior usus insigniorum Ecclesiarum Urbis est, ut neque dicatur in Missis privatis, nedum in solemni, a qua sola excluditur commemoratio de Festo simplici; quae consuetudo mihi placet ». Sed quoniam nec ulla habetur positiva lex, quae in simili occursu omittendam eam esse iubeat, neque ullum Decretum, quo declaretur id quod non est iure definitum, ac varia insuper est Sacerdotum et Ecclesiarum praxis; ideo sapienti consilio S. Rit. Congregatio confirmans Decretum alias latum de omittenda Oratione imperata in duplicibus primae classis, quoad alia secundae classis arbitrio Sacerdotum relinquit eam addere vel omittere in Missis lectis. Excipit tamen Missam Conventualem, quae sicut ex rubricarum praescripto respuit commemorationem Festi simplicis, ita nec admittere debet Orationem imperatam.

Ad Dubium III. Cum de uno eodemque simul Officium et Commemorationem fieri vetitum sit, ut omnes norunt, pari ex ratione recolenda iterum non est in secunda Oratione memoria illius Sancti, cuius in honorem oblatum est Sacrificium, vel haec Officio respondeat, vel Missa ex illis sit quas Votivas dicimus: servari nihilominus in his debent qualitas et numerus Orationum quas Rubrica praescribit. Quid igitur agendum, si celebretur Missa votiva de Sancto Titulari, in qua secunda Oratio debet esse *A cunctis,* et per litter. N. ibi signatam eiusdem Titularis memoria recolenda indicatur? Satis ne erit, eadem Oratione retenta, nomen Titularis omittere, vel potius aliam, quae prima est ad petenda suffragia Sanctorum, illi sufficere? Regula peti nequit a Rubrica, quae in Missis votivis de B. M. V., ne iterum de ea fiat, Orationi *A cunctis,* alteram de Spiritu Sancto substituendam iubet; et in illis de Sanctis Apostolis Petro et Paulo Orationem *Concede nos famulos tuos* de B. M. In neutra ex his Missis potest surrogari Oratio *Concede,* quae inter diversas prima est, quia in hoc etiam cum B. M. V., tum Sanctorum Apostolorum peculiaris fit mentio. Nihilominus cl. Gavantus ex hac Rubrica quaestionem sibi proponit part. 1, tit. IX, num. 15: « An similem ob causam in Missa votiva de Patrono seu Titulari, qui nominatur in litt. N. in Oratione *A cunctis* debeat fieri similis mutatio? » Et respondit: « Satis esse in eo casu vel tacere in Oratione *A cunctis* nomen Patroni seu Titularis, ne de eo-

dem bis fiat mentio in Collectis; vel nominare poteris vice illius alium pro tua devotione ». Gavanto adhaeret Guyetus, lib. 3, cap. 29, quaestion. 7. Bene quidem: sed haec est privata Scriptorum sententia, quam Sacra Congregatio non reiicit, imo adprobat; tanti tamen non est ponderis, ut pro certa regula habenda sit, et non alius potius Sacerdotum arbitrio relinquendus sit modus, scilicet Orationem *A cunctis* commutandi in aliam *Concede,* quae similiter est ad petenda suffragia Sanctorum. Non alia certe de causa, nisi liberum sit Sacerdoti vel unam potius quam aliam legere, dum sit alterutra districte non praecipitur; vel in aliqua circumstantia, veluti illa est, de qua in Dubio proposito, praeceptam in aliam commutare. En igitur ratio, qua Sacra Congregatio facultatem relinquendam esse duxit Sacerdotibus vel omittendi in Oratione *A cunctis* nomen Titularis aut Patroni, vel potius legendi illam, quae prima est inter diversas, scilicet *Concede quaesumus etc.*

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2598. PISAUREN. (3591)

Ad Dubium I. Regula generalis est, quod nemini liceat a propriis sedibus Officia Sanctorum amovere. Non enim exturbanda possessio est, nisi validae concurrant circumstantiae, quae ad id quodammodo impellant. Hoc adeo verum est, ut S. R. C. declaraverit amotionem huiusmodi respectivamque translationem nec fieri posse ab Episcopo loci Ordinario. Ita in Syracusana 7 Decembris 1630: nam, ut in altero Decreto die 24 Novembris 1685 sancitum est: « Sanctis in Calendario Romano descriptis extra proprios dies non potuisse nec posse assignari alteram diem fixam et sedem propriam, absque auctoritate Sedis Apostolicae ». Dubium oriri posset quoad Officia de novo concesso, quae vel pro Ecclesia Universali, vel pro aliquo Regno, Provincia, Dioecesi etc., si non in propria (quod saepe nequit), in die prima non impedita collocantur. Accidit quandoque, ut aliquo in loco alius Sancti sub eadem die celebretur Officium aequalis vel etiam solemnioris Ritus; quid igitur in hoc casu? Indulget S. Congregatio, ut Officio noviter concesso assignetur ab Episcopo prima dies vacua, ut patet ex Decretis, doctis adnotationibus a P. Cavalieri illustratis Tom. 1, cap. 9, Decret. 12 et 13. Videndus etiam Tetamus in Append. ad Diarium Liturgico-Canonico-Morale cap. 1, § 2, num. 19. In casu proposito id accidit, cum enim Capitulo, Canonicis et Clero Cathedralis Pisaurensis facta potestas fuerit recolendi sub ritu duplici Festa Sanctorum Romanorum Pontificum, novis hisce Festis certae assignandae erant sedes, quatenus alia Festa aequalis vel superioris ritus iampridem occupassent dies ad ea celebranda in Martyrologio notatos. Hac in specie Calendarii Director consulto (annuente et adprobante Episcopo) ad proximiores non impeditos dies nunquam postea immutandos potuit Officia illa noviter concessa amandare, quae in propriis, ab aliis iam praeoccupatis, locum habere nequibant. Quod si id pro regulae generalis limitatione tenendum est, multo etiam magis obtinet in speciali casu occurrentiae duorum Officiorum ex noviter concessis in eadem die, veluti reapse illa sunt Sanctorum Urbani Papae et Mart. et S. Gregorii VII Papae et Conf., quorum memoria fiebat die 25 Maii: eo tamen discrimine, quod Festum S. Gregorii gaudebat ritu duplici, illud Sancti Urbani ritu simplici, sive potius solam habebat commemorationem. Postquam vero sub uno eodemque ritu utrumque Festum celebrari concessum est, cum nequeant in uno Officio simul comprehendi, quia Urbanus Martyribus adnumeratur, Gregorius Confessoribus: necesse hinc est alterutri aliam adsignare sedem. Cuinam vero? Illi certe, qui licet potior in Ritu fuerit, posterior tamen est in Veneratione et Cultu, ac utpote Confessor in paritate cedere debet Martyri, qui longe prius propriam habebat sedem in die 25 Maii, licet ritu simplici gauderet; ergo cum modo par sit utriusque ritus, a propria Sede S. Urbanus exturbandus non est, proptereaque transfereudus S. Gregorius VII ad primam diem non impeditam; in hoc quippe casu non est voluntaria et arbitraria immutatio, sed necessaria, ac, ut ita dicam, coactiva. Neque in contrarium sensum valet ratio ex eo petenda, quia Calendarii Director, ut primum indulta fuerunt Pisaurensi Cathedrali Summorum Pontificum Officia, illud S. Urbani amovit transtulitque ad diem 28 Maii. Nam quod perperam gestum est pro infecto habetur, et corrigendum erratum. Minus vero altera prodest, reponenda in more universalis Ecclesiae celebrandi Festum S. Gregorii VII die 25. Siquidem longe priusquam de hoc Sancto memoria fieret, universalis

Ecclesia S. Urbanum, licet ritu simplici, venerabatur, et modo etiam simul cum Sancto Gregorio veneratur, de uno faciens Officium, de altero simplicem commemorationem. Sed fieri id nequit, ubi aequali ritu uterque colitur. Utique servari uniformitas debet, sed quantum fieri potest: secus peculiaria locorum Officia forent expungenda, quia huiusmodi turbant uniformitatem: ideo qui indulto gaudent celebrandi sub ritu duplici Festa Sanctorum Pontificum, cum nequeant semper sequi Calendarium Universale, se conformare debent Calendariis principum Urbis Ecclesiarum, quae in iisdem celebrandis Officiis, dum nihil obstat, ordinem tenent in Martyrologio; sin minus, quod posterius est ad primam diem non impeditam amandant, tamquam ad propriam sedem. In eo tamen erratum est, quod S. Gregorio VII assignata sit dies 28, quae non est libera, cum in ea communiter fiat de S. Bonifacio IV Pont. et Conf., cuius natalitia dies pariter est 25 Maii, sed in assignatione proximioris diei, S. Gregorio praeponitur, quia isto anterior est. Quamobrem rite notavit diligens caeremoniarum Magister ab hac S. R. C. rogatus in suo disertissimo Voto, quod Pisaurense Capitulum eumdem ordinem tenere debet, quem tenent Calendaria Patriarchalium et Collegiatarum Urbis, in quibus dies 28 adsignata est S. Bonifacio IV et 29 S. Gregorio VII. De hac re forte nimis. Non inutilem tamen adnotationem hanc fore arbitror, quia licet agatur de casu particulari, nihilominus regulam praebet in similibus servandam, cum non uni Pisaurensi Cathedrali, sed pluribus Dioecesibus indulta sint Officia Sanctorum Romanorum Pontificum.

Ad Dubium II. Cum Missa celebretur pro exponendo Augustissimo Eucharistiae Sacramento, cumque in ea duo consecrentur Hostiae, altera pro Sacrificio, altera pro expositione facienda post Missam, plane consequitur in eadem legendam esse Collectam de Sacramento. Nemo est qui de hoc quaestionem moveat. Plura sunt S. R. C. Decreta, quae pro huiusmodi Missa certas dant regulas omnino servandas: praecipue vero in Fanen. 6 Decembris 1653: siquidem a Sodalitate Sanctissimi Sacramenti qualibet tertia Dominica in singulis mensibus supplex instruebatur agmen ad Sacram circumferendam Eucharistiam. Excitata controversia, num quae praecedebat Missa, cantanda esset de Dominica cum commemoratione Sacramenti, vel potius de Sacramento cum commemoratione Dominicae? Dubium delatum fuit ad Sac. Rit. Congreg., quae illud diremit, respondens: Missam in dicto casu celebrandam esse de Dominica, seu de Festo duplici, si in illa die occurrat, cum commemoratione Sanctissimi Sacramenti ad formam Rubricarum Missalis ». Heic autem loci abs re non est percunctari, quonam in loco haec Collecta ponenda sit? Huic dubio per eamdem Sac. Congregationem provisum fuit, data regula, quod commemoratio Sanctissimi Sacramenti fiat post omnes Orationes de praecepto, et in dupl. primae vel secundae classis unienda sit Orationi Festi sub unica conclusione, vel Orationi Dominicae, si in ea occurrat Festum primae vel secundae classis. Ita in Burgen. 29 Iunii 1736, in Aquen. 3 Martii 1661 et Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci Provinciae Conceptionis B. M. V. in Regno Portugalliae. Quid autem si post Missam non sequatur Processio? Eritne hoc in casu omittenda commemoratio? Cur dubium hoc proponatur, non video; cum nulla occurrat dubitandi ratio, quippe Commemoratio fit non ex causa Processionis, quae extrinsecam auget solemnitatem, sed ex motivo venerationis debitae Sanctissimo Sacramento, quod palam Fidelium oculis adorandum exponitur, vel statim post Missam collocetur in Throno, vel processionaliter circumferatur. Plura addere possem ad spartam hanc illustrandam; libenter tamen abstineo. Cum enim, ut piis nonnullis doctisque Viris id poscentibus, morem gererem, dare constituerim Commentaria quaedam ad Instructionem Clementis XII de Oratione 40 horarum ad enodandas quaestiones, quae saepe insurgunt, incompto sermone, sed opportune digesta: Sacrae Liturgiae studiosi habere in iis poterunt tum quae ad huiusmodi Dubii solutionem condunt, tum alia plura, quae circa expositiones tam publicas, quam privatas versantur.

ADNOTATIO AD DECRETUM

2599. SENOGALLIEN. (4562)

Consecratio tam Altaris stabilis, quam Arae Viatoriae seu portatilis, quoad essentiales preces, ritus, solemnitates eadem omnino est; in eo tamen differt, quod Altare portatile seu lapis, in cuius medio Sacrae Reliquiae reconduntur, in superficie dumtaxat sacra linitur unctione; contra vero in Altari fixo nec transferendo, alia adhibetur sacra unctio, qua lapis in angulis

coniungitur et connectitur cum inferiori stipite seu structura; atque hoc pacto non unus lapis, sed integrum Altare consecratum censetur. Ideo execratur Ara portatilis, si vel enormiter fracta fuerit, aut violatum Reliquiarum sepulcrum: execratur vero Altare fixum, etiamsi sine violatione sepulcri, si vel solus lapis a stipite amoveatur. Ita Alexander III Cap. *Ad haec, de Consecrat. Ecclesiae vel Altaris:* « Ad haec si Altare motum fuerit, aut Lapis ille solummodo suppositus, qui sigillum continet, confractus, aut enormiter diminutus extiterit. debet denuo consecrari ». Et in Cap. *Quod,* eod. titulo: « Altare vero, in quo tabula, cui consecrationis Benedictio Pontificali ministerio adhibetur, semota fuerit, vel enormiter fracta, debet non immerito consecrari ». Et quamquam non desint, qui putant Altare fixum consecrationem amittere, etiamsi Altare integrum de loco, in quo extructum fuit sacrisque caeremoniis delibutum, alio transferatur, communis tamen sententia est, quod hoc in casu necessaria non sit nova consecratio. Ratio est, quia licet Altare fixum in hoc differre videatur ab Altari portatili, quod hoc sit transferibile de uno loco ad alium, ipsum vero non ita, proindeque fixum dicatur et immobile; tamen haec differentia est mere extrinseca accidentalis et respective ad ipsum locum potius, quam inter ipsa Altaria; nam ratio formalis, per quam Altare fixum intrinsece differt a portatili, proprie in eo consistit, quod Altare fixum habet ac essentialiter importat coniunctionem Tabulae cum sua structura inferiori seu basi, cui Tabula proinde necessario debet esse unita: ubi e contra Altare portatile de sua natura importat esse a basi, seiunctum; propter hoc enim portatile est, quia de se habet seiunctionem a basi; alias non esset amplius Altare portatile, sed fixum. Hinc essentia Altaris fixi vere ac proprie consistit in dicta coniunctione, hoc est in mensa seu tabula unita cum basi, fixioneque in tali loco ideo importat, quia ibi ipsum voluit qui illud construere fecit: quod proinde ipsimet Altari est quid extrinsecum et accidentale. Poterat enim alibi illud idem construi. Quare cum Altare supponatur eamdem coniunctionem servare, Tabulae scilicet cum sua basi, non obstante ipsius translatione de uno in alium locum; dicendum est quod adhuc retinet suum esse, ac per consequens suam consecrationem, quae eidem accesserat: « accessorium namque, cum fundetur super principali, naturam sequi congruit principalis »: ex Reg. 42, de Reg. iuris in 6. Propterea, ut verificetur illud *mota,* non est necesse quod Tabula fuerit translata de uno in alium locum, sed sufficit quod fuerit a sua basi disiuncta; et sic per hoc Altare nova indigeat consecratione. Hinc Glossa cum ad Can. *Si motum,* ad Cap. *Ad haec* 1, § *Altare;* Panormitanus ibid. aliique per Altare intelligunt ipsam Altaris Tabulam, quae connexa est cum sua structura inferiori; *per motum* vero intelligunt advenientem disiunctionem eiusdem Tabulae vel etiam Lapidis consecrati ab ipsa inferiori structura; adeo ut sensus illius Textus: « Si Altare motum fuerit etc. » sit iste: « Si ipsa Tabula aut Lapis consecratus Altaris disiunctus seu disiuncta fuerit a sua inferiori structura », Altare debet denuo consecrari. Quod si Tabula, quam mensam dicimus, lapideo stabilique Altari superposita, licet tantae dimensionis sit ut subiectam structuram superet vel saltem aequet, numquam tamen coniuncta et unita fuisset cum inferiori stipite et per sacram unctionem quodammodo in angulis colligata, per amotionem et translationem de loco ad locum haud amitteret Consecrationem, quia hoc in casu, non aliam rationem haberet, nisi Altaris portatilis, quod execratur dumtaxat, vel per enormem fracturam, vel per violationem sepulcri Reliquiarum. Quoniam igitur in proposita facti specie res sit de Altari fixo et stabili, ac superpositus Lapis Arae maximae amotus fuerit ab inferiori stipite, cui per Sacram unctionem coniunctus fuerat, plane consequitur per huiusmodi amotionem execratum Altare fuisse, novaque indigere Consecratione, quemadmodum S. Rit. Congregatio declaravit.

ADNOTATIO

SUPER

2600. DECRETO GENERALI. (4563)

Huic generali Decreto occasionem dedit Dubium excitatum a pio quodam Sacerdote, et Sac. Rit. Congregationi ad definiendum propositum, quod sequentis tenoris est: « Cum variis ab hinc annis in permultis Ecclesiis tum Romae, tum aliarum Civitatum et Ditionum, consuetudo inducta sit in choralibus indumentis, nempe in Superpelliceis et Rochettis, nec non in Sacris Suppellectilibus tam pro Sacerdotibus celebrantibus,

quam pro usu Altarium, in Tobaleis videlicet, Amictis, Albis, Purificatoriis ac etiam in Corporalibus eorumque Pallis, utendi tela ex gossipio (vulgo Mussolo o Dobletto) loco lini contexta: quaeritur: Utrum consuetudo ista sit toleranda? » Etenim hac super re variae sunt Scriptorum cum Theologorum, tum de Sacris Ritibus pertractantium, sententiae. Aliqui putant id licere, alii vero nefas esse volunt adhibere pro hisce Supellectilibus et Indumentis aliam telam, quae specie differat a lino vel cannabe, licet candore, munditie, textura dissimilis non videatur. Verumtamen nec in unum simul conveniunt illi, qui secundam hanc tenent sententiam. Quippe eorum quidam nullum ponunt discrimen inter Supellectilia et Supellectilia; sed volunt telam ex gossipio adhiberi posse etiam in iis, quae immediate Sacrificio inserviunt, veluti sunt corporalia ex contactu Corporis Christi sacra, Pallae ad tegendum, Purificatoria ad abstergendum Calicem et Sacerdotis digitos destinata: alii vero admittunt ex gossipio confici posse Sacerdotalia Indumenta, Amictus videlicet et Albas, Tobaleas insuper, quibus Altare operiendum est: non item tamen Corporalia, Pallas, Purificatoria, quae cum propius Sacris Mysteriis inserviant, non ex alia materia, quam ex lino vel cannabe confecta adhibenda esse in Sacrificio existimant. Sacra autem Congregatio, ut quaestiones abrumperet, ac dubia removeret, quae ex diversis Scriptorum opinionibus oriuntur, rationibus hinc inde allatis mature discussis, ab antiquo probatoque more Ecclesiae, adhibendi scilicet pro omnibus praefatis indumentis et Supellectilibus telam contextam ex lino vel cannabe, recedendum non esse, eumdemque ad omnimodam observantiam revocandum decrevit: proindeque inductam in aliquibus Ecclesiis consuetudinem conficiendi Indumenta et Supellectilia pro Sacris celebrandis Mysteriis ex alia materia a lino vel cannabe diversa reprobavit, et tamquam abusum ac corruptelam iure merito eliminandam edixit. De Superpelliceis et Rochettis nihil pro nunc decernendum duxit, quia huiusmodi vestes neque pertinent ad immediatum Sacrificii et Altaris usum, neque Supellectilibus Sacerdotalibus ad sacrificandum stricte necessariis adnumerantur, sed haberi possunt potius, ut Choralia Indumenta.

Decretum autem huiusmodi, cum generale sit, et a Supremo Pastore adprobatum confirmatumque, praeceptivam obligationem importat; ideo Sanctitas Sua districte iubet, ut Locorum Ordinarii eiusdem observantiae sedulo incumbant, ne ullus sit, qui latam legem sub quolibet praetextu vel titulo audeat eludere.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2602. MAZARIEN. (4560)

Ad Dubium I. Cum Officia concessa ab Apostolica Sede Clero Civitatis et Dioecesis Mazarien. pro diebus sacris B. Mariae Virgini nuncupatae *de Iubino* et S. Conrado Confessori nequirent obtinere assignatam sedem in Ecclesia Collegiata Castriveterani eiusdem Dioecesis, ob occursum Dedicationis huiusque diei Octavae; erant necessario transferenda ad alias dies tamquam ad sedes proprias, in perpetuum retinendas, et nunquam in posterum immutandas. Factum id revera fuit a Chori Paaefecto. Aegre hoc tulit illius Ecclesiae caeremoniarum Magister; quamobrem rem detulit ad Sacr. Rit. Congregationem, quaesivitque: Num ad Episcopum pertineret quod Chori Praefectus perperam sibi usurpaverat. Verum non hoc erat postulandum, immo potius: Num recte, servataque Rubricarum forma et S. R. C. Decretorum dispositione, facta fuerit dierum assignatio. Etenim vel Episcopus, vel Chori Praefectus, vel caeremoniis Praepositus, vel Calendarii Director, vel alter quilibet ille sit, cui de iure id competat; certum tamen est, quod nova Festa, quae propriam sedem impeditam, et ab altero iam occupatam inveniunt, transferenda in perpetuum sunt ad proximiores dies, qui primi occurrunt vacui; neque fas est alios pro arbitrio et commoditate seligere. De iure antiquo in casu huiusmodi impedimenti Sacra Rit. Congregatio novam assignationem sibi reservaverat. Et merito quidem; ne quispiam sibi datum crederet ad placitum Rubricas interpretari. Sed postea certa data fuit regula ubique servanda, quin opus foret ad eamdem pro assignatione confugere. Plura sunt Decreta, quae hoc evincunt. Unum afferre sufficiat. Cum satis clara non viderentur, nec omnia simul convenire S. Congregationis Responsa, postulatum fuit in Wilnen., quomodo ea essent intelligenda? Et sub die 21 Aprilis 1741 declaratum lego: « Serventur posteriora et ultima S. R. C. Decreta: per quae assignatio alterius diei Officio in perpetuum impedito fieri potest, S. Congregatione inconsulta,

prout ex Decretis 2 Iulii 1712 et 20 Novembris 1717 ». Quoniam vero, licet praefatum Decretum assignationem perpetuam demandet, clare tamen non designat primam diem non impeditam; alia non desunt, quae elucidant id, quod in illo omissum fuerat. Ita in Brugen. 23 Iunii 1736, in Tergestina die 22 Iulii 1742, praecipue vero in Frisingen. 22 Augusti 1744, et in una Ordinis Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis Poloniae 14 Maii 1755. Verumtamen, etsi certa sit regula reponendi Festum perpetuo translatum in primam diem non impeditam, ita ut nemini liceat ab ea declinare; nihilominus eadem S. Congr. iubet, ne id privata auctoritate fiat, sed omnino vult, ut Ordinarius cognoscat causas et ordinem translationis. Ita in Hispalen. 26 Novembris 1735. « Sanctis qui perpetuo sunt transferendi, sit assignanda dies fixa, et commisit eidem Archiepiscopo, ut pro unica vice deveniat ad hanc designationem dierum ». Et longe clarius in laudata Frisingen., ubi legitur: « Prima dies proxime non impedita assignanda est cuilibet Festo a suo die ob perpetuum impedimentum translato, ut dies propria et fixa Festi translati; iustificatis tamen apud Reverendissimum Episcopum loci Ordinarium translatorum numero et causis, dierumque assignatorum ordine et qualitate ». In casu autem proposito, nec Episcopo, nec Directori Calendarii, nec alteri cuilibet fas erat in assignatione dierum praeterire proximiores non impeditos, et Festa, quae locum habere nequibant in propria sede longius amandare. Quamobrem proposito Dubio in abstracto respondendum fuisset: « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». Sed in concreto casu recte sapienterque Sacra Congregatio, a Dubio declinans, satius duxit regulam dare omnino servandam; videlicet: « Dies assignanda erat iuxta Rubricas et Decreta, ut in secundo ». Atque hoc pacto unica responsione utrique Dubio satisfecit. Neque novum est, ut S. Congr. Dubiis non directe respondeat, sed maioris claritatis ergo generalem det regulam. Possem hoc pluribus comprobare exemplis; unum sufficiat in casu omnino simili. Proposito namque Dubio a Provinciali S. Ioachim in Regno Poloniae Ordinis Discalceatorum SSmae Trinitatis: « Quis debeat diem assignare tamquam propriam Festis illis, quae perpetuo impedita manent ratione alterius Festi occurrentis? » Sacra Congregagatio nullam rationem habuit personae, a qua facienda esset assignatio: sed satius duxit regulam dare, quae tenenda foret: videlicet: « Quando plura Officia de praecepto eadem die in aliquibus locis ita fixe occurrunt, ut translatio alicuius, seu aliquorum sit perpetua, tunc prima dies proxima non impedita assignata censetur in perpetuum pro die propria Festi respective translati ». Cum enim assignatio facienda sit iuxta dispositionem iuris, et non alias, otiosum erat quaerere a quo facienda esset.

Ad Dubium III. Consuetudo, de qua in Dubio, ut talis nec haberi, nec nomine tenus appellari potest. Quod ex errore vel ex ignorantia factum est, corrigi omnino debet ac tolli, neque ullo tempore potest praescriptionem inducere, praesertim si recens est, et cum lata lege pugnet. Id revera accidit in allata facti specie, ut supra notatum est. Quamquam nec admittenda foret, nullamque vim obtineret, dato etiam quod non recens esset, sed antiqua; cum nec laudabilis, nec rationabilis sit, quales esse illas oportet, quae servari posse iura concedunt.

Ad Dubium IV. Nescio num ignorantiae crassae et supinae, an potius, quod est longe deterius, taedio tenuissimi laboris, propriaeque commoditati indulgendi desiderio tribuendum sit, quod aliquis adinveniatur, qui secum reputet non esse genuflectendum in Officio Vigiliae, ea quia Apostolica auctoritate populus solutus est a lege abstinentiae et ieiunii. Clara enim est litera Brevis, qua absolute praecipitur nihil innovandum esse per Apostolicum Indultum *quoad Missam, Officium et alias Ecclesiasticas Functiones*. Itaque, si abrogata lege abstinentiae et ieiunii, Officium tamen de Vigilia (nisi aliud occurrat novem lectionum) est recitandum, si in Choro celebranda Missa est de eadem Vigilia, etiamsi altera conventualis celebrata fuerit de Festo occurrente, quisque videt, planeque intelligit praeservatam esse dispositionem Rubricarum, quae ritum praescribunt cum standi, tum genuflectendi, in Officio et Missa de Vigilia.

Ad Dubium V. Duae sunt quaestiones, quae sub hoc Dubio enodandae proponuntur. Prima versatur circa modum, quo concludi debet Oratio in Festo Exaltationis S. Crucis. Secunda, de quo fieri debeat prima commemorotio, si duo simul concurrant Octavae, scilicet B. Mariae Virginis de Paradiso et omnium Sanctorum.

De prima dicam. Varii sunt modi, quibus

concludi debent Orationes; neque a praescripto Rubricarum, quae dant regulam, est declinandum. Nulla est conclusio, etsi brevis, quae D. N. I. C., cuius passione et meritis redempti sumus, nomine non absolvatur; sed non aequalis semper est modus; cum iuxta diversas relationes dici debeat vel *Qui vivis et regnas,* vel *Qui vivit et regnat,* vel *Per eumdem Dominum etc.* Nihilominus aliquae Orationes occurrunt, in quarum conclusione quaeri potest, num unus potius, quam alter modus sit adhibendus. Ad harum classem illa referri posse videtur, quam legimus in Officio et Missa Exaltationis S. Crucis. In fere omnibus Missalibus et Breviariis conclusio est: *Per eumdem Dominum nostrum etc.* Aliqui sunt tamen, qui putant simpliciter esse legendum: *Per Dominum nostrum Iesum Christum etc.:* eo quia nec in prima, nec in secunda parte Orationis Iesu nomen occurrit; innixi rubricae XVI de Oratione num. 4, ubi legitur: « Si Oratio dirigatur ad Filium, concluditur: *Qui vivis et regnas:* Si in principio Orationis fiat mentio Filii, dicatur: *Per eumdem:* Si in fine Orationis, dicatur: *Qui tecum vivit et regnat* ». Et re quidem vera generalis haec regula est, sed non ita accipienda, ut ad effectum variandi conclusionem necesse omnino sit, ut explicite Iesus in prima vel in secunda Orationis parte nominetur; satis est, quod memoretur mysterium *ad Filium hominem factum* pertinens, cuius nomen subintelligitur. Oratio, de qua disputatur, est de Crucis mysterio et redemptione per Crucem operata. Redemptio autem necessario personae Filii Reparatoris referenda est, non alteri. De Filio igitur tam in Orationis exordio, quam eius in fine per verba: *Cuius mysterium, eius redemptionis* mentio fit. Ideo conclusio esse debet: *Per eumdem etc.* Imploramus enim a Patre, ut per mysterium Crucis praemium, quod per ipsam Crucem a persona Filii nobis comparatum est, assequi in caelesti patria mereamur. Atque en ratio, ob quam nedum in recentibus, verum etiam in antiquis Missalibus et Breviariis legitur conclusio *Per eumdem,* quae proinde sine ulla innovatione retinenda est.

His accedit, quod S. Congregatio in similibus quaestionibus recedere nunquam voluit ab iis, quae probavit ac sacravit antiquitas. Cum novum Missale cudendum esset typis de Propaganda Fide, plures quaestiones enodandae S. R. Congregationi propositae fuerunt, quas inter 8: « Utrum in Missali corrigenda sint quae diversa inveniuntur a Sacris Bibliis in principio Epistolarum, et in titulis assignatis? » et 22: « An in benedictione incensi ad Offertorium, ubi dicitur: *Per intercessionem B. Michaelis Archangeli stantis a dexteris Altaris incensi,* pro Michaele reponendum sit nomen *Gabrielis, qui apparuit Zachariae stans a dexteris Altaris incensi?* » Eadem S. C. sub die 25 Septembris 1706 ad utramque respondit: « Nihil innovandum ». Exorta controversia circa *Communicantes* proprium dicendum in Festo Pentecostes, quia in quibusdam Missalibus legitur: *Igneis linguis:* in aliis quampluribus legitur: *Innumeris linguis;* et cum ex hac lectione varia haud modica exorta sit controversia, ad eam dirimendam petitur a S. R. C., quatenus declarare dignetur quaenam ex dictis duabus lectionibus amplecti debeat? S. C. sub die 13 Martii 1804, praescindendo a maiori minorive proprietate verborum, decidendi rationem petiit ex conformitate lectionis cum antiquis Missalibus, ideoque respondit: « Lectionem *Innumeris linguis* esse conformem Missali ab Urbano VIII recognito ». Quo sane responso S. C. satis superque ostendit nihil esse in Missali innovandum post ultimam correctionem et reformationem peractam sub Urbano VIII. Cum igitur conclusio Orationis in Festo Exaltationis S. Crucis non alia sit in antiquis ac recentibus Missalibus, quam *Per eumdem etc.;* haec est retinenda. Praestat et aliud afferre responsum, quo idipsum magis comprobatur. Dubitatum fuit utrum Oratio pro Rege concludenda esset: *Per Dominum nostrum etc.,* aut: *Qui vivis et regnas etc.,* quia eadem videtur dirigi ad Filium, quia specialiter dicitur: *Via, veritas et vita.* Et S. C. sub die 3 Martii 1761 respondit: « Conclusio Orationis pro Rege debet esse: *Per Dominum nostrum etc.* »: neque ita decrevit, eo quia aeque Patri ac Filio proprie conveniunt verba illa *Via, veritas et vita:* verum, quia: « Ita habent autographa Missalis S. Pii V, Clementis VIII et Urbani itidem VIII ».

Succedit Dubii pars altera, quae est de concursu duarum Octavarum, videlicet *B. M. V. de Paradiso* nuncupatae, et *omnium Sanctorum:* Cuinam ex istis praelatio debetur? quaenam in diebus infra Octavam non impeditis Officium obtinebit? quaenam simplicem commemorationem? Decidendi ratio, vel a dignitate simul et ritu petenda

est, vel a ritu dumtaxat. Si duae Octavae concurrant aequalis ritus, cum in diebus infra Octavam non impeditis de utraque fieri nequeat Officium, in praelatione maior dignitas attendi debet. Quatenus vero diversus sit ritus, et Octava dignioris sit secundae classis, altera de minus digno sit primae class., non amplius dignitas, sed sola qualitas ritus regulam dat praelationi. Ita decretum lego a S. C. Quaesitum fuit in Curien. 19 Iunii 1700, de quo fieri deberet Officium de die infra Octavam, concurrente illa Patroni principalis, cuius Festum gaudebat ritu primae classis, et altera B. M. V. secundae classis? Et S. C. respondit: « Recitandum Officium de Patrono principali cum commemoratione octavae B. M. V.; et in una Ordinis Barnabitarum, in simili concursu Octavae Patroni loci cum Octava Conceptionis B. M. V. sub die 13 Septembris 1710 S. C. sancivit: « Fiat Officium de Octava S. Patroni loci, cum commemoratione Octavae Conceptionis ». Quoniam autem in Dubio reticebatur ritus, quo gaudet Festum B. M. V. de Paradiso; ideo S. C. non absolute respondit, sed distinxit casum a casu, ei decernendo praelationem ob dignitatem in aequalitate ritus, iuxta Rubricas et Tabellam de occurrentia; secus vero in ritus disparitate, quum praeferendum sit etiam in diebus infra Octavam Festum illud, quod potioris est ritus, iuxta decreta in similibus edita.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2603. BAREN. (4567)

Pia legata cum onere aliquid agendi, quod vel adversatur, vel minus convenit praescriptis ab Ecclesiae ritibus, aut acceptanda non sunt, aut, si acceptentur, pro eorundem tamen commutatione et reformatione Summo Pontifici supplicandum; aut appositae conditiones perinde habendae ac non fuissent, et adimplendae in iis tantum partibus, quibus sacrae leges non obstant. Haec est Sacrae huius Congregationis constans disciplina. Delata ad eam quaestione: An servanda esset pia quaedam dispositio celebrandi in Ecclesia Sanctae Mariae supra Minervam quolibet die Dominico ad aliquod Altare Missam de Resurrectione Domini: eadem S. C. sub die 23 Martii 1630 respondit: « Agendum cum SSm̃o pro commutatione voluntatis ». Ita etiam cum quodam Legatum relictum fuisset Ecclesiae Sanctae Agathae in regione Transtyberim Urbis, cum onere celebrandi Missam de S. Rocho die 16 Augusti, dubitatum fuit: Num id liceret, tum quia ea dies impedita erat Officio Sancti Hyacinthi, tum quia Missa Sancti Rochi celebrari nequit nisi in Ecclesiis sub eius nomine Deo dicatis? Et S. R. C. sub die 18 Iulii 1671 respondit: « Ad SSm̃um », qui declaravit: « Satisfaciendum voluntati legantis cum Missa Sancti Hyacinthi ». Etenim conditiones appositae in huiusmodi piis Legatis irritantur, sed non irritant, veluti eadem Sacra Congregatio pariter declaravit. Nam, cum expositum fuisset contingere nonnunquam pia Legata relinqui cum onere celebrandi Officia alicuius Sancti sub altiori ritu, quam qui a Sede Apostolica est illi praescriptus; quaesitum fuit: « Quid his in casibus statuendum sit? » Et S. R. C. dedit Regulam, respondens: « Secundum ea, quae proponuntur, conditionem huiusmodi vitiari, et non vitiare. Sed in praedictis casibus indulgendum sit, ut Officia huiusmodi quoad pompam extrinsecam, non autem quoad Ritum Ecclesiasticum, solemnius celebrentur ». Non enim in laicorum potestate est hoc modo indirecte in Ritus Ecclesiae legem dicere; nec expedit Ecclesiae per has appositas conditiones Legatorum huiusmodi effectu privari. Nec aliter respondit in una Nullius Dioecesis Provinciae Treviren. 6 Aprilis 1646.

Legatum autem, de quo in praesenti Decreto Sacrae Liturgiae minime conveniebat, nec tamen absoluta dispensatio erat indulgenda; verum commutanda dispositio erat, reformanda et ad eum aptanda modum, qui a licito Ritu non dissentiret. Ita revera factum est, simulque provisum dispositioni Fundatoris, et Ritus Ecclesiastici congruentiae. Neque aliter responderat S. R. C. in casu simili. In Conversanen. agebatur de Legato cum apposita conditione *celebrandi singulis diebus Veneris* (Missam) *de Passione, et cum onere, terminata Missa, post Evangelium* In principio erat Verbum etc. *recitandi ipsam Passionem secundum Ioannem.* Et S. R. C. sub die 31 Augusti 1669 animadvertens dispositionem esse contra Ritus Ecclesiasticos, rem composuit, commutando modum; videlicet: « Recitandam esse (Passionem Domini) post finem Missae, exutis vestibus Sacerdotalibus, et cum sola cotta in Altari, vel in Sacristia ».

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2604. BOVEN. (4568)

Etsi iure cautum sit, ut Horae canonicae statis horis in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis persolvantur: nihilominus nonnullae quandoque concurrunt circumstantiae, quae plane suadent aliquid remittendum, aliquid esse indulgendum. Id accidit in casu proposito, quum Cathedralis Ecclesia in montanis sita sit, aedes Canonicorum aliorumque inservientium longe distent, difficilis sit accessus hyemali tempore ob aëris inclementiam et viarum difficultatem. Hisce incommodis occurrere volens Sacratissimus Princeps ita legis rigorem temperavit, ut Ecclesia debito non fraudaretur servitio, et personarum incolumitati provisum foret.

ADNOTATIO SUPER CONSTITUTIONE PII PP. VII.

2605. DE INVENTO CORPORE S. FRANCISCI (4569)

Erit forte nonnemo, qui discere cupiat, quo tempore, qua occasione, quorum studiis, quibus mediis et quomodo post sex fere saeculorum fugam inventum tandem sit Corpus Sancti Francisci Parentis et Fundatoris universi Ordinis Fratrum Minorum; ac praeterea, quibusnam evincatur argumentis Sacras illas exuvias revera esse Sancti huius Patriarchae, et non potius alterius ignoti nominis Caelicolae reconditi in subterranea cella, cui immineret Ara maxima Assisiensis Basilicae, distinctae titulo et nomine Sancti Francisci, in cuius honorem, et ad sacrum eius Corpus honorifice deponendum asservandumque, a fundamentis excitata fuit. Mei instituti ratio non patitur, ut huiusmodi satisfaciam quaesitis. Longum quippe onus aggrederer, quod certe componi nequiret cum brevibus hisce adnotationibus, si vellem dumtaxat in compendium redigere id, quod in rem hanc dilucide, solide, invicte praestitum est a clarissimis viris Advocato Francisco Guadagni et Advocato Carolo Fea. A primo cum in eruditissima, et eleganti Dissertatione: *De invento Corpore Divi Francisci Ordinis Minorum Parentis,* tum in altera parte, in qua praestantissimus Auctor totus fuit in refutandis obiectis, ne quid superesset in re tam gravi aut ambiguum, aut non satis explanatum. Ab altero in egregio, erudito numerisque omnibus absoluto opere typis R. C. A. nuper evulgato, cui titulus: *Descrizione ragionata della Sacrosanta Patriarcale Basilica e Cappella Papale di S. Francesco di Assisi, nella quale recentemente si è ritrovato il Sepolcro ed il Corpo di sì gran Santo.* Spartam hanc uterque ita illustravit, ut ne quid insuper quaerendum optandumque videatur.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2606. MELITEN. (4571)

Controversiae de praecedentia in Processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus, quae frequenter excitabantur cum inter Fratres Ordinum Mendicantium, tum inter varias Confraternitates laicales, per Constitutionem Gregorii XIII *Exposcit Pastoralis Officii,* dat. 25 Iulii 1583 compositae fuerunt: et, ne in posterum gliscerent, per eamdem Constitutionem certa servanda methodus praescripta fuit, ut quae, ex diversis Sodalitatibus simul concurrentibus, antiquior esset et habitum, quem *Saccum* dicunt, prius assumpsisset, caeteris anteiret. En Constitutionis verba: « Apostolica « auctoritate decernimus, quod quicumque « ex dictis Fratribus Mendicantibus inter se « de praecedentia huiusmodi contendenti- « bus, aut confratribus Confraternitatum « praedictarum, inter quos lites et causae « praemissorum occasione ortae iam sint, « seu oriri contigerit in futurum, qui in « quasi possessione praecedentiae ac iuris « praecedendi sunt, ii (quibuscumque re- « clamationibus, protestationibus, appella- « tionibus et aliis subterfugiis prorsus re- « motis, et cessantibus, et expeditis) in « processionibus tam publicis, quam priva- « tis praecedere debeant. Quando vero non « probetur, aut non constet de quasi pos- « sessione praecedentiae huiusmodi, inter « Fratres quidem Mendicantes, ii, qui an- « tiquiores in loco controversiae, inter con- « fratres vero inter se litigantes, ii, qui « prius saccis usi sunt, in processionibus « tam publicis, quam privatis praecedere « debeant etc. » Sacra autem Rit. Congregatio in quaestionibus hac super re ad eam delatis constans fuit in tuenda regula, quam Gregorius XIII praescripsit, ut ex innumeris Decretis, quae videri possunt in nostra hac Collectione. Haec regula est, quae tamen aliquam patitur limitationem quoad Sodalitates Sanctissimi Sacramenti, quae praecedentiam obtinent supra alias Sodalitates antiquiores, sed dumtaxat in Proces-

sionibus Sanctissimi Sacramenti, aliisque functionibus, quae Venerabile Sacramentum respiciunt, veluti declaravit eadem Sacra Congregatio: quae tamen conditionem adiecit, « dummodo accedant etiam ad alias Processiones, et in loco sibi debito incedant ». Ita in una Lunen. Sarzanen. die 18 Iunii 1639, in una Mediolanen. die 14 Novembris 1654, in Lauden. 4 Martii 1662, et, ut de aliis sileam, in Vercellen. die 20 Septembris 1687, ubi clarius: « Indulgendum, ut Societas SS̄mi Sacramenti praecedat in Processionibus, in quibus SS̄mum Sacramentum defertur tantum, dummodo eadem accedat ad alias Processiones iuxta ordinem antianitatis »; et in Mediolanen. die 19 Iunii 1655, in qua responsum lego: « competere praecedentiam Societati SS̄mi Sacramenti supra Confraternitatem S. Ambrosii in omnibus Processionibus, in quibus defertur SS̄mum Sacramentum ». Ideo in hac controversia Sacr. Rit. Congregatio respondit: « Praecedentiam deberi Sodalitati S. Ioseph ». Verum iuxta praefata Decreta exceptionem posuit: « praeterquam in Processionibus SS̄mi Sacramenti »: iisdemque Decretis inhaerens declaravit: « Sodalitatem vero SS̄mi Sacramenti teneri, et cogi posse ad alias Processiones »: addidit tamen: « iussu, prudentia et arbitrio Ordinarii »; quia revera solius Ordinarii ius est decernere num in quibusdam circumstantiis conveniat, nec ne, ad caeteras Processiones Confraternitatem SS̄mi Sacramenti compellere.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2607. CALAGURITANA ET CALCEATEN. (4572)

Ubi lex clara est, non relinquitur disputandi locus. Atqui in proposita facti specie Rubrica interpretatione non indiget; et vix, ac ne vix quidem intelligo, quaenam sit dubitandi ratio. Quamvis infans vel adultus Catechumenus, si in mortis periculo constitutus sit, a quocumque etiam laico, et foemina (dummodo is intendat id velle facere, quod vult Ecclesia, formam pronuntiet, simulque elementarem aquam super illum effundat) baptizari licite et valide possit; attamen si Parochus vel Sacerdos sit, qui domi in casu necessitatis privatim baptizat, regulam servare debet, quam ponit Rubrica; videlicet: « omissis, quae baptismum praecedunt, eum baptizet ter vel etiam semel infundens aquam super caput eius in modum Crucis, dicens: *Ego te baptizo in nomine Patris etc.;* si non habeatur aqua baptismalis, et periculum impendat, Sacerdos utatur aqua simplici; deinde, si habeat Chrisma, liniat eum in vertice dicens: *Deus omnipotens Pater Domini Nostri Iesu Christi etc.;* postea det ei linteolum candidum, dicens: *Accipe vestem candidam etc.,* ac demum det ei cerεam candelam accensam, dicens: *Accipe lampadem etc.:* si supervixerit, suppleantur alii ritus omissi ». Qui tamen omissi ritus suppleri debent in Ecclesia, postquam infans, vel adultus convaluerit.

Itaque si lex praecipit, ut omittantur omnia, quae Baptismum praecedunt, statimque sine mora infans vel adultus salutari lavacro est abluendus; quo iure Parochus, ut Dubium fert, ministrando Baptismum, violacea Stola usus est, puerumque Oleo catechumenorum linivit? Male ergo se gessit baptizans, imposita sibi Stola violacea: sed magis etiam erravit id faciens, quod Ritualis Rubrica omittendum iubet. Erit forte quis, qui postulet curnam adhiberi possit sacrum Chrisma, si in promptu est, non autem Oleum catechumenorum? Facilis et expedita esset responsio, si dicerem, rationem non esse petendam, dum lex aliquid expresse iubet aut vetat verbis non ambiguis. Verumtamen ratio haec nimis est generalis; alia igitur quaerenda, neque multis est opus, ut eam inveniamus. Ita Rubrica disponit, ut etiam in casu, quo ad baptizandum Parochus vel Sacerdos accedat, nulla interponatur mora, statimque spirituali baptizandi saluti provideatur. Cum enin non liceat privatim baptizare infantem vel adultum Catechumenum, nisi gravis necessitas urgeat, et periculum non remotum, sed proximum mortis immineat: plane consequitur ab ea actione esse incipiendum, in qua Sacramentum ex Divina institutione consistit; ne, si differatur, ut praemittantur preces, exorcismi etc., interim baptizandus decedat. Non enim qualecumque periculum satis est, sed illud, quod dilationem admittere et moram dare non videatur. Postquam vero necessitati fuerit consultum, quatenus infans vel adultus luce adhuc fruatur, cum nulla formido supersit, poterit Sacerdos alias caeremonias perficere, quae subsequuntur; et quatenus vas Chrismatis secum habeat, hoc linire verticem, candidum linteolum porrigere, accensam candelam tradere, orationes et respectivas formulas

pronunciare; quae omnia commode fieri possunt, quia, dum haec fiunt, si infans vel adultus decedat, spiritualis salus, ex ei iam collato baptismate, in tuto est; secus vero dicendum de caeremoniis, quae praecedunt, quia, dum dicuntur preces et exorcismi, evenire potest, ut baptizandus, nondum sacro lotus lavacro, moriatur. Atque ea est vera ratio, ob quam Rituale omittenda esse iubet, quae praemittenda sunt; permittit, ut fiant, si Sacerdos sit minister et sacrum Chrisma in promptu sit, quae subsequuntur.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2608. SORANA (4573)

Praeter plurima Decreta, quae legi possunt in hac Collectione, et statuunt Aspersorium tradendum Episcopo a digniore Ecclesiae, ad quam accedit: etiamsi a suae Cathedralis Canonicis sit associatus; praestat insuper Sacr. Romanae Rotae decisionem afferre. Orta controversia inter Rm̃um Capitulum Sacrosanctae Basilicae Lateranensis, et Praepositum Collegiumque Sixtinum apud Scalas Sanctas super iure excipiendi Summum Pontificem in Scalarum Sanctarum accessu, eidemque praesentandi Aspersorium; contendente Capitulo id sibi tantum, non Praeposito et Collegio Sixtino competere; datoque Sacr. Rotae Auditorio ad decidendum sequenti Dubio: « An, et a quo excipiendus Summus Pontifex in accessu ad Scalas Sanctas? »: prodiit decisio: « Summum Pontificem excipiendum esse a Praeposito et Collegio Sixtino ». Ita in Romana, Iurium honorificorum super bono iure, 13 Martii 1763 coram Herreros, et in Confirmatoria 13 Martii 1765. Ratio autem decisionis evidentissime patet. Cum enim constiterit, quod dominium et iurisdictio qaoad Scalas Sanctas ad Praepositum et Collegium Sixtinum privative spectat, iisdem etiam debetur ius honorificum: « Nam, ut habetur in decisione confirmatoria, excluso Capituli dominio et iurisdictione, facile patet ius excipiendi Summum Pontificem soli competere Praeposito et Collegio; vanumque et perabsurdum esse in aliena Ecclesia de maiori dignitate contendere. In hac enim materia, qui dignior est in sua Ecclesia, is reliquos omnes inibi vincit, et expellit. Nam quisque domi suae rex est et imperator, et nemini cedere tenetur ».

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2609. VOLATERRANA (4574)

Regulam tradit Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 33, num. 22, quod in solemnitate SSm̃i Corporis Christi, dum Sacra Eucharistia, publica indicta Supplicatione, circumfertur, liceat Episcopo *in aliqua Ecclesia, et super illius Altare deponere Sanctissimum Sacramentum, et aliquantulum quiescere.* Id etiam permittitur, etsi non Episcopus, sed Sacerdos deferat Sacramentum, veluti declaravit Sacra Rit. Congr. in Albinganen. 10 Iulii 1677. Verum idem Ceaeremoniale duas ponit conditiones. Prima est, « si longior fuerit Processio »: nam si brevi ambitu concluditur, necessaria non est pausatio ad reficiendas vires. Secunda, quae magis interest: « quod non passim in singulis Ecclesiis, vel ad singula Altaria, quae forsitan per vias constructa et ornata reperiuntur, faciendum est, sed semel tantum, vel iterum, arbitrio Episcopi ». Modum praeterea tenendum praescribit: « et ibidem antequam discedat, thurificare (poterit) Sanctissimum Sacramentum, et Orationem de Sacramento cantare »; quin vel unum addat verbum de benedictione populo elargienda, priusquam Processio reassumatur: immo ex silentio plane arguitur, dandam non esse. Id etiam clarius colligitur ex Caeremoniali, iussu et auctoritate Benedicti XIV edito pro Basilica Assisiensi S. Francisci cap. 10; ubi describitur ritus servandus in solemnitate Sanctissimi Corporis Christi, « ut in Supplicatione Episcopus deferens Sacramentum ibi modico tempore quiescat. Deposito namque Sanctissimo Sacramento in Altaris medio, cantabitur: *Tantum ergo;* interim Episcopus super pulvinar sericum in infimo gradu genuflexus, ac humerali velo deposito, thus imponet in thuribulo Basilicae, Sacramentum thurificabit et Orationem de eodem Sacramento cum cantu dicet; sumat inde velum humerale, et a Diacono accipiat Sacramentum; eodemque, quo advenit, ritu et ordine e Basilica discedat Processionem prosecuturus ». Quae postrema verba ad quamlibet dirimendam controversiam satis forent. Cum enim, cantata ab Episcopo Oratione, impositoque velo humerali, ei a Diacono tradendum sit Sacramentum ad unum effectum prosequendi Processionem; et sint actus successivi, et continuati, *Hymnus, thurificatio, oratio, impositio veli, traditio Sacramenti, reassumptio Processionis,* claris-

sime patet Caeremonialis Rubricam excludere benedictionem. Sed cur argumenta negativa persequimur, dum positivum non desideratur? Sacra Rit. Congr., quae Caeremonialis libri interpres est, id aperte declaravit. Proposito namque dubio in Monopolitana: « An in Processionibus, in quibus (per Dignitates, vel Canonicos Cathedralis) defertur Sanctissimum Sacramentum, dum contingit illud poni super Altaribus, quae eriguntur per viam, spectet dare populo benedictionem ante eadem Altaria, Parochis vel Regularibus ea erigentibus, an potius iisdemmet Dignitatibus? Eadem Sac. Congregatio non directe dubio respondit; verum, sensum Caeremonialis declarando, certam regulam posuit, decrevitque: « Servanda esse Caeremonialis praescripta, et semel tantum elargiendam esse populo benedictionem in fine Processionis ». Si danda est igitur semel benedictio in fine Processionis; palam fit, non esse elargiendam, dum Sacramentum in aliquo Altari deponitur, ut interim Episcopus vel Sacerdos tantillum quiescat. Quae cum sint, scite Episcopus Volaterranus hanc regulam pro sua Dioecesi in ordine Divini Officii inserendam iussit. Sed quoniam antiquissima ibi consuetudo vigebat, et modo viget, ut quoties per vias Altaria occurrunt, toties pausatio fiat, et nonnisi impertita populo Benedictione cum Sacramento, ad prosequendam Processionem Episcopus vel Sacerdos ab Altari discedat: anceps fuit, num regulae, an consuetudini difficillime reformandae standum esset? Qua de re Sacr. Rit. Congregationem rogavit. Equidem de iuris rigore strictim regula servanda esset, modusque tenendus, dum pausatio fit, quem post Nicolaum de Bralion verb. *Eucharistia,* num. 6, et Bauldry lib. 3, cap. 33, art. 3, num. 25, insinuat Meratus ad Gavantum part. 4, tit. 12, num. 16, ac praescribit laudatum Caeremoniale pro Basilica Assisiensi. Verumtamen cum certum sit consuetudines inveteratas, quae non uno alterove in loco obtinent, sed fere ubique inductae sunt, difficillime abrumpi et tolli posse, praesertim si a Praesidibus scientibus, non reclamantibus, sed tacite acquiescentibus, permissae, vel saltem non improbatae censentur; curandum est, ut, quantum fieri potest, propius regulae conformentur, et in abusus damnandos et eliminandos non degenerent: sapienti consilio Sacra Rit. Congr. hoc suo Decreto, dum inveteratam consuetudinem tolerari posse permisit, simul conditiones addidit, quibus et decentiae consuleret, et modum arbitrio imponeret, et regulam Caeremonialis tueretur; quare hoc Decretum haberi debet nedum pro simplici responso petitioni Episcopi Volaterrani, verum etiam ut regula ubique locorum omnino servanda. Vide, si lubet, quae diximus ad *Instructionem Clementinam de Oratione quadraginta Horarum* paragr. XXI. num. 12 et sequent.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2610. MACERATEN. (4575)

Nulla lex est, quae praescribat certum numerum luminum, quae in Processionibus deferenda sint ante Crucem et Sodalitatum vexilla: licet proinde Confraternitati S. Sepulchri, de qua in Decreto, quinque intortitia ante Crucem elevare, praesertim ob mysticam rationem, et in sacrarum quinque Plagarum symbolum.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2611. ASCULANA (4576)

Quamvis hoc Decretum peculiare exhibeat indultum pro una Dioecesi Asculana, haberi nihilominus potest tamquam generale, quia et declarat mentem concedentis, et dat regulam in similibus servandam. Octava SSmi Corporis Christi admittit dumtaxat duplicia occurrentia, et etiam translata, quae ritu gaudeant 1 vel 2 class.; verum, ut petentium pietati ac devotioni erga SSmum Eucharistiae Sacramentum, a S. Congregatione quandoque ampliatur indultum, ut per integrum octiduum fieri possit de diebus infra Octavam, etsi occurrat Festum duplex; clausula apponi solet: « dummodo non sit dup. 1 aut 2 class. ». Idem privilegium, peculiaribus intercedentibus circumstantiis, extenditur quandoque ad Octavas unius vel alterius ex solemnioribus festivitatibus, praesertim B. M. V.; ut in casu de quo praesens Decretum. At ex clausula illa: « dummodo non sit 1 vel 2 class. » oriri poterat dubitatio num in occursu diei Octavae Patroni, Titularis, Dedicationis Ecclesiae vel cuiuscumque alterius Festi, quod eadem gaudeat, infra Octavam praefato modo privilegiatam debeat de illa fieri Officium, an simplex commemoratio. Dubitandi ratio in eo stat, quod Octava Privilegiata solum admittit Officia 1 vel 2 class., alia reiicit tam occurrentia, quam translata: ideo dies Octava, quae ritum dupl. min. non excedit, cedere de-

bere videtur diei infra Octavam. Id autem est, quod per praesens Decretum declaratur. Etenim cum dies octava, quia transferri nequit, praestet super alia Festa, si quae occurrant rit. quoque dupl. mai.; igitur ne pereat, aequum est, ut de eadem fiat Officium in diebus infra Octavam privilegiatam; praesertim quia, cum dies Octava, licet gaudeat ritu dupl. min., reiicit tamen Festum occurrens dupl. mai., induit lato modo in huiusmodi occurrentia qualitatem dup. 2. clas., vel saltem huic aequiparatur.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2612. CARPEN. (4577)

Ecclesiae semel consecratae, dummodo materialis fabrica, ac praesertim parietes subsistant, etsi quocumque gravissimo crimine pollutae et violatae fuerint, aut in profanum usum conversae, nova tamen consecratione non indigent. Interdictae utique sunt, nec in iisdem sacra queunt celebrari Mysteria, sed precibus et aspersionibus in Pontificali praescriptis debent dumtaxat reconciliari. Eadem tenenda ratio, quoad Oratoria minoresve Ecclesias, servata forma in Rituali Romano tradita, benedictas. Praeter Canonistas, videri possunt collecta a Baruffaldo ad Ritual. Roman. tit. 73, et a Catalano in Commentariis, cum ad idem Rituale, tum ad Pontificale. Quamquam vero reconciliatio Ecclesiae consecratae peragi nequeat, nisi ab Episcopo loci Ordinario, vel ab extraneo Episcopo de eiusdem mandato; nihilominus, urgentibus circumstantiis, Apostolica interveniente facultate, ab aliquo Sacerdote in Ecclesiastica dignitate constituto fieri permittitur, eadem benedictione adhibita, qua utitur Episcopus, ut in Pontificali (Vide Sacrae Congregationis responsum die 19 Maii 1607 in Placentina ad Dub. 10).

Porro urgentes concurrebant causae in casu, de quo in precibus. Cum enim in Civitate et Dioecesi Carpensi plures essent Ecclesiae, vel consecratae, vel simpliciter benedictae, quae militaribus stationibus et excubiis profanatae ac violatae reconciliatione indigebant; et vacante Sede, Episcopus non adesset, qui Pontificalis praescriptum exequeretur; promptum praebere remedium opus erat, ad exercitium Divini Cultus in iisdem restituendum; ideo SSmus D. N. benigne indulsit, ut reconciliatio peragi posset vel ab ipso Vicario Capitulari, vel ab aliis Sacerdotibus, quos deputandi eidem potestatem fecit, addita conditione *adhibendi aquam ab aliquo Catholico Episcopo benedictam,* quae certe parari nequit a simplici Sacerdote, cum sacranda sit distinctis exorcismis et precibus a Pontificali praescriptis, et commixtione nedum salis exorcizati, verum etiam cineris et vini, iuxta Text. cap. *Proposuisti,* De Consecrat. Ecclesiae et Altaris. Similis quasi casus habetur in Argentina; quamobrem Abbas Monasterii S. Mariae ad Schutteram petiit: « An ipse cum aqua benedicta ab aliquo Catholico Antistite supradictas Ecclesias benedicere et reconciliare per se ipsum, quatenus indigeant, possit? Quatenus negative, supplicat pro facultate ». Et Sacra Congregatio sub die 30 Martii 1697 respondit: « Secretario cum SSmo pro facultate »; et Sanctitas Sua die 3 sequentis Aprilis, facultatem benedicendi et reconciliandi supradictas Ecclesias, cum aqua tamen benedicta ab aliquo Episcopo Catholico, et pro hac vice tantum, benigne concessit.

Non eadem servanda solemnitas est in reconciliandis Ecclesiis dumtaxat benedictis; et quoniam id non ad Ordinem (quemadmodum consecratio, ut declarat Gregorius IX in cap. *Aqua,* de Consecrat. Ecclesiae et Altaris), sed ad iurisdictionem pertinet, ut potest Episcopus ad benedictionem explendam, simplicem Sacerdotem delegare, ita etiam et ad reconciliandam Ecclesiam violatam seu pollutam; ideo brevior minusque solemnis formula traditur in Rituali Romano, et in aspersionibus non alia adhibenda aqua est, quam lustralis.

Clara haec sunt, neque in his explanandis immorandum ulterius est; sed quoniam, veluti exponebat Vicarius Capitularis, eo usque processerat militaris licentia, ut et Altaria in aliquibus Ecclesiis fracta fuerint; hinc etiam huic malo erat occurrendum. Non enim sicuti ad reconciliandam Ecclesiam, ita etiam ad altaria consecranda delegari congruit simplicem Sacerdotem, licet in potestate sit Supremi Pastoris tale privilegium alicui concedere, quo sane fruuntur quorumdam insignium Monasteriorum Abbates pro Ecclesiis sibi subiectis. Nam etsi Episcopus nequeat accersiri ad hoc opus perficiendum, alii tamen non desunt modi, quibus suppleri potest defectus; praesertim vero provisionali ac temporanea appositione Arae portatilis supra men-

sam execrati Altaris. Ideo Sacra Congregatio in dicta Placentina ad sequentia Dubia: « An possit sacros lapides, nempe Altaria portatilia a quocumque Catholico Antistite rite confecta, supradictis Altaribus apponere, ut Sacrum ibidem licite peragi valeat? An in infrascriptis Altaribus... noviter constructis supradicta Altaria portatilia apponere, et deinde in eisdem licite Missa celebrari possit?» Respondit: « Affirmative ad formam Pontificalis Romani ».

Sed quia in supplici libello enunciatur tantum *in alcune hanno rotto gli Altari,* quin constet de qualitate fracturae; ideo pro casuum diversitate sapienter in Rescripto est distinctione provisum. Non enim per quamlibet fracturam execratur Altare fixum ex integra lapidea mensa, inferiori structurae caemento unita; sed per illam tantum, quae enormis est. Hic autem videtur sciscitandi locus: quaenam quantaque sit enormis lapidis fractura, ob quam execratur Altare iuxta text. in cap. *Ad haec,* et cap. *Quod in dubiis* de Consecrat. Ecclesiae vel Altaris? Id per nostrum Rescriptum declaratur, ubi dicitur celebrari posse Missam in Altari, *non obstante levi fractura in uno vel altero cornu.* Idem Alexander III qui in praefato cap. *Quod in dubiis,* iterum consecrari iubet Altare, cuius Mensa *semota fuerit, vel enormiter fracta;* per aliud Rescriptum declarat quid per dictionem *enormem* intelligat. Nam consultus ab Archiepiscopo et Capitulo Bisuntino: Num Altare, cuius mensa *in sua extremitate modicam passa fuerat fracturam,* iterum consecrari deberet? Respondendum duxit, quod *cum Altaris tabula mota, vel enormiter laesa non fuerit, ob casum praedictum, nec Ecclesia, nec Altare debent denuo consecrari.* Ita in cap. *Ligneis* eod. tit. Rescriptum igitur apprime convenit cum Alexandri responso, dum declarat licere *super iis celebrare; non obstante levi fractura in uno alterove cornu.* Erit autem enormis fractura; si tabula fuerit, vel in duas, vel in plures notabiles partes divisa, ac proinde continuationem, integritatem et substantialem unitatem amiserit. Talis etiam erit, vel res sit de Altaribus fixis, vel de Aris viatoriis, si divisa per fracturam aliqua sit ex illis partibus, in quibus peculiares unctiones fuerant adhibitae, subtiles candelae accensae, thus crematum. Nam, etiamsi iuxta obvium materialem sensum fractura enormis non sit, respective tamen enormis evadit, quia separatae sunt partes specialibus precibus, formulis, signis, actionibus consecratae. Atque ita intelligendum esse puto textum in cap. *Ligneis:* quippe cum ageretur de modica fractura in extremitate tabulae fixae, iure credi poterat integram remansisse continuationem partium, quae Cruce signatae fuerant cum aqua benedicta, sacrisque oleis linitae. Verbo dicam: Execrata erit tabula, si pars fracta unam contineat ex lateralibus Crucibus ab Episcopo in Altaris consecratione specialiter benedictis.

Quamvis, vel agatur de Altari fixo et stabili, vel de Ara portatili et viatoria, enormis fractura insuper erit, si parvus ille lapis confractus fuerit, qui sigillum continet, et claudit repositorium Reliquiarum, quod Sepulcrum dicimus. Per verbum *sigillum,* quo utitur Alexander III in praefato cap. *Ad haec,* ab Sacrorum Canonum interpretibus relatis a Gonzalez ad idem caput intelligitur *operimentum Reliquiarum distinctum ab ipsomet lapide.* Verumtamen hoc in casu, velut etiam in altero, in quo nedum fractus lapis, sed etiam Reliquiae fuerant amotae, peculiaribus concurrentibus circumstantiis, aliquam indulgentiam adhiberi posse S. R. C. putavit. Cum enim Augustanus Antistes exposuisset « haberi in Dioecesi Augustae quamplurima milliaria Altarium pollutorum, sola violatione Sepulcrorum, ex quibus sacrae Reliquiae extractae fuerunt etc. »; quamobrem supplicavit « pro facultate illa reconciliandi sola repositione Reliquiarum, iis tantum servatis caeremoniis, quae in Pontificali Romano praescribuntur: Sacra Congregatio respondit: « In hoc casu, gratiam praedictam posse concedi, si SSm̃o placuerit ». Die 21 Aprilis 1668; et Sanctitas Sua benigne annuit die 1 sequentis Maii; ubi notandum est Sacram Congregationem a regula non recessisse, sed in casu quamdam agnovisse necessitatem relaxandi et moderandi rigorem eiusdem regulae, ob ingentem numerum Altarium, quae abstractione Reliquiarum fuerant violata, quare grave nimis fuisset onus impositum Episcopo, si demandasset S. C. tot Altarium integram Consecrationem, quae tamen peragi oportebat, nisi Pontifex suprema sua auctoritate petitam facultatem indulsisset. Nihilominus iniuncta fuit conditio ea adimplendi, quae praescripta sunt in Pontificali Romano, dum in Sepulcro reconduntur Reliquiae, et superimponitur lapis.

Ita etiam indultum fuit Cardinali Ar-

chiepiscopo Beneventano (qui postea ad Petri Cathedram evectus Benedictus XIII appellatus est) licet in casu omnino diverso. Nam cum ipse vellet quaedam Altaris ex plaste constructa destruere, eorumque ex marmore novam constructionem demandare, quaesivit declarari : « An integris cum sepulcris Sacrarum Reliquiarum, intactis permanentibus mensis Altarium praedictorum, posset procedi ad novam eorumdem Consecrationem, omissis caeremoniis ad repositionem Reliquiarum pertinentibus? » S. R. C. respondit sub die 26 Novembris 1696 : « Detur Decretum in Augustana die 21 Aprilis 1668 editum, dummodo non transeat in exemplum ». Quaeri hic posset quinam fuerit sensus Sacrae Congregationis, iubendo dari Decretum in Augustana. Multis non est opus, ut id intelligamus. Sicuti namque in Augustana integra Altaria erant, nec amotae tabulae fuerunt a suis stipitibus, quae tamen violatae remanserant, subtractis e repositorio Reliquiis; mandaverat, ut, aliis omissis, eae servarentur caeremoniae, quae ex Pontificali Romano adhibendae sunt, dum Episcopus in medio tabulae Reliquias ponit, et, superimposito lapide, Sepulcrum claudit: ita et in Beneventana, cum violatio consisteret in remotione integrae lapideae mensae, intacto permanente Reliquiarum Sepulcro ; satis visum est Sacrae Congregationi indulgere, ut repositis iisdem lapideis tabulis, super nova inferiori structura, id ab Episcopo praestandum dumtaxat foret, quod lapideam Tabulam cum inferiori stipite quodammodo iungit atque connectit, ope unctionum in angulis inter mensam subiectumque stipitem, servata forma Pontificalis. Neque in hoc etiam casu congrua deerat indulgentiae ratio, cum non una tantum vel altera, sed *quatuordecim lapideae tabulae* alias consecratae, integris adhuc et intactis Reliquiarum Sepulcris, collocandae essent super noviter extructis marmoreis stipitibus. Nihilominus additum consultum fuit: *Dummodo non transeat in exemplum ;* ne per indulgentiam, et dispensationem, in hoc singulari casu adhibitam, quis crederet infirmari regulam traditam in cap. *Quod in dubiis,* qua declaratur execrari Altare fixum, semel ac lapidea mensa ab inferiori stipite semota fuerit, etiamsi nihil omnino de sua integritate perdiderit. Haec breviter adnotanda duxi ad maiorem tum praesentis Rescripti, tum aliorum Decretorum, quae circa eamdem rem versantur, elucidationem.

ADNOTATIONES
SUPER
2613. DECRETO GENERALI. (4578)

Ad Dubium V. Instructio edita iussu Sanctae Mem. Clementis XI omnino servanda in Oratione Quadraginta Horarum expresse iubet § 6: ne sub throni umbella, e parte postica aliquod apponatur et lateat lumen, cuius ope magis splendescat cristallinus ostensorii orbis, sacram continens Hostiam : *nella cui parte opposta non si ponga onninamente lume alcuno.* Vide quae notavimus ad praefatae Instructionis locum num. 5.

Ad Dubium VI. Videri possunt, quae notata sunt ad § 4 praefatae Instructionis, ibidem num. 1 et 2. Si illicitum declaratum fuit a S. R. C. retinere vas florum, ante Tabernaculi ostiolum, in quo Crucifixi imago sculpta conspicitur (ita in una Congregationis Montis Coronae 22 Ianuarii 1701), multo magis illicitum erit superimponere Tabernaculo, in quo asservatur Sanctissimum Sacramentum, Reliquias aut Sanctorum Imagines. Gavantus ad rubric. Missal. tit. 22, agens *de praeparatione et ornamentis Altaris,* postquam notaverat : « Vasa quoque Reliquiarum exponi possunt hinc inde, vel inter Candelabra »; continuo addit : « qua in re cevendum illud erit, ne unquam supra locum Sacramenti . . . . Reliquiarum vasa collocentur. Decet enim sedere Dominum supra Servos suos ». Abusus nihilominus universaliter serpit, ut praesertim in Sanctorum Festis exponantur Reliquiae immediate supra Tabernaculum; et oritur praecipue ab inobservantia regulae, quam tradit Rituale Romanum tit. *de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento* § 6; videlicet : « Hoc autem Tabernaculum conopaeo decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum in Altari maiori, vel in alio, quod venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius aut decentius videatur, sit collocatum ». Nam si Tabernaculum operiendum est conopaeo, haud poterit locum praestare superimponendis Reliquiis, aut Imaginibus. Sanctus Carolus Borromaeus eorum, quae pertinent ad Divinum Cultum, zelator eximius, de sacris supellectilibus agens, nos ita edocet Tabernaculi formam et ornatum : « Tabernaculum Sanctissimae Eucharistiae polite elaboratum piis Mysteriorum Passionis Christi imaginibus exsculptum esse debet, in summo adsit imago Christi resur-

gentis, vel sacra vulnera exhibentis . . . forma vel octangula, seu sexangula, vel quadrata, vel rotunda . . . . a fronte Altaris summa procul collocatum », apud Gavant. ad rubric. Missal. par. 5, pag. 1339 Editionis Romanae. Non is ego sum, qui existimem tanto cum rigore regulam hanc esse accipiendam, ut necessario imminere debeat Tabernaculo imago Christi resurgentis, aut vulnera exhibentis; certum tamen est parvam Crucem in summitate esse collocandam, ad quam usque non pertingit crispatum conopeum. Si servandum id est, haud supererit locus, ubi exponantur Reliquiae aut imagines; praesertim quia, si conopeo velandum est Tabernaculum, in summitate rotandum sit oportet. Nec praetereundum est summam deberi reverentiam Sacello, in quo asservatur Sacramentum; ideoque, ut notat Caeremoniale Episcoporum lib. 1, cap. 12, num. 9: « Maxime decens esset, ut in Altari ubi Sanctissimum Sacramentum situm est, Missae non celebrarentur, quod antiquitus servatum fuisse videmus ». Dum autem immediate supra Tabernaculum, veluti in basi, exponuntur Imagines aut Reliquiae, actio committitur, quae laedit reverentiam debitam loco ad Sacramenti custodiam destinato. Praeterea iubet praefata Ritualis Rubrica, ut *Tabernaculum sit ab omni re vacuum,* et Sacra Congr. Episcop. sancivit 3 Maii 1693, ne sacra Olea, vel Reliquiae, aut alia quaeque in eo retineantur. « Haud enim decens est (ut monet Cavalerius tom. 4, cap. 5, Decret. 13, num. 1) quod destinatum est in habitationem ipsius Dei, occupetur ab alia re, quae Deus non sit, nisi forte ad ipsius Dei vel Sanctissimae Eucharistiae usum deserviat ». Nonne autem eadem habenda ratio, quoad usum extrinsecum, quousque Tabernaculum includit Sacramentum, ita ut ab eo arceri debeat quidquid ad eiusdem cultum, reverentiam et custodiam non pertinet? Quamobrem, ne fiat quod maxime dedecet et Sanctissimis Ecclesiae regulis adversatur; ac si velint exponi imagines et Reliquiae Sanctorum, id fieri poterit in aliqua ex minoribus Aris. Verumtamen non omnes Ecclesiae id commodum praestant; quamplurimae sunt etiam ex Parochialibus, quae unicum habent Altare. Quid inde? Breviter respondeo, si aptior non sit eas exponendi locus, quam immediate supra Tabernaculum, longe melius est Reliquiarum expositionem omittere, quam illud agere quod minime decet.

Si vero de imaginibus sermo sit, non video cur praeter tabulam effigiem referentem illius Sancti, in cuius nomen et memoriam Altare dedicatum est, e fronte ad parietem appositam, alia minor, ut satisfiat pietati et devotioni, in medio Altario collocetur, nec illo excepto, in quo asservatur Sacramentum. Mos collocandi parvas hasce tabulas in medio Altarium invectus recenter est, et ab antiqua probataque Ecclesiae consuetudine alienus. Ideo Rubrica agens de Altaris thurificatione part. 2, tit. 4, num. 5, memorat dumtaxat Imagines et Reliquias, quae hinc inde inter Candelabra sitae sunt, et debent thurificari. Equidem non ignoro difficillimum esse abrumpere morem, qui in Ecclesiis, praesertim Regularium, fere universalis evasit, apponendi in medio Altaris minores huiusmodi imagines. Ne oriantur scandala eumdem Ecclesiastici Praesules tolerant; et hoc aequum est: congruit enim id permittere aliquando, quod minus decet, dummodo non sit illicitum; debitus tamen modus servandus est, et consulendum ne huiusmodi tabulae collocentur in Altari, ubi Sacra reconditur Eucharistia: et quatenus ibi sitae sint, et nequeant omnino removeri et alio collocari sine pusillorum offensione, eum tamen loco teneant, ut a Tabernaculo distent. Dixi a Praesulibus tolerari et merito dixi, unum appello Pontificem Bened. XIV, qui in Epistola ad Archiepiscopos et Episcopos ditionis Ecclesiasticae sub die 16 Iulii 1746: *de retinenda Crucifixi imagine palam, et visibiliter exposita;* plane demonstrat minorum harum tabularum usum recentem esse, et potius tolerandum, quam laudandum. Nam postquam initio dixerat: « In Altaribus . . . praeter maiorem tabulam, quae vel depictam, vel incisam exhibet imaginem Sancti, in cuius nomen et memoriam Altare consecratum est, adiungi coepit alia minor tabula in qua vel coloribus exprimitur, vel aere, ligno aut marmore inciditur effigies alterius Sancti etc. »; prosequitur nolle usum hunc improbare, sed ea utitur loquendi formula, ut illum potius ferre, quam probare videatur: quippe concludit: « Illud monendum superest eam nobis mentem haud esse, ut imagines Sanctorum, quae maiori tabulae Altaris superadditae sunt, de medio auferatis; (sed cur haec non est eius mens? attende rationem, quam adducit) cum fortasse defuturi non essent invidi, qui, ut pietati vestrae maculam inurerent, in vulgum disseminarent

vos nulla duci religione in eum Sanctum, cuius imaginem Fidelium venerationi subducitis ». Poteratne clarius sapientissimus et aeque religiosissimus Pontifex intimum sui animi sensum promere, quin apertis directisque verbis aperiret? Satis id est: addere nihilominus mihi liceat cauto opus esse, et quatenus velint minores hae tabulae in medio Altarium collocari, tres conditiones omnino servandas proponam.

Prima: ne privata auctoritate id fiat, sed Ordinarii intercedat adprobatio et licentia. Et quoniam Pastoralis sollicitudinis, et vigilantiae praecipuum est munus ea curare, quae circa Religionem et Cultum versantur, ac diligenter studere, ne quid fiat a sacris Ecclesiae legibus alienum, vel iisdem minus aut non satis conforme, Episcopus, priusquam licentiam concedat, vel per seipsum cognoscat, vel ab aliis prudentibus Ecclesiasticis viris cognoscere faciat, quid et quomodo expressum in tabula sit. Etenim *cum domum Dei deceat sanctitudo,* S. Tridentina Synodus, Sess. 15, *de sacris Imaginibus,* statuit: « nemini licere, ullo in loco, vel Ecclesia etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendum curare Imaginem, nisi ab Episcopo probata fuerit »: cavendum namque est, *ut nullae falsi dogmatis imagines et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuantur.* Sed id perquam facile accidere posset, si Ecclesiarum Rectorum aut Sacrarii Custodum arbitrio relinqueretur eas quas maluerint minores tabulas, etsi pias et devotas, in Altaribus collocare.

Secunda: quod Episcopus non permittat Imagines a se adprobatas exponi in Altaribus, non praemissa earumdem benedictione, quae habetur cum in Pontificali, tum in Rituali Romano, quaeque, dum agitur de minoribus hisce tabulis, plerumque negligitur. Vide Acta Ecclesiae Mediolanensis, ac praesertim Concilium Provinciale IV tom. 1, pag. 100, col. 2, edition. Patavin. et collecta a Catalano in comment. ad Pontifical. part. 2, tit. 15 et 16, et ad Ritual. Roman. tit. 8, cap. 27.

Tertia: tandem, ne in libertate et arbitrio relinquatur locus, in quo tabula erit collocanda, sed indulgens Episcopus, ut in altero ex Altaris gradibus ponatur, simul iubeat, ut conspectum Crucis non impediat, quod expresse praecipit Benedictus XIV in laudata Epistola, et procul distet ab Sanctissimi Sacramenti custodia, uti habetur in praesenti S. R. C. responso. Quod si aliis Altaribus Ecclesia sit instructa, poterunt in his minores hae tabulae collocari, quin ulla ponatur in Altari, ubi asservatur SSmum Eucharistiae Sacramentum.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2614. NOVARIEN. (4580)

Ad Dubium I. Non ingratum fore Lectoribus arbitratus sum, si hic, loco adnotationum, eruditas subiicerem consultationes praestantissimorum Theologorum, qui super hac controversia rogati tam docte et solide, validisque rationum momentis suum pro veritate sensum aperuerunt et confirmarunt, ut frustra aliquid addere aut clarius exponere praesumerem.

Votum Reverendissimi P. D. Mauri Talucci Abbatis Congregationis Olivetanae.

Essendo state annesse dalla Santità di Nostro Signore PP. Pio VII felicemente Regnante alcune Parrocchie di Rito Ambrosiano, perchè prima comprese nella Diocesi di Milano, alla Diocesi di Novara, in cui si osserva il Rito Romano, nasce il dubbio, se le dette Parrocchie debbano cambiare il proprio inveterato e Canonico Rito? Questo lo esige e lo stima necessario il Card. Vescovo di Novara, ma alcune di quelle non amano abbandonarlo; hanno perciò inviata una rispettosa supplica al S. Padre: ma il Card. Vescovo ha esposto al medesimo i gravi motivi, da cui viene spronato per esigere dalle medesime il cambiamento del Rito.

Venendo pertanto richiesto di esporre il mio parere su questo dubbio, osservo nel foglio delle istruzioni consegnatemi da questa Sacra Congregazione, che tre sono i punti, su cui debbo brevemente esporlo.

I. Se convenga obbligare le Parrocchie nuovamente aggiunte alla Diocesi di Novara a passare dal Rito Ambrosiano al Romano; oppure se più espediente sia lasciarle nell'antico loro possesso.

II. Ogniqualvolta si convenga nella prima parte, cioè a favore del Rito Romano, dovrà vedersi, se la decisione da darsi debba essere precettiva o facoltativa, vale a dire se il Cardinal Vescovo dovrà strettamente mandare ad esecuzione gli ordini della Sacra Congregazione; oppure usare delle facoltà, che gli saranno concesse, con regolarsi secondo le circostanze con prudente arbitrio, acciò le cose possano

andar con quiete senze cagionar disturbi e dissensioni.

III. Potranno ancora proporsi i mezzi che si crederanno opportuni per meglio conseguire quel che si desidera; cioè di facilitare il cambiamento di Rito con pace e con soddisfazione di quelle popolazioni.

Prima di rispondere direttamente a questi tre punti, osservo, che la Chiesa Romana, come Madre amorosa di tutto l'Orbe Cattolico, non ha mai voluto molestare i proprii ossequiosi figli, ma anzi ha costantemente rispettato le loro inveterate consuetudini, le quali ha compreso che non racchiudono alcun errore, nè a questo possono guidare. Imperocchè è presso la medesima sacro, che « consuetudo immemorabilis . . . . si legitime probetur, ex praesumptione privilegii Apostolici, tantum valere, quantum ipsa potestas Papae » (Cardinal. Petra comment. ad Const. Ap. tom. 4, Const. *Exhibita,* Ioan. XXII). Il che è concorde a quanto aveva scritto S. Girolamo a Licinio delle inveterate consuetudini e tradizioni della Chiesa, che non ledono la Fede: « Unaquaeque Provincia abundat in sensu suo, et praecepta maiorum, leges Apostolicae arbitrentur » (Ep. 28).

Ed in vero le diverse Ecclesiastiche consuetudini sono a guisa di tanti monili che colla pregevole loro varietà ornano la Sposa di Cristo. Come dunque non debbono da alcun saggio fedele censurarsi o dividersi; così non è prudente consiglio cambiarle con soverchia sollecitudine: poichè, scrisse S. Agostino « Mutatio consuetudinis, etiam quae adiuvat utilitate, novitate perturbat » (Ep. ad Ianuar. 118). Per questo motivo i Padri del Niceno Concilio andavano sovente ripetendo: « Servetur antiqua consuetudo »; a S. Gregorio Magno: « Immotam permanere voluit consuetudinem, quae contra Fidem Catholicam nihil usurparet ». (Lib. 1, ep. 75).

Questa prudenziale e saggia condotta, come nei primi secoli, così nei susseguenti, sino a' giorni nostri, venne costantemente dalla Chiesa Romana osservata: con tali sentimenti infatti da S. Leone IX venne ripreso Michele Cerulario, che rovesciò nell'Oriente tutte le Chiese di Rito Latino (Ep. 1, c. 29); dai medesimi venne guidato Eugenio IV nel permettere il loro Rito ai Vescovi Greci, che intervennero nel Concilio di Firenze (Ap. Silvestr. Sguropolo Hist. Conc. Florent. l. 4, c. 23): e dagli stessi finalmente vennero guidati Leone X, Pio IV, Clemente VII ed VIII, Paolo V e l'immortale Benedetto XIV, nel prescrivere, che dai Vescovi Latini non venissero molestati i loro sudditi Greco-Cattolici nella osservanza de' proprii Riti; benchè abbiano concordemente ordinato a questi di essere fedelmente subordinati ad obbedienti ai proprii Vescovi Latini in tutti quegli Ecclesiastici oggetti, che non ledono, nè distruggono il loro Greco Rito.

Ma sebbene questo rispetto e questa tolleranza degli antichi Riti stia a cuore della Chiesa Romana; contuttociò le sta altresì molto più a cuore, e vivamente brama, che principalmente nelle Chiese Occidentali si conservi, ed ove sia possibile, s'introduca la uniformità del Rito col Romano. Per questo motivo S. Innocenzo I scrisse a Decenzio Vescovo di Gubbio, che essendo state tutte le Chiese Occidentali fondate dal Principe degli Apostoli, o dai suoi Successori, debbono perciò « hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit »; e poscia scrisse a Vittricio Vescovo Rotomagense, che introducesse nelle Chiese Gallicane il Rito Romano; ovvero, se decaduto, lo ripristinasse; e con gli stessi sentimenti scrisse S. Leone il grande a Dioscoro Alessandrino, facendogli riflettere, che avendo governata quella Chiesa San Marco discepolo di S. Pietro, non era presumibile che vi avesse introdotto un Rito diverso da quello, che aveva appreso dal suo Capo e Maestro; e però gli soggiunse: « Non patimur, ut cum unius nos esse corporis et fidei fateamur, in aliquo discrepemus; et alia doctoris, alia discipuli instituta videantur » (Ep. 30).

Quindi si apprende dalla Storia Ecclesiastica, che la Chiesa Romana ha sovente facilitato, e con saggia condotta si è non di rado adoperata, onde le diverse Cattoliche Occidentali Chiese abbandonassero di buon grado il proprio e si uniformassero al Rito Romano. Ed infatti a tutti i versati nella medesima è noto quanto il Santo Pontefice Gregorio VII, fra gli altri si adoperasse per ricondurre a questa uniformità le Chiese delle Spagne, ove da alcuni Vescovi era stato introdotto il Rito, cognito sotto il nome di Mozarabo: ed è noto altresì, che, oltre le altre volte, anche nel secolo undecimo il Card. Branca-Castiglioni Legato Pontificio si adoperò per togliere nella stessa Città di Milano l'Ambrosiano e per indurvi il solo Romano. Anzi gli stessi Milanesi, nella origine del loro Rito, fecero istanze

a S. Ambrogio, mentre voleva dedicare una Basilica, che la dedicasse secondo il Rito Romano. « Multi, scrive esso stesso alla sua sorella Marcellina, uno ore interpellare caeperunt dicentes, sicut in Romana, sic Basilicam dedices » (l. 7, ep. 54).

Da queste generali e compendiate nozioni apparisce adunque, che, sebbene la S. Sede non ami molestare i Fedeli nel pacifico ed inveterato possesso dei loro particolari nè riprovabili Riti; contuttociò, ove il bene spirituale e la tranquillità dei medesimi fedeli non resti turbata, vivamente brama e si adopera, onde i Riti delle Chiese Occidentali siano uniformi a quelli della Chiesa Romana. Premesse queste massime, colla scorta delle medesime passo a dare diretta risposta ai tre di sopra esposti quesiti.

Dico pertanto al primo, che a tenore delle esposte massime, proprie della Santa Sede, *convenga per ora tollerare che nelle renuenti Parrocchie i parrochi viventi prosieguano ad osservare il Rito Ambrosiano nelle sole ecclesiastiche funzioni e nella sola amministrazione dei Sacramenti.* Questa tolleranza si può avere a motivo della sua antichità, per cui rimonta almeno ai tempi di S. Ambrogio; e si può avere sì perchè (come scrisse Gregorio XIII a S. Carlo Borromeo) il Rito Ambrosiano « perpetuo Catholicae Ecclesiae Romanae est firmatus consensu » (Ap. Iacob. Sancti Archiep. Mediolanen. Series Histor. Chron. T. 3); sì perchè è stato costantemente osservato e fedelmente conservato per tanti secoli da tutti gli insigni Arcivescovi di Milano, e fra questi dal gran S. Carlo Borromeo.

È vero, che il Rito resta autorizzato per la sola Diocesi di Milano; e però sembra che debba sull'istante cessare la osservanza del medesimo (siccome ad altre popolazioni, smembrate dalla Diocesi di Milano, è accaduto) in quelle Parrocchie, che canonicamente passano a formare una parte di altra Diocesi, in cui si osservi il Rito Romano. Ma se gli stessi Riti Giudaici, che dovevano necessariamente finire dopo la morte e gloriosa Resurrezione del Redentore, vennero dagli Apostoli tollerati per non turbare i novelli Cristiani e per seppellire con onore la Sinagoga; non sarà per qualche tempo tollerabile un Rito, che, come dice Benedetto XIV, forma parte del Rito Latino (Bullar. T. 4 *Allatae sunt*), e che è tanto antico, e canonicamente stabilito, onde farlo insensibilmente e con tranquillità cessare? La Chiesa Romana colle nuove circoscrizioni delle Diocesi ha sempre per iscopo il maggior bene spirituale delle anime; nè vuole mai somministrare alle medesime alcuna occasione di scissure e di turbamenti. È credibile perciò, che negli accennati antichi smembramenti della Diocesi di Milano, o abbia trovate le popolazioni pieghevoli a cambiare sull'istante il Rito; ovvero che siasi servita di altri prudenziali mezzi per cui insensibilmente siano le popolazioni passate al Rito Romano.

Nè forma alcun ostacolo, per adottare la detta provisoria tolleranza, lo scarso numero, la povertà ecc. delle Parrocchie, che vogliono proseguire ad osservare il Rito Ambrosiano. Imperocchè la povertà, l'ignoranza ecc. dei Parrochi non si toglie col cambiare il Rito, ma con altri idonei mezzi: anzi presso gl'ignoranti o viziosi riescono più malagevoli questi cambiamenti e sogliono produrre delle confusioni e dei malcontenti. Lo scarso numero delle renuenti Parrocchie non vieta, che nelle medesime possa il loro Rito per ora tollerarsi. Anche il Mozarabo, al dire di Giovanni Visco nella Cronaca delle Spagne, « hodie quoque servatur Toleti in sex Parochiis et in Ecclesia Cathedrali, in Sacello Francisci Ximenii.... Salmanticae quoque statis diebus in Sacello Doctoris Salubricensis » (ad an. 117). Ma se il Rito Mozarabo, che non si crede tanto antico, quanto l'Ambrosiano, prosiegue a pacificamente osservarsi in quello scarso numero di Parrocchie, senza arrecare ostacolo o danno alle altre ordinazioni dell'Arcivescovo di Toledo, che nel resto della sua vasta Diocesi fa osservare il Rito Romano, sembra che possa egualmente tollerarsi per ora nelle dette renuenti Parrocchie l'Ambrosiano.

Ma, dice il Card. Vescovo di Novara, che trovasi in necessità di dovere nelle dette Parrocchie cambiare il Rito, perchè, per supplire ai loro spirituali bisogni, non ha nè può avere altri soggetti idonei, che gli Ecclesiastici di Rito Romano. Non vi cade dubbio, che questa circostanza sia grave e rimarchevole: ma a me sembra, che questa stessa insinui la detta provisoria tolleranza, imperocchè, facendosi cessare il Rito Ambrosiano nella sola mancanza degli attuali Parrochi, le stesse popolazioni facilmente comprenderanno la impossibilità di avere i nuovi Pastori del loro Rito, e però si piegheranno con quiete a ricevere ed a rispettare i Parrochi nel solo Rito Romano istruiti.

Nè con questa prudenziale economia si fa in quelle Parrocchie sorgere alcuna confusione. Nelle stesse Basiliche di Milano, senza che vi nascano confusioni di Riti, si osserva promiscuamente nelle diverse Ecclesiastiche funzioni (mai peraltro nelle stesse) il Rito Romano, ovvero l'Ambrosiano: e questa polizia con Pontificia dispensazione incominciò ivi ad osservarsi sino dal decimoterzo secolo; nè i Pontefici l'avrebbero concessa, se inconveniente l'avessero stimata.

È vero, che secondo il prescritto del Sinodo terzo tenuto da S. Carlo *in Ecclesiis, in quibus more Romano celebratur, vetitus est Ambrosianus, vel contra* (Ap. cit. Petra Const. 22 Eugen. IV). Ma primieramente in questo Decreto si suppone la esistenza in Milano stesso delle Chiese di diverso Rito; nè si accenna, che ciò sia incongruente; secondariamente poi, col fatto si limita per i soli Altari fissati per farvi le funzioni coll'uno o coll'altro Rito. Imperocchè è un fatto notorio, nè si può porre in dubbio, che con approvazione esistano nelle stesse Basiliche degli Altari, in alcuni de' quali si osserva il Rito Romano, ed in altri l'Ambrosiano.

E qui giova riflettere, che con questa polizia i Milanesi, sebbene siano zelantissimi per il loro Rito, riguardano ciò non ostante con non minore venerazione il Romano. Una simile prudenziale economia adunque piegherebbe facilmente le suddette renuenti Parrocchie a concepire verso questo il doveroso rispetto: col progresso del tempo poi, vedendosi prive dei presenti Parrochi e trovandosi in assoluta necessità di non potere avere altri Ecclesiastici, che quei di Rito Romano, con tranquillità passerebbero ad amarlo e quindi ad uniformarsi al medesimo: e questa sarebbe quella vera necessità, che al dire del Fagnano a *rigore iuris excepta intelligitur* (In 2 par. Decretal. in cap. *Nimis* de Fil. Presbyter.); necessità, che si riconosce soltanto, al dire del medesimo, quando *Ecclesia indiget ministris illorum Ordinum, nec reperiuntur alii, qui possint adiuvari* (C. *Quaeris* ibid. de aetat. et qualit.).

Dal sin qui detto sembrami che discenda naturalmente la risposta al secondo Quesito. Imperocchè credendosi essere prudenziale economia di tollerare coll'esposto metodo il Rito Ambrosiano (e con quelle regole, che si accenneranno in appresso) nelle anzidette renuenti Parrocchie, stimerei non doversi dare un ordine precettivo al Card. Vescovo di Novara, ma dargli soltanto le idonee istruzioni e munirlo delle facoltà, onde con prudente condotta, e dopo la mancanza dei presenti Parrochi, o anche prima, se gli si presenta un opportuno e pacifico incontro, introduca nelle renuenti Parrocchie il Rito Romano. Il medesimo infatti, trovandosi sulla faccia del luogo, è in istato di conoscere il tempo più opportuno e di approfittarsi di quelle favorevoli circostanze, che possono con tranquillità guidare al termine del cambiamento, che si brama. Anche a S. Carlo da Gregorio XIII furono date le più ampie facoltà e le opportune istruzioni, onde nella Diocesi riformasse con pace il Rito Ambrosiano.

I mezzi finalmente, che stimerei i più opportuni da insinuarsi al Card. Vescovo per giungere allo scopo del compiuto cambiamento del Rito senza turbamenti, anzi con reciproca soddisfazione (il che viene da me in terzo luogo richiesto), oltre gli accennati nella risposta al primo Quesito, crederei che possano essere i seguenti.

Stimerei pertanto giovevole d'insinuare al Card. Vescovo, che, terminata la visita della Diocesi, convocasse un Sinodo, per trattarvi anche questo interessante e delicato affare. Nei primi secoli della Chiesa questi affari di rilievo, al dire di Tertulliano, si trattavano nei Sinodi: *Altiora quaeque in commune tractabantur* (de Ieiun. cap. 13). E se S. Carlo, per riformare il Rito Ambrosiano, stimò necessario convocare dei Sinodi, quanto maggiormente lo sarà, per farlo con quiete e soddisfazione delle renuenti Parrocchie cessare!

Che se, attese le circostanze, riuscisse impossibile di convocare un Sinodo, crederei che non sarebbe difficile di convocare almeno una Sinodale Congregazione, composta dei più probi Parrochi ed Ecclesiastici di Rito Ambrosiano, e di altri di Rito Romano. In questa Congregazione potrebbe con maturo consiglio il Card. Vescovo fissare prima il modo di disporre quei di Rito Ambrosiano ad uniformarsi al Romano, quando mancheranno i presenti Parrochi, e poscia renderlo alla Diocesi noto per mezzo di una paterna e ragionata Pastorale.

Crederei altresì giovevole di fissare nella detta Congregazione e quindi pubblicare colla nominata Pastorale, che verrà tollerato il Rito Ambrosiano nella sola amministrazione de' Sacramenti e nelle sole funzioni ecclesiastiche delle Parrocchie.

Rapporto poi al Calendario, ai digiuni ecc. potrebbe prescriversi quanto su ciò ordina Benedetto XIV in diverse Bolle per i Greci ed Italo-Greci, particolarmente nella Bolla *Etsi Pastoralis* § IX (T. 1 Bull., an. 1742): adattando bensì tutto prudenzialmente alla presente circostanza.

È questo il mio debole parere brevemente esposto su i fattimi Quesiti; lo rimetto senza alcuna restrizione al purgatissimo intendimento degli Eminentissimi componenti questa Sacra Congregazione, i quali suppliranno, non vi cade dubbio, a quanto vi è di mancante o d'ineseguibile nel medesimo. E ciò per verità ecc.

D. Mauro Talucci Ab. Olivetano Consultore.

Votum alterius Consultoris et Theologi est, ut sequitur:

Votum Revm̃i P. Michaelis Zecchinelli Soc. Iesu.

Attente perlectis et accurate expensis rationibus, quae in controversia de cessatione Ambrosiani ritus in quibusdam Paroeciis a Mediolanensi Dioecesi avulsis et Novariae adscitis, utrinque afferuntur, haec mihi notatu digniora visa sunt, quae ferendae sententiae viam quodammodo sternerent.

Animadverto in primis ex tribus ac viginti Paroeciis, quae Dioecesi Novariae adiectae sunt, septem dumtaxat, aut ad summum octo (ut apparet ex prospectu Em̃i Card. Archiepiscopi Novarien.) Ambrosiano ritui tenacius inhaerere; ex reliquis novem tamquam necessitate compulsas ad Romanum transiisse; alias, si minus sponte, saltem pacifice mutationem admisisse. His positis dico:

Primo. Paroecias illas, quae vi necessitatis aut auctoritatis adactae in Romanum Ritum migrarunt, in eo perseverare debere nec posse ad pristinos suos ritus redire, iuxta Decretum S. R. C. die 15 Martii an. 1608 in Trullen. seu Nullius, quod sic se habet: « Usus Missalis et Breviarii Romani semel introductus in Ecclesia aliqua, quae habebat particulare Missale et Breviarium, confirmandus est, nec licet redire ad usum antiqui Missalis et Breviarii ».

Secundo. Paroecias illas, quae libellum supplicem obtulerunt, ut sibi liceat in antiqua suorum rituum possessione permanere, etiamsi id eis aliquatenus et pro tempore permitteretur, non esse tamen in tali possessione Decreto ullo a S. R. C. confirmandas; hoc enim et invidiam turbasque ciere posset in aliis Paroeciis, praesertim illis quae non tam sponte, quam necessitate compulsae Romanum Ritum adoptarunt, et Em̃i Praesulis auctoritati nonnihil officere videretur.

Tertio. Easdem tamen Paroecias, quae adhuc nutant et obnituntur, nullo Decreto S. R. C. ad veteres suos ritus abigendos esse cogendas, idque multis de causis.

1. Ne praeiudicium fieri videatur illis Ecclesiis, quae (ut Parochi in suo libello supplici notant) licet a Mediolanensi ad Bergomensem Dioecesim translatae, tamen permissae sunt suos ritus pacifice retinere.

2. Ne Parochis S. Pontificis clementiam pro retinendis suis ritibus obnixe implorantibus maior a Romano ritu abhorrendi praebeatur occasio, si videant se non modo, quod supplices rogabant non obtinuisse, sed ad id quod detrectant, peremptorie compulsos.

3. Videtur id moris fuisse in Ecclesia, ut huiusmodi negotiis sensim et pedetentim potius, quam decretorie ageret, cum M. Bonhomius Episcopus Vercellensis, auctoritate Apostolica a Gregorio XIII accepta, visitaret Ecclesiam Comensem, hortatus quidem est, ut dimisso ritu, quem dicunt *Patriarchino,* Romanum amplecteretur, non tamen coegit. Ipse etiam Episcopus Comensis Ioannes Antonius Volpi, qui Gregorio XIII, cuius fuerat Nuncius, maxime addictus erat, cum vellet obsequi Visitatoris placito, obnitentibus tamen Canonicis, nihil obtinuit, et ne acrius ageret, illum cultum immutatum reliquit. Nihil etiam immutavit eius successor, qui mortuus est anno 1595. Nec immerito id factum. Ut enim ait Tertullianus: « Non possumus respuere consuetudinem, quam damnare non possumus, utpote non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus communicamus ius pacis et nomen fraternitatis ». Hinc Nicolaus I ad Photii querelas respondens, « de consuetudinibus (aiebat), quas nos opponere visi estis, scribentes per diversas Ecclesias, diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistit auctoritas, pro qua obviare debeamus, nihil iudicamus vel eis resistimus ».

4. Ipsa S. R. C. cum ad instantiam Archiepiscopi Firmani et Card. Caraffae duo dedisset Decreta ad absolvendam quamdam Coelestinorum consuetudinem, postea eadem revocavit die 30 Iunii 1629, Urbano VIII ap-

probante in una Constitutione, quae incipit *Exponi nobis etc.*

Quarto. Quandoquidem ex luculentis rationibus, quas Emus Card. Archiepiscopus Novariensis affert in suo pro-Memoria, satis perspicue apparet futurum, ut serius ocius Paroeciae illae ad Romanum ritum migrare cogantur, idcirco conveniens videtur facultatem facere Card. Archiepiscopo, ut pro prudentia sua agat, prout tempus et res postulare animadvertit, concessis etiam aliis dilationibus, si opus erit, ad tollendas aut praecavendas dissensiones. « Ipsa quippe mutatio consuetudinis (ut ait D. Aug. Ep. ad Ian. 54, al. 118) etiam quae adiuvat utilitate, novitate perturbat ».

Quinto. Quod ad media attinet ad optatum finem assequendum aptiora, auctoritate motus Anselmi Cantuariensis, qui, loquens de huiusmodi ritibus: « Qui non in fide discordant, neque in unam colligi possunt consuetudinem, existimo (ait) eos potius in pace concorditer tolerandos, quam discorde cum scandalo damnandos ». Auctoritate, inquam, tanti viri motus putarem suasu potius et ductu, quam vi et imperio agendum, etiamsi optata mutatio aliquantulum esset protrahenda.

Sexto. Interim, ne quid inconveniens circa promiscuum utriusque ritus usum contingat, quod aut scandalum creet, aut Sacri Cultus dignitati et decori adversari videatur, obligari possunt illi, qui suis consuetudinibus pervicaciter inhaerentes, nonnisi aegerrime ab iis se divelli patiuntur, ut adamussim ritus suos sequantur; et si ex defectu ministrorum, librorum aut similium id praestare nequeant, Romanum ritum admittat. Ita factum fuisse apparet in Ecclesia Comensi circa abolitionem ritus Aquileiensis, seu *Patriarchini*. Ex Statutis enim Synodalibus Comensibus annor. 1565 et 1579 arguitur, quod ritus Romanus nonnisi insensibiliter introductus fuit. Et sane Synodus anni 1579: « Recitent (ait) Sacerdotes Horas Canonicas quotidie . . . . secundum ritum et usum Ecclesiae Comensis, qui ritus in Missis celebrandis pariter observetur. Hi vero, quibus librorum Comensium copia non fuerit, Missali et Breviario Romano novissimo utantur, donec reformandi Comensis ratio ineatur ». Et vero ritus iste in Comensi Ecclesia Aquileiensis suffraganea usque ad ann. 1598 perseveravit, quamquam eadem Ecclesia sub Ducatu Mediolanensi comprehenderetur.

Septimo. Ut mutatio isthaec cum maiore plebium et Ecclesiarum, Ambrosiano ritui firmiter inhaerentium, satisfactione fiat, posset fortasse ad tempus permitti, ut, quatenus pro dignitate fieri possit, statis quibusdam diebus, aut locis, aut circumstantiis, antiquo ritu utantur, aut in Sacrificiis, aut in precibus etc., ut ritus tam celebris, succedente Romano, quemadmodum Synagoga vetus, succedente Ecclesia, non sine honore contumulatus videatur. Ita nimirum factum fuisse legimus quoad ritum Mozarabum (apud Card. Bona) in Hispania; qui ritus in sex Ecclesiis etiam post mutatos alibi ritus diutius perseveravit, vel inter hostes, nec nonnisi deficientibus quibusdam familiis defecit, et Romanus ibidem introduci coepit, ita tamen, ut statis diebus, pristino ritu sacrificaretur. Ita etiam factum est in Ecclesia Comensi, in quam ubi Clemens VIII induxit, abrogato *Patriarchino*, ritum Romanum, excepit Officium B. M. V. quod quibusdam diebus secundum ritum *Patriarchinum* recitari adhuc diutius consuevit.

Octavo. Caeterum, quoniam delectus mediorum, quae magis expediunt ad migrationem hanc ritus pacifice et sine animorum offensione ineundam, potissimum pendet ex notitia personarum, locorum peculiariumque circumstantiarum; idcirco mihi videtur totum id negotii Emo Episcopo committendum, quippe qui rem ob oculos habet, et acu, ut dicitur, tangit.

Nono. Denique habenda mihi videntur prae oculis verba illa Cl. Mabillonii Comment. in Ord. Rom. § 21: « Laudanda in huiusmodi ritibus constantia, modo caetera adsint, Ecclesiae pax et concordia, atque christana charitas, cui omnes ritus cedere et suffragari necesse est ». Et paullo ante: « Ubi regnant antiqui ritus, hi constanter retinendi: ubi novi prae antiquis praevaluerunt, antiquos laudare decet, novos non reiicere. Vix enim unquam accidit, ut quod semel usu receptum est, absque perturbatione mutetur. Et quidem ut rituum varietatem induxit locorum varietas, ita etiam eorum iisdem in locis mutationem aliquando persuasit temporum diversitas ».

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2615. SULMONEN. (4582)

In Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis ritus omnes servandi sunt, nedum quoad substantiam, verum etiam quoad modum, formam et ordinem, quo praescripti leguntur in Caeremoniali Episcoporum. Quamob.

rem in nocte Natalis Domini, prima Missa absoluta, Laudes etiam cantari solemniter debent; nec satis est alternatim dumtaxat easdem recitare. Non diffiteor ne ullum quidem verbum occurrere in antiquis praefati Caeremonialis editionibus de cantus solemnitate: verumtamen in nova, quae, Pontifice Benedicto XIII, adornata, emendata et aucta e Romanis Typis anno 1729 prodiit, capiti 14 libri 2 additum fuit, quod sequitur; videlicet : « In Laudibus tandem, quae post Missam solemniter cantari debent, serventur omnia, quae in superiori capite 7 huiusmet libri praescripta reperiuntur ». Unde patet satis non esse alternatim in Choro Laudes recitare, sed omnino cum cantu ad praescriptae regulae formam esse persolvendas. Verba enim illa *solemniter cantari debent,* non in facultate rem ponunt, sed absolutum praeceptum important, veluti pluries a S. R. C. declaratum fuit, et novissime in Civitaten. 20 Maii 1820. Etenim attendendae sunt diversae dictiones, quibus utuntur Caeremonialis, Ritualis, Missalis, Breviarii Rubricae, pro rite persolvendis Horis Canonicis, aliisque Ecclesiasticis functionibus agendis. Dictio *debet,* quae saepe occurrit in praefatis Ritualibus libris, praeceptive semper est, secumque fert positivam obligationem : facultativae vero sunt dictiones aliae, *congruit, potest, convenit, decet,* et his similes. Idcirco S. C. directe respondens quaesito, regulae conformare se debuit, quin admitteret consuetudinem, quae obtinuisse in Cathedrali Sulmonen. ferebatur, legendi Laudes sine cantu. Sed quoniam ex Ecclesiasticis aut Civilibus legibus nulla ferme est, cuius observantia, peculiaribus attentis circumstantiis, nequeat a potestatem habente quandoque moderari ; et Apostolica Sedes in iis, quae circa modum potius versantur, quam circa rem praeceptam, nonnunquam in casibus particularibus, aut dispensationem, aut moderationem indulgere consuevit ; ideo eadem S. C., postquam ad legis formam responderat, simul addidit : « Sed in casu consulendum SSmo pro Apostolica dispensatione ». Urgebant quippe rationes plurimae ab Episcopo enumeratae, quae indulgentiae viam aperiebant. Tales sunt nimia Cathedralis a Civitate distantia, localitas, cum eadem in montanis sit posita, aëris et frigoris inclementia, quae multum affert incommodi brumali tempore et concubia nocte, onus tandem, quo tenentur Canonici et reliqui de Clero, prima luce a propriis longe dissitis habitationibus ad Ecclesiam redire pro aliis Horis persolvendis, secunda et tertia Missa solemni ritu celebrandis. Hisce attentis circumstantiis, opportunum visum est, in hoc speciali casu, aliquid relaxari posse de legis rigore : quemadmodum Sanctitas Sua, licet in casu diverso, sed iisdem fere de causis, relaxavit favore Capituli Cathedralis Boven., eidem indulgens, ut hyemali tempore Canonici et Clerici eiusdem servitio addicti, nimirum post Festum omnium Sanctorum, usque ad Maiorem Hebdomadam exclusive, possent semel in die ad Ecclesiam accedere, ibique tam Matutinas, quam Vespertinas Horas, necnon Conventualem Missam sine interruptione persolvere, ita tamen, ut Completorio post meridiem finis imponatur. Nam, licet iure Ecclesiastico statutum sit, ut debitis distributis horis in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis diversae Officii partes peragantur ; nihilominus, expositis circumstantiis attentis, aliquid Apostolica Auctoritate remittendum, aliquid visum est indulgendum.

Cum autem praefato responso ad primum ex propositis dubiis Episcopi precibus satisfactum fuerit, non erat immorandum in secundo. Etenim hac in petitione supponit Episcopus aliquibus Religionibus et Ecclesiis concessum fuisse nocte Nativitatis Domini inter Missarum solemnia Laudes sine cantu alternari, et eo modo Sacrum compleri, quo fit in Vesperis decantandis post Communionem in Sabbato Sancto. At ego non iniuria puto perperam ab ipso adhibitum verbum *concessum,* et quod revera in aliquibus locis ex more fit, ex Apostolica dispensatione fieri credidisse. Id est, quod speciatim indultum aliquando fuisse probari nunquam poterit. Forte enim digitum intendere voluit in consuetudinem, quam ea nocte viguisse narrat Martène de Antiqu. Eccl. Rit. tom. 3, cap. 12, num. 26 in Remensi, Parisiensi, Turonensi, aliisque bene multis Galliarum Ecclesiis, in quibus cantabantur Laudes ante Orationem, quae in Missa dicitur Postcommunio, ne populus, expleta Missa, statim ab Ecclesia discederet, non adhuc cantatis Laudibus, quae cum Matutino coniunguntur, eique dant complementum : eiusdemque ritus meminit Durandus in Rationale etc. lib. 6, cap. 13. Aliis tamen in Ecclesiis, ut fert Micrologus cap. 34, Missae finem non dabat versus : *Ite, Missa est :* bene vero alter: *Benedicamus Domino,* ne populo quasi licentiam abeundi infra matutinales Laudes dedisse videamur, quas

statim post Missam iterum, concrepantibus signis, incipere solemus. Forte etiam rationem habere intendit moris, qui adhuc obtinet apud Religiosos aliquos, ac praesertim Carmelitas antiquae observantiae et S. Dominici Institutum profitentes. Sed haec, ac id genus aliae consuetudines alienae sunt a moribus Ecclesiae Romanae. Usus, qui adhuc vigent in aliquibus regionibus et Coenobitarum Ecclesiis, longe priusquam Caeremoniale Episcoporum ederetur inducti, tolerantur potius, quam rite probentur. Servari utique permittuntur, quia ritus substantiam non laedunt sed transferri nequeunt ad Ecclesias, quae Ritum Romanum sequuntur, sacrasque actiones iuxta Caeremoniale Episcoporum perficere debent. Confundi ergo videtur in dubio tacita tolerantia cum expressa concessione.

Si quis plura scire velit de rituum varietate, qui in nonnullis Ecclesiis nocte Nativitatis Domini quoad Laudes antiquitus obtinuerunt, et modo (nisi forte aliquod in una alterave vestigium supersit) obliterati sunt; adire poterit laudatum Martène loc. supra cit. num. XXX, et Catalanum in commentariis ad Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 14, § 12, num. 2. Mei quippe instituti ratio non patitur, ut in iis recensendis diutius immorer.

SUFFRAGIA SUPER DECRETO RESOLUTIONIS DUBIORUM.

2616. (4583)

Ad Dubium I. Non levis est apud rerum liturgicarum Scriptores controversia, utrum, necnon olim licuerit, et modo etiam liceat a Sacerdotibus Feria V in Coena Domini Sacrificium privatim offerri. Singuli enim in diversas abeunt sententias, de quarum varietate non est hic disserendi locus. Verumtamen unum est, quod firmum manet, videlicet hanc Feriam non adnumerari diebus *aliturgicis*, qui Missa omnino carent, quales sunt *Feria VI, et Sabbatum Sanctum*, ex cap. *Sabbato* distinct. 3 de Consecrat.: imo ob sublimia, quae recoluntur Mysteria, haec Feria Sacrificium iure postulat. Ideo iuxta veterem morem *tres* celebrabantur Missae: *Prima* ad reconciliandos poenitentes; *altera* ad Sacra conficienda Olea; *tertia* demum ad recolendam Sacrae Eucharistiae institutionis memoriam. Praesens vero disciplina unam tantum Missam solemnem admittit in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, Conventualibus; privatas omnino vetat. Quod si hac in Feria Festum incidat de praecepto servandum, non omnibus Sacerdotibus celebrandi fit potestas, sed aliquot Missae lectae in qualibet Ecclesia permittuntur, ut queant fideles obligationi satisfacere; nec reliqui de Clero desint, qui inter Missarum Solemnia ad Apostolorum imitationem Sacram sumant Eucharistiam. Si ratio quaeratur, curnam hac die privatae Missae prohibentur; eadem non a qualitate diei petenda est, quae revera Sacrificium admittit, sed a reverentia debita sublimissimo Sacramenti institutionis Mysterio. Decet namque, ut Sacerdotes a sacrificando abstineant, Sacramque dapem laicorum more ab Episcopi, Praesidis, Parochi celebrantis manibus accipiant. Memoria namque recolitur D. N. I. C., qui pridie quam pateretur, tantum Sacramentum instituens, verum suum Corpus et Sanguinem sub speciebus panis et vini ad manducandum et bibendum accumbentibus Apostolis tradidit, nobisque perenne sui amoris pignus in saecula saeculorum reliquit. Audiendus aeternae memoriae Pontifex Benedictus XIV, qui Institut. 38, num. 5, ait: « Si quis huius Instituti causam scire velit, statim ipsam explicabimus. Eadem Feria V Sacrae Eucharistiae solemne Festum celebratur, quam postrema Coena Christus Dominus instituit: quo tempore, iuxta Concilii Tridentini sententiam, Sacerdotium quoque Apostolis contulit. Quare sicut Divinus Salvator sibi primum, ac deinde Apostolis Sacrosancta Mysteria tradidit, ita consentaneum fuit, ut Sacerdos Feria V maioris Hebdomadae, suscepta Divina Eucharistia, ipsam postea universo Clero distribueret, qui Ecclesiae adscribitur, ubi Sacrum peragitur ».

Nedum vero decet, ut Sacerdotes in hac Feria et reliqui de Clero e manibus Celebrantis Sacram Hostiam sumant, sed etiam congruit, ut fideles caeteri idipsum praestent; imo ius habent, ut Sacramentum sibi ministretur a Parocho, cuius regimini subiiciuntur. Nam iuxta veterem Ecclesiae morem ad hoc non solum pietate, verum etiam praecepto fideles omnes ducebantur; quemadmodum testimonio antiqui Canonis *In Coena Domini* de Consecrat. aperte comprobatur.

Equidem praesens disciplina taxative ad hanc Feriam hoc non secum fert positivum praeceptum; exigit tamen religio et recolendi Mysterii sanctitas, ut in unaquaque Ecclesia Cathedrali, Collegiata, Parochiali,

Conventuali, unica celebretur solemnis Missa in qua tam omnes Sacerdotes et Clerici, quam etiam, si qui accedunt, fideles laici, sacram sumant Communionem. Et quoniam aequum est, ut in Ecclesiis omnibus quae subditam habent plebem, Sacrum solemne fiat, nec omnes aeque Clericis, supellectilibus atque opibus abundant, ut pro dignitate, tam in hac, quam in Feria VI et Sabbato Sancto sacrae actiones celebrari valeant, huic incommodo consulere volens s. m. Benedictus XIII, praevia consultatione particularis Congregationis a se indictae, parvum Rituale praelo tradi, publicique iuris fieri iussit, pauperibus et ruralibus Paroeciis accommodatum. Adeundus P. Meratus ad Gavantum part. 4, tit. 7, num. 31, de Ritibus servandis in minoribus Ecclesiis.

Parvo huiusmodi Rituali satis provisum est illis Paroeciis, in quibus triduo Passionis nequeunt expleri praescriptae functiones cum solemnitate, cantu et Ministris paratis: quomodo id fieri posset, si unus tantum, aut alter est Sacerdos? Necesse tamen est, ut aliquot saltem adsint Clerici, qui tres ad minus numero esse debent. Verumtamen adhuc pauperiores, ac praesertim rurales Paroeciae supersunt, in quibus vel unus dumtaxat, vel nullus est Clericus, qui Cotta indutus Celebranti ministret. Bene est, ut in his omittantur functiones, cum modus desit quo, si non solemniter, debita saltem cum decentia peragantur: congruere tamen plurimum videtur, ut ad satisfaciendum subiectae plebis pietati, praesertim, siqui velint (ad quod ius habent) sacram sumere Communionem et Paschali praecepto satisfacere, Parochus privatam celebret Missam. Hanc autem tenuisse sententiam videtur laudatus Pontifex, cum Bononiensem Ecclesiam Archiepiscopus regeret; nam loc. super cit. iubens, ne ullus Sacerdos ea Feria Sacrum privatim faceret, Parochos excepit: « Si vero, inquit, praeter Parochum in sua Parochia, Sacerdos aliquis cuiuscumque conditionis aut dignitatis Missam privatim Feria quinta, sexta ac Sabbato maioris Hebdomadae celebrare ausus fuerit, ipsum graviter puniemus et a Divinis etiam interdicemus etc. ». Magni fieri debet tanti Pontificis auctoritas; nec dubium est, quod ibi non agat de Missa privatim a Parocho celebranda. Non enim ibi loquitur de Missa solemni, verum de lecta, quam ea die Sacerdotibus omnibus celebrare est interdictum. Si Parochos a generali excipit lege, rationem habuisse censendus est illarum Paroeciarum suae Archidioecesis, in quibus ob inopiam et Clericorum defectum, Hebdomadae maioris sacrae functiones nec solemniter, nec decenter, iuxta laudatum parvum Rituale Benedicti XIII, peragi possent.

Et revera rogati Patres sacris tuendis ritibus Praepositi: « An in Feria V Coenae Domini celebrari possit in Ecclesia (non in privato Valetudinarii Sacello, sed publica in Ecclesia) una Missa privata propter infirmos, excepta solemni? » sub die 27 Martii 1773 responderunt: « Arbitrio Episcopi ». Praeterea non desunt Ecclesiae, in quibus pro populi commoditate Parochus privatim celebrat, subiectaeque sibi plebi Communionem ministrat, priusquam Missae Conventuali initium detur: ita in Patriarchali Lateranensi et in quibusdam aliis Urbis Collegiatis Ecclesiis, quamvis in iisdem Solemnia omnia fiant et possit commode populus Sacro interesse. Si ita est, potiori iure congruere videtur, ut id fiat in paupere rurali Paroecia, favore illorum, qui eidem subiiciuntur, ut queant Missam audire a proprio Parocho celebratam, in eadem sacram sumere Communionem, Paschali praecepto satisfacere et memoriam recolere institutionis Sacramenti. Quod si maxime decet favore plebis, multo etiam magis convenire videtur quoad ipsum Parochum; nam si teneretur, ut revera Parochi tenentur, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta ministrare populo sibi subiecto, quin tamen ei liceret Sacrum facere, nec forte posset per manum alterius (alio deficiente Sacerdote) sacram sumere dapem; ac propterea, dum alios reficit, ipse ieiunus cogeretur abire et privaretur spirituali gaudio illius diei, quo, cum Celebrantes, tum de Sacrificio participantes, tanti Sacramenti institutionis memoriam recolentes, perfunduntur.

Validis hisce rationibus mature perpensis, S. C. proposito dubio: *Affirmative* respondit; rem tamen noluit in Parochorum ruralium arbitrio relinquere, sed demandavit, ut iidem quotannis et peterent et ab Episcopo celebrandi veniam obtinerent. Siquidem animadvertit occurrere quandoque casus rationabiliter eam denegandi. Talis profecto erit, si rurales Parochi in Cathedralem convenire deberent, ad complendum numerum Presbyterorum, Diaconorum et Subdiaconorum, quot necessarii sunt in Oleorum Sacrorum confectione, quin utrumque munus ob loci distantiam vel ob aliam

causam componi possit. Dum vero consuluit pauperioribus et ruralibus Paroeciis, excitare etiam voluit Episcoporum sollicitudinem et vigilantiam, ut iubeant sacras functiones peragi Feria V et VI, necnon Sabbato maioris Hebdomadae in aliis Parochialibus Ecclesiis, in quibus saltem tres quatuorve Clerici haberi possunt, servata forma parvi Ritualis s. m. Benedicti XIII iussu editi; et propterea, quoniam exemplaria defecerunt, novam eiusdem editionem prope diem evulgari curabimus.

Ad Dubium II. Duas habet partes hoc Dubium. Prima ad Episcopum attinet, qui Sabbato Sancto in domestico Sacello Sacrum facit ratione Ordinationis: altera Presbyteros respicit, siqui privilegio donantur offerendi ea die Sacrificium. Breviter de utroque.

Ordinationes generales, pro quibus certa praefinita sunt tempora, publice in Cathedrali peragendae sunt; ita in Pontificali Romano tit. de Ordinibus conferendis: « Ordinationes sacrorum Ordinum, statutis a iure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis praesentibusque ad id Ecclesiae Canonicis publice celebrentur ». Ideo S. R. C. rogata ab Episcopo Mazarien.: « An Episcopus volens die Sabbati Sancti Ordines conferre, licite praestare hoc valeat, Sacrum privatim peragendo in proprii Palatii Sacello? » sub die 18 Martii 1702 respondit: « Negative ». Nec secus respondendum erat Dubio generaliter nimis expresso. Nulla siquidem suberat ratio (si excipias placitum Episcopi expressum per verbum *volens*) qua S. C. licere censeret. Nam si generali quaesito respondisset: *Affirmative:* huiusmodi responso quisque pro lubitu potuisset abuti, a Pontificali praescripto declinare et Ordinationes etiam generales privatim peragendo domestico Sacello, propriae commoditati inservire. Verumtamen non raro accidit, ut, vel ob modicum ordinandorum numerum, vel ob aliam rationabilem causam, licite queat sacra haec actio ab Episcopo in privato Sacello perfici. Id saepe accidit in Urbe, ubi licet statis temporibus in Lateranensi Patriarchali Basilica generalis Ordinatio solemniter fiat ab Emo Domino Cardinali Vicario vel ab Rmo Vicesgerente, venia nihilominus datur uni alterive Episcopo aliquibus cum sacros, tum minores Ordines privatim conferendi. Si id accidat in Sabbatis quatuor temporum, occurrit dubitandi ratio; quia vel Ordinatio sit publica vel privata, ordo tamen eam peragendi ne hilum quidem differt, si unam excipias solemnitatem. Verum non ita est, si Episcopus in Sabbato Sancto Missam in suo Sacello ad Ordines conferendos privatim celebret. Cum enim nec Cerei Paschalis benedictio fiat, Ordinatio vero iuxta diversos gradus distribuatur, non inter unam alteramque lectionem, quippe harum recitatio, secus ac in aliis Sabbatis, Missam praecedit, quaeri potest ubi inchoanda sit Missa? Controversiam dirimit positiva Pontificalis Rubrica: « Si vero Sabbato Sancto Ordinationes fiant, Officium incipitur a prima prophetia et continuatur, prout in Ordinario usque ad Litanias inclusive etc. ». Neque dicas rem ibi esse de Ordinatione generali et solemni, non autem de privata. Primum enim, ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; neque ulla occurrit diversa ratio, quae discrimen ponat inter Ordinationem solemnem et privatam: imo ex Ecclesiae instituto Lectiones ob mysticas significationes ad Ordinationem, quae fit statis temporibus, proprie pertinent. Quamquam vero duodecim, quae leguntur Sabbato Sancto, praecedant benedictionem Fontis et collationem Baptismi, quapropter instructioni Catechumenorum inserviunt, nihilominus aeque ad successivam Ordinationem referuntur: « Post Cerei benedictionem, inquit Meratus ad Gavant. part. 4, tit. 10, num. 29, dicuntur lectiones, quae olim ad Catechumenorum instructionem recitabantur . . . . Lectiones istae in Missali Romano duodecim numerantur, quae postquam noctu non baptizatur amplius, et Baptismo sacrorum Ordinum collatio substituta est, quum Ordinationis diebus duodecim habebantur lectiones Sabbato Sancto assignatae sunt quae, ut dixi, iuxta primam institutionem ad instructionem Catechumenorum et ad Baptismum referuntur ». Tandem, si quid adhuc Dubii superest, istud solvit S. R. C., quae rogata ab Episcopo Bergomen.: « Utrum in Sabbato Sancto pro collatione sacrorum Ordinum Episcopus in suo domestico Oratorio teneatur Missam cum prophetiis, ut in Missali, celebrare? » sub die 21 Martii 1744 respondit: « Affirmative; idest pro collatione sacrorum Ordinum in Sabbato Sancto Missa incipienda est a prophetiis ». Quum itaque prophetiae in Sabbato Sancto de rigore ad Missam non pertineant, ad Ordinationem tamen relationem habeant et haberi debeant tamquam actus praeparatorii ad eamdem, licet etiam ad instructionem Catechumenorum iuxta vetus

Ecclesiae institutum et disciplinam referantur; ideo omittendae nunquam sunt ab Episcopo privatim et seiunctim ab aliis sacris actionibus, quae praemitti ea die debent, Ordinationem peragente.

Non ita dicendum de Sacerdotibus, si qui sunt privilegio ditati offerendi ea die Sacrificium. Nam, ut paullo ante dictum est, prophetiae ad Missam non pertinent, bene vero Baptismum et Ordinationem. Leguntur quidem in Missa conventuali, ubi nec benedicitur Fons, nec sequitur Ordinatio: verum ita fit cum ad recolenda sublimia illius diei mysteria, tum ad veterum Ecclesiae morum servandam memoriam. Cessat ratio, quae prophetiarum lectionem exigit, si Presbyter ex indulto privatim celebret. Etenim tam Sabbato Sancto, quam altero ante Festum Pentecosten, prophetiae non leguntur in Missa, quae fit in Sabbatis quatuor Temporum; ideo ut pars integralis Missae habendae non sunt: secus in Pentecosten, ut, privilegio, earumdem lectio praemittitur Missae conventuali propter Baptismum ad virtualiter servandam veterem Ecclesiae disciplinam, ita etiam privatis Sacrificiis adiungenda foret. Quod autem prophetiae a Missa seiunctae omnino sint, ex eo etiam colligimus, quia saeculo Ecclesiae IX paschali praeconio praemittebantur. Ita Cl. Martène de antiquis Ecclesiae Ritibus tom. 3, columm. 415, in fin. et seq.: « Cerei Paschalis benedictionem sequuntur lectiones, quae iam antiquitus praecessisse videntur. Id sane clare innuit Ordo Romanus ad usum Corbeiensis Monasterii ante annos 800 accommodatus (verba Ordinis Romani sunt, quae sequuntur); et interrogavimus nihilominus Dominum Apostolicum Adrianum (huius nominis II vel III) secundum vestra mandata, si in Paschali Sabbato debent flecti genua ad Lectiones; et ipse respondit hoc deberi omnimodis fieri; cui cum diceremus: Et quomodo Sacerdotes et Ministri, seu Clerus cum Stolis et Planetis possunt in terram prosterni? ille adiecit: non debere Sacerdotes vel Ministros seu Clerum stolis prius planetisque vestiri, nisi tunc demum, cum lumen novum introducitur, ut Cereus benedicatur ». Quamobrem concludit Cl. Auctor: « Ex his patet Lectiones olim pronunciatas fuisse ante Cerei benedictionem, pro qua Sacerdotes et Ministri, seu Clerus, stolis et planetis vestiebantur ». Quis autem putabit ad Missam pertinuisse prophetias, si nedum actiones intercipiebat Praeconium, verum etiam deposito luctus squallore, assumebantur indumenta laetitiae cum ad Cereum benedicendum, tum ad Sacrificium offerendum? Ex alio Ordine Romano, qui scriptus censetur aevo Caroli Magni, colligimus actiones hasce, ubi non erat Fons sacrandus, dividi consuevisse. Nam, expleta lectione prophetiarum, sistebat Officium, cuncti in secretarium revertebantur, ibi expectantes ad inchoandam Missam, ut prima stella in coelo apparens ingruentis noctis signum daret: « Ubi autem Baptismum non fit . . . . postea, ut ordo est, sicut manifestatur in Sacramentorum codice, sic cantent: et ut finierint, absque ullo cantu revertantur in sacrarium: postea ingrediuntur ad vesperum, postea modico intervallo, ut fuerit prima stella in coelo visa, sonant signa et incipiunt canere Litaniam ad Introitum, et statim cum magno decore, cum septem candelabris et cereis, cum incenso et thuribulis procedit Sacerdos, canentibus interim Clericis Litaniam. Postquam finierint, dicit Sacerdos *Gloria in Excelsis Deo etc.* ». Quoniam vero, immutata paullatim Ecclesiae disciplina, sacrae illae actiones, quae prope mediam noctem habebant complementum, anticipari coeperunt: non defuere qui, his expletis, licitum sibi ducerent Missam privatim celebrare: neque tamen hi a prophetiis incipiebant, verum a Litaniis. Micrologus scriptor illius aevi audiendus, qui de ecclesiastic. observat. Cap. 53, saeculi XI morem nos edocens: « Post Baptismum, inquit, Presbyteri demum possunt Missam, si necesse fuerit, privatim celebrare, qui iam renati sunt, de quibus specialiter in Missa agere debemus: nec postea a lectionibus, quas iam audivimus, sed a Litania incipere solemus ».

Si recentiora quis cupiat, ea non desunt. Paulus Mucantius egregius Apostolicarum caeremoniarum Magister et Sac. Rit. Congregationis a Secretis ordinem praescribens servandum in triduo maioris Hebdomadae in conclavi, in quo electus fuit Pontifex Leo XI, de huiusmodi Missa haec habet: « Sabbato Sancto posset etiam aliquis Cardinalis . . . . celebrare, et omissis caeremoniis de lumine Christi, praeconio *Exultet* et prophetiis, inchoare Officium a Litaniis . . . . finitis Litaniis, Celebrans, accepta Planeta, Missam currentem celebrabit »: apud Gatticum, Acta select. caeremon. tom. 1, pag. 347, columm. 1. Quid plura? Nonne S. R. C. declaravit actiones divisibiles esse *benedictionem Fontis,* quam prophetiae praecedunt *et Missam,* quae se-

quitur? Ita in Carpen. die 14 Iunii 1608: « Eadem S. R. C. censuit esse divisibiles, et posse ab uno fieri benedictionem Fontis, ab alio Missam cantari: et ideo consuetudinem dictae Ecclesiae in hoc servandam esse censuit, ita ut Archipresbyter benedictionem Fontis faciat, et postea, si noluerit vel non potuerit Missam celebrare, Missa cantetur ab Archidiacono vel ab alio Canonico prout hactenus consuetum fuit ». Porro si ad Missam pertinerent prophetiae, haud hae separari possent, et Sacrificium offerre deberet ille idem, qui Fontem sacravit. Quid clarius?

Neque obiicias aliud eiusdem S. R. C. Decretum in Lucana 12 Aprilis 1755, quo declaratum fuit congruere, ut ignis et cerei benedictio praecedat Missam, prophetias vero non esse omittendas. Abolenda siquidem erat prava consuetudo Parochorum Lucanae Dioecesis, qui in suis Ecclesiis cum cantu vel sine cantu Missam celebrabant, praetermissis benedictionibus ignis, cerei, prophetiis, aliisque ritibus ipsa die praescriptis. Quamobrem Archiepiscopus, num id liceret, postulavit. Et S. R. C., cum animadvertisset rem esse de Ecclesiis Parochialibus, in quibus, etsi solemniter cum cantu et Ministris paratis peragi nequeant, explendae nihilominus sunt sacrae functiones maioris Hebdomadae, servata forma parvi Ritualis editi iussu s. m. Benedicti XIII, solicita ne omitterentur, apte distinxit id quod congruit, ab eo quod fieri necessario debet; sed simul Archiepiscopo iniunxit, ut, poena indicta, Parochos cogeret etiam ad id, quod congruit. En verba Decreti: « Congruit, ut Missae in Sabbato Sancto celebrandae, ignis et cerei benedictio praecedant; ante quam Missam prophetiae omitti non debent: et Archiepiscopus Parochos ad ignis et cerei benedictionem faciendam aliqua poena pecuniaria adigere poterit ». Quid autem huiusmodi Decretum commune habet cum Missa privata, Apostolici indulti vigore celebrata?

Ex iis, quae allata sunt, plane consequitur prophetias haberi haud posse in Sabbato Sancto tamquam partem integralem Missae, proindeque a Sacerdotibus, qui privilegio gaudent faciendi privatim Sacrum, easdem non esse legendas, sed Missam inchoandam more solito. Quod insuper maxime decet: etenim posito privilegio, haud eo uti licet, nisi postquam nuntiatum fuerit, per festivum campanarum sonitum, Ecclesiam, deposito luctu, per laetitiae signa Festis Paschalibus initium dedisse. Imo S. R. C. dum, attenta immemorabili consuetudine, indulsit, ut in Ecclesia Ordinis S. Dominici Villae Matriti tres Missae lectae celebrari possent, id fieri vetuit, nisi post absolutam Missam solemnem; quae conditio fuit etiam alteri privilegio adiecta concessionis unius Missae privatae in Sacello B. M. V. *de los remedios* eiusdem Villae Matriti.

Heic autem loci quaeri posset: Num huic Missae praemittendae sint Litaniae? Praesens Decretum id non iubet, imo cum velit eamdem incipit *more solito*, sed *sine Introitu*; praeviam Litaniarum lectionem praecipere noluisse videtur. Atque haec etiam est Cl. Gavanti sententia, qui in hypothesi, quod privata aliqua Missa celebrari queat, eamdem a Confessione incipiendam scribit Rubric. Missal. part. 4, tit. 10, num. 44. Quo casu forte sufficit incipere a Confessione, qua finita, dicat Sacerdos *Kyrie eleison* de more et reliqua cum Vesperis usque ad finem Missae. Nam Gemma lib. 3, cap. 118, ait, Officium huius Missae per *Kyrie Eleison* inchoari; nisi pro *Kyrie Eleison* intelligat cum Micrologo Litaniam. Si quis igitur Litanias praemitteret, contra Decretum non faceret; sed melius fortasse, si a Confessione Missam incipiat.

Ad Dubium III. Quamquam vero, ex praesenti Ecclesiae disciplina, solemnibus celebratis Officiis actisque functionibus, quae Missam praecedunt, tantum diei spatium supersit, quo possit a Sacerdotibus privatim Sacrum fieri, et exempla non desint Apostolicae concessionis: attamen, si quaeramus, quid iuris? satis implexa quaestio enodanda se offert. Scriptores tam theologi, quam liturgici non in unam eamdemque sententiam conveniunt; imo plerique ex illis, qui Sacerdotibus facultatem tribuunt privatim celebrandi Feria V in Coena Domini, putant etiam fieri idipsum posse sequenti Sabbato: sed hi non animadvertunt magnum, quod unam inter alteramque diem discrimen est. Siquidem Feria V diebus aliturgicis non adnumeratur; imo, ut notatum est supra ad dub. 1, prae caeteris Sacrificium iure postulat; Sabbatum vero, ut Feria VI in Parasceve, aliturgicum est, quia Ecclesia, per integrum saltem eiusdem diei civilem cursum, in solitudine et moerore versari deberet ob mortem et sepulturam D. N. I. C., veluti habetur in Epistola Innocentii I ad Decentium relat. in cap. *Sabbato* dist. 3, de consecratione. Antiqua monumenta testantur sacras functiones

inchoari consuevisse, ingruentibus iam tenebris; et cum essent multo longiores praesertim ob illorum copiam, qui sacro Fonte erant abluendi, Missam, quae post Litanias celebrabatur, mediae nocti fuisse conterminam. Equidem paullatim immutatus est mos per anticipationem ; religiose tamen retentus et servatus liturgicus ordo. Quamobrem, etsi noctu Sacrificium non offeratur, sed circa meridiem, nihilominus infra actionem praecipit Rubrica, ut ad *Communicantes* legatur *Sacratissimam noctem*. Id sufficit, quin immorer in Paschali praeconio praemittendo nedum prophetiis, verum etiam Fontis benedictioni, in quo non secus ac si nocte concubia adhuc legeretur, pluries repetitur : *Haec nox est*. Sacrificium, quod noctis erat, utique modo offertur ante vel circa meridiem, et quod diei superest, ob annunciatam Dominicam Resurrectionem, laetitiae significationibus decoratur ; nihilominus quantum fieri potest, ne prorsus oblitteretur antiquorum temporum disciplina, aequum est ut per anticipationem Solemnia fiant, non item privatae Missae celebrentur. Hinc est, ut si aliquod Festum ex praecepto servandum incidat in Feriam V, aliquot Missae privatae ad fidelium commoditatem permittuntur ; non autem, si tale Festum occurrat in Sabbato Sancto, ut ex Decretis in hac Collectione relatis. Tametsi vero repudianda sit Scriptorum sententia, qui ponunt in Sacerdotum facultate, si velint, privatim lectam Missam celebrare ; potest tamen Apostolica Sedes, peculiaribus attentis circumstantiis, in aliquo casu generalis legis temperare rigorem, ac privilegium elargiri id agendi, quod pro lubitu fieri nullo modo potest. Sed hac indulgentia Apostolica Sedes parce utitur, ne ex privilegiorum copia inducantur abusus, ideo in eorumdem usu modum praescribit, ac debitum ordinem. Exemplo sit indultum, de quo supra favore Ecclesiae tituli S. Mariae de Antiochia, ac alterius S. Mariae de *los remedios* Toletanae Dioecesis. Datis precibus ab Hispaniarum apud Sanctam Sedem Oratore ad s. m. Innocentium XII, easdem Ipse S. R. C. pro voto remisit ; et haec, maturo praemisso examine circumstantiarum, quae alicui indulgentiae locum dabant, ita annuendum censuit, ut certus Missarum numerus esset praefiniendus, privilegium nequiret in exemplum adduci, et generali Decreto anni 1690, quod firmum manet, in peculiari casu derogandum foret. SSmus vero votum S. C. admisit, confirmavitque, sed *pro hac singulari gratia literas in forma Brevis* expediri iussit. Quia tamen temporis successu percrebuerunt abusus, et aliqui vel forte plurimi, aut Scriptorum placita sequentes, aut privilegia iactantes, eaque pro lubitu extendentes et interpretantes, privatam Missae celebrationem licitam arbitrabantur : ideo S. C., ne ultro progrediatur et invalescat corruptela, proposito dubio respondit : *Iuxta votum*, videlicet confirmanda et ad observantiam revocanda esse Decreta vetantia Missas lectas, praeter unicam solemnem in Sabbato Sancto ; et consulendum SSmo pro revocatione cuiuscumque indulti (scilicet personalis), firmis tamen privilegiis concessis aliquibus Ecclesiis unam alteramve Missam lectam celebrandi, dummodo tamen id non fiat ante Cathedralis vel Matricis festivum campanarum sonitum, ut in responsione ad 2 partem praecedentis dubii. Atque heic loci adnotatum volo Sciptores illos, qui privatam Missae celebrationem licitam existimarunt, floruisse antequam prodiret generale Decretum anni 1690, quod non limitatur ad Urbem eiusque Districtum, sed generalem legem omnibus imponit. Hinc fit, ut sola Apostolica Sedes eam queat relaxare, quin idipsum ab locorum Ordinariis fieri possit. Clara sunt verba Decreti : « Celebrationem quoque Missarum dicta die Sabbati Sancti omnino prohibendam in quibuscumque Ecclesiis et Oratoriis privatis et unicam Missam Conventualem una cum Officio eiusdem Sabbati Sancti celebrandam fore praecepit ». Quum autem hoc Decretum Summus Pontifex sua auctoritate firmaverit et ope typorum evulgari iusserit, vim habet legis universalis, quae relaxari nequit, nisi ab eo, a quo lata est.

Ad Dubium IV. In Pontificali Romano distinctae sunt Rubricae, quae methodum praescribunt in Ordinibus conferendis omnino servandam ; et licet non differant quoad substantialia, pro temporum tamen ratione a generali regula tantillum divertunt, et accidentalem aliquam variationem ponunt, sic exigentibus sacris actionibus, quae simul eadem die concurrunt, et successive peraguntur. Ideo in Sabbatis quatuor Temporum, quia Prophetiae ad Missam et Ordinationem stricte pertinent, initiantur Tonsurandi post *Kyrie eleison*, et Minores Ordines inter unam alteramque ex primis quatuor prophetiis conferuntur. Antequam Pontifex ultro procedat, sistentes ante se promovendos ad Subdiaconatum gravibus verbis admonet, ut serio cogitent

quid acturi sunt, priusquam libertatem amittant transeundi ad vota saecularia : mox Archidiaconus iubet, ut accedant, qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri; incipiuntque Litaniae etc. Verumtamen, si Ordinatio fiat Sabbato Sancto, quum prophetiae, quae simul ad Baptismum et Ordinationem pertinent, Missae praemittantur, et sine mora (nisi Fons benedicendus sit) Cantores intonent Litanias; rubrica diversam dat dispositionem : « Si vero Sabbato Sancto Ordinationes fiant, Officium incipitur a prima prophetia, et continuatur, prout in ordinario usque ad Litanias inclusive, in quibus dicto *Ut omnibus fidelibus etc.* surgit ab accubitu Pontifex, et conversus ad Ordinandos, eos benedicit, prout post Litanias infra ponitur..... deinde dicit Orationem ordinariam cum alia pro Ordinandis, quibus dictis, ordinat ad Subdiaconatum ». Hactenus Rubrica; qua posita successivae actiones sunt (nisi intercipiantur benedictione Fontis, et administratione Baptismi) Prophetiae et Litaniae : nec locus est admonitioni faciendae promovendis ad Subdiaconatum, quae fieri debet, dum Pontifex post Orationem et Collectam ad eorum Ordinationem procedit, quin repetendae sint Litaniae, quia super promovendis ad Sacros Ordines pronunciatae iam sunt formulae benedictionis, sanctificationis et consecrationis. Hic autem forte aliquis interpellat, inquiens, benedicendi ne, sanctificandi et consecrandi sunt promovendi, priusquam moneantur, an velint, constantes in proposito, saecularibus votis renunciare? Brevi me possem expedire responso, quod ubi lex non excipit, non limitat, nec nos excipere vel limitare debemus. Non enim agitur de casu non praeviso, cum quo generalis regula nequeat componi. Rubrica rationem habuit Ordinationis peragendae Sabbato Sancto, diversamque dedit dispositionem quoad tempus Ordinibus conferendis destinatum. Iubet namque, ut vidimus, in Litaniis, quae Missae praemittuntur, ad sacros Ordines promovendos esse benedicendos ; mox inchoandam Missam, initiatisque ac promotis ad minores gradus Clericis, lectaque Oratione, ad Ordinationem Subdiaconorum deveniendum ; nec tamen ullum occurrit verbum de anticipanda monitione. Et iure quidem; nam formulae benedictionis etc. deprecatoriae sunt, et Ordinationi nullatenus essentiales, nec iugum imponunt ; quamobrem promovendi ad Subdiaconatum, si prolatis super iisdem praefatis formulis, a proposito velint resilire, liberum adhuc illis est. Itaque, cum certum sit admonitionem, collatis iam minoribus Ordinibus, faciendam esse promovendis ad Subdiaconatum, nihil immutandum est, nec ab hac generali dispositione recedendum. Quod si admonitio fieri deberet hac die ante Litanias, ut in Ordinationibus, quae habentur aliis statutis ab Ecclesia temporibus, procul dubio indicaretur in rubrica speciali de Sabbato Sancto, quemadmodum eadem iubet benedici Ordinandos in Litaniis, quae hac die Missam immediate praecedunt. Admonitio igitur facienda erit immediate, antequam Subdiaconatus Ordo conferatur, servandaque Rubrica specialis posita in Pontificali pro Ordinatione peragenda in Sabbato Sancto, prout Sacra Congregatio servandam esse respondit.

Ad Dubium V. Sive Ordinatio in Sabbato Sancto publica et generalis sit, sive particularis et privata ; unus tantummodo vel plures tum ad minores, tum ad sacros Ordines sint promovendi ; eadem regula semper tenenda est, et sacra incipienda actio a prophetiis, veluti praescriptum vidimus in Romano Pontificali, et declaratum fuit in Bergomen. a S. R. C. 21 Martii 1744. Quamobrem si unus dumtaxat Subdiaconus sit ordinandus in domestico Episcopi Sacello, ut in proposito dubio ; praescriptarum precum et actionum ratio nec turbanda, nec invertenda est, imo apprime servandus ordo a Rubrica dispositus. Porro Pontificalis rubrica iubet, ut, absoluta prophetiarum lectione, statim dicantur Litaniae, et Missa sequatur, qua inchoata, et non prius, facienda est Ordinatio, servatis regula et tempore singulis Ordinibus assignatis. Ideo cum nemo sit tonsura initiandus, nemo ad minores gradus promovendus, incipere Ordinatio debet post Orationem, et exordiendum ab admonitione, ut Ordinandus de statu amplectendo, a quo postea resilire non poterit, queat determinare. Neque interest quod supra eumdem prolatae iam fuerint formulae benedictionum : nam huiusmodi formulae deprecatoriae sunt, et haberi debent tamquam dispositivae ad Ordinem conferendum et suscipiendum ; ideo, ut iam supra notatum est, ad essentiam Ordinationis trahi nequeunt, libertatem non adimunt, iugum non imponunt, et promovendus adhuc liber est, donec forma non fuerit super eum ab Episcopo prolata, simulque adhibita et tradita Ordinationis materia. Scite

igitur S. C. proposito dubio respondit: « Iuxta votum »; videlicet: « In privata etiam Ordinatione, quae fit Sabbato Sancto unius tantum Subdiaconi, monitionem faciendam esse, servata Pontificalis rubrica, non secus ac in Ordinatione generali ».

Ad Dubium VI. Si expendendas mihi proponerem diversas sententias, in quas abeunt auctores gravissimi de materia et forma Ordinationis Presbyteratus disserentes, nimis ab instituto aberrarem, nec possem brevitati consulere. Quid enim prodest de re diatribam texere, de qua in dubio non quaeritur, quaeque ab Ecclesia non est ullo canone definita? Vel enim materia sit instrumentorum traditio, cui forma respondet: *accipe potestatem etc.,* vel sola manuum impositio, vel utrumque simul, id ad praesentis dubii solutionem non pertinet. Data quippe hypothesi, quod sola physica et subsequens moralis manuum impositio conferat potestatem, nulla subest quaestio de necessitate talis impositionis, sed una est controversia super intelligentia Rubricae Pontificalis, quae iubet: « Pontifex stans ad Faldistorium suum.... imponit simul utramque manum super caput cuiuslibet Ordinandi....... idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes...... quo facto tam Pontifex, quam Sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos ». Dubitandi rationem praebet illud, *omnes qui adsunt,* num scilicet ita intelligi debeat, ut physice et numeraliter quotquot adsunt, manus imponant, vel potius moraliter, ita ut nihil officiat, si quis ex praesentibus id omittat. Si materialiter verba accipienda essent, dictio illa *omnes* physice intelligenda foret, ita ut post Episcopum numeraliter quotquot adsunt Presbyteri super Ordinandos imponere manus debeant, et post physicum contactum, in morali dexterae extensione perseverare, dum Pontifex Orationem legit. Verumtamen eadem dictio accipi etiam moraliter potest, ita ut sensus sit: « Episcopus manibus physice tangat capita Ordinandorum, et successive post eum idipsum praestabunt tres aut plures ex adstantibus Presbyteris ». Non enim dictio illa *omnes* singulos, qui adsunt, comprehendit; sed multi pro omnibus indigitantur. Sub huiusmodi significatione plerumque in Scripturis haec dictio occurrit. Sic Ier. cap. 6, n. 8. « Omnes avaritiae student. Omnem avaritiam sequuntur ». Sic in Exodo habetur dixisse Deum Moysi in Sina: « Omnem populum ad vitulum aureum adorandum conversum esse ». Sic in Tobia cap. 1, vers. 5, legitur: « Quod omnes ad vitulos aureos currerent, quos fecerat Ieroboam »; et iterum vers. 12: « Quod omnes de cibis vetitis vescerentur ». Attamen in locis citatis, et aliis afferendis, si opus esset, dictio illa *omnes* nonnisi ad multitudinem significandam accipitur. Quamquam si integer contextus Rubricae Pontificalis spectetur, et diversae dictiones simul conferantur, impositionem physicam a morali distinxisse videtur. Postquam enim iusserat: « Pontifex stans . . . . imponit simul utramque manum super caput cuiuslibet Ordinandi . . . idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes, qui adsunt »; immediate subdit: « quorum tres aut plures Planetis vel saltem cum Stolis parati, si commode fieri potest, esse deberent ». Concludit Rubrica: « Quo facto tam Pontifex, quam Sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos ». Si conciliari velint hae tres orationis partes, forte a veritate non aberraret qui crederet ita intelligendam Rubricam, ut sensus sit, quod tres aut plures ex adstantibus Presbyteris sacris amicti, physice unus post alium super caput cuiuslibet Ordinandi manus imponant, alii vero e Chori subselliis moraliter; et tam isti, quam illi in extensione manus dexterae perseverent, quousque a Pontifice Oratio lecta non fuerit. Si una vel altera Rubricae interpretatio non adhiberetur, et per verbum *omnes* intelligendi essent physice et numeraliter quotquot sunt, magna etiam oriretur confusio in Cathedralibus, quae abundant adstantium Presbyterorum copia. Hinc est, quod in Patriarchali Lateranensi, quando generales habentur Ordinationes, duodecim dumtaxat sunt, qui, Stola e collo pendente, physice post Episcopum manus super Ordinandis imponant, licet multo plures praesentes sint; quamvis ratio dumtaxat haberi velit eorum, qui gaudent praebenda presbyterali, praetermisso longe maiore numero illorum, qui, etsi Presbyteri sint, ratione tamen praebendae, Diaconos aut Subdiaconos repraesentant. Praxis igitur servata in Patriarchali Ecclesia, quae caput dicitur omnium Ecclesiarum Urbis et Orbis, plane demonstrat illud *omnes* non physice et numeraliter, sed moraliter esse accipiendum.

Eoque magis ita esse intelligendam rubricam puto, quia, ut adnotat Catalanus in Commentar. ad Pontifical. Roman. § 6, de Ordinatione Presbyteri num. 1, doctrinae adhaerens S. Bonaventurae, sola manus im-

positio ab Episcopo facta essentialis est, cum ipse solus sit Ordinationis minister: adstantes autem alii Sacerdotes ideo simul manus imponunt, non ut Ordinem conferant, sed ut eo ritu gratia communionis significetur, quae in Ordine Sacerdotali confertur, et per Sacerdotem administrari debet. Haec ergo manus impositio, quam alii Presbyteri faciunt, solemnitatis, non necessitatis est. Quo posito, quis non videt dictionem illam *omnes,* quae in Pontificali occurrit, in sensu rigoroso non esse accipiendam? Ideo Sacra Congregatio, re mature discussa, respondit: « Ea verba Pontificalis . . . omnes Sacerdotes, qui adsunt, intelligi posse moraliter, iuxta tamen locorum consuetudinem, servata Rubrica quoad paramenta et Stolas ». Scite in hoc responso verbis facultativis usa est, ne videretur legem dicere voluisse ubique locorum, nullo facto discrimine, servandam; sed quum nosceret variam esse Ecclesiarum consuetudinem, per verbum illud *posse* declaravit non esse contra Rubricam illarum Cathedralium morem, in quibus, non quotquot adsunt Sacerdotes, sed aliqui tantum manus imponunt, dummodo tamen ea in parte in suo robore maneant, ubi praecipitur quod saltem tres aut plures, sacris amicti, post Episcopum super Ordinandorum capitibus physice manus imponant: sed simul sartam tectamque voluit praxim illarum Ecclesiarum, in quibus consuetudo est, ut non aliqui dumtaxat, sed omnes adstantes Presbyteri physice id praestent.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2618. COTRONEN. (4586)

Ad Dubium II. Quaestio huiusmodi facillimae solutionis est. Ne vetustiora quaeramus, S. R. C. in Assisien. sub die 25 Maii 1849 declaravit Collectam imperatam omittendam esse in duplicibus 1 class., posse ad libitum Sacerdotis legi vel omitti in Missis privatis, occurrente duplici 2 cl., in Conventuali et solemni omittendam. Haec regula tenenda est in Festis duplicibus 1 vel 2 class., non autem in Dominicis Adventus et Quadragesimae, quae, licet habeant qualitatem dup. 1 vel 2 class., hoc tamen privilegio gaudent ad unum dumtaxat effectum reiiciendi in occursu Festa talis ritus; sed vere non sunt, nisi ritu semiduplicis. Ideo in concursu cedunt cuicumque Festo rit. dupl., plures Orationes in Missa admittunt et commemorationem de simplici; necnon in Officio suffragia Sanctorum, preces etc. Nulla proinde ratio est, ob quam in iisdem legi nequeat Collecta a Praesidibus imperata.

Dubitare quis forte posset de Dominica Passionis, de altera Palmarum, de IV Adventus, dum haec incidit in Vigilia Nativitatis Domini. Prima namque duas tantum Orationes admittit; et, quatenus simplex occurrat, de hoc fit commemoratio loco illius, quae dicenda foret secundo loco: Dominica Palmarum, praeter unicam Missae propriam, aliam non habet Orationem; et Vigilia Nativitatis Domini id peculiare habet, ut de ea fiat etiam in occursu cum Dominica IV Adventus, de qua tantum fit commemoratio; et quum illa respuat etiam commemorationem de simplici, ista vero Vigiliae cedens, retineat tantum commemorationem, quae numquam perit (nisi vacet, aut ad aliam diem infra hebdomadam transferatur, ut nonnumquam accidit in Octava eiusdem Nativitatis, et altera Epiphaniae); in neutra legenda erit Oratio imperata. Et quoniam S. R. C. in Aquen. sub die 3 Martii 1671, ad 5, declaravit: « In Missa Vigiliae Nativitatis debent omitti Orationes a Superiore praeceptae etc. »; ob paritatem rationis, idipsum declaratum censendum est quoad *Dominicam Palmarum.* De duabus ergo hisce Dominicis composita lis est. Non de Dominica Passionis. Nam non desunt, qui existimant in hac etiam omittendam esse Orationem imperatam, quia in Missa huius Dominicae duas tantum Orationes a Rubrica assignantur, et S. R. C. explicando Rubricam forte non satis claram, sancivit dicendam non esse Orationem secundo loco assignatam, si occurrat commemoratio de simplici in Missis ferialibus a Dominica Passionis usque ad Feriam V in Coena Domini, et infra Octavas Paschatis et Pentecosten. Ita in una Rubricarum 22 Novembris 1659, in Caesaraugustana 22 Septembris 1692 et in altera Rubricarum 15 Septembris 1836.

Antequam prodiret postremum Decretum, in quo S. R. C. ad dubium: « An in Missis ferialibus a Dominica Passionis usque ad Feriam V in Coena Domini, occurrente Festo simplici, adhuc dicenda sit tertia Oratio *Ecclesiae* vel pro Papa: et an eadem tertia Oratio recitanda quoque sit infra Octavas Paschatis et Pentecostes? » sub die 15 Septembris 1736 respondit: « nihil esse innovandum, nempe non esse dicendam tertiam Orationem ». Magna erat quae-

stio inter Scriptores super intelligentia Rubricae, et particulis: *tantum, nisi:* et plurimi opinabantur ita intelligendas esse particulas, ut, duabus assignatis Orationibus, tertia addenda esset in occursu simplicis; et quamvis contrarium teneret cum aliis Gavantus, eiusdem tamen commentator Meratus suspenso haerebat animo, et tantummodo dubium deposuit, postquam evulgatum fuit Decretum, de quo supra. Sed quid hoc nostra interest? Numerus taxative Orationum, quae sunt in praecepto in Dominica Passionis, impedimento non est, quin altera addatur a Superiore imperata; secus haec dicenda nec esset in feriis, quae occurrunt a Dominica Passionis usque ad feriam V in Coena Domini, neque in postremis feriis, et Sabbato Octavarum Paschatis, et Pentecostes, quia tam in istis, quam in illis Missae feriali et de Octava duae tantum Orationes assignantur; nihilominus nemo est, qui imperatam neget esse dicendam; pari igitur modo legenda erit in Dominica Passionis. In hac namque et sequentibus Octavis Paschatis et Pentecostes duae tantum assignantur Orationes, quia, sicuti in Officio omittuntur Suffragia Sanctorum, ita omittitur in Missa Oratio *A Cunctis,* quae suffragiis respondet, neque substituenda est alia, ad implorandum B. M. Virginis auxilium, ut fit in Adventu, post Epiphaniam usque ad Purificationem, et tempore Paschali. Quod si ratio quaeratur, facile est eamdem adinvenire. Ideo namque tempore Passionis omittuntur suffragia in Officio, et in Missa Orationes vel *A Cunctis,* vel *Concede,* ut nostra intentio feratur in Christum solum, nostraque spes in unicum eius singulare refugium, utque uni Christo Crucifixo fidenter vacemus. Videri potest Gavantus, qui ad Rub. Miss. par. 1, tit. 9, num. 8, agens de Octavis Paschae et Pentecostes: « Valet, inquit, ea ratio, quam affert Durandus in Dominica Passionis, in qua cessant commemorationes Sanctorum in Officio; ut scilicet nostra intentio feratur in Christum solum, spes nostra elevetur ad unicum eius singulare refugium. Addimus igitur in tempore Passionis, Paschatis et Pentecostes aliam Orationem tantum pro Ecclesia vel pro Papa, pro quibus praecipue orandum, nullo alio mediante Advocato, neque Beata Virgine, quia Christus et Spiritus Paraclitus sunt tunc temporis supremi et unici Advocati ». Videri etiam possunt Meratus ibidem, et part. 4, tit. 7, num. 1, Tetamus Diar. Ecclesiastic. Civil. tract. 2, lib. 4, part. 2, cap. 6, art. 2, Cavalieri tom. 3, cap. 8, Decret. 1, num. 16, aliique. Addam ego, et dicam fidenter, nullum esse tempus magis idoneum, ut pro ingruentibus necessitatibus Deum exoremus, quam illud, in quo recolimus memoriam Passionis D. N. I. Christi, qui Sanguine suo Ecclesiam fundavit, nos liberavit a morte et in nostris necessitatibus factus est propitiatio nostra, et mediator apud Patrem. Iure igitur S. C. proposito Dubio respondens, a regula generali, quae in omnibus Dominicis Adventus et Quadragesimae Orationem imperatam admittit, excepit dumtaxat Dominicam Palmarum et quartam Adventus, dum occurrit cum Vigilia Nativitatis.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2619. DERTHONEN. (4587)

Ad Dubium I. Etsi Ecclesiis, vel solemniter ab Episcopo consecratis, servata forma Pontificalis Romani, vel minori celebritate dumtaxat benedictis, unus detur in actu Consecrationis, vel Benedictionis Sanctus Titularis; aliquae non ita infrequenter a pluribus Sanctis denominantur, vel quia plures dati in die Dedicationis, vel quia illi, cuius nomine erecta est Ecclesia, alter temporis successu additus; quo fit, ut plures eodem honore iisdemque privilegiis decorati reputentur. Sed revera non ita est. Quippe non omnibus eadem aeque competunt privilegia, quae Titularibus tribuuntur. Hisce fruitur Sanctus ille, sub cuius titulo Ecclesia dedicata est, et nequit iisdem spoliari, nisi destruatur, vel non accidentaliter (ut saepenumero accidit in barbarorum et hostilibus incursionibus), sed perpetuo, loci sacri qualitate amissa, in profanum usum convertatur. Non ita est de aliis, qui accedunt. Hos namque, ut plurimum, pietas populorum, vel ob aliquod insigne prodigium, vel ob aliam causam specialibus veneratur obsequiis, in necessitatibus tam publicis, quam privatis invocat, eorumdem Festa solemni extrinseco apparatu celebrat, totque argumentis cultusque significationibus distinguit, ut veri antiqui tituli fere sit aut videatur obliterata memoria. Hi tamen vere Titulares non sunt, licet ex accessione novam Ecclesiae tribuant denominationem; nec propterea ius habent ad eas praerogativas, quae veris competunt Titularibus, et vix iis privilegiis gaudere possunt (dummodo caetera concur-

rant), quae Patronis secundi ordinis competunt. Quod si indelebili titulo, quo in Dedicatione Ecclesia fuit nuncupata, alter adiunctus fuerit aut per Literas in forma Brevis, aut per Rescriptum, huic etiam pari modo praerogativae conveniunt, quae primo illi: et quum aequalis sit gradus, unum dumtaxat ponit in praelatione discrimen, maior videlicet dignitas prae minori. Videri possunt de re liturgica Scriptores, ac praesertim Gavantus ad Rubric. Breviar. sect. 3, cap. 12, num. 6, eius commentator Meratus sect. 8, cap. 5, num. 4, Cavalieri tom. 1, cap. 2, Decret. 5, Guyetus cap. 4, quaest. 3. Et quamquam non omnes simul conveniant quoad aequalitatem ritus, quo singulorum recolenda memoria est; lis tamen facile componi posse videtur, adhibita distinctione inter titulum additum Apostolica auctoritate, et titulum seu potius novam denominationem privata populi pietate inductam. Omnis autem controversia cessat in casu, de quo in Dubio. Certum quippe est sub titulo S. Laurentii Levitae et Mart. Ecclesiam Cathedralem Derthonensem dedicatam fuisse; certum item est in Apostolicis Literis novae eiusdem erectionis in Cathedralem, B. M. V. in Coelum Assumptae nova denominatione insuper addita fuisse decoratam. Novus igitur titulus Apostolica auctoritate accessit antiquo, qui ut datus in prima erectione, alterius accessione nec perit, nec praerogativam ullam amittit, si excipias, quod cedere debet maiori dignitati: quamobrem et in occursu cum Octava, et in suffragiis danda est praelatio Octavae et commemorationi de Beata Maria Virgine. Quum ergo uterque titulus sit retinendus, et aeque principalis sit, utrique pariter idem competit ritus, eademque solemnitas: et quoniam de Titularibus Ecclesiae Cathedralis res est, utriusque dies Festus nota Pontificali notandus venit, illis videlicet adnumerandus, qui recensentur in Caeremoniali Episcoporum lib. 2, cap. 1, num. 2, ibi: « Dies Nativitatis Domini etc. Sancti Titularis Ecclesiae et Patroni Civitatis ». In iis namque Episcopus, nisi sit legitime impeditus, pro diversitate Festorum, vel omnino debet pontificaliter celebrare, vel decet ut celebret.

Ad Dubium V. Binis Decretis Generalibus Sacrae huius Congregationis certae datae sunt regulae, quoad Missam celebrandam pro sponso et sponsa. In primo, vel declaratum, vel indultum sancitumque est: « In celebratione nuptiarum, quae fit extra diem Dominicum, vel alium diem Festum de praecepto, seu in quo occurrat duplex 1 vel 2 class., etiamsi fiat Officium et Missa de Festo duplici per annum, sive maiori, sive minori, dicendam esse Missam pro sponso et sponsa in fine Missalis post alias Missas votivas specialiter assignatam; in diebus vero Dominicis, aliisque diebus Festis de praecepto, ac duplicibus 1 et 2 class., dicendam esse Missam de Festo, cum commemoratione Missae pro sponso et sponsa ». Ita die 20 Decembris 1783; in altero vero diei 3 Martii 1818 declaratum fuit: « Missam pro sponso et sponsa (dum servata forma primi Decreti celebrari licet) esse votivam privatam, proindeque semper legendam sine hymno angelico et Symbolo, cum tribus Orationibus, 1 videlicet eiusdem Missae votivae propriae, ut habetur in fine Missalis, 2 et 3 diei currentis, ut in Rubrica tit. 7, num. 3, de commemorat., *Benedicamus Domino* in fine, et ultimo Evangelio S. Ioannis ». Hisce Decretis compositae quaestiones omnes videbantur: secus tamen accidit; nam nova excitata sunt dubia. Quippe nonnulli sunt, qui opinantur Missam hanc dici posse etiam diebus, qui excludunt duplicia per annum, praesertim vero infra Octavam Epiphaniae, in vigilia Pentecostes et infra Octavam privilegiatam SSmi Corporis Christi. In hac autem opinione versantur, quia in primo illo Decreto dies isti expressim et nominatim non excipiuntur. Ast hi errant quammaxime. Non enim declaratione indigebat id, quod sub generali prohibitione, utpote a Rubricis iam vetitum, continebatur. Iubet Decretum, ne Missa nuptiarum celebretur in duplicibus 1 vel 2 class., sed vult, ut in huiusmodi occursu solam obtineat commemorationem: ergo includit in regula etiam dies, in quibus per easdem Rubricas fieri nequit Festum duplex 2 class., vel occurrens, vel translatum. Si in Octava Epiphaniae duplicia isthaec non admittuntur; potiori iure nec Missa votiva privata, non obstante Indulto, admitti poterit, utpote quae in occursu huiusmodi duplicium celebranda non est. Octavae namque eo modo privilegiatae, etsi quoad ritum, semiduplicem tantum obtineant; quoad exclusionem tamen occurrentium quorumcumque duplicium (si excipiatur occurrens 1 class. in Octava Epiphaniae), qualitatem nihilominus habent aequalis vel superioris ritus. Quamobrem Indultum celebrandi Missam privatam nuptiarum in duplicibus mai. aut min. per

annum non Festivis extendi nullo modo potest ad infra Octavam Epiphaniae et Vigiliam Pentecosten. Quoad Octavam vero privilegiatam SS̃mi Corporis Christi, discrimine est opus. Vel enim indultum est, ut haec Octava, ad instar illius Epiphaniae, omnia reiiciat Festa duplicia, praeter illa 1 class. occurrentia, et in hoc casu ob paritatem rationis respuere etiam debet votivam nuptiarum, quae ex indulgentia permittitur in solis duplicibus, quae festiva non sint, vel dup. 1 vel 2 classis. Quod si privilegium sistit in exclusione dumtaxat duplicium, quae non sint 1 vel 2 class. occurrent vel translat.; neque hoc in casu inpedimentum ponit, quominus Missa Nuptiarum queat celebrari. Eoque magis poterit, si Octava Corporis Christi nullo ex duobus hisce modis privilegiata sit. Nam etsi vigore Decreti Sacr. Rit. Congregationis, Pontificis auctoritate roborati, infra Octavam Sanctissimi Corporis Christi Missae votivae quaecumque, vel pro defunctis celebrandae non sint, (vide Decretum generale diei 24 Iunii 1670); excipienda tamen est illa Nuptiarum, vigore specialis Indulti, quo sicuti permissum est, ut celebrari possit in duplicibus per annum non festivis etiam rit. mai., in quibus ex Rubricis prohibentur Missae votivae privatae, ita etiam poterit in diebus infra Octavam Corporis Christi, qui admittunt quaecumque duplicia occurrentia. Sed quaelibet cessat dubitandi ratio, postquam Sacr. Rit. Congregatio proposito dubio respondit: « Negative quoad Octavam Epiphaniae, Vigiliam Pentecostes et Octavam privilegiatam SS̃mi Corporis Christi, quatenus privilegium concessum sit instar Octavae Epiphaniae ».

Ad Dubium VIII. Dubium hoc declaratione non indiget. Si commemoratio Missae de Dominica, in qua Festum occurrit dupl. 1 vel 2 class., non coniungitur cum Oratione Festi, sed legitur separatim secundo loco, quaenam erit potior ratio, ut sub unica conclusione legi illa debeat pro sponso et sponsa simplex commemoratio? Si Missa Nuptiarum privata est, nullamque habet solemnitatem, haud dici potest in diebus vetitis locum cedere Missae diei, ut est de Missa solemni pro Oratione Quadraginta Horarum, quae dicenda foret de SS̃mo Sacramento, quaeque Pontificis iussu Missae diei coniungitur, dum ob occursum solemniorum duplicium nequit celebrari. Imo, si occurrant plures commemorationes, uti accidit potissimum, dum celebranda est Missa de Dominica, illa Nuptiarum primum dumtaxat locum obtinere poterit post alias a rubrica praeceptas, et sic supra reliquas praestare, siquae sint a Superiore imperatae.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2620. DUBIORUM. (4588)

Ad Dubium II. Abusus minime ferendus est, quod sacra Vasa ad Altaris mysteria destinata, dum redduntur ad usum inepta, vel decentius expoliri intusque inaurari debent, non prius tradantur artifici, quam ab aliquo, vel Episcopo, vel Sacerdote ictu manus aut instrumenti despiciantur, ut hoc modo tamquam execrata haberi possint. Huic errori, ut occurreret Sacra Rit. Congregatio, simulque abusum eliminaret, propositis dubiis respondit: « huiusmodi execrationem non rite, sed ex errore fieri ». Vel enim sacra Vasa consecrationem servent, vel non: nihilominus dedecet, quae peculiaribus precibus et sacra Unctione fuerant linita, et ad Altaris conficienda mysteria adhibita, eo contemni modo, ne amplius Sacrificio inserviant. Non est id faciendum, quod debitae reverentiae repugnat. Et quamvis eo animo fiat, ne res sacra, quae adhuc constitutivam inhaerentemque benedictionem perperam servare creditur, a laicis, dum adhuc sacra est, contrectetur; modus tamen contumeliam sapit, ac utpote religioni oppositus, reprobandus videtur. Quid igitur faciendum? Discrimine est opus, et pro casuum diversitate, diversa ratio tenenda est. Etenim Calices cum Patenis vel ex necessitate expoliendi, instaurandi, ac inaurandi sunt, quia ex longo usu ad sacrum ministerium non amplius censentur idonei, vel, licet adhiberi tuto possint, nihilominus, ut pallescere incipit vividus auri intus fulgentis color, ad consulendum maiori decentiae, traduntur aurifici, qui novum aurum superinducat. In primo casu, simul ac calix vel fractus est, vel internam perdidit inaurationem, aut quoquo modo nequeat in sacris conficiendis mysteriis adhiberi, formam amittit, qua precibus, signis et unctionibus sacer evaserat. Nam « durat consecratio, donec frangatur, vel intus de novo auro liniatur ». Ita Gavantus ad Rub. Missal. part. 2, tit. 1. litt. H. Quamobrem, si eiusdem usus est interdictus, quia nec sacer, nec ad Altaris mysteria aptus haberi potest; curnam execrandus? Atque en ratio, quapropter neque in Pontificali Romano, neque in aliis

ritualibus Codicibus ulla occurrit huius execrationis formula. Vanum quippe esset prorsusque inutile, illud ictu vel verbis execrare velle, quod iam execratum est. Quamquam data etiam hypothesi ; quod aliquo modo execrari ac profanari deberet, foret omnino indignum id spretu et contumelia peragere. Uno dilemmate rem conficio ; vel calix fractus ad ministerium ineptus, adhuc consecrationem servat, vel non. Si primum velis ; quum benedictio et consecratio constitutiva sit ac materiae inhaereat, haud potest auferri, nisi destruatur materia formamque amittat; ideo neque per ictum, neque per spretum et contumeliam consecratio perire potest : et actio materialis subiectum consecratum, usque dum formam retinet, haud valet immutare, inhaerentemque consecrationem ab eo auferre. Si vero dicas non amplius consecrationem servare, fateberis etiam prorsus ineptum esse spretu vel ictu tolli id velle, quod non est. Itaque in utroque casu actus ille per abusum inductus contumeliosus est vel inutilis.

Quatenus vero Calix, non ex necessitate, sed ex maiori decentia expoliri, et intus inaurari velit, licet adhuc formam servet, et in sacris agendis mysteriis sine religionis detrimento adhiberi tuto possit, consecrationem certe non perdidit; quamobrem multo minus despiciendus est contumelioso ictu manus vel instrumenti. Quid igitur agendum, priusquam tradatur artifici? Ut mihi videtur, facilis et expeditus est modus. Adeundus Episcopus, vel quicumque sit Praelatus loci Ordinarius, qui calicis, etsi adhuc apti ad Sacrificium, permittat traditionem artifici ad hoc, ut is iterato velamine intus linire, et decentius eumdem valeat instaurare. Huiusmodi permissio, per modum dispensationis, loco execrationis haberi poterit. Neque abnuerem, imo opportunum putarem, quod locorum Ordinarii ad hoc opus subdelegare possint tam suos Vicarios Generales et Foraneos, quam Ecclesiarum Rectores et Superiores locales. Nam si fere universalis invaluit opinio, usu vel potius abusu confirmata, quod quilibet Sacerdos possit per ictum manus vel instrumenti calices et patenas execrare : cur non idipsum fieri multo decentius, sine spretu et contumelia poterit a praefatis Vicariis, Rectoribus et Superioribus localibus, iure subdelegato, per modum veniae et dispensationis, dum sacra Vasa instauranda artifici tradenda sunt?

Imo neque hac venia et dispensatione opus esse crederem, si calix diversis partibus constet, et pes dumtaxat expoliendus et instaurandus sit, et seiungi a cuppa, quae inauratione non indiget, sine fractura possit. Hac quippe in specie, non est opus tradere artifici integrum calicem; sufficit dumtaxat pedem a cuppa seiunctum. Id saepenumero accidit, quia calices ut plurimum conflati ita sunt ut inferior pars per cochleam cuppae coniuncta, dum haec novo auro linienda non est, facile possit ab ea separari. Non enim, ut aiebam, perit consecratio, quae inest auratae cuppae, ut pluribus probat Fabius de Albertis, de sacris utensilibus cap. XX, num 13, ad num. 20, explosa eorum sententia, qui contrarium tenent. Secus est de Calicibus, quorum pars inferior a superiori disiungi nequeat, quia ita fixa est in cuppa, ut ab ea sine fractura separari haud possit. Et quum hoc in casu, nonnisi integri artifici tradendi sint, quamvis extrinseca tantum indigeant reparatione, et nequeant ut execrati haberi, quia auro intrinsecus liniendi non sunt, crederem licentiam ab Ordinario, vel ab Vicario generali aut foraneo, sive Ecclesiae Rectore, vel Superiore locali petendam, et per modum dispensationis obtinendam.

Quid autem si Calices, qui adhuc ad Sacrificium sunt apti, venundari velint aut liquefieri? Optandum, ut idem servetur modus, et Ordinarii provideant, vel per Synodales constitutiones, vel per edicta, quod nemini liceat calices et sacra vasa vendere vel destruere, nisi petita et impetrata licentia ipsius loci Ordinarii, eiusve Vicarii generalis: nam si in libertate relinquatur, non levia possunt oriri mala in rei sacrae ac religionis spretum et contumeliam. Erit forte nonnemo, qui in opinione sit, quod non liceat materiam ex calicibus et patenis igne fusis converti in usus profanos : nam, si cautum iure est, quod sacrae supellectiles usu attritae atque ita consumptae, ut nequeant amplius ad Sacrum adhiberi, igni tradantur ex cap. *Altaris* de Consecrat. distinct. 1 ; si vetitum est trabes et ligna dirutae Ecclesiae in prophanum usum adhiberi, sed potius sunt comburenda ex cap. *Lignea*, eodem tit.; multo magis id faciendum forte videtur de calicibus et patenis, vasis scilicet, quae nedum sacra evaserunt precibus et unctionibus ad Ecclesia in libro Pontificali praescriptis, verum etiam, quod magis est, immediate contactu Corporis et

Sanguinis D. N. I. C. Verumtamen rigida nimis huiusmodi esset opinio; neque, si vellet, aeque posset ad praxim adduci. Numquid enim materia pretio et valore aestimabilis disperdenda erit cum possidentis damno? Non hoc meum est consilium; quippe fateor longe decentius fore ex eadem conflari novos Calices, Patenas, Pyxides, Vasa pro sacris oleis, sacras Imagines, coronas, candelabra atque id genus alia in Dei Cultum, Sanctorum honorem et Ecclesiarum decus et ornamentum; nihilominus absit, ut censeam illicitum, si velint eadem converti in usus profanos. Nam simul ac aurum, argentum, aes fusum est, primam formam amittit, et ut profanum habetur, ac proinde fas erit artifici, prout mavult, ad quodlibet opus informem illam materiam adhibere. Diversa ratio est de supellectilibus vel lineis, vel sericis, quae, nisi flammis tradantur, possunt quidem aliam induere formam quoad usum diversum, sed nequeunt illam perdere, quae iisdem data fuit a textore. Idem dicendum de lignis, quae ex dirutis Ecclesiis supersunt.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2621. DUBIORUM. (4590)

Ad Dubium I. Dubium hoc illustratione non indiget. Quis enim est, qui nesciat pastoralis solicitudinis esse sedulo invigilare, ut adamussim Ecclesiasticae leges, quae circa ritus sacrasque caeremonias versantur, rite recteque serventur; et si qui inoleverunt abusus, radicitus extirpentur? Id iubent Apostolicae Constitutiones praemissae tam Breviario et Missali Romano, quam aliis ritualibus libris: id pariter S. R. C. iterata Decreta. Nam « quaecumque ad Dei cultum spectant ab Ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri aequum est ». Ita Tridentina Synodus Sess. 21, cap. 8, de Reformat. Iure igitur ad Episcopos pertinet in suis respective Dioecesibus curare et iubere, ut a sibi subdito Clero sacri ritus et caeremoniae ad praescripta Rubricarum et Decretorum componantur. Sed quoniam Episcopus aliis sui ministerii curis distractus, nec ubique adesse, nec omnia noscere per se potest; Magistris caeremoniarum onus incumbit, (quin ad hoc liberi censeantur Ecclesiarum Rectores), si quid viderint in Ecclesiis sacrisque actionibus fieri a scriptis legibus decretisque alienum, quod ipsi nequeant suasu consiliisque vel abrumpere vel ad Ecclesiastici iuris formam revocare, illud deferre ad Episcopum, qui sua auctoritate, prout stricte tenetur, iubeat quid faciendum, quid vitandum est. Quod si implexa res, involutaeque quaestiones sint, patet recursus ad S. R. C., quae facultatem habet declarandi, quod obscurum est, legemque interpretandi, ubi non est satis clara.

Ad Dubium III. Hac super re tam clara est Caeremonialis libri dispositio, ut vix credam diversam alicubi inductam fuisse consuetudinem. Quod si revera in aliqua Cathedrali invaluerit, ne morosus sit Episcopus, sed mediis a iure datis id corrigat, quod devium a iure est. Simplex scabellum parari debet pro assistente Presbytero vel a dextris vel a sinistris, prout patitur loci situs, ante faciem Episcopi in Cathedra sedentis. Ita lib. 1, cap. 7, num. 2: « Sedebit in aliquo scabello prope Episcopum »: et num. 4: « Sedente vero Episcopo et ipse sedet super scabellum »: et infra: « Si vero forte Episcopus celebrans, non in sede propria, sed in Faldistorio sederet, tunc ipse Presbyter assistens sedebit in aliquo scamno prope Altare »: et paulo post: « Si sermo habebitur per Episcopum . . . . in propria Sede: sedebit (Presbyter assistens) in scabello suae assistentiae »: et num. 6 in fin.: « Habebit locum idem Presbyter assistens prope sedem Episcopi in scabello ». Igitur si Caeremoniale disponit et toties repetit, quod Presbyter sedeat *in scabello*, quisnam sibi arrogare poterit arbitrium adhibendi sedem, quam cameralem dicimus pro *scabello?* Haud enim licet Dignitatibus et Canonicis in Choro coram Episcopo aliter sedere, nisi in scamnis vel scabellis, ut pluries S. R. C. sancivit, praesertim vero in una Burgi S. Sepulchri 4 Aprilis 1699 et in Terulen. 20 Augusti 1729, multo minus licere debet assistentibus Episcopo in Throno, in quo pro iisdem nonnisi scabella adhibenda esse iubet liber Caeremonialis: quin valeat consuetudo, aut privilegium. Id tam verum est, ut S. C. in Oriolen. 24 Augusti 1630, non obstante consuetudine introducta a tempore Pii IV sedendi, non in nudo scamno, sed in scabellis serico villoso coopertis, sancivit « non licere in casu proposito Canonicis Cathedralis, quando assistentiam faciunt Episcopo, sedere in scamnis coopertis, sed sedere debere super scabellis nudis iuxta praescriptum Caeremonialis Episcoporum cap. 8, lib. 1, non obstante allegata consuetudine, quae fuit sublata per fel. re-

cord. Clementem VIII, in sua Bulla, in principio Caeremonialis relata ». Si id satis non est, ne sit qui secum reputet tueri posse abusum specioso consuetudinis nomine; nam praeter laudatam Clementis VIII Constitutionem, Pontifices Summi Benedictus XIII, et alter eiusdem nominis XIV, qui novas editiones emandati Caeremonialis curarunt, districte iusserunt eiusdem observantiam, « non obstantibus quarumvis Ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel alia quavis firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et Literis Apostolicis etc. », quibus specialiter et expresse derogatum esse declarant. Iure igitur ad duo haec dubia negativum datum a S. C. responsum.

Ad Dubium IV. Caeremonialis dispositio circa ornatum Ambonis, in quo sermo et concio habenda est, aut Epistolae et Evangelia decantanda solemniter sunt et illum scamni parandi pro Canonico Officia solemniter peracturo, apertum ponit discrimen. Nam lib. 1, cap. 12, n. 18 legitur: « Ambones ubi Epistolae et Evangelia decantari solent, siqui erunt, necnon et pulpitum, ubi sermo vel concio haberi solet, consentaneum est pannis sericis eiusdem coloris, cuius sunt cetera paramenta, exornari »: secus vero iubet lib. 2, cap. 3, num. 4, de ornatu scamni pro Celebrante, quem esse vult « panno coopertum in cornu Epistolae »: quod si « occupare debeat stallum, seu primam sedem Chori ab ea parte, quae eidem illa hebdomada obtigerit, in ea sede ponetur pulvinum et alterum cum tapete super alio scamno, seu genuflexorio ante se posito, super quo etiam ponitur liber serici coloris ceterorum paramentorum tectus; et ubi non adest tale scamnum, in aliquo legili, quod ponitur ante Celebrantem et removetur, prout opus est; quo casu tapete sternitur ante ipsum Celebrantem ». Ubi autem Caeremoniale vult ornatum sericum, exprimit; quando vero utitur uno vocabulo *pannum* sine adiuncto, *laneum* significare voluisse videtur. Serica sint oportet et coloris convenientis Officio diei, quae ad ornatum *Ambonis,* et ad *librum* cooperiendum adhibenda sunt: non autem quae ad ornatum sedis, seu scamni pro Celebrante: haud enim pro eodem determinatus est color; et cum stragulum Celebranti apponendum tapete vocabulo designetur, non ex alia materia quam lanea textum esse debet. Verum etiamsi quis vellet super interpretatione verborum immorari, ut inde concluderet vocabulum genericum *pannum* sericum non excludere, fateri tamen debebit latum esse discrimen inter ornatum Ambonis, et alterum pro sede Celebrantis, de quo dumtaxat in dubio quaeritur. Composita igitur res erit, si Caeremonialis distinctio adamussim servetur.

Ad Dubium V. Dubium hoc cum antecedenti coniungi potest, eademque Caeremonialis dispositione utrumque dissolvitur. Ut in illo datur regula circa ornatum sedis seu scamni Celebrantis, ita in isto Celebranti pulvinum conceditur apponendum in sede, alterumque in scamno seu genuflexorio, super quo ponetur liber. Quaestio igitur dumtaxat versatur circa pulvini qualitatem, de qua silet Caeremoniale: verum ex S. C. decretis id facile colligi potest; nam hac super re propositis dubiis, eadem S. C. aperte reprobavit damnavitque abusum adhibendi pulvinum sub genubus vel ad pedes Dignitatum et Canonicorum, ut in una Panormitaua 22 Aprilis 1684, et in altera Burgi S. Sepulchri 4 Aprilis 1699; quoad vero pulvinum apponendum supra sedem seu scamnum Celebrantis, negando sericum, corium tantummodo indulsit, uti in Tudertina 24 Martii 1612 et in Panormitana 17 Septembris 1670: parum tamen interest, si non *corium,* sed *laneum* sit, dummodo non sericum, quemadmodum S. C., huic dubio respondendo, sancivit.

Ad Dubium VII. Si ratio prae oculis habeatur, propter quam Rubrica tit. *de Praeparatione Altaris,* praecepit, ut *Crux collocetur inter Candelabra,* facile intelligitur nobiliorem locum ab eadem occupari debere, ac talem esse eius magnitudinem, ut subito in conspectum veniat cum Celebrantis, tum Populi; si vero finis ab Ecclesia intentus consideretur, qui est, ut « ab aspectu Crucis Sacerdoti Celebranti Passio Christi in memoriam revocetur, cuius Passionis viva imago et realis repraesentatio hoc Sacrificium est », veluti habet Card. Bona rer. liturg. lib. 1, cap. 25, num. 8, consequitur vix ac ne vix quidem huiusmodi finem parvis illis Crucibus obtineri posse, quae, neglecta positiva lege Rubricae, superimponuntur vel Tabernaculo, vel parvis tabulis alicubi, non ita infrequenter, in medio Altarium collocatis. Iam S. R. C. declaraverat in Rossanen. 16 Iunii 1663 « parvam Crucem sufficientem non esse, sed poni debere aliam Crucem in medio candelabrorum »; nihilominus temporis successu, ut coeperunt multiplicatae minores tabulae in

singulis fere Altaribus collocari, ita crevit abusum, ut fel. record. Benedictus XIV illum deprehenderit « in aliquibus Ecclesiis huius nostrae Romanae Urbis et aliis pariter, quae Episcopis Suburbicariis subiiciuntur ». Quamobrem nedum huiusmodi abusum reprobavit, verum etiam Encyclicam dedit sub die 16 Iunii 1746 ad Archiepiscopos, aliosque Ordinarios Ditionis Ecclesiasticae : De retinenda Crucifixi Salvatoris Imagine palam et visibiliter exposita super Altaribus. « Illud, inquit, permittere nullatenus possumus, quod Missae Sacrificium in his Altaribus celebretur, quae careant Imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis et exigua sit, ut ipsius Sacerdotis et populi assistentis oculos pene effugiat : id enim alienum est a legibus et institutis Ecclesiae, quae in Rubricis aliisque ecclesiasticis Sanctionibus continentur . . . . ita ut certissimum sit violari leges Ecclesiae, si exigua solum Imago Crucifixi praefigatur minori tabulae vel Statuae Sancti, qui superadditur, ut illum Fideles venerentur »; et post plura eruditissime disputata, concludit : « Si iuxta Rubricas Missalis Crux inter candelabra statuenda est . . . . si iuxta sensum S. R. C. non satis esse iudicatur exiguus Crucifixus Tabernaculo infixus . . . . nemo est, qui non videat praxim, de qua agitur, recenter inductam, proprioque marte a privatis personis usurpatam . . . . esse omnino improbatam; eoque magis, quia ex exiguo Crucifixo, qui praefigitur tabulae eius Sancti qui Altari superadditur, ea profecto utilitas non consequitur, quam proponit Ecclesia, dum Crucem inter candelabra collocandam decernit». Hanc Encyclicam interesset plurimum, ut Episcopi aliique locorum Ordinarii sedulo perlustrarent et tempore Sacrae Visitationis ubique ad praescriptum Rubricae Crucis collocationem exigerent et inobedientes poenis plecterent a iure indictis.

Ad Dubium IX. Quum ex fel. record. Clementis VIII Institutione perpetua esse debeat Oratio Quadraginta Horarum per Urbis Ecclesias certo ordine distributa et dumtaxat intercipiatur post Missam Feriae V in Coena Domini ad solemnem usque Missam Sabbati Sancti ; necesse est, ut in una alterave Ecclesia incipiat vel desinat etiam in Dominica, quae dat initium Maiori Hebdomadae. Hinc orta dubitatio num et quomodo Benedictio Palmarum in iisdem Ecclesiis fieri debeat vel possit. Nemini dubium, quod liceat in Ecclesia assignata pro expositione : in illa namque Oratio non incipit, nisi post Missam, quae celebratur, expleta Palmarum Benedictione : non ita de altera, in qua terminum habere debet Oratio. Ibi adhuc venerationi Fidelium expositum est Sacramentum, neque reponitur, nisi post Missam diei, quae est de Dominica cum Oratione Sacramenti sub unica conclusione. Eritne igitur omittenda Benedictio Palmarum, an potius Missae praemittenda? Si Romae obtineret instructio, quam dedit S. Carolus Borromaeus pro Ecclesia Mediolanensi, in qua Oratio Quadraginta Horarum habuit initia, minime esset pro omissione haesitandum. Etenim S. Antistes, cum tempore Orationis populum vellet unice adorationi Sacramenti intentum, iussit, ne tempore expositionis ullae celebrarentur Missae, aut alia persolverentur Officia ; sed quoniam longe diversus est Ecclesiae Romanae Ritus, diversa etiam ratio tenenda est. Ubi fieri debet vel decet ut fiat Benedictio Palmarum in die repositionis, componenda ita res est, ut sacra haec actio populum non turbet nimisque distrahat ab Oratione: quamobrem consulendum, ut caeremoniis ab Ecclesia praescriptis fiat huiusmodi Benedictio in aliquo ex lateralibus Aris, quo magis potest, ab Altare Expositionis distante; expediret etiam, ut fieret sine cantu. Verumtamen, vel cum vel sine cantu fiat, omittenda omnino est Processio. Si fieret cantus versiculorum, egressus ab Ecclesia, illius forum occlusio et aperitio, pulsatio ab extra cum Crucis hasta, transitus ante Sacramentum, perturbationem gignerent et consequenter indirectam darent, etsi involuntariam, causam irreverentiae. Addam praeterea, quomodo, apertis ianuis, cani posset ℟. *Ingrediente Domino etc.*, dum revera Dominus, nempe Christus adorandus realiter et solemniter expositus est? Quod si Ecclesia sit nimis angusta, expedit potius, ut benedictio Palmarum omittatur ; quia, si fieret, vix posset absque periculo scandali et irreverentiae. Responsum autem S. C. ad praesens dubium dat regulam servandam, si occurrat SS̄mi Sacramenti repositio in die Festo Purificationis B. M. V. et Feria quarta in capite Ieiunii, in quibus ante solemnem Missam fit benedictio candelarum et cinerum.

Ad Dubium X. Inter diversas hominum classes debitus est ordo servandus et quod uni conceditur vel permittitur, non omnibus aeque concessum et permissum censen-

dum est; ideo ratione natalium, conditionis, dignitatis, gradus, munerum, extrinsecis etiam honorificis decorationibus quidam distingui debent, nedum in civilis societatis officiis, verum etiam in religionis actionibus. Tale est honorificum illud ornamentum genuflexorii, de quo in dubio. Nuda siquidem sint oportet genuflexoria, siqua in Ecclesiis ante Aras collocantur, praecipue in magnis solemnitatibus vel dum patet venerationi expositum augustissimum Sacramentum ; neque stragulis et pulvinaribus instrui debent, nisi pro S. R. E. Cardinalibus, ac Regalibus personis, ut declaratum fuit indictis poenis contra inobedientes, in S. Congregatione Caeremonialis die 30 Maii 1701 et etiam expressius die 11 Augusti 1705 : et huiusmodi Decretum fel. record. Clemens XI « probavit, confirmavitque, necnon promulgari atque exequutioni tradi et in omnibus Ecclesiarum Urbis Sacrariis affigi mandavit, die 23 eiusdem mensis et anni ».

Ad Dubium XI. Tam clara est dispositio Caeremonialis lib. 1, cap. 7, de Presbytero assistente, dum Episcopus Vesperas et Missas solemniter celebrat, ut nihil sit, quod elucidationem requirat. Tenetur namque Assistens librum supra caput sustinere dum Episcopus antiphonam intonaturus est ; vel in Missa, dum cantu dat initium hymno angelico, symbolo etc. Legem Caeremonialis pluries confirmavit S. R. C., praesertim vero Pharen. 31 Maii 1670; Asculana in Apulia 3 Martii 1774; Spoletana 18 Martii 1702; Lunen. Sarzanen. 27 Febr. 1712. Quinimo nec prodesse declaravit quamlibet consuetudinem in contrarium, Alexandrina 8 Aprilis 1702.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2622. RAVENNATEN. (4591)

Iure merito querebantur Cathedralis Ravennatensis Canonici de Parochis, qui nuper ditati privilegio commutandi sub Mozzetta et Stola Rochettum loco Superpellicei, quo prius utebantur in Supplicationibus aliisque Functionibus publicis, sive intra, sive extra eorum curae commissas Ecclesias, arbitrarie ampliantes Indultum, illud perperam extenderunt etiam ad Sacramentorum administrationem. Non enim ipsis invident honorifici indumenti decus; sed silentio tegere nequeunt abusum privilegii praetextu inductum, famigeratis Ecclesiae legibus repugnantem. Ritualis Romani Rubrica expresse iubet praeceptivis verbis « ut Sacerdos in omni Sacramentorum administratione Superpelliceo sit indutus et Stola eius coloris, quem Sacramenti ritus exposcit » : latamque legem limitat dumtaxat : « nisi in Sacramento Poenitentiae ministrando occasio vel consuetudo vel locus aliter suadeat ». Ita etiam plures Provinciales Synodi, praesertim vero S. Carolus Borromaeus, qui agens in Concilio Provinciali I de iis, quae ad Sacramentorum administrationem generatim pertinent, praecepit ut Sacerdotes « in Sacramentorum administratione semper Superpelliceum et Stolam adhibeant » : et in Instructionibus de Sacramentorum administratione, Parochis praesertim datis: « in omni Sacramentorum administratione, semper Superpelliceum decens et Stolam adhibebit ». Hinc S. R. C. nec Canonicis Cathedralium indulgendum esse duxit administrare Sacramenta cum Cappa et Mozzetta, seu solo Rochetto, sed ubique semper Superpelliceum adhibendum fore sancivit. Ita in una Dubiorum Urbis 12 Iulii 1628; in Siracusana 2 Augusti 1709; in Pisauren. 3 Decembris 1750, ac tandem in una Urbis S. Mariae in Cosmedin 19 Iunii 1773. Parochi igitur Ravennates exuere Rochettum, Mozzettam dimittere debent, soloque uti Superpelliceo cum Stola, dum administraturi sunt Sacramenta, veluti S.R.C. proposito Dubio respondit. Indultum quippe ipsis est, ut sub Mozzetta vice Superpellicei deferant Rochettum ; haud vero concessum, ut eo utantur in Sacramentis administrandis ; aut Rochetto Cottam superimponant. Permissum id est Canonicis dumtaxat, qui habent usum Cappae Magnae ; nam haec commutatur cum Cotta tempore aestivo, in publicis Supplicationibus etc. : quamobrem iidem in propria Ecclesia, quum ex praescripto Ritualis et Decretorum nequeant cum Cappa vel cum solo Rochetto Sacramenta administrare, licite possunt, imo debent Cottam assumere ; quin Rochettum dimittant.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2623. TRIDENTINA. (4592)

Ad Dubium I. Etiamsi omnes, qui ad funus vocantur, regulariter convenire debeant in Ecclesiam, cui praeest Parochus domicilii, vel defunctus afferendus, tumulandusque sit in eadem vel potius in altera Regularium aut Sodalitatum etc.: nihilominus haec regula non est tanto cum rigore accipienda, ut ubique semper et in-

discriminatim servanda sit: imo suas habet limitationes, et vim habet diversa locorum consuetudo, si alicubi in more sit positum collectam fieri in alia Ecclesia, ad quam etiam Parochus domicilii cum suo Clero accedere debeat. Quamobrem si aliqua hac super re quaestio excitetur, decidendi ratio non ab fere universali modo et praxi, verum a peculiari loci consuetudine petenda est. Quae quidem consuetudo non illis adnumeratur, quae a legis praescripto recedunt, quum ab ipsa lege praeservetur. Clara est Ritualis Rubrica tit. *De ordine exequiarum* num. 1: « Constituto tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, convocetur Clerus et alii, qui funeri interesse debent; et in Parochialem vel in aliam Ecclesiam iuxta loci consuetudinem ordine conveniant ». Videri possunt Commentaria ad hunc Ritualis locum tam Baruffaldi, quam Catalani; sed frustra ad Scriptorum auctoritatem confugiendum, dum regula, quam ponit Rituale, nulla indiget interpretatione. Innumera fere sunt Decreta S. R. C., quae regulam confirmant, praesertim vero in Tropien. 20 Martii 1631 et 19 Februarii 1656; Theatina 8 Augusti 1631; Firmana 24 Iulii 1638 et 20 Novembris 1662; Imolen. 14 Maii 1644; Senen. 11 Februarii 1645; Aesina 31 Iulii 1665; Thelesina 24 Novembris 1696.

Ad Dubium II. Quum a regula, quae fere universaliter obtinet, recedendum sit in locis, ubi mos est conveniendi in aliam Ecclesiam, Parochiali posthabita, dum defuncti corpus levandum est; iam patet morem hunc, ubi viget, non esse immutandum. Atqui ea Tridentini constans fuit consuetudo, ut invitato ad funus secundi ordinis Clero Cathedralis, in hanc fieret collecta, vel Parochus domicilii independens esset ac liber, vel potius amovibilis et a Cathedrali dependens; nec est, cur modo huiusmodi consuetudo sit intercipienda sub inani praetextu, quod, nova facta plebium divisione, alteraque ex quatuor Paroeciis, quae scilicet independens erat, suppressa, Parochis nova data sit institutio, qui propterea perpetui evaserunt et a veteri subiectione liberi. Nova siquidem conditio novum iisdem decus affert, sed non aeque ipsos eximit ab eo onere, quod non a conditione pendet, verum a consuetudine, quae conformis est regulae a Romano Rituali traditae ac pluribus confirmatae Decretis. Ideo Sacra Congregatio sancivit « in casu de quo agitur, servandam esse consuetudinem ».

Ad Dubium III. Dubium hoc tres partes habet. Scite autem responsum fuit: « ad primam et tertiam partem iam provisum in antecedenti »: quia semel ac decisum fuit: « in casu etc. servandam esse consuetudinem »: declaratum simul est Chorum Cathedralis nec teneri accedere ad Ecclesiam Parochialem defuncti; et cum in suo iure permaneat expectandi Parochum domicilii in eadem Cathedrali, nequit ab eo comitando abstinere, quia cessat renuentiae ratio. Secunda pars Dubii erat declaranda, quum certum exploratumque sit, ac centies decisum, quod nunquam, nullo in casu et nullibi liceat expectare in via, aut convenire ad domum defuncti. Praeter Decreta superius relata, alia etiam habentur, in quibus hoc est magis expressum: ita in Fossanen. 21 Iulii 1645: « Tam Saeculares, quam Regulares etiam exemptos ad funera mortuorum vocatos, in Ecclesiam . . . . ad quam funus defertur, convenire debere et nullo modo permittendum, quod expectent per vias vel adeant domum defuncti, consuetudine etiam immemorabili non obstante »: et in Nicien. 9 Augusti 1670: « Regulares vocatos ad associandum, nullo modo expectare debere per vias, aut in domo defuncti etc. ».

Ad Dubium V. Quum Tridenti mos sit, quod cadavera Canonicorum, etsi eorum domicilium sit sub aliena Paroecia, deferantur pro exequiis persolvendis ad Cathedralem: huius Parochus ille est, qui funus levare debet; et quum dignior sit, utpote qui Capitulum, in quo residet habitualis cura, repraesentet: decet, ut funebris Processio e Cathedrali egrediatur, proptereaque ad hanc omnes conveniant. Nam si ex consuetudine Parochus domicilii cum suo Clero ad Cathedralem accedere debet, ibique excipere Chorum, etiamsi defunctus ad aliam Paroeciam pertineat et alibi sit tumulandus, ut declaratum est supra in secundo; multo magis idem ordo servandus erit, dum Canonicus defunctus efferendus est ad Cathedralem, quae, attenta qualitate personae ibi exponendae et tumulandae, potius eius Paroecia censenda est, quam altera domicilii.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2625. MELPHITANA. (4595)

Ad Dubium I. En praesentis disputationis occasio. Ut certa aliqua, neque imposterum varianda methodus servaretur in Ec-

clesiis Regni Neapolitani citra Pharum *adscriptitiis* nuncupatis, quia iisdem, praeter Canonicos, alii inferiores adiiciebantur Sacri Ministri, sine ulla tamen canonica institutione, qui nulla fruebantur Praebenda, sed pro ratione servitii praestiti quasdam de Mensa distributiones obtinebant: « Sanctissimus Dominus Noster Pius VII Pont. Max., petitionibus annuens Serenissimi utriusque Siciliae Regis Ferdinandi per literas in forma Brevis expeditas sub die 13 Augusti 1819 decrevit et mandavit, ut in posterum ad portiones suscipiendas in Ecclesiis receptitiis illi tantum admitterentur Sacerdotes et Clerici, qui a Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis aut Ordinariis Locorum pietate et doctrina commendatiores essent inventi »: iussit praeterea, ut de ipsis « examen instituatur coram Ordinariis ipsis, vel eorum Vicariis Generalibus et tribus saltem ex synodalibus Examinatoribus ».

Altera ex his *collectitiis* seu *receptitiis* Ecclesiis erat Cathedralis Melphitensis, in qua, praeter sex Dignitates et octo supra decem Canonicos, alii triginta sex inferioris gradus Participantes, ad Canonicorum placitum adsciti, suum Ecclesiae praestabant servitium. Hi tamen, abolita antiqua electionis forma, iuxta superius latam a Supremo Pastore legem modo eliguntur et instituuntur. Et quamquam omnium aequalis sit conditio, non aeque singulorum paria sunt officia, cum duo Parochi sint, quatuor Cantores, et ex reliquis octodecim seniores, duodecim iuniores dicantur. Non ita multo post indultam novam electionis et institutionis formam, Episcopo efflagitante, Melphitenses Portionarii honorifica obtinuerunt Insignia et praeter ea quae omnibus et singulis communia sunt, ut aliis nobilioribus Parochi, Cantores, Seniores distinguerentur, iisdem Apostolicis Literis indultum fuit. Factum hinc est, ut praefati Portionarii suae conditionis obliti, sese ambitiose elevantes, ac si Canonici essent, ea obsequia et servitia exhibere et praestare renuerent, ad quae fuerant aut sunt ex more et institutione assumpti. Haec causa dissidii inter ipsos et Canonicos. Ne ulterius gliscerent mala et quae inde exortae quaestiones ut componerentur, sex proposita fuerunt S. R. C. Dubia, quibus, post exquisitum examen, respondens ad singula sancivit: Portionarios Melphitenses, etsi auctos nobilioribus Insigniis, adhuc tamen ad obsequia, officia et servitia teneri quae secundi ordinis Cathedralium Clericis conveniunt, iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum et eiusdem S. C. Decreta.

Etenim extrinsecae decorationis Insignia non ipsos donant nova nobiliori qualitate, sed in eodem gradu relinquunt, in quo reperiebantur, priusquam illa obtinerent. Quamobrem vel *Portionarii* vel *Beneficiati* vel *Mansionarii* dicantur, aut quacumque alia distinguantur appellatione; nullo tamen pacto Canonicis poterunt assimilari et in Literis Apostolicis non ullum occurrit verbum, quo ad sublimiorem gradum evecti, gratia Pontificis, censeri possint, sed in eodem, quem prius tenebant, adhuc consistunt. Et revera tam certum est, quod Rochettum, Mozzettam, Cappam gestandi privilegium nullam denotat superioritatem et praeeminentiam; ut huiusmodi, et, si etiam vis, nobiliora alia ornamenta alicui Collegiatae concessa, non illi potestatem faciunt incedendi et sedendi in Synodo supra alias Collegiatas Civitatis et Dioecesis antiquiores, sed iisdem destitutas Insigniis vel longe inferioribus donatas, veluti docet et probat Benedictus XIV de Synodo Dioecesana lib. 3, cap. 10, num. 7; ubi decisum inquit: « Eiusmodi honoris Insignia nullam denotare praeeminentiam, neque alterius iuribus praeiudicium ullum inferre »: quamobrem ad Ursaiam se refert, qui part. 1, discept. 7, in fin. asserit procul dubio definitum fuisse: « praecedentiam competere Collegiatae (non Insigniis nobilioribus ditatae, sed) quae esset antiquior ».

Ex his plane intelligitur Portionarios Melphitenses, qui certe nec Canonici sunt neque ulla ratione Canonicis aequiparandi, teneri ad praestanda ea obsequia, quae ab omnibus de Clero transeuntibus ante Altare, aut ante Episcopum praestari debent, exceptis dumtaxat Canonicis Cathedralis, qui caput tantum et humeros profunde inclinant, veluti iubet Caeremoniale Episcoporum lib. 1, cap. 18, num. 3, ibi: « Quoties ipsi Canonici transeunt ante Altare vel ante Episcopum, caput et humeros profunde inclinant; Beneficiati autem et caeteri de Clero genuflectere debent transeundo tam ante Altare, quam ante Episcopum ». Idem dicito de genuflexione ad Confessionem cum Psalmo in Missa Solemni ex Rubricae Missalis praescripto part. 1, tit. 17, num 5. Innumera afferre possem S. C. Decreta, quae idipsum districte iubent. Aliqua indicare sat erit. In Tornacen. die 7 Decembris 1830 declaratum fuit: « Praeter Dignitates et Ca-

nonicos Cathedralis, reliquos omnes teneri ad benedictionem Episcopi genuflectere »; in una Arichipae 13 Martii 1700: « Dignitates et Canonici stent et caeteri genuflectant ». In Seguntina 28 Aprilis 1703: « Teneri genuflectere Portionarios cum osculo manus in recipiendo candelas et cineres ». In Asten. 15 Maii 1745 : « Beneficiatos, etiam pluvialibus indutos aliisque sacris paramentis, teneri genuflectere iuxta formam praescriptam in Caeremoniali Episcoporum ». Novissime vero in Neapolitana sub die 22 Decembris 1753 S. C. edixit : « Beneficiatos hebdomadarios nuncupatos teneri servare omnia et singula, quae praescribuntur Beneficiatis a Caeremoniali Episcoporum ; idcirco teneri recipere candelas, palmas et cineres genuflexos ». Instaurato iudicio sub die 7 Septembris 1754 nedum stetit in decisis, verbum etiam addidit : « Ad Emum Archiepiscopum, qui incumbat exequutioni Decretorum S. C. utendo iuris et facti remediis ».

Si qui autem sunt Beneficiati alios omnes longe praestantes, certe illi sunt, qui Patriarchalibus Urbis adscribuntur, et secundi ordinis ac subsellii Clerum constituunt : tantae nobilitatis eorumdem Collegia censentur, ut Abbatibus et Canonicis Cathedralium aequiparentur: nihilominus, etsi Cappa Magna insigniti, obsequium genuflexionis praestare tenentur, si excipias illos Basilicae Vaticanae in unico dumtaxat casu, *quo parati simul eodem ordine et gradu cum Canonico parato incedunt et ministrant:* praeter hunc casum tam parati, quam non parati, semper transeuntes ante Altare genuflectere debent. Cum autem Liberianae Basilicae Beneficiati a genuflexionis obsequio se eximere vellent, aut exemptos putarent; delata quaestione ad S. R. C., haec sub die 2 Decembris 1684 declaravit : « Teneri Beneficiatos ad genuflectendum, celebrante Episcopo vel Canonico, tam paratos, quam non paratos ». Idipsum servandum esse in altera Lateranensi, et etiam clarius, fuit expressum in Congregatione diei 18 Iunii 1689. En verba Decreti : « Praefatos Beneficiatos, Cappellanos Clericosque Beneficiatos non solum in praenarratis supra casibus, verum etiam in quibuscumque Missis solemnibus ad Confessionem cum suo Psalmo teneri ad genuflectendum . . . quacumque consuetudine etiam immemorabili, quae allegari possit, non obstante, quam abusum et corruptelam S. C. declarat ; cum consuetudines contra Rubricas Missalis sint sublatae per Decretum eiusdem S. C. a fel. record. Urbano VIII confirmatum et in principio Missalis Romani appositum ». Numquid Portionarii Melphitenses sublimioris sunt gradus, ut possint et debeant caput et humeros tantum inclinare ad instar Canonicorum Cathedralium ?

Atque heic loci alia se offert quaestio, num necne Collegiatarum insignium Canonici, aeque ac illi Cathedralium, ab genuflexionis obsequio sint exempti ? Dixi supra et iure dixi, solos Canonicos Cathedralis non teneri ad genuflexionem transeuntes ante Altare vel ante Episcopum ; nam de his unice loquitur Caeremoniale Episcoporum. Quoad Canonicos Collegiatarum, pacifica res non est ; quamquam, si attendi velint simulque conferantur S. C. Responsa, plane apparebit ipsam *pro negativa* stetisse et non obscure demonstrasse a consuetudine potius, quam a iure, rationem decidendi esse petendam. Utique in Fundana sub die 16 Iunii 1674 respondit : « Canonicos Collegiatae debere se tantum profunde inclinare ». Novissime vero in causa vertente inter Episcopum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Pauli Civitatis Vallettae in Milevitana rogata: Num praefati Canonici, quoties transierint ante Episcopum, debeant eidem Episcopo genuflectere vel tantum humeros et caput profunde inclinare? sub die 21 Ianuarii 1741 respondit : « Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam ». Et pluries instaurato experimento, stetit *in decisis,* ut patet ex Decretis. Ita etiam decretum fuit in una Montis Alti sub die 26 Martii 1657 ; et in Papien. ad quaesitum : « An Praepositi Curati, qui simul sunt Dignitates et Capita Collegiatarum, tenerentur genuflectere Episcopo, an caput dumtaxat inclinare ? » sub die 23 Februarii 1804 S. C. respondit : « Secundum ea, quae proponuntur in casu, teneri genuflectere ». Et reproposita causa die 24 Martii, *stetit in decisis.* Numquid autem in adversa abiisse S. C. censenda est ? Haudquaquam. Eadem namque modum ministrat componendi Decreta, quae specie tenus pugnantia videntur. Etenim in Neritonen. ad Dubium : « An Canonici Collegiatae teneantur genuflectere Episcopo, ad distinctionem Canonicorum Cathedralis, qui sola inclinatione illum regulariter salutant? » sub die 11 Iunii 1793 respondit : « Canonici Collegiatae, seclusa consuetudine in contrarium, ut personae graduatae et in quasi dignitate, non genuflectunt, sed caput et humeros peofunde inclinant Episcopo et Al-

tari ». Cur autem affirmativo responso limitationem aut conditionem adiecit: « seclusa consuetudine in contrarium »? Quia a possessione turbandi illi non erant, quibus consuetudo favebat, sed non aeque ad illos trahenda ea honoris distinctio, qui genuflectere consueverant, vel ad Canonicos Collegiatae de novo erectae, quae certe consuetudinem afferre nequibat. Id plane consequitur ex supra relatis Decretis in Milevitana; quippe Capitulum Collegiatae S. Pauli Vallettae recentissimae erat erectionis. Verbo dicam, ex Congregationis responsis, quae pugnantia videntur, sed pugnantia non sunt, qualis sit eiusdem mens et sensus plane colligitur; videlicet, quod soli Canonici Cathedralium a genuflexionis obsequio iure sunt exempti: non item Collegiatarum, nisi ex consuetudine vel privilegio. Potiori igitur iure concludendum, quod Portionarii Melphitensis Ecclesiae teneantur ad genuflectendum Altari et Episcopo, item ad Confessionem cum Psalmo et ad Benedictionem in fine Missae conventualis, vel Sacrum fiat pontificaliter ab Episcopo vel a Canonico vel ab altero ex iisdem Participantibus Missa conventualis celebretur.

Ad Dubium IV. Si Portionarii longe inferioris sunt ordinis, nec ullo modo cum Canonicis confundendi, debent omnino Caeremonialis Episcoporum legibus, quae discrimen ponunt, obtemperare. Clara autem est eiusdem dispositio relate ad benedictionem et distributionem candelarum, cinerum, palmarum; ita cap. 17, num. 3: « Beneficiati vero seu Mansionarii et Clerici, et ceteri omnes similiter bini accedant et genuflexi candelas accipiant, illas ac etiam manus Celebrantis deosculantes »; cap. 18, num. 13: « Praelati et Canonici parati capiunt cineres inclinati, reliqui vero tam Clerici, quam laici genuflexi »; et cap. 21, num. 6: « tunc incipit palmas distribuere Canonicis, et aliis eodem ordine, prout de candelis dictum fuit ». Cur autem, dum clara res est, Melphitenses Portionarii renuebant genuflectere in recipiendo candelas, cineres et palmas, ac Celebrantis manus osculari? Longe nobiliores censendi sunt Hebdomadarii Metropolitanae Neapolis, utpote qui priusquam a S. Pio V eiusdem Clero unirentur, in propriis Ecclesiis S. Salvatoris Stephaniae et S. Restitutae sacra peragentes Officia, aut Canonici nuncupati fuerant, aut Canonicorum iura sibi tribuerant. Nihilominus exortis Dubiis: « An dicti Hebdomadarii in die Purificationis et in Dominica Palmarum tenerentur candelas et palmas respective a Canonico Celebrante accipere genuflexi, atque ipsius manus deosculantes, sive potius stantes et inclinati tantum sine manus deosculatione? et an in die cinerum tenerentur recipere cineres genuflexi, seu potius stantes et inclinati? » S. Congr. sub die 22 Decembris 1753 respondit: « Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam »; et reproposita causa die 7 Septembris 1754, nedum *stetit in decisis*, rerum etiam addidit: « ad Emum Archiepiscopum, qui incumbat exequutioni Decretorum Sacr. Congregationis, utendo iuris et facti remediis ». Sed in re tam clara non est ulterius immorandum.

Ad Dubium V. Cum ex supra notatis plane sequatur, per extrinseca honoris Insignia Portionariorum qualitatem non fuisse immutatam, neque eosdem ab iis solutos oneribus, quibus tenebantur, priusquam iisdem Insigniis decorarentur; iam patet adhuc Acolythorum ipsos debere fungi officiis, ceteraque tam in Missa, quam in aliis choralibus functionibus, praestare munia, quae Beneficiatis, Mansionariis, Portionariis aut alio quocumque nomine nuncupatis, secundi subsellii Clericis incumbunt. Praeter Caeremonialis dispositionem, ad rem facit S. C. Responsum in quaestione acta inter Canonicos Metropolitanae Neapolis, et Hebdomadarios; nam inter alia Dubia primum erat: « An asserti Beneficiati sive Hebdomadarii nuncupati Ecclesiae Metropolitanae Neapolis in functionibus Ecclesiasticis teneantur ad omnia et singula, quae praescribuntur Beneficiatis Ecclesiarum Cathedralium a Caeremoniali Episcoporum, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis? » S. Congreg. respondit: « Affirmative ». Neque omittendum hic est, quod praefati Hebdomadarii indultu gaudent gestandi Rochettum cum manicis ad instar Canonicorum, ut colligitur ex S. C. Decreto in Neapolitana *Delationis Cottae* die 21 Martii 1705. Numquid autem Portionarii Melphitenses novis decorati Insigniis praestant Hebdomadarios Metropolitanae Neapolis? Utique adimplere debent Acolythorum officia, et dum his incumbunt, superpelliceum dumtaxat assumere et deponere Rochettum, Cappam vel Mozzettam, veluti S. C. sancivit. Responsiones autem, quae hisce Dubiis datae sunt, haberi perinde debent ac si essent generalia Decreta in similibus casibus, qui forte in aliis Regni Neapolitani Cleris citra Pharum occurrere

possunt, omnino servanda, utpote quae conformia sunt iuris dispositioni.

Ad Dubium VI. Consuetudinibus, quae vere sint laudabiles et rationabiles, derogatum non fuisse per Caeremoniale Episcoporum S. R. C. declaravit pluribus Decretis, praesertim vero illis, quae in nostra Collectione leguntur. Ideo, etsi lib. 2, cap. 33 eiusdem Caeremonialis regula tradatur, quae iubet, ut in solemni Processione SSmi Corporis Christi Canonici parati incedant sacris indumentis albis, et servata Ordinum distinctione, quemadmodum solent parari, Episcopo solemniter celebrante: non est tamen haec lex ex illis quae praescriptionem non admittunt et quamlibet respuunt consuetudinem etiam immemorabilem. Non enim Dignitatibus atque Canonicis ita sacra Indumenta conveniunt, ut nequeant alicubi vel ex consuetudine, vel ex peculiari statuto, vel ex privilegio, ab aliis inferioris gradus, sed Ecclesiae servitio addictis, assumi. Ideo consuetudo, quae obtinuit in Ecclesia Cathedrali Melphitensi, ut in eadem Processione parati incedant etiam Portionarii, retinenda est; utpote quae non minuit, sed auget Divinum Cultum, sacrae illi actioni decus addit et ornamentum. Verumtamen debitus servandus est modus tam quoad ordinem incedendi, quam quoad extrinsecam decorationem. Siquidem Portionarii confundi non debent cum Canonicis, nec ab antiquo more recedere, etsi modo eorumdem coetus nobiliora Insignia Apostolica auctoritate obtinuerit. Quae supra notata sunt plane evincunt per eadem nobiliora Insignia eorumdem qualitatem non fuisse immutatam, sed adhuc secundi ordinis Clerum eosdem constituere, idemque Ecclesiae praestare debere servitium ac eadem obsequia, quae consueverant, antequam nobilioribus decorarentur Insigniis. Atqui cum usque adhuc in illa solemni Supplicatione Casulam gestarunt supra Albam, quam Camicem dicunt; haud licet nunc antiquum deserere morem, et Albae substituere Rochettum: quod indumenti genus ex novo privilegio deferendum ab ipsis dumtaxat est sub Cappa seu Mozzetta. Portionarii quippe distinguendi sunt a Canonicis, quibus datum est sacra Indumenta vel in Processione SSmi Corporis Christi, vel in assistentiis Episcopo pontificaliter celebranti, Rochetto superimponere. Iure igitur a S. C. responsum fuit: *Negative;* videlicet, quod, licet Portionarii in solemni Processione SSmi Corporis Christi servare possint consuetudinem incedendi cum Casula; debent tamen subtus Albam adhibere, non autem Rochettum, ut a Canonicis distinguantur.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2626. NOLANA. (4596)

En alter ex illis casibus a Sacra Congregatione praevisis, quibus aptari nequit regula generalis de transferendis Festis Patronorum principalium ad proximam Dominicam, in Civitatibus, Oppidis, Locis utriusque Siciliae Regni, quibus per Apostolicas Literas in forma Brevis expeditas sub die 10 Aprilis 1818 indulta fuit reductio Festorum: quamobrem eadem S. C. in Neapolitana 18 Octob. eiusdem anni, datae responsioni ad Dubium 6 addidit: « Si Dubia occurrant, habebitur ratio in casibus particularibus ». Cum igitur S. Franciscus Xaverius novissime datus sit in principem Patronum Oppidi a S. Anastasia nuncupati in Dioecesi Nolana, iuxta formam praefatae regulae reponendum foret eiusdem Festum, tamquam si esset sedes propria, in proximam Dominicam; sed fieri hoc nequit: nam vel dies 3 Decemb. in quo praefati Sancti memoria recolitur, occurrit in Dominica prima Adventus, et haec omnia excludit duplicia cuiuscumque classis; vel infra hebdomadam primam Adventus, nec poterit reponi in ullam ex sequentibus, quia omnes sunt impeditae usque ad anni finem. Et quamquam Dominicae II, III, et IV Adventus sint ritus duplicis secundae classis, ac proinde locum cedant Festis primae classis accidentaliter occurrentibus; nequeunt tamen ullum ex his duplicibus admittere tamquam in sedem propriam, veluti accideret, si Festum S. Francisci Xaverii, ubi est principalis Patronus, perpetuo celebrandum foret in Dominica secunda Adventus. Quomodo igitur providendum? Per anticipationem recolenda erit S. Francisci Xaverii memoria, cum Officio et Missa in ultima Dominica post Pentecosten, ut S. C. sancivit. Neque novum id est; nam in casibus parum a praesenti diversis, simili modo a s. m. Pio VI et a S. R. Congregatione provisum fuit pro locis ditioni potentissimo Borussiae Regi subiectis, quorum favore indulta fuit fere omnium Festorum translatio in proximam sequentem Dominicam. (Videri possunt, quae adnotavimus ad praefatum Dubium 6). Quo-

niam vero per alterum Breve datum 16 Octobris eiusdem anni potestas facta fuit locorum Ordinariis sub quibusdam conditionibus, ut indulgeant, ne Festum Patroni principalis a propria sede amoveatur; ideo Sacra Congregatio sub Rescripto addidit exceptionem, videlicet, nisi Ordinarius permittat ut Festum S. Francisci Xaverii propriam sedem retineat, Quid autem faciendum, si in hoc casu dies 3 eidem assignata incidat in Dominicam primam Adventus? Facilis est solutio. Cum enim huiusmodi occursus accidentalis sit, et non perpetuus, servari poterit in eadem Dominica extrinseca solemnitas; Officium vero cum Missa transferri in diem primam non impeditam iuxta Rubricas. Ita responsum fuit in Gnesnen, quoad Festum S. Catharinae, quod transferri nequibat in proximam Dominicam, dum occurrebat prima Adventus. Nam, cum huiusmodi occursus non perpetuus, sed accidentalis esset, S. C. adhaesit Voto Magistri Caeremoniarum, qui insinuaverat non omittendam extrinsecam solemnitatem in Dominica privilegiata, translato Officio iuxta Rubricas. (Vide adnotationem nostram supra laudatam). Atque ita intelligenda est postrema pars Rescripti Sacrae Congregationis.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2627. RAVENNATEN. (4597)

De ordine servando in associatione Episcopi ad Ecclesiam profecturi, ut Sacra solemniter peragat, vel iisdem assistat, agens Caeremoniale Episcoporum lib. 1, cap. 15, num. 2, praeire iubet familiares Episcopi, Magistratum ac Viros illustres; Canonicos vero suae Cathedralis Eum sequi. Haec est regula generalis, quae tamen magis urget, si agatur de Archiepiscopo; nam, ut Caeremoniale loco citato prosequitur: « Si fuerit Archiepiscopus, aut alius utens Cruce, ipsa Crux immediate ante Archiepiscopum per aliquem Cappellanum deferatur, Imagine Crucifixi ad Archiepiscopum conversa, inter quam et Archiepiscopum nullus omnino incedat; est enim insigne ipsius ». Ergo familiares Episcopi, Magistratus, illustres Viri ante Crucem incedere debebunt: Canonicos vero anteire non licet. Et quamquam quis crederet tolerari id posse, si Episcopus sit associandus; attamen nequit, si Ecclesia Metropolitana sit et Archiepiscopatus honore gaudeat, vel Praesul deferendi ante se Crucem Apostolico privilegio fruatur, quia nedum habenda ratio est regulae generalis, verum etiam, et multo magis, peculiaris, quia Crux immediate ante Archiepiscopum vel Episcopum eodem privilegio decoratum, nemine intercedente, deferenda est. Ab hac autem Caeremonialis dispositione fas non est recedere, etiamsi contraria invaluisset consuetudo. Si haec alicubi obtinuerit, improbanda est, utpote contraria Pontificii iuris dispositioni: ideoque tradita regula Caeremonialis ad observantiam revocanda. Nam illae dumtaxat reservantur consuetudines, quae vere laudabiles et rationabiles sunt, nec aperte repugnant regulis in eodem Caeremoniali praeceptive praescriptis. Talis non erat, quae Ravennae vigebat, ubi Canonici non sequebantur Archiepiscopum, sed incedere consueverant ante ipsum post Crucem, contra expressam Caeremonialis legem, quae omnino vult, ne inter Crucem et Archiepiscopum ullus intersit. Quae regula limitationem solummodo patitur, dum Archiepiscopus Sacris amictus incedit; tunc enim Canonici parati ad modum processionis immediate antecedunt. En dispositio Caeremonialis lib. 2, cap. 8, num. 27: « Si vero celebrans fuerit Archiepiscopus, aut Archiepiscopo maior, aut habens privilegium, ut Crux ante se deferatur Archiepiscopalis, per Subdiaconum paratum defertur ante Canonicos paratos tantum, non autem ante alios de clero ». Spartam hanc praeclare illustravit in suo elucubratissimo voto cl. vir Ioannes Canonicus Fornici Congregationis Caeremonialis a Secretis; nec mei instituti ratio patitur, ut plura hic addam. Haec adnotasse sufficiat, et quisque intelligat iure Sacr. Congreg. respondisse proposito Dubio: « Servandum omnino esse Caeremoniale Episcoporum ».

SUFFRAGIA SUPER DECRETO

2630. CARPEN. (4601)

VOTUM PRIUS

Ad propositum dubium respondendum censeo: *Negative*. Ratio responsionis est, quia bis eadem die Sacrificium Missae offerre non licet, nisi in quibusdam casibus exceptis, quorum in proposito dubio nulla prorsus fit mentio: id patet ex Innocentii III. Decretali cap. *Consuluisti* 3 et cap. *Te referente* 12, de Celebrat. Missar., et ex Benedicto XIV *de Synodo Dioecesana* l. 6, c. 8, n. 2, et ex eiusdem Constitut. *Declarasti* 16 Martii 1746. Iam qui coeptum ab alio

Sacrificium continuat, illud ita perficere censetur, tamquam a se inchoatum fuisset. Cum enim sumptio consecratorum in Sacrificio ex natura Sacrificii ad ipsius integritatem pertineat, ita simul coalescere censetur, a duobus etiam diversis in eodem Sacrificio posita, ut et qui inchoavit et qui perfecit, unum agens morale, seu unus tamquam moraliter sacrificans existimetur; et simul una fecisse et Sacrificium perfecisse creduntur et ex communi Doctorum sententia dicuntur. Hoc confirmatur etiam ex eo, quod, siquis prae debilitate continuare ac perficere Sacrum non possit, debet tamen simul cum alio continuante Sacrificium sumere ex consecratis a se, si id fieri possit; et hoc propterea, quia duo in eodem perficiendo Sacro moraliter unus sacrificans censentur. Est communis Moralistarum.

Praeterea hoc ex eo etiam patet, quod si deficiente illo, qui coepit Sacrificium, continuari illud ab alio non possit, nisi post longam moram, v. g. post duas horas, consecrata iubentur reponi in ciborio, consumenda postridie, aut a proxime faciente. Propterea autem tum continuari nequit, quia ob longam interruptionem, nec Sacrificium unum, nec ab uno moraliter perfectum censeri poterit. Ita Tournely de Sacrif. Missae cum aliis.

Ex huiusmodi praemissis colligi posse videtur, quod sicut non liceret illi iterum eodem die Sacrum facere, qui post consecrationem defecit viribus, et dum alter Sacerdos perfecit pro illo, ipse ad vires rediit; ita nec illi putandum sit licitum Missam dicere, qui ab alio inchoatum Sacrificium perficiendo, consecrata consumpserat.

Accedit eodem, quod qui consecrata ab alio Sacerdote consumit, ut Sacrificium absolvat, si postea alia a se consecrata in altero Sacro consumat, bis communicat et particeps fit duorum Sacrificiorum ab se invicem distinctorum. Id vero non licere nisi in quibusdam casibus, quorum nullus in praesenti Dubio occurrit, patet etiam ex ipsa praxi.

Quapropter ad quaesitum censeo respondendum esse: *Negative,* salvo tamen meliori sapientioris Consultoris iudicio, cui meam hanc qualemcumque sententiam aut confirmandam, aut, si visum fuerit, reformandam, permitto etc.

P. Michael Dominicus Zecchinelli S. I.
Sac. Rit. Congreg. Consultor.

VOTUM ALTERUM

Cum super proposito Dubio numeris sit omnibus absoluta sapientissimi Patris Consultoris Zecchinelli negativa responsio, nihil, quod illi addam superest mihi, eique firmiter adhaereo.

Possem heic consistere; quod quidem ad impositum mihi onus foret certe satis. Ast videri nolo, a meditatione et labore abstinens, nullum consuluisse de hisce rebus Scriptorem. Iustis enim curis non peperci, et Angelicum Doctorem perlegi, et Benedictum XIV, nedum de Sacrificio Missae, sed et in Constitutione *Declarasti,* et in altera *Quod expensis*, et Franciscum Silvium et Vasquesium, et Bibliothecam Ferraris, et Natalem Alexandrum, et Berti, et Tournely, et Habert, et Ioannem Baptistam Scortia de Sacrificio Missae, et Iuvenin in Commentario historico de Sacramentis.

Quae interim in eorumdem lectione reperi, duo sunt. Primum scilicet, quod nullus ex ipsis casum effingit directe et expresse eumdem cum isto, qui hodie Sacrorum Rituum Congregationi exponitur; et quidem etiam dum materiae connexio illum videtur prorsus efflagitare. Alterum est, quod in omnibus laudatis Auctoribus, et consequenter in aliis pluribus, quos ipsimet Auctores citant, analoga reperi constanter fundamenta, ex quibus certa surgit ad hodiernum propositum casum negativa responsio.

Ex recensito autem circa hunc praecise casum Scriptorum silentio, quid erit arguendum? Non equidem (nisi caecutiam) concludendum videtur talem esse illum, ut a nullo meruerit proponi et ad discussionem revocari, cum solida et nota sint principia, ex quibus expedita surgit negatio. Unde iure illustrissimus et Reverendissimus Sacr. Rit. Congregationis Secretarius scribit: « Essendo proposto nella ultima Congregazione Ordinaria de' Sacri Riti il Dubio descritto nell'inserto foglio, piacque agli Eminentissimi Signori Cardinali ordinare, che, quantunque la cosa fosse abbastanza chiara *(nempe pro responsione negativa),* pure per una maggior cautela, si esplorasse il voto di due Consultori Teologi ».

Utinam nobis fuissent aliquo saltem modo indicatae rationes, quae hinc inde a duobus illis inter se dissentientibus Sacerdotibus adducebantur, ut sic innotesceret, quaenam

sibi favorabilis visa sit Cappellano, qui, postquam Sacrificium complevit inchoatum et ultra specierum consecrationem productum ab alio Sacerdote per mortem impedito, ne ipsemet perficeret, putavit se exinde eadem die posse legitime celebrare Missam, servato, ut fecit, ieiunio. Ast quia forsan in huiusmodi dubiorum propositione non habetur in praxi rationum indicatio, quid divinandum tentabimus?

Certissimum est nulli Sacerdoti licere duas celebrare eadem die Missas, praeter quam in die Nativitatis D. N. I. C. (vel in alia aliqua die iuxta expressa privilegia). Videantur Constitutiones Benedicti XIV *Declarasti* et *Quoad expensis,* ubi etiam discutitur quonam in casu extraordinario secundam liceat celebrare Missam. Certissimum similiter est nulli licere ad duas accedere in eadem die Ecclesiasticas Communiones.

Cur autem haec responsio de vetito duplici in una die Sacrificio producitur Cappellano (quae quidem etiam idiotissimis nota est) tentandum est ut inveniamus. Neque enim supponendum est Cappellanum ignorare quod vetita sint in eadem die regulariter et communiter loquendo, duo Sacrificia. Investigandum igitur quid, his non obstantibus, cogitaverit ipse, ut suam tueretur sententiam. Forsan dicet me in falso esse supposito duarum Missarum; cum actio illa antecedens, in qua defuncti Sacerdotis vices supplevit, dicenda non sit appellandaque Missa, cuius ipse fuerit celebrans, ita ut exinde a Sacrificio eadem die sit arcendus.

Si hoc Cappellanus dicat, utique errat. Non heic ego ad assumpti probationem sententia utar Bonacinae, aliorumque paucorum (vide Bibliothecam Ferraris in vocabulo *Sacrificium*) asserentium, quod partes essentiales Sacrificii Missae sint *consecratio, oblatio et sumptio;* dabo Sacrificii Missae essentiam consistere in Consecratione; atque hanc ësse fatebor communiorem et veriorem Doctorum sententiam. At certum quoque communissime et universaliter est consecratarum specierum *sumptionem* ad *integritatem Sacrificii* pertinere; atque habitu huius integritatis ratione, aliquo modo ad Sacrificii pertinere essentiam: « necesse est quod Sacerdos comedat » ait Angelicus Doctor 2-2, quaest. 45, art. 3, ad 3 obiect. Consulatur idem Angelicus tertia part.; quaest. 93, art. 6, ad primam obiect., cui consonant communiter Theologi. Hinc scribit Natalis Alexander Theol. Dogm. et Moral. lib. 2, cap. 6: « pars altera propositionis (idest sumptionem pertinere, etsi non ad essentiam, ad integritatem Sacrificii) ex eo probatur, quod Christi Corpus et Sanguis per consecrationem exhibeantur et sistantur sub specie cibi et potus; ideoque ad manducationem et bibitionem ordinantur. Quamobrem Communio Sacerdotis sub utraque specie pertinet ad perfectionem et integritatem Sacrificii iure Divino ». Habert in tractat. de Eucharistia allegat praeceptum Divinum et Ecclesiae traditionem.

Illud autem, quod exinde ad rem praesentem concludo, hoc est: Sacerdos, de quo in casu, dum consecratas species sumendo caeteraque explendo supplet vices alterius post consecrationem demortui, ex hoc ipso pertinet ad illud idem sacrificium, ad quod pertinuit defunctus Sacerdos, qui consecraverat. Videatur Angelicus tertia part., quaest. 83, art. 6, ad primum, ubi aurea citantur verba Concilii Toletani decret. 7, quaest. 1, cap. *Nihil,* ad rem identice nostram: « Cum enim omnes simus unum in Christo, nihil contrarium diversitas personarum format, ubi efficaciam prosperitatis unitas Fidei repraesentat etc. ». Actio enim Sacrificii Missae una est, atque ex praecepto tam Divino, quam Ecclesiastico debet esse integra. Ecclesia, quae naturale ieiunium strictissime praecipit pro extrinseca dispositione ad S. Communionem, ad hoc devenit, ut praeciperet, quod nisi alius, qui sit ieiunus, adsit, a Sacerdote etiam non ieiuno (in casu) perficiatur Sacrificium. Adeo ipsi cordi est, ut Sacrificium integre compleatur. Hoc concinunt universaliter Theologi. Opportune autem notetur cum ipsis, non adeo in providendo supplemento cunctandum esse, ut rationabiliter censeatur abruptam fuisse unius illius Sacrificii continuationem. Integra autem non est nisi consecratae in ea species a Sacerdote sumantur. Sacerdos ergo supplens in casu praesenti Sacrificium per integritatem perficit; *unam* illam Sacrificii actionem explet; et proprio sibi modo, *unus* fit cum eo Sacerdote, qui post consecrationem mortuus est.

Ast quomodo (dicet) quomodo fit unus? Respondeo, unitate nempe morali. En pro explicatione analogum exemplum: « Sacerdotes, ait Angelicus tert. part., quaest. 82, artic. 2, in corp., cum de novo ordinantur, concelebrant Episcopo Ordinanti . . . Sacerdos cum ordinatur, constituitur in gradu eo-

rum, qui a Domino acceperunt potestatem consecrandi in Coena, nec propter hoc iteratur consecratio super eamdem Hostiam; quia sicut Innocentius III dicit (lib. 4, De Myst. Missae cap. 25 in medio) omnium intentio debet ferri ad idem instans consecrationis ». En igitur analogum moralis unitatis exemplum clarissimum, cuius quidem ad praesentem casum applicatio clarissima pariter est ex dictis. Ita duo illi (in casu) Sacerdotes, quorum unus ex necessitate cessat, et alter actionem perficit, feruntur et diriguntur ad *unitatem* Sacrificii *integre* explendi, ut sit perfectum Sacrificium; et sic, relate ad huiusmodi *unitatem* actionis eiusque *integritatem*, de duobus fit unus.

Huiusmodi *unitatis* de causa fit ut novelli Sacerdotes cum Episcopo tunc concelebrantes debeant ibidem Sacram Communionem recipere cum materia in eo Sacrificio consecrata, et non aliter; quia sicuti omnes ii fuerunt cum Episcopi concelebrantes, eiusdemque materiae in illo Sacrificio consecratores in unum, ita de eodem Eucharistico cibo et potu debent omnes participare, ut sic ipsi in unum perficiant Sacrificium quod unum est. Observanda interim sunt extrema Sancti Thomae illa ibidem verba: « oportet ritum Ecclesiae servare ». Quid dicendum igitur, dum non solum ex ritu, et praecepto Ecclesiae, sed ex praecepto insuper et Institutione Divina integrum debet esse Sacrificium? Nonne tunc duo illi Sacerdotes dicendi erunt *moraliter unus?*

Opportune heic addam quae habentur in cap. *Relatum est*, Dist. 2, de Consecrat. quod ex Concilii Toletani duodecimi can. 5, desumptum est: « Relatum est nobis quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus Communionis sanctae gratiam sumere, quot Sacrificia in uno die videntur offerre; (tunc temporis lata non fuerat lex singulis Sacerdotibus de una tantum Missa in singulis diebus) sed si in uno die plurima per se offerant Sacrificia, in omnibus se oblationibus a Communione suspendunt, et in sola tantum extrema Sacrificii oblatione Communionis sanctae gratiam sumunt: quasi non sit toties illi vero et singulari Sacrificio participandum, quoties Corporis et Sanguinis D. N. I. C. immolatio facta constiterit. Nam ecce Apostolus dicit: Nonne qui edunt Hostias, participes sunt Altaris? Certum est quod hi qui sacrificantes (id est in Missa illa, quam actu celebrant) non edunt, rei sunt Dominici Sacramenti. Quicumque ergo Sacerdotum deinceps Divino Altari Sacrificium oblaturus accesserit, et se a Communione suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter privavit, gratia communionis, anno uno repulsum se noverit ». Post haec verba Natalis Alexander, a quo ea sumpsi, concludit ad rem suam: « Ergo modis omnibus est tenendum, ut, quotiescumque Sacrificans Corpus et Sanguinem D. N. I. C. in Altari immolat, toties perceptionis Corporis et Sanguinis Christi participem se praebeat ». Ergo (concludam ego ad rem meam) Sacrificii Missae perfectio integralis quae habetur per consecratae materiae sumptionem, clara undique resultat. Clara pariter resultat unitas sacrosanctae actionis in seipsa inspectae; et unitas proinde moralis duorum (ut in casu) Sacerdotum, quorum unus consecrat, et alter eadem consecrata sumit: et sic integrum perfectumque fit Sacrificium quod unum est. Cappellanus igitur noster, qui vices formaliter supplendo, sumpsit consecrata ab alio Sacerdote post illam consecrationem mortuo, caeteraque usque ad finem Missae complevit, vere et proprie illi participavit eidem Sacrificio, cui perfectionem dedit et integritatem, quae nedum de Ecclesiastico iure est, sed et insuper de Divino; et per hoc ecclesiasticae subiectus factus est legi, quae Sacerdoti plura in eadem die Missae Sacrificia vetat.

Adeo verum est Sacerdotem (ut in casu) supplentem consociari atque uniri illi eidem Sacrificio, ut sumere debeat et sumat utramque speciem, quam mortuus Sacerdos sumpsisset, et quam quilibet sumit Sacrificans, qui per se perficit Sacrificium. Insuper adeo hoc verum est, ut supplens Sacerdos vestibus sacris more Sacrificantium indutus suum debeat supplementum praecise inchoare ab eo prorsus Missae loco (seu Oratione etc.), ubi alter Sacerdos cessavit per mortem. Notum tandem est supplentem Sacerdotem, si unam ibi speciem repererit consecratam, statim consecrare debere et alteram, praecise incipiendo a ritu consecrationis Sanguinis.

Quod si Cappellanus interroget sic; ergo ne Sacerdos, qui post celebratam a se Missam debet (ut in meo casu) alterius vices supplere, duplici participabit Sacrificio? Et si affirmative respondeatur, cur non licebit et mihi? Respondeo: Utique ex dictis sequitur duplici illum Sacrificio participare. Ex vera enim necessitate, quae oritur ex

Divina institutione et Ecclesiae praecepto, ille (quamvis non amplius ieiunus), debet, post celebratam a se Missam, supplere vices alterius post peractam consecrationem deficientis, ut Sacrificium sit integrum; tibi autem e converso non licet, quia nulla pro te pugnat necessitas, licet ieiunium servasti.

Observatio illa, qua dicitur vetitam esse duplicem in eadem die Eucharisticam Communionem, verissima quidem est atque fundatissima, eaque firmiter contra Cappellanum nostrum militat, qui postquam supplevit etc., Missam exinde praesumit celebrare et consequenter bis sumere. At isthaec observatio nodum illius non solvit, dubiumque non avertit. Ipse siquidem nec ignorat, nec ignorare potest Ecclesiasticam prohibitionem *(generaliter)* super duplici Eucharistica Communione in eadem die, sicuti non ignorat vetitum *singulariter* esse duplex in eadem die Sacrificium. Attamen his non obstantibus in ea est sententia, ut putet licere sibi Sacrificium inchoare et perficere usque ad finem ritu consueto, quamvis antea sumpserit species ab alio Sacerdote consecratas. Ego vero interim (optime, ni fallor, iure) arbitror secundam Eucharisticam sumptionem non intendi ac praesumi a Cappellano seorsim (italice *isolatamente*) prout sumptio est, sed prout necessario sequitur Sacrificium, illique adnectitur, ut more rituque solito perficiatur; vult enim celebrare Missam. Unde per consequens, si bene illi vertat, praesumpta Missae celebratio inevitabilis et licita descendat iterata Eucharistiae Communio. Ad hanc itaque praesumptam Missae celebrationem tota reducitur difficultas, quae tamen ex superius dictis satis superque mihi videtur confutata.

Unum tamen remanet, non praetereundum, effugium. Posset siquidem Cappellanus vires resumere, sic dicendo: Duplex Sacrificium, ideoque duplex etiam Communio vetita, quidem est regulariter et ordinarie luquendo; at regula excipit extraordinarios aliquos casus, in quibus duplex permittitur Missae Sacrificium, ideoque duplex Eucharistica etiam Communio: atqui in necessaria et extraordinaria ego versor circumstantia, in qua debui vices mortui post peractam consecrationem Sacerdotis, supplere easque consecratas species sumere: Ergo etc.

Respondeo: Vanissimum est hoc effugium. Primo namque plures a variis Theologis referuntur casus, in quibus ipsi opinantur licitum in eadem die esse secundum Sacrificium. At nullus (quod huc usque sciam) ex consultis a me Scriptoribus meminit huius, qui hodie proponitur casus. Unde, hoc posito, arbitraria et effraenis foret Cappellani nostri pro se opinio, quae in sola eius mente fundamentum haberet. Secundo, inter plures, qui a variis Theologis proponuntur casus, in quibus licere putant iteratam in uno die Missam, referuntur ad summum duo vel etiam unus tantummodo, in quo affirmativa tenenda sit sententia (ita cordatiores Theologi, sed praesertim legantur Constitutiones Benedicti XIV *Declarasti* et *Quod expensis*); neque interim locum habet casus praesens. Heic vero notandum est Doctores et praecipue laudatum Benedictum XIV ea, qua pollebant sagacitate et praxi, quoscumque investigasse casus, ut formiter doceretur, qua praecise in circumstantia secundum liceret Sacrum facere; et tamen de hoc casu non loquuntur, qui ceteroquin fuisset obviissimus. Tertio, omnes omnino de hisce rebus Scriptores, immo Ecclesia hac super materia de illa loquitur necessitate, quae post primam supervenit Missam, et respicit idcirco secundam, ut (servatis servandis) valeat celebrari. At in praesenti themate hoc non verificatur, cum necessitas adfuerit in prima actione, idest in supplenda mortui Sacrificantis vice; et per consequens, cum illius ratione supplementi (sicut demonstratum est) ad prius Sacrificium ipse pertineat tamquam verus et proprius eius Sacerdos, iterum celebrare non potest, nisi aliqua adsit vera et probata necessitas Sacrum iterandi: quemadmodum cuicumque Sacerdoti, qui Missam antecedenter celebraverit, concedit Ecclesia. Cumque in praesenti casu nulla memoretur huius generis necessitas, ab iterando Sacrificio Cappellanus noster arcendus est.

Ito censeo. Satis autem superque ad rem hanc erat aureum Rm̃i Patris Consultoris Zecchinelli iudicium. Ita sentio, meamque interim (qualiscumque sit) hanc operam etc. Em̃is PP. emendandam si lubeat, delendamque subiicio.

Fr. Aloisius Ionni Ord. Eremit. S. August. Sac. Rit. Congreg. Consultor.

Adeo clara sunt ea rationum momenta in dissertissimis duorum Theologorum consultationibus allato, quibus plene est demonstratum non licuisse Sacerdoti Sacrificium

offerre, postquam sacras sumpserat species, perfecitque Missam ab altero usque ad Canonis partem post consecrationem productam, eoque repentina morte sublato, interceptam, ut quid illis superaddendum quaerere ad inutile, vanum, superfluum opus referri posse videatur. Detur tamen mihi venia, si quid ego etiam proferam quod, etiamsi ad quaestionem propositam strictam directamque relationem habere non videatur, nonnihil tamen offert analogiae, magisque confirmat potiora argumenta, quae ad scindendum nodum prolata sunt. Ex Ecclesiae instituto cuilibet Sacerdoti datum est in die Dominicae Nativitatis ter Sacrum facere: Theologi et sacrae Liturgiae cultores quaerunt: An liceat Sacerdoti communicare extra Sacrificium, sive per seipsum, sive omnino, more laico, per manus alterius Sacerdotis; et ita semel vel bis, ante vel postea, celebrare Missam? Et omnes unisona voce concludunt, *non licere:* quia non ad simpliciter communicandum ter in Natali Domini facultas a iure et consuetudine conceditur; sed solum conceditur hac die ter celebrare, ac per consequens ter intra Sacrificium ad illud videlicet consummandum, et nullo modo extra illud, communicare, si celebraverit, vel celebrare voluerit. Ita Quintanadvenas in Singul. tom. 1, tract. 4, de Euch., singul. 9; Cardinalis de Lugo, de Euchar. disp. 20, sec. 1, n. 43; Franc. de Lugo, de Sacram. lib. 4, de Euch. c. 9, qu. 5, n. 46; Diana, edit. coord. tom. 2, tr. 1. R. 96, § 3, et tom. 3, tract. 1, Reg. 54, § 11; Vasquez, qu. 80, art. 11, disp. 214, c. 3, in fine; Merat. tom. 1, part. 4, tit. 3, num. 15; Gobat apud La Croix, lib. 6, part. 1, de Sacrif. Miss., qu. 32, § 8, n. 242. Videri etiam potest Suarez, 3, in tertia part., disp. 69, sect. 4, § *Dices saltem.* Ideo Cardinalis in officio Diaconi ministrans Pontifici celebranti communicat in Missa; at si Sacerdos sit, neque ante, neque post, alias duas vel unam Missam celebrare debet. Idem dicendum de aliis Cardinalibus, qui licet Sacerdotes sint, quia tamen in Diaconorum Ordine sunt, e manu Pontificis Sacram sumunt Synaxim; necnon de Canonicis Vaticanae Basilicae, qui ministrantes in officio Diaconi vel Subdiaconi onus habent communicandi in Missa Conventuali et de similibus Sacerdotibus, qui inservientes Episcopo, de eius manu communicant. Cur autem ita? Quia statim ac Sacerdos more laico communicavit, non amplius uti potest privilegio concesso ratione Sacrificii, non ratione Communionis. At noster diversus est casus, quum non agatur de Communione more laicorum, sed de perfectione Sacrificii, cuius pars integralis est sacrarum specierum sumptio. Non intercedo; nego tamen, quod unus ad alterum magnam non habeat affinitatem: et quoniam interdictum est Sacerdoti alias celebrare Missas in Nativitate Domini, si more laico communicavit; ita vetitum reiterare Sacrificium (excepto casu necessitatis, et die Nativitatis Domini, ut infra videbimus) Sacerdoti, qui sumptione sacrarum specierum Missam absolvit ab altero inchoatam, et usque ad partem Canonis post Consecrationem productam; quia, ut plane demonstratum est, qui consecravit et qui sumpsit unus idemque moraliter censendus est; et licet sumptio sit pars integralis Missae, nihilominus nostro in casu qui sumit ad Sacrificii complementum magnam partem in eodem Sacrificio habet. *Oblatio, Consecratio, Sumptio* ab unius Sacrificii unitate scindi non debent; quamobrem Cappellanus sacras species ab altero oblatas et consecratas, ne unum idemque Sacrificium imperfectum relinquatur, sumens, habendus proinde est ac si moraliter Sacrificium confecisset, quia per sumptionem illud perfecit. Ex allato exemplo Sacerdotis, qui in Officio Diaconi die Nativitatis Domini communicavit in Missa Pontificali vel Conventuali, sic argumentationem instituo. Si Sacerdoti ministranti in officio Diaconi die Nativitatis Domini non licet duas alias celebrare Missas, quia de Sacrificio particeps quidem fuit, sed illud nec confecit, nec perfecit; multo minus licebit illud reiterari a Cappellano, qui (intelligendum de diebus, in quibus semel dumtaxat celebrare licet) sumendo species ab alio consecratas, nedum Corpore et Sanguine Iesu Christi se refecit, verum etiam Sacrificantis demortui vices supplendo, vere et realiter Sacrificio complementum dedit.

Etsi vero ex iis, quae huc usque dicta sunt, sequatur in proposito casu non licuisse Sacerdoti Sacrificium iterare, et haec regula sit in similibus omnino servanda, unus tamen est casus, praeter alios ab Ecclesia permissos, qui excipiendus videtur. Potest tale infortunium contingere in die Nativitatis D. N. I. C., in quo permissum est ter Sacrificium offerre. Poteritne qui ad perficiendum Sacrificium sumpsit species ab alio consecratas, iterum ad Aram accedere et unam vel duas Missas vigore privilegii Fe-

stivitati adnexi celebrare? Utique posse videtur, ea potissimum ratione, quia, ceu probatum est supra, antecedens Communio nequit haberi tamquam laica, sed ut pars integralis Sacrificii, cuius a loco, in quo primus repentino morbo correptus desiit, vere minister censendus es Sacerdos, qui Missam perfecit: pari iure, ni fallor, quo, ut docent La Croix loc. cit. et Diana tom. 4, tract. 8, regul. 94, § 1 aliique, posset Episcopus communicare in Missa, in qua hac die ordinatur et postea legere alias duas Missas; quia in Missa, in qua ordinatur, est simul sacrificans. Neque opponat aliquis casum esse diversum, quia sacrificans vere dici nequit Sacerdos, qui species ab altero consecratas sumens, Missam perficit. Nam, ut a doctis Consultoribus demonstratum est, ad unitatem Sacrificii servandam, qui consecravit et qui sumpsit, in casu, ut unus moraliter censentur. Rem paucis absolvo. Non licuit in casu proposito Cappellano Missam celebrare, quia ex praesenti Ecclesiae disciplina (nisi necessitas urgeat) semel tantum in die fas est Sacrum facere, et moraliter fecisse Cappellanus censetur Missam perficiendo sacrarum specierum sumptione: licuisset in Natali Domini unam vel duas dumtaxat (non autem tres) celebrare Missas, quia ter ea in Solemnitate Sacrificium iterare permissum est, quin obstet sacrarum specierum sumptio, quae vere ad complementum Sacrificii pertinet, nec cum Communione laica confundi debet, et ideo tertiae Missae dumtaxat ponit impedimentum.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2631. TIBURTINA. (4603)

Ad Dubium I. Ne a quaestione deflectar, quae Sacr. Rit. Congregationi discutienda ac definienda proposita fuit, non quaeram num Pontifex Thelesphorus primus fuerit, qui indulsit, ut in die Nativitati Domini sacra tres Missae possent celebrari, veluti nonnulli argui debere existimant, ex Cap. *Nocte Sancta* 48, distinct. 1, de Consecratione, quod perperam eidem tribuitur et supposititiis adnumerandum esse emunctae naris Scriptores volunt, ac ad Isidori Mercatoris merces amandant. Nec video quomodo talis permissio aut institutio ex eo canone (quatenus ut genuinus haberi velit) evinci queat, cum ne verbum quidem in eo occurrat, quo huiusmodi opinio fulciri possit: constitutum quippe dumtaxat in eo est, ut Missas celebrari non liceat ante horam tertiam, praeter quam nocte sancta Nativitatis Domini. Certum tamen est morem celebrandi tres Missas ea die multo ante aevum S. Gregorii Magni in Ecclesia saltem Romana obtinuisse, ut in Homil. 8 in Evang. Neque mihi dabo scrutari et expendere mysticas significationes, quas in harum Missarum partibus, et relate ad horas, in quibus easdem celebrari statutum est, inveniunt Amalarius lib. 3, de Eccles. offic. cap. 41; Rabanus Maurus lib. 2, cap. 31, Instit. Cleric.; Micrologus de Eccles. observat. cap. 4; Rupertus de Divin. Offic. cap. 15, 20, 21 et 22; ac tandem, ut plurimos alios praeteream, Pougetus Institut. catholic. tom. I, pag. 814, et Bened. XIV de Fest. D. N. I. C. cap. 17, num. 57. Strictim potius pauca quaedam adnotabo, quae simul demonstrant Sacr. Congregat., non secus ac fecit, proposito dubio respondere debuisse, et Sanctissimum D. N. Leonem XII plene in omnibus eiusdem Congregationis voto adhaesisse, licet temperavit legis rigorem, et, attentis circumstantiis, specialique gratia, intactam relinquens rubricae regulam, de suae potestatis plenitudine aliquid circa modum indulserit.

Rubrica Missalis Romani agens tit. 15 de hora celebrandi Missam conventualem apte distinguit Festa in quibus recolitur memoria Sanctorum, Ferias atque Vigilias, et diversas designat horas pro Sacro faciendo iuxta diversitatem dierum et ritus: excipit tamen a regula generali diem Nativitatis Domini, ibi num. 4: « Excipiantur ab hoc ordine dicendi Missam conventualem Missae in Nativitate Domini, quarum prima dicitur post mediam noctem, finito *Te Deum laudamus* in Matutino; secunda in aurora, dictis Laudibus et Prima; tertia vero in die, post Tertiam; vel ubi aliter ex dispositione Apostolica disponatur ». Conformis pariter est rubrica Breviarii, quae haec habet: « In die Nativitatis Domini etc., quo finito (Te Deum), et dicto *Benedicamus Domino,* celebratur prima Missa post mediam noctem..... summo mane dicitur Prima, qua finita celebratur secunda Missa in aurora..... Tertia dicitur hora sua, qua finita celebratur tertia Missa de die Nativitatis »: ita etiam glossa ad praefatum cap. *Nocte sancta.* Exceptio tamen huiusmodi non respicit Missas privatas, quae celebrari possunt quacumque hora ab aurora ad meridiem, nec singuli Sacerdotes ad trinam celebrationem tenentur; sed, prout libet, potest quilibet semel, aut ter Sacrificium offerre; nam Ec-

clesia non iubet, sed ea in solemnitate permittit iterare Sacrum, quod aliis diebus vetitum est. Verum rationem habet Missarum Conventualium, ad quas Ecclesiae praesertim Cathedrales tenentur, veluti praecipit Honorius III in Cap. *Cum creatura,* de celebratione Missarum : recta hinc descendit Cathedralis Tiburtinae Canonicos ex rubricali praescripto teneri, statis horis, ad solemnem trium Missarum celebrationem. Centies namque a S. Rit. Congregatione declaratum definitumque fuit in Cathedralibus et Collegiatis, in quibus quotidianum est Chori servitium, tot Missas esse celebrandas cum cantu, quot rubricae celebrari iubent. Ita in Burgen. 26 Maii 1626 ; in altera ad tollendos abusus die 16 Ian. 1620 ; in Nucerina 16 Februarii 1630 ; in Aquileien. 9 Aprilis 1633 ; in Policastren. 16 Novembris 1649 ; in Urbevetana 3 Aug. 1737, aliisque quamplurimis brevitatis gratia omittendis. Speciali notatu dignum est responsum Sacr. Congregationis in decr. Policastren., quia multam habet ad casum nostrum affinitatem. Illius Cathedralis Canonici se exemptos esse putabant ab aliis praescriptis Missis praeter unam conventualem « propter praebendarum tenuitatem et consuetudinem immemorabilem » ; sed S. C. absolute respondit : « Omnino praedictos Canonicos teneri ad celebrandam utramque Missam iuxta Rubricas Missalis Romani in praedictis temporibus, quacumque exceptione et consuetudine adducta non obstante ». Haud prodesse poterat Tiburtino Capitulo contraria immemorabilis consuetudo , argumentum deductum ex Caeremonialis dispositione, interpretatio rubricae Missalis atque id genus alia, quibus se tuebatur, ne cogeretur ad onus canendi secundam Missam in aurora. Consuetudo, etsi immemorabilis, cui accesserit Ordinariorum tolerantia et adquiescentia, nequit sustineri et reprobandi abusus induit naturam ; quia, quum laudabilis et rationabilis non sit, pugnat cum lege Ecclesiae universalis, veluti pluribus possem demonstrare, nisi de re ageretur satis clara et explorata, ac praecise in casu a nostro non absimili, iam definita a Sacra Congregatione in antedict. Policastren. . . . Satis haec essent ad propositi Dubii solutionem : verum id magis patebit, si expendantur rationum momenta, quibus se sustinere posse arbitrabantur Canonici Tiburtini. Utique Caeremoniale Episcoporum de hac secunda Missa non loquitur, et bene quidem. Nam discrimen ponendum est inter *Missas Pontificales et simpliciter conventuales,* inter *solemnissimas et minus solemnes. Prima autem et tertia solemnissimae* sunt, *secunda* vero *minus solemnis:* omnes sunt conventuales, quia cuncti Chori servitio addicti ad eas convenire debent : sed *prima* Pontificalis est ad libitum ; *tertia* in praecepto, seseque ab ea dispensare nequit Episcopus, nisi legitimo impedimento detineatur ; cum Caeremoniale iubeat, et praeceptiva dictione utatur : « omnino cantabit (tertiam Missam) Episcopus in die » lib. 2, cap. 14, num. 11 ; *secunda* vero Capitulo importat onus, sed non Episcopo, qui eamdem privatim celebrat : et Caeremoniale rationem habet Missarum, quae hac die pontificalibus adnumerantur, idcirco illam praeterit, quae simplex conventualis est, et cuius celebrationi per Missalis Rubricas satis provisum est, quin ad eam celebrandam vel ab alio celebratae assistendum teneatur Episcopus. Cur autem de hac aliquid disponere Caeremoniale debebat ? Quid vero dicam de argumento altero, quod petebant Canonici ex distinctione rubricarum inter *praeceptivas et directivas,* ut inde concluderent ad secundam Missam in aurora non teneri, quia rubrica praeceptiva non est, ut ipsi perperam arbitrantur? Nollem talia audire a Sanctuarii Ministris, quasi pro lubitu liceat a sanctissimis illis regulis declinare, quae, licet positivum praeceptum non importent, sapienti tamen consilio datae sunt pro Choralium functionum directione, observantia et implemento. Praeterea dictio illa rubricae *dicitur,* quae arbitrarie, contorto sensu, ut directiva obtruditur, praeceptiva revera est ; vel, si placet, dabo eamdem partim praeceptivam esse, partim directivam. Praeceptum dat quoad obligationem trium Missarum conventualium certo ordine ea die distributarum ; directionem vero praebet quoad designationem temporis quo singulae absolvendae sunt : quamobrem vi praefatae rubricae ea in solemnitate omnino tres conventuales Missae cum cantu sunt celebrandae : ad tempus vero designatamque horam, qua singulae canendae sunt, eadem rubrica directiva est, quia locum relinquit pro circumstantiarum diversitate alicui moderationi ab Apostolica Sede obtinendae. Explicit namque limitationem ponens : « vel ubi aliter ex dispensatione Apostolica disponatur » : quae verba relationem habent ad horas, non autem ad onus celebrationis. Ita Gavantus : « ex dispensatione Apostolica : intellige de con-

cessa post Concilium Tridentinum, quod prohibet, ne aliis horis quam debitis Missae celebrentur ». Neque alius rubricae sensus esse potest, si attendatur particula *vel*, quae disiunctiva est et necessario ad celebrandi horam referri debet, quae potest ex dispensatione variari, non ad ipsam celebrationem, quae nequit omitti. Sed de hoc sermo infra redibit: satis modo est posuisse discrimen inter illud, quod in sensu rubricae cadit sub praecepto, et aliud, quod aliquam moderationem ab Apostolica Sede impetrandam admittere potest. Cetera, quae a Tiburtinis Canonicis afferebantur tam levia sunt, ne dicam inepta, ut potius praetereunda silentioque tegenda sunt, quam diluenda et refutanda. Nam coeli inclementia, anni tempestas, viarum asperitas quae aliquando stratae sunt nive, aedium a Cathedrali distantia, tuendae valetudinis cura, deficientia temporis ad tres Missas privatim celebrandas et his similia, si attendenda essent, omnes fere Cathedrales ab onere secundae Missae in aurora forent absolvendae. Cum enim solemnis Nativitatis Dominicae memoria in media incidat hieme, praefata incommoda et ubique occurrunt, et omnibus communia sunt. Porro huiusmodi circumstantiae aliquam possunt indulgentiam invenire quoad horam, non autem quoad Missae onus adimplendum.

Hac indulgentia favore Cleri Tiburtini usum fuisse SSmum D. Nostrum, firma tamen rubrica, mox videbimus. Verum, quod attinet ad Sacr. Congregationis Responsum, cum quaereretur: An liceret vigore consuetudinis secundam Missam in aurora omittere? optimo iure eadem declaravit, non licere; tum quia id erat contra apertum rubricae praescriptum; tum quia in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, quae habent onus quotidiani servitii, tot conventuales celebrandae sunt Missae, quot eaedem rubricae canendas iubent, veluti supra notatum est. Enimvero Sanctissimus, relatione audita, adprobando confirmandoque in omnibus praefatum Sacr. Congregationis Responsum, sartam tectamque voluit rubricam ea in parte, qua, iuxta allatam distinctionem, *praeceptiva* est: verumtamen, *attentis peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus,* moderando eamdem rubricam alia in parte, qua est *directiva,* indulsit, ut *secunda Missa, quae in aurora dicenda esset, protrahi posset ad unam alteramve horam post Solis ortum,* dummodo tamen *Missa cum cantu celebretur, omnesque intersint, qui ad Chori servitium tenetur.*

Per huiusmodi autem Pontificium rescriptum magis magisque confirmatur rubricae sensus quoad postrema illa verba: *vel ubi aliter ex dispensatione Apostolica disponatur,* quae referuntur ad horam ex Apostolica dispensatione in aliam commutandam, non autem ad onus secundam hanc celebrandi Missam. Et revera, si quod est ex hisce tribus Sacris, prae aliis, stata hora persolvendum, illud profecto est, quod post mediam noctem, iuxta rubricae praescriptum, peragi debet, ad recolendam temporis memoriam, quo Redemptor noster in Bethleem Iudae natus est: nihilominus non ubique idem servatur, sed nonnullis in Ecclesiis ex privilegio, antequam dies civilis initium habeat, ea celebratur Missa, non obstante Constitutione *Sanctissimus* etc. a S. Pio V evulgata die 29 Martii 1566, qua omnia privilegia sublata sunt, antea quibusdam Ecclesiis concessa, illam celebrandi ante mediam noctem. Praeter Pontificium Sacellum, in quo, una saltem hora ante civilis diei initium, peractum est Sacrum; Venetiis non una est, sed plures sunt Ecclesiae, in quibus idipsum fit; quod nonnisi vigore posterioris privilegii derogatorii Pianae Constitutionis fieri posset. Videsis Benedictum XIV de Synodo Dioecesana lib. 6, cap. 8, num. 9; Lucium Ferraris verb. *Missa,* art. 5, num. 51; Tetamum Tract. 1, lib. 3, part. 2, ad 25 Decembris num. 45 et seq. Praeterea in Patriarchalibus et Collegiatis Urbis, necnon aliis in Ecclesiis haec Missa protrahitur ad plures horas post mediam noctem, ita ut celebretur, illucescente iam die. Rem dico omnibus manifestam. Itaque, si in aliquibus Ecclesiis prima Missa in nocte celebranda vel anticipatur vel protrahitur Apostolici vigore indulti; multo magis, attentis peculiaribus circumstantiis, aliquo privilegio gaudere potest secunda Missa in aurora, quae longe minorem solemnitatem habet, quam illa post mediam noctem celebranda, etiamsi ratio haberi nolit sublimissimi mysterii, quod in hac prima Missa prae aliis recolimus. Nec praetereundum, quod non desunt, qui volunt secundam hanc Missam in aurora non ubique antiquitus obtinuisse, sed « Romae extra ordinem ob id tantummodo celebratam esse, quod in Urbe haberetur Ecclesia S. Anastasiae, cuius Festum in eumdem diem Natalis incidit etc. », prout latius apud Meratum ad Gavantum part. 4, tit. 3, num. V.

Ad Dubium II. Eruditissimus Meratus hac de re agens part. 4, tit. 10, de Sabbato Sancto, rubric. 4, num. XI, notat quod « Diaconus debet esse ille idem, qui in Missa et Officio inservire debet, et non alius ad hanc solam functionem et ad cantandum tantummodo Praeconium *Exultet* etc., ut male multi faciunt: hoc enim repugnat omnino rubricae Missalis, neque in ullo habetur Caeremoniali, cum sit quiddam addere, quod est contra Bullam Pii V, et maxime notandum cum Corsetto cap. 8, num. 3, et Hyppolito a Portu rubric. 4, in adnotat., num. 7 ». Haec profecto est generalis regula in rubricae praescripto fundata; quae tamen tanto cum rigore accipienda non est, ut et praeceptivis adnumeranda sit, et nullus detur casus, qui aliquam in quibusdam circumstantiis exigat moderationem. Quamobrem Sacra Congregatio regulae insistens, primum proposito dubio respondit: *negative;* verumtamen omnia considerans, quae in casu concurrunt, et indulgentiae dant locum, rem supremo Pastori definiendam remisit, addens rescripto: « consulendum SSm̃o iuxta Votum », quod erat « pro indulto servandae consuetudinis, attentis peculiaribus circumstantiis in casu, de quo agitur ». Et Sanctitas Sua adprobando et confirmando eiusdem S. Congregationis Votum, *benigne annuit.* Quum enim ad Praeconium canendum Diaconus seligendus sit, qui bene polleat cantu Gregoriano, ne asperitate vocis et dissonantia notarum adstantibus offensioni et scandalo sit, multosque ad risum potius commoveat, quam ad devotionem alliciat: cumque alicubi ad officium Diaconi pro sacris actionibus et Missa, specialiter aliquis teneatur, qui tamen ad modulandum vocemque notis aptandam habilis non sit; satius esse videtur alium substituere ad canendum Praeconium, quod multum requirit idoneitatis. Hinc novum non est, quod in permultis Ecclesiis mos invaluerit ad unum Praeconium canendum alium seligere Diaconum ab eo diversum, qui Celebranti assistere debet. Huiusmodi autem mos, qui Praesidum vigilantiam ut fugiat, haud credi potest, nihilominus tacite toleratur; sed tolerantia locum non haberet, si rubrica aliquam quandoque moderationem, aut dispensationem, aut benignam interpretationem non admitteret. In nostra facti specie rationabilis causa dispensationis non deerat; siquidem Episcopus ipse fatebatur in Tiburtino Clero perpaucos esse ad huiusmodi officium aptos, praesertim quia ea in Cathedrali Diaconus, qui Celebranti tenetur assistere, unus est ex duobus, qui ex fundatione Card. Marescotti praebenda fruuntur cum onere inserviendi in officio Diaconi et Subdiaconi Canonicis celebrantibus. Plerumque idcirco fit, ut ex his nullus sit aptus ad cantum Praeconii: en necessitas alterum ad hoc munus sufficiendi. Aderat igitur in casu proposito congruus ac rationabilis titulus, quo Tiburtinae Cathedralis Capitulum servandae consuetudinis indultum obtineret.

Ad Dubium III. Duplex est casus, diversa igitur decidendi ratio. Primus est de Subdiacono praeintonante antiphonas in Vesperis Episcopo in crastinum Missam celebraturo: debetne idem sedere in distincto parato scamno, et non potius in suo chorali stallo? Omnem dirimit controversiam Caeremonialis dispositio lib. 2, cap. 1, num 7, ubi loquitur: « Caeremoniarius ducit Subdiaconum, vel alium ad quem spectat de Ecclesiae consuetudine, intonare antiphonam in habitu, in quo reperitur ante Episcopum . . . . et donec per Episcopum non fuerit praeintonatio repetita . . . . . Ea autem repetita, ad loca sua redeunt ». Quid clarius? si tam Caeremoniarius, quam Subdiaconus redire debent ad loca sua, palam fit, quod Subdiaconus, qui tunicella paratus esse debet, non in scamno, quo in cornu Epistolae solent Sacri Ministri Altaris uti, sedere debet, sed ad suum chorale stallum redire. Et quoniam alii Canonici sacris amicti sunt indumentis, haud decet, ut inferior, qualis est Subdiaconus, habeat distinctum honorificum locum, et sedeat supra alios ordine digniores pluviali, vel casula, vel dalmatica indutos.

Diversa est species altera de Sacris Ministris inservientibus Episcopo in Missa Pontificali, quibus Caeremoniale assignat *scamnum paratum.* Agens namque lib. 1, cap. 9, num. 1, de officio Diaconi, haec habet: « Sedente postea Episcopo (post Kyrie eleison), et ipsi sedent in scamno aliquo parato in cornu Epistolae Altaris »: omnis quaestio igitur versatur circa intelligentiam et sensum dictionis: *in scamno aliquo parato.* Caeremoniale nec formam praescribit, nec ornatum, quae duo accidentalia sunt et varia esse possunt iuxta diversas Ecclesiarum consuetudines; dummodo certos intra fines coerceantur. Scamni nomen genericum est, et aeque potest intelligi tam de scabello oblongo, quam de lignea pariter oblonga sede cum suo poster-

gali; excludit vero sedes camerales. Qui tamen sit Caeremonialis sensus, num velit scamnum cum vel sine postergali, incertum est. Qui morem reprobat Tiburtinae Cathedralis adhibendi *scamnum cum postergali serico damasceno rubro cooperto, coronide deaurata a parte superiore apparente, ab uno gradu a terra elevato*, pro se habere putat Sacrae Congregationis Decretum in Turritana 19 Maii 1614 auctoritate Cl. Catalani, et declarationem, quae legitur in Memoriali Rituum maioris hebdomadae. Sed haec quod obscurum est et in duplici diversa significatione intelligi potest, non elucidant. Quid, quaeso, prodest Decretum in Turritana? Numquid per idem declaratur, quod in Caeremoniali non est satis expressum? Imo tale Decretum quaestionem intactam relinquit, dum simpliciter iubet *servari formam libri Caeremonialis*. Nec adhaerendum videtur Catalano, qui ad praefatum Caeremonialis locum pro scamno parato intelligendum vult *scabellum nudum, sed tamen pictum,* et ad lib. 1, cap. 8, num. 23, *sedem nudam ibidem positam.* Non enim ulla ratio subest, qua talem esse Caeremonialis sensum admittamus. Ac tandem illud *sedeant in scamno, seu scabellis in cornu Epistolae,* prout habetur in praefato Memoriali etc. lib. 2, cap. 27, de Episcopo celebrante, num. 13, satis non est, ut inde consequatur scamnum esse oportere sine postergali. Neque insistendum in disiunctiva *vel scabellis;* nam Caeremoniale apte distinguit *scamnum* pro sacris Altaris Ministris *a scabellis* parandis pro Diaconis Episcopo assistentibus. Quum igitur res in ancipiti sit posita; ideo S. Congregatio noluit positivo responso definire quid per *scamnum paratum* intelligendum sit, sed tolerari posse morem Cathedralis Tiburtinae decrevit.

Ad Dubium IV. Est certe mirandum, quod in Cathedrali Tiburtina numquam celebrari consuevit Anniversarium pro ultimo Episcopo defuncto, secus ac iubent Caeremoniale Episcoporum et Concilium provinciale Romanum. Illud namque districte id praecipit lib. 2, cap. 26: « Episcopus vivens Praedecessoris sui proxime ante ipsum defuncti memoriam habere debet, et pro eius anima singulis annis in die obitus celebrare vel saltem Missae ab aliqua Dignitate vel Canonico celebratae assistere, et in fine absolvere ». Praeceptiva pariter sunt duo Anniversaria, quae in praefato Concilio tit. 15, cap. 5, praescribuntur pro defunctis Episcopis: « Ex ipsius Caeremonialis Episcoporum mandato in universis cuiuscumque Civitatis et Dioecesis Cathedralibus et Collegiatis, aliisque conventualibus seu receptitiis Ecclesiis, praeter solemne Anniversarium pro ultimi defuncti Episcopi anima in eius die obitus celebrandum; alterum etiam per singulos annos agendum decernimus in perpetuum pro omnibus propriis Dioecesis Episcopis infra praedictam fidelium omnium defunctorum Octavam ». Sed quod magis admirationem excitat, est audire quod numquam hoc Anniversarium celebratum sit contra expressum praeceptum, quod legitur in Synodo Tiburtina tit. 11, de Sacrificiis Missarum 7: « Praeter solemne Anniversarium pro Anima ultimi Episcopi defuncti, in eius die obitus celebrandum, alterum etiam per singulos annos agendum decernimus pro omnibus huius Dioecesis Episcopis etc.; ad quae Anniversaria omnes omnino Canonici et Beneficiati convenire sub poena punctaturae teneantur ». Meum non est tantae oscitantiae originem et causas scrutari; nemini forte ex illis qui modo Capitulum Clerumque Cathedralis componunt, id culpae vertendum est, imo potius commendandi omnes sunt, si ad Sacram Congregationem una cum Episcopo confugerunt, ut docerentur quid ab ipsis in posterum agendum sit. Modo igitur composita res est, postquam proposito Dubio responsum fuit « Affirmative ».

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2632. RESOLUTIONIS DUBIORUM. (4604)

Anno 1823 Festum S. Philippi Nerii pro Urbe elevatum ad ritum secundae classis incidit in Feriam II post Dominicam Trinitatis, quae prima est post Pentecosten. Orta hinc quaestio: Num in secundis Vesperis praefati Festi SSmae Trinitatis, praeter illam de sequenti, hoc est de S. Philippo, fieri etiam deberet commemoratio Dominicae? Distractae fuere sententiae; ideo in Calendario Patriarchalis Lateranensis et in altero Romano addita fuit: in Vaticano, ac Liberiano omissa. Ubinam bene? Id quaerendum.

Ut huiusmodi enodetur quaestio, statuendum est quam in classem ponenda sit Dominica prima post Pentecosten simpliciter considerata, ac si adnexum non haberet Festum SSmae Trinitatis. Scriptores de rebus liturgicis hanc praetereunt controversiam; et vix unus est Gavantus, qui in ni-

hilo differre docet hanc Dominicam, seorsim ab adnexa Festivitate consideratam, ab aliis quae sequuntur usque ad Adventum : « Haec Dominica, inquit, prima post Pentecosten, ut sic (videlicet ut Dominica) est eiusdem rationis cum Dominicis sequentibus, non enim de ea intelligitur Rubrica sub titulo Dominicarum primae classis, quae numquam omittuntur, nempe Dominica Trinitatis, ut patet, quia de illis fit totum Officium, de hac vero commemoratio tantum, et ipsa commemoratio omittitur in iis Vesperis, si Feria II celebretur Officium secundae classis, vel primae » : et occurrens obiecto, quod forte alicui magni ponderis videri poterat, ex eo deducto, quod huiusmodi Dominica notatur in Tabella Breviariis praemissa inter Dominicas, quae numquam omittuntur ; ita prosequitur : « Neque mireris, quod Festum Trinitatis nunc dicatur Festum, nunc Dominica ; nam utrumque verum est, et ratione Dominicae, in qua semper occurrit, habet hoc quod nunquam omittitur Officium de Trinitate, licet eo die occurrat alicubi primae classis Festum ; ratione vero Festi, habet ea tantum, quae sunt propria Festorum secundae classis ». Ad Rubricas Breviarii sect. 6, cap. 19, num. 2.

Igitur iuxta Gavantum Dominica prima post Pentecosten in ratione Dominicae minime differt ab aliis post Pentecosten et post Epiphaniam. Et hoc bene est ; nam haec Dominica aliam habere nequit qualitatem, praeter illam quae communis est supraindicatis, neque ullo pacto confundi debet cum aliis, quae qualitatem habent primae vel secundae classis, quoad privilegium exclusivum, licet ritus sint semidupl. Non titulus, non ratio occurrit, ob quam privilegiatis queat adnumerari. Praecedens Sabbatum dat complementum celebrationi Officiorum de Divinis Mysteriis relate ad Passionem et Resurrectionem Christi Domini et Adventus Spiritus Paracliti ; ideo eo in Sabbato, celebrata Missa, finem habet tempus Paschale. Igitur Dominica, quae immediate sequitur, neque est, neque haberi potest, ut Octava Pentecosten ; nam si talis esset reputanda, comparanda quodammodo foret Dominicae in Albis, quae gaudet ritu duplici ; contra vero haec Dominica, quae immediate sequitur, iam absoluta Pentecostes hebdomada, non habet, nisi ritum semiduplicem. Et revera Missa, quae legenda esset in hac Dominica, nisi Officium occurreret SSmae Trinitatis, nullam habet relationem ad Octavam Pentecostes : et ideo non omittitur in Missarum Codice, quia legebatur, priusquam Festum SSmae Trinitatis ad universam Ecclesiam praeceptive extenderetur. Quod vero sit rit. semidupl. patet, quia habet secundam Orationem *A cunctis*, tertiam *ad libitum:* contra vero si haberet qualitatem Octavae Pentecosten, haberet etiam ritum duplicem et unicam Orationem, ut illa est Dominicae in Albis.

Neque obiicias Dominicas Adventus et Quadragesimae qualitatem habere dupl. 1 vel 2 class. quoad privilegium exclusivum, et nihilominus non esse, nisi rit. semidupl. veluti illa est, quae primum post Pentecosten occurrit : nam ex hoc non consequitur hanc eodem privilegio gaudere. Hoc illae decorantur, quia ex Ecclesiae institutione peculiaria includunt Mysteria et populum Christianum spirituali quodam apparatu disponunt ad celebrandas solemniores Festivitates, in quibus memoria recolitur Nativitatis, Manifestationis, Passionis, Mortis et Resurrectionis D. N. I. C. Quae vero sequuntur Dominicae post Epiphaniam et Pentecosten nihil habent, quod non omnibus et singulis aeque conveniant ; neque ulla est, quae aliqua distinguatur praerogativa. Ad harum classem referenda certe est prima post Pentecosten ; ideoque, si privilegio gaudet quodlibet excludendi Officium cuiuscumque ritus, eo gaudet, non ratione Dominicae, sed ob adnexam Festivitatem SSmae Trinitatis, quae licet sit 2 class., numquam omittitur, etiamsi occurrat Festum primae classis, quod Rubrica transferendum iubet. Uniuntur quidem Festum Trinitatis et Dominica prima post Pentecosten, sed non confunduntur : unicuique tribuendum est, quod illi convenit : Festum Trinitatis privilegio donatur eliminandi quodcumque duplex ; Dominica vero, ut Dominica, cum sit ritus semidupl., id dumtaxat habet, quod exigit qualitas ritus.

Quod si aliquis velit hanc Dominicam ratione sui et separatim ab adnexo Festo SSmae Trinitatis, illis revera adnumerandam esse, quae numquam omittuntur, onus in se suscipit aliquam promendi ex iis rationibus, quae ab intrinseco dicuntur. Equidem ego diu cogitationes intendi, ut hanc adinvenirem, irrito tamen conatu. Si quae excogitari possunt, extraneae sunt, et ad id conficiendum, quod probandum est, nullatenus prosunt. Nemo est, qui neget hanc Dominicam legi in Tabella illarum, quae numquam omittuntur. Quid tamen inde? Non ut Dominica illis adnumeratur, verum no-

tatur ratione adnexae Festivitatis, quae licet sit secundae classis, nihilominus primae qualitatem habet, idcirco non dicitur *Dominica prima post Pentecosten,* vel *Dominica in Octava Pentecosten,* ut dicitur *prima Adventus, prima Quadragesimae:* verum enunciatur *Dominica Trinitatis.* Dominicis quae numquam omittuntur, adnumerantur *Pascha et Pentecosten;* at nemo est, qui sibi fingat Dominicam, ut Dominica, eo privilegio gaudere, quod adnexum est solemnioribus illis Festivitatibus, ex Ecclesiae instituto, in Dominica perpetuo celebrandis. Ita etiam festiva solemnitas SSmae Trinitatis Dominicae perpetuo affixa, notatur in Tabella duplicium secundae classis, sed iterum notanda erat inter Dominicas, quae numquam omittuntur, ratione privilegii exclusivi. Secus dicendum esset in eo stare privilegium SS. Trinitatis, quod ei cedit Dominica, quae numquam omittitur. Id autem, utpote contradictionem involvens, absurdum est. Patet igitur privilegio decorari Festum non Dominicam, eodem ferme modo, quo solemnitates Paschae et Pentecosten alia omnia respuunt Festa ratione sui, non relate ad Dominicas, in quibus perpetuo huiusmodi solemnitates sunt affixae.

Forte non deerit qui existimet Dominicam primam post Pentecosten eodem frui privilegio, quo gaudet Dominica in Albis, quae est rit. dupl. mai., et nihilominus Festo altioris ritus locum non cedit. Ast vehementer errat, qui in hac opinione versatur. Magnum quippe unam inter et alteram discrimen est. Dominica in Albis, quamquam de rigore non sit Octava Paschae, quae desinit ad nonam Sabbati praecedentis, habet nihilominus qualitatem Octavae singulari privilegio ditatae, quo ab aliis omnibus distinguitur, ideo in Rubrica legitur: *Dominica in Albis in Octava Paschae:* Breviarium Mozarabum et Orationale Gothicum habet *Dominica in Octava Paschae,* ita etiam in Sacramentario Gelasiano apud B. Thomasium et Gregoriano apud Menardum. Non quaèram modo curnam *in Albis* dicatur: num, quia nuper baptizati albas deposuerant in praecedenti Sabbato, unde in Missali Ambrosiano appellabatur *in albis depositis,* et in antiquo Ordine Romano, *Dominica post albas;* an potius quia, *depositis vestibus albis susceptis in Baptismo, alias vestes similiter albas recipiebant in Confirmatione in hac Dominica, in qua hoc alterum Sacramentum* (scilicet Confirmationis) *ipsis ab Episcopo conferebatur,* prout latius videri potest apud Tetamum Diar. Ecclesiastic. et Civil. part. 3, lib. 5, cap. 1, art. 1, sect. 2. Attendenda potius est qualitas Missae eiusdem diei propria: Deo in hac reddimus gratiarum actiones, tum pro noviter Sacro lavacro regeneratis, tum pro Paschalibus festis peractis. *Introitus* quippe et *Epistola* ad collatum Neophytis Baptismum relationem habent, *reliqua* ad Resurrectionem. Hisce de causis haec Dominica semper in Ecclesia solemnissima fuit, utpote quae sublimia includit Mysteria. Hinc etiam apud Graecos *Dominica nova* seu *novella* fuit appellata, *quia,* ut vult Raynaldus tom. 10, tract. de Agno cereo, cap. 7, num. 6, *erat addicta recolendae novae generationi et novitati vitae per Baptismum receptae.* Praetereo alia multa, ne nimius videar, diuque immorer in re satis omnibus clara.

Enimvero Dominica prima post Pentecosten nihil prorsus habet, unde aequari possit Dominicae in Albis; imo si adnexum non haberet Festum Trinitatis et de ea fieri deberet, nullatenus differret a Dominicis, quae sequuntur. Nam, ut legitur in Ordine Romano XIII, sive Caeremoniali edito iussu Gregorii X, num. 27, apud Mabillon Mus. Italic. tom. 2, pag. 241: « In Dominica prima post Festum Pentecosten, quae caret Octava, die Sabbati in Vigilia ipsius Dominicae usque ad Dominicam primam de Adventu Domini fit Officium de die et nocte, ut continetur in Ordinario, et utitur Ecclesia colore viridi ». Et quamquam assentiri nolim Grancolasio de Breviario Romano lib. 2, cap. 81, et Cavalerio tom. 2, cap. 17, num. 6, qui volunt ideo hanc Dominicam assignatam fuisse Festo Sanctissimae Trinitatis, quia, absoluta iam in Sabbato Octava Pentecostes, non habebat Officium proprium et vacantibus adnumerabatur, quippe vacans non est si dat initium Dominicis post Pentecosten, et quae proxime succedit, in ordine secunda est; certum tamen est, quod in Cappella Pontificia Missa Trinitatis unicam Orationem habebat, quin de Dominica fieret Commemoratio. Ita in Caeremoniali S. R. C. lib. 2, tom. 2, cap. 13: « In vigilia SSmae Trinitatis fiunt Vesperae etc. In die fit Missa solemnis etc. dicitur tantum una Oratio »; ad quem Caeremonialis locum notat Catalanus: « Hic est ritus, cuius passim meminit Burchardus in suo MS. Diario, ubi etiam refert, quod, cum, finita Missa, Cardinalis S. Marci ei dixisset quod de Dominica debuit fieri commemoratio in Vesperis et in Missa: ipse

eidem respondit illam de expresso mandato D. N. Papae (nempe Innocentii VIII) fuisse omissam ». Idipsum confirmatur ex Rubrica 27 Codicis Vaticani 4737, quae iubet: « Item in Festo Trinitatis, quae est in Octavis Pentecosten, utitur paramentis albis . . . . nec in Missa dicti Festi fit commemoratio de Dominica, quamvis in Matutinis et Vesperis de ipsa Dominica fit commemoratio »; apud Gatticum, Acta selecta Caeremonialia, tom. 1, pag. 45, columm. 2.

Verumtamen, etsi alia deesent argumenta, illud unum sufficeret ad finem quaestioni imponendum, quod haec Dominica nec decoratur Statione, qua gaudent omnes aliae Dominicae, quae ob privilegium exclusivum, etsi ritu gaudeant semiduplici, Festa tamen occurrentia ritus primae vel secundae classis non admittunt; quod expresse notatum video a Panvinio de Basil. Lateranen. lib. 2, cap. 8, ex MS. asservato in Archivio eiusdem Basilicae: « ast Stationes S. Gregorius PP. . . . . limitavit . . . . . statuens videlicet quatuor Dominicis Adventus etc., a vigilia Pentecostes usque ad Dominicam SSmae Trinitatis EXCLUSIVE ». Ex his iure concludam: si revera Dominica prima post Pentecosten Dominicis adnumeranda esset, quae privilegio exclusivo gaudent, nec color viridis adhibendus foret (quatenus de ea fieri deberet Officium) sed potius rubeus, ut albus adhibetur in Dominica in Albis; neque omittenda eiusdem commemoratio in solemni Missa de Trinitate, quae cantatur in Sacello Pontificio; neque careret Statione, qua nulla ex Dominicis privilegiatis fraudatur. Haec tene, et dic modo Dominicam hanc, ratione Dominicae, et non adnexae festivitatis, illis adnumerandam, quae numquam omittuntur.

Quae cum ita sint, plane consequitur nihil fieri debere et omnino corruere, quae in contrarium afferri, imo potius obtrudi et fingi possent argumenta. Et revera omni prorsus fundamento caret opinio, seu simplex suppositio, quod haec Dominica qualitate primae classis gauderet, priusquam Ioannes XXII eamdem assignaret Festo SSmae Trinitatis. Fallax esse huiusmodi argumentum plane evincit ritus Missae; quae adhuc in Missarum Codice habetur, ne eiusdem obliteretur memoria. Cum enim praeter Orationem propriam, habeat secundam *A cunctis,* tertiam *ad libitum,* ritus *semidupl.* fuisse et esse certo consequitur. Quod si in eadem ratione habita fuisse ac illa est, quam *in albis* dicimus, eumdem obtinuisset ritum *dupl. mai.* cum privilegio exclusivo. Contra vero iam demonstravimus aevo Beati Gregorii X, qui per dimidium fere saeculum praecessit Ioannem XXII, a quo Festum Trinitatis additum fuit, eamdem Dominicam nulla speciali praerogativa fuisse decoratam, et ab Ecclesia adhibitum *colorem viridem,* qui proprie convenit *Dominicis semiduplicibus* post Epiphaniam et Pentecosten. Iure igitur postulo, ut qui privilegiatam volunt Dominicam primam post Pentecosten, ita ut frui commemoratione debeat in secundis Vesperis concurrentibus cum Festo *dupl. 2 class.,* proferant unam ex Dominicis, in quibus color viridis adhibetur, quae ritus *semidupl.* non sit, et aliqua praerogativa fruatur.

Neque alterum iuvat, quod petitur ex pervetusta consuetudine Basilicae Lateranensis adnotandi in Directorio Officii: *Dominica prima post Pentecosten dupl. 1 class., Festum SSmae Trinitatis dupl. 2 class.* Errorem, in quo primus Directorii extensor inconsiderate lapsus est, oscitanter nimis sequuti sunt caeteri, qui ei in munere successerunt. Arbitraria enim est inversio Rubricae. Nam notandum erat non Dominica prima post Pentecosten, verum *Dominica Trinitatis,* ut in tabella legitur, quae licet ratione Festi sit secundae classis, induit tamen qualitatem primae; et quoniam Dominicae affixa est, bene stat quod Dominicis adnumeretur, quae numquam omittuntur. Nam si primae classis esset quoad privilegium exclusivum Dominica in ratione Dominicae duo sequerentur absurda: videlicet, vel quod Dominica, quae numquam omittitur, omittenda esset; vel quod privilegio exclusivo potiretur Dominica et Festum Trinitatis eo gauderet non ratione Festi, sed ratione Dominicae: quae certe contradictionem involvunt, nulloque pacto componi queunt. Omnia conciliantur, si ad Festum Trinitatis referatur illud *Dominica Trinitatis,* ita ut sensus sit: *Festum Trinitatis, quod adnexum est Dominicae primae post Pentecosten, licet sit rit. 2 class., ad instar Dominicarum quae numquam omittuntur.*

Quae autem huc usque dicta sunt, plane evincunt praefatam Dominicam ratione sui, privilegiatis non adnumerari, omnique fundamento destitui quae in contrarium afferri aut fingi possent: nam revera haec Dominica gaudet ritu dumtaxat semiduplici, minimeque differt ab aliis, quae sequuntur; et privilegio exclusivo Officii cuiuscumque

ritus decoratur Festum SSmae Trinitatis, non Dominica: quamobrem recta descendit responsio ad propositum Dubium: *Negative, et Commemorationem Dominicae esse omittendam;* veluti Sacra Congregatio sua auctoritate definivit, ut Calendaristae in simili concursu sciant quid in Directorio Officii notare debeant.

Ad Dubium II. Casus est novus; et primum accidit (saltem Romae) hoc anno 1824, cum recens sit institutio Festi Sacri Cordis Iesu, cui celebrando assignata est Feria VI post Octavam SSmi Corporis Christi: unde oritur apud nonnullos quaestio: An, et cui commemoratio in secundis Vesperis tribuenda sit? De utroque non licet, cum duplex commemoratio, vel Officium simul et commemoratio de eodem subiecto ex Rubricarum praescripto fieri nequeant. Omnis controversia cessaret, si obtinuisset illorum opinio, qui censebant nihil obstare, quominus in secundis Vesperis Octavae SSmi Corporis Christi de uno fieri posset Officium, de altero simplex commemoratio: (vide Tetamum Diar. Ecclesiastic. tract. 1, lib. 6, part. 2, cap. 2, art. 4, sect. 1). Sed quoniam praevalere debet contraria sententia, quae stricte adhaeret regulae generali iubenti, ne in eadem parte Officii simul de eodem Officium et commemoratio fiat, ac propterea in Romano Directorio, quod aliis certam dat normam amovetque arbitrium aliter statuendi, signatur: *Vesperae de eadem Octava sine ulla commemoratione;* ideo decidendi ratio a congruentia petenda est. Etenim ex una parte videtur quod illud, de quo inchoandum in Vesperis Officium est, locum obtinere debeat prae altero, quod per accidens simplificatum fuit: contra vero si Octava ob occursum Festi solemnioris ritus huic cedit, et licet duplex sit gaudeatque privilegio exclusive cuiuscumque Festi, quod dupl. primae classis non sit, in huius duplicis concursu simplicem habet commemorationem; non ideo tamen ea praerogativa privatur, quae compatibilis est cum qualitate simplicis per accidens. Haec autem ratio tanti est, quae unica valet, ut praelatio concedatur commemorationi Octavae, nullatenus vero concurrenti Festo, quod nec habere potuisset commemorationem, si de eadem Octava Vesperae persolvi debuissent.

Neque prosunt exempla, quae in contrarium afferuntur ab illis, qui commemorationem Sacri Cordis Iesu fieri debere arbitrantur, altera omissa de die octava. Non illud Festi Patrocinii B. M. V. concurrentis (dum transferri contingit in diem 17 vel 19 Decembris) cum altero Expectationis partus, quippe ad quaesitum: « Quomodo in iis casibus disponendae sunt Vesperae ». Sacr. Congr. sub die 27 Martii 1779 respondit: « Totum de praecedenti in utroque casu, nihil de sequenti », videlicet de Patrocinio translato in die 17: de Expectatione partus, si illud in die 19 reponendum sit. Utrumque eiusdem est ritus et dignitatis; neutrum ullo peculiari privilegio donatur. Bene igitur stat, ut de illo Vesperae persolvantur, de quo factum est Officium, et nihil de sequenti. Imo retorqueri posset argumentum, si in concursu duorum Festorum B. M. V. aequalis ritus Vesperae fiunt, de quo Officium factum est, ita etiam de Octava SSmi Corporis Christi simplificata fieri debet in secundis Vesperis commemoratio, quae venit loco Officii, et nihil de SSmo Corde Iesu, quod relate ad eas Vesperas, nec ius habet ad Officium, nec ad commemorationem.

Quod si Dominica IV Adventus incidat in diem 18 Decembris assignata Officio Expectationis partus, cui reponendo non sit locus, et ad diem 19 transferatur illud Patrocinii, necesse omnino est, ut de hoc Vesperae fiant, quia nequit habere secundas Vesperas Officium per accidens simplificatum: pari modo, quo in Feria III Quadragesimae nequit habere primas Vesperas dies octava quae incidit in Feriam IV Cinerum, ut sancivit S. R. C. in una Hispaniarum die 17 Maii 1692; quia in hac Feria nec Officium, nec commemoratio Octavae fieri potest, Ast ex hoc non valet illatio ad commemorationem, quam non perdit Officium per accidens simplificatum; praesertim in concursu cum altero Festo, quod, si non occurrisset impedimentum, nec ad commemorationem ius habuisset.

Multo minus ad rem facit alter hypotheticus casus, quem sibi fingit contrariae opinionis assertor; occursus videlicet Octavae SSmi Corporis Christi cum Dominica privilegiata, sed ritus semidupl. Si huiusmodi occursus dari posset, utique fieri deberent secundae Vesperae de sequenti duplici, non autem de Octava, quae non habuit Officium; sed quid ad nos? Hypotheticus casus nullam habet relationem ad speciem, in qua non de Vesperis quaestio est, sed de simplici commemoratione, ad quam ius habet Octava, cuius Vesperae, remoto impedimento, peragendae fuissent; nulla-

tenus vero Festum subsequens, quod Vesperis caret, nec habet commemorationem. Verumtamen ultro progredior et quoniam hypotheses placent, fingo casum, quod Festum Sacri Cordis Iesu concurrat in Vesperis cum Dominica privilegiata, et Octava SSmi Corporis Christi, libenterque concedam de Sacro Corde Iesu Vesperas fore celebrandas, sine commemoratione Octavae, ob allatam rationem, quod secundas Vesperas nequit habere Festum, de quo factum non fuit Officium. Sed quid tum postea? Non inde infertur quod fieri nequeat commemoratio, casu a nostro omnino diverso; quo nihil obstat ut fiat, quinimo fieri debet; quia Octava praestat Festum subsequens, quod, re integra, in iisdem Vesperis nec habet commemorationem.

Addam ulterius casum, quem sibi proponit Cavalerius tom. 1, cap. 6, Decret. 5, num. 34: de duobus aeque duplicibus Festis simul occurrentibus, et ab Officio superioris ritus impeditis, quin circa anni finem dies liberi supersint pro eorumdem repositione; et hanc dat solutionem: « In simultanea autem occurrentia duorum Festorum per accidens simplicium, illud prius commemorationem sortietur, de quo Officium fieret, si ambo non impedirentur; et Festum illud, quod in tali occursu transferretur, secundo loco commemorationem habebit; quod enim alteri Festo in casu Officii locum cedit, utique et cedere debet in casu solius commemorationis ». Quod autem obtinet in occurrentia, cur non obtinebit in concurrentia? Nonne par est casus utriusque ratio? Neque dicas casum a casu differre, et unum inter et alterum interesse discrimen, quia, prout habetur in dubio, Octava per accidens simplificata non occurrit cum Festo pariter simplificato, sed cum illo, quod licet nequeat habere Vesperas, habet nihilominus in sequenti Feria VI integrum Officium. Sit equidem casus diversus; magnam tamen unus ad alterum habet analogiam, et quod discrimen ponit, tanti non est, ut aliam inducat decidendi rationem.

Etenim, in aequalitate ritus et dignitatis, Officium, seu Festum primarium praeferri debere secundario certum est. Atqui Octava SSmi Corporis Christi dat complementum Festo primario amplissimis privilegiis decorato: contra vero secundariis adnumerandum est illud Cordis Iesu, quod relate ad primarium est quaedam veluti eiusdem appendix: et quamquam idem sit Festi utriusque obiectum, illius tamen reale est, istius vero symbolicum, veluti in eiusdem Festi approbatione declaratum fuit, videlicet: « Non aliud agi, quam compleri cultum iam institutum et symbolice renovare memoriam illius Divini Amoris, quo Unigenitus Dei humanam suscepit naturam et factus obediens usque ad mortem praebere se dixit exemplum hominibus, quod esset mitis et humilis corde ». Octavae igitur danda est praelatio; et quoniam nisi occurrisset Festum duplex primae classis, integras habuisset Vesperas; ideo fraudari nequit commemoratione, ut locum cedat secundario, quod, in casu, dum de Octava Vesperae fiunt, commemorationem non habet.

Addam insuper; si contrariae sententiae adhaerere quis vellet, admittere cogeretur absurdum; nam Octava, de qua Vesperae integrae essent recitandae, perderet etiam commemorationem, et hanc obtineret Festum, cuius in concursu nulla mentio fieri debet; quia, ut vidimus et rubrica disponit, de uno eodemque subiecto simul fieri nequit Officium et commemoratio. Atqui iuxta Cavalerii doctrinam, in aequalitate tam ritus, quam simultanei impedimenti, in occursu facienda primum est commemoratio illius, de quo faciendum Officium esset, nisi occurrisset Festum altioris ritus; concludendum videtur, etiam in concursu commemorationem deberi Octavae SSmi Corporis Christi, quae procul ab impedimento integras habuisset Vesperas sine commemoratione de sequenti. Sed modo composita res est, et omnis cessat dubitandi ratio, postquam S. R. C. proposito dubio respondit: « Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam ».

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2633. COLLEN. (4605)

Ad Dubium I. Species haec erat. Incolae Terrae *S. Geminiani* Dioecesis Volaterranae hunc Sanctum vel ab immemorabili, vel ex electione legitime peracta, uti principem Patronum venerabantur, diemque eius nomini sacrum sub integro praecepto recolebant. Postmodum, vero, quum eadem Terra ab Volaterrana disiuncta, fuerit Collensi unita, nescio quo iure, cultus, quo prius gaudebat S. Geminianus, exhiberi coepit S. Martiali Collensis Civitatis Patrono. Sed non apud omnes pacifica res fuit, et plures inde exortae quaestiones, quia Pa-

rochi et Clerus in diversas abierunt opiniones et populus in ancipiti positus, quod agendum esset, ignorabat. Hinc ad componenda huiusmodi dissidia, et ad id, quod in posterum servandum foret, constabiliendum, Sacr. Rit. Congregatio rogata fuit, ut exortis dubiis respondere dignaretur, et omnem controversiam sua auctoritate definiret. Et quoniam primum quaesitum fuit: An in dicta Terra eiusque districtu Festum S. Geminiani esset sub utroque praecepto colendum? iure fuit datum affirmativum responsum. Etenim s. m. Urbanus VIII de observantia Festorum sollicitus, in sua Constitutione *Universa per orbem etc.* dat. idibus Septembr. 1642, Festa enumerans sub utroque praecepto servanda, quoad Patronos principales disponit, ut Festum peragatur unius dumtaxat ex principalibus Patronis in quocumque Regno sive Provincia, et alterius pariter principalioris, in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos Patronos haberi ac venerari contigerit. Itaque, si lex Festi celebrationem coarctat ad loci Patronum, alterumque Regni vel provinciae, quin illum Dioecesis appellet: plane consequitur civitatem vel locum, in quo peculiaris habetur Patronus, haud debere aut posse, proprie posthabito, festivum agere diem alterius, qui est Protector civitatis episcopalis, aliorumque Dioecesis locorum, in quibus alius non est, vel ab immemorabili cultu Patronis debito veneratus, vel et universi populi suffragiis legitime in Patronum electus. Id tam verum est, ut qui specialem habent Patronum, nec ad servandum diem festum Patroni Dioecesis, nec ad eiusdem Officium persolvendum teneantur. Ita Sacra Rit. Congr. in Narnien. 6 Aprilis 1658 declaravit: « De Patrono principali civitatis, in civitate tantum cum Octava, in Dioecesi vero, ubi non adsit proprius loci Patronus, similiter cum Octava; et ubi colitur Festum peculiaris Patroni, nihil de Patrono civitatis, vel, attenta consuetudine, sine Octava, sub duplici maiori tantum ». Ita etiam sancivit in Calaguritana 28 Septembris 1558. Igitur vix permittitur, ut de Patrono civitatis et Dioecesis, ubi peculiaris habetur, fiat sub inferiori ritu, quatenus adsit consuetudo. Per huiusmodi Decreta declaratur alterum latum in Caven. 23 Maii 1739, quo voluisse videtur S. R. C. ut de Patrono civitatis fieret etiam per Dioecesim: nam ad dubium: « An de Protectore principali civitatis celebrari debeat Officium cum Octava per civitatem et Dioecesim? » respondit « Affirmative, tam in civitate, quam in Dioecesi ». Nam res erat de locis, quae peculiari Patrono carebant: ideo, ut bene advertit Cavalerius Tom. 1, cap. 3, Decr. 5, num. 3, ponenda est limitatio, « quod per Dioecesim Patronus civitatis cum Octava coli debet, ubi non adsit proprius loci Patronus; secus autem, ubi colitur Festum peculiaris Patroni ». Et ibidem Decret. 6, num. 3: « hoc ipso, ait, quod peculiaris Patronus alicubi habetur, relate ad ea loca Patronus civitatis patrocinium non gerit, et consequenter deperdit titulum, vi cuius Officium sibi vindicat; quapropter, nisi aliunde eidem Officium debeatur, nihil de Patrono civitatis faciendum venit. Quod si civitatis Patronus inter dictorum locorum Patronos adnumeretur, adhuc utique non inter Patronos principales, cum unius loci plures huiusmodi Patroni esse non valeant, sed inter minus principales, et hoc in casu de eo Officium instituendum est sub ritu duplici maiori tantum sine Octava etc. ». Sensus igitur Decreti est, ut civitatis Patronus gaudeat privilegiis et praerogativis Protectoribus debitis in iis Dioecesis locis, quae proprium non habent. Ex his patet populum et Clerum S. *Geminiani* ad huius Sancti dumtaxat Festum sub integro praecepto servandum teneri, etiam postquam eadem Terra unita fuit Dioecesi Collensi, ut tenebatur, dum ad Volaterranam pertinebat. Quod si aliquis adhuc dubitet, omnem dirimunt controversiam literae Apostolicae fel. rec. Pii VII in forma Brevis expeditae sub die 15 Octobris 1818 super observantia et reductione Festorum pro utriusque Siciliae Regno. In his enim, moderando et declarando quae relate ad Patronorum Festi praescripta fuerant in primo Brevi dat. 19 Aprilis eiusdem anni, dum facultas conceditur Episcopis, una tamen cum suis Capitulis, quorum consilio rem perpendere mature debeant, annuendi populorum votis petentium retinere Patronorum Festivitates in diebus propriis, quin easdem teneantur in proximum diem Dominicum transferre, ad formam generalis indulti; simul statuitur, quod cum agatur de Patronis Dioecesium, praeceptum Sacro interessendi et abstinendi a servilibus ad eas civitates et loca dumtaxat extendatur, quae cum non habeant praecipuum et singularem Patronum tenentur ad celebrandum Patroni Festum sub eadem solemnitate et ritu, quo in civitate peragitur. En verba: « Ea tamen lege, ut quando res sit de Pa-

tronis Dioecesium, praeceptum non protendatur ultra civitatem principalem, vel ultra ea loca, quae cum peculiari Patrono careant, Festum Patroni Dioecesis ex rubricae praescripto pari solemnitate celebrare teneutur ». Quoniam igitur Terra S. Geminiani hunc Sanctum, cuius nomine decoratur et distinguitur, proprium habet Patronum, veluti habuerat et coluerat, priusquam Collensi Dioecesi uniretur; ideo eiusdem dumtaxat Festum celebrare debet sub integro praecepto cum aliis solemnitatibus, privilegiis, praerogativis, quae principibus Patronis conveniunt.

Ad Dubium II. Si Benedictus XIV in sua Constitutione *Cum semper oblatus,* de obligatione applicationis Missae parochialis pro populo, ad hanc teneri Parochos declaravit, quos inter non leves erant obortae quaestiones, iis etiam in Festis, in quibus quoad nonnullas Dioeceses, firma obligatione audiendi Sacrum, alterum relaxaverat onus abstinendi ab operibus servilibus: « Nos, ita inquit, ut obortae dubitationes circa onus applicationis Missae parochialis in huiusmodi diebus festis (moderatis) penitus eliminentur, statuimus et declaramus, quod etiam iisdem Festis diebus, quibus populus Missae interesse debet, et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro populo celebrare et applicare teneantur ». Praeterea si ad eamdem applicationem tenentur Parochi iis quoque diebus antea festivis, quos s. mem. Pius VI, utraque obligatione sublata, suppressit, adiecta una tantum conditione, quod in sacris Ecclesiae functionibus nihil esset immutandum, veluti declaravit Sacra Congregatio Concilii, quae sub dubio proposito ab Antistite Camerinensi: « An diebus festis de praecepto a s. mem. Pio VI suppressis, sit applicanda in futurum Missa pro populo in casu etc. » sub die 28 Martii 1801 respondit: « Affirmative »; multo magis, potiorique iure ad id tenentur Parochi locorum, in quibus Patroni principis memoria sub utroque praecepto solemniter recolitur. Et quoniam Parochi rurales in suburbiis et agris Terrae S. Geminiani adnexi venerari Patronum debent, quem, uti principalem colunt Incolae Terrae: ideo et iisdem incumbit onus, cum applicandi Sacrum pro populo, tum annunciandi subiectae plebi abstinentiam ab operibus servilibus pro integra observatione praecepti. Sciscitandi hic locus esse videtur, curnam huiusmodi excitatum sit dubium? Fortene qui illud discutiendum proposuit, ea in opinione versatur, quod obligatio colendi Festum Patroni civitatis aut loci non extendatur ad suburbia et Paroecias rurales? Vehementer errat, qui ita existimat: nam sub nomine civitatis et loci veniunt etiam suburbia et rurales Paroeciae, ac propterea horum Incolae colere debent cum eadem solemnitate principem Patronum eiusdem civitatis aut loci. Ita Sacra Congr. declaravit in Tridentina sub die 15 Septembris 1743. Dubium erat: « An dictum Festum (S. Marci Evangelistae in oppido Roboreti) tamquam de praecepto celebrandum ab Incolis totius oppidi, vigore Constitutionis *Universa per orbem* ab Urbano VIII anno 1642 emanatae: an vero solum ab iis, qui eiusdem Ecclesiae parochiani existunt? complectitur autem haec Parochia fere totum oppidum, excepto unico suburbio trans pontem »: et responsum fuit: « Si Festum S. Marci erit tamquam Patroni oppidi Roboreti . . . . vigore Constitutionis Urbani VIII, iuxta Decreta S. R. C., tunc Festum S. Marci erit de praecepto observandum et celebrandum ab Incolis totius oppidi, etiam a transpontem suburbiis ». Merito igitur S. Congr. ad utramque dubii partem in casu proposito respondit: « Affirmative ».

Ad Dubium III. Non video, curnam hoc dubium discussioni propositum fuerit, postquam S. R. C. centies sanciverat Regulares teneri quidem ad Officium Patroni principalis Civitatis vel loci, sed sine Octava. Rogata namque sub die 22 Iunii 1630: « Quomodo concurrere debent Regulares in celebratione Festi Patronorum et Titularium Cathedralium locorum circa Officium et Missam? » respondit: « Regulares in Festis Patronorum seu Titularium Cathedralium locorum debere celebrare sub ritu duplici Officium cum Missa, prout celebratur in dictis Cathedralibus, ipso tantum die festo, et non Octavas: et ita per quoscumque Regulares servari debere declaravit ». Ita etiam in una Pistoriensi 27 Martii 1628; in Baren. 28 Martii 1647; in Neapolitana diei 19 Aprilis 1687, et aliis quamplurimis, quae brevitatis gratia omittuntur. Proposito autem dubio simillimum illud est, quod declaratum fuit a S. R. Congregatione in Panormitana 10 Septembris 1741. Cum enim expositum fuerit S. R. Congregationi Clericos Regulares Theatinos Panormi per saeculum et ultra consuevisse Patronorum civitatis Festum peragere cum Octava, quae postmodum per annos septem intermissa

fuerat, ac propterea exorta inter eosdem quaestione an iterum intercepta Octava esset reassumenda, quod faciendum aliquibus videbatur, eo praecipue: *Perchè li medesimi si servono del Calendario, di cui si vale il Clero secolare di Città;* ideo eadem S. Congregatio rogata *a volersi degnare di dichiarare se detti Religiosi siano tenuti di celebrare li predetti uffizi e Messe de' sette Santi protettori colle loro rispettive Ottave;* sub die 10 Septembris 1741 respondit: « Regulares non teneri ad recitationem Officii de Octava Patroni loci vel Titularis principalis ». Igitur, si non tenentur ad Octavam Regulares, qui eodem Calendario utuntur, quo utitur Clerus saecularis, etiamsi per saeculum et ultra de ea facere consueverint; multo minus eam celebrare debebunt, imo *nec poterunt* Regulares, qui Calendarium habent a dioecesano diversum. Dixi *nec poterunt,* et iure dixi. Illud enim *non teneri, non tenentur,* idem sonat ac *non debere, non posse, non debent non possunt.* Ita expressio illa, quae in praefatis Decretis occurrit, intelligenda est, ut nec facultatem relinquat peragendi Octavam *ad libitum.* Non arbitraria est nudaque opinio huiusmodi interpretatio: quippe talem esse eadem Sacra Congregatio declaravit, dum ad quaesitum hisce verbis expressum: « Disponente (Sacra Congregatione) quod Regulares ad Octavam Patroni principalis non tenentur, an ly *non tenentur* excludat etiam libitum, ita ut Regulares non possint de dicta Octava recitare, si velint? » Sub die 20 Martii 1683 in una Ordinis Minorum de Observantia respondit: « Non posse, nisi id specialiter indultum fuerit ex vi concessionis Apostolicae; vel Constitutionis Religionis a S. Sede approbatae »: vide Cavalerium tom. 1, cap. 3, decret. 9, Gavantum ad Rubricas Breviarii sect. 3, cap. 12, num. 5, ac Meratum ibidem, num. III. Patet igitur èx his, Regulares in Terra S. Geminiani commorantes vel Calendario Dioecesano utentes, vel Religionis proprio, nec teneri, nec posse reassumere interceptum usum protrahendi Officium de Patrono principali ad Octavam, sed debere se conformare Decretis supra relatis: ideo S. Congregatio proposito dubio respondit: « Negative ».

Ad Dubium IV. Cum Incolae Terrae S. Geminiani, ut in responsione ad 1, habeant et venerentur proprium Patronum, ad cuius Festum sub utroque praecepto celebrandum, vi Constitutionis sa. me. Urbani VIII, tenentur; haud habent onus recolendi ullo modo memoriam S. Martialis principalis Protectoris civitatis Collensis, qui relate ad eosdem nec integro praecepto gaudet, nec altero dumtaxat audiendi Sacrum.

Ad Dubium V. Eadem est ratio: etenim Clerus tam urbanus, quam suburbanus, nullo pacto tenetur ad Officium S. Martialis ratione patronatus, ac propterea multo minus ad eiusdem Octavam. Recolenda hic sunt quae ad primum dubium adnotavimus.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2634. DUBIUM. (4606)

Quamvis Caeremoniale Episcoporum adamussim praescribat, quae in Pontificalibus notanda agendaque sunt tam a Celebrante, quam a sacris Ministris aliisque inservientibus, et officia quae singulis conveniunt, pro munerum diversitate ordinatim enumeret; sunt tamen aliqua, quae non erant necessario exprimenda, prout non exprimuntur, quia perquamfacile deduci possunt et deducuntur ex clare expressis, cum quibus habent connexionem. Tale illud est, de quo rogata fuit S. Congregatio in proposito Dubio de detrahendis Episcopo, peracta Missa pontificali, sandaliis. Equidem si dubitari potest num Subdiaconus teneatur Episcopo pontificaliter celebranti detrahere sandalia, quia idem Caeremoniale omnino silet, neque expresse iubet ut id ab eo fiat; cessat tamen omnis dubitandi ratio, cum quod hac in parte obscurum est, facile declaratur ex alia eiusdem Caeremonialis rubrica, de ritu servando, dum Episcopus Sacrum solemne peracturus incipit legere Psalmos, qui ponuntur pro praeparatione ad Missam. Praeterea, quod expressis non declaratur verbis, ubi opportunus occurrebat locus, volitum tamen intelligendum est sub generali expressione, quae includit quod non erat necessario specialiter exprimendum. Quoniam vero sandalia sacris adnumerantur indumentis, plane consequitur eadem non a laicis, sed ab Altaris Ministro detrahenda esse, dum Episcopus post Missam, sacris aliis paramentis depositis, sandaliis postremo exuitur.

Iuxta praefati Caeremonialis dispositionem officium Diaconi est induere et exuere Episcopum sacris paramentis. Diacono vero datus est in adiutorium Subdiaconus, sed huic praecise et specialiter pertinet e credentia ad solium deferre sandalia, eadem-

que aptare pedibus Celebrantis. Ita lib. 1, cap. 10, § 2 : « Episcopo igitur incipiente legere Psalmos, affert (Subdiaconus) illi caligas et sandalia ex credentia sumpta, quae portat super bacili, seu velo serico cooperta . . . . et adiuvante uno ex familiaribus Episcopi induit primo tibiam et pedem dexterum Episcopi, mox sinistrum genuflexus sub cappa illius, et, cum tempus erit, simul cum Diacono adiuvabit Episcopum dum caeteris paramentis sacris induitur : quod munus licet ad Diaconum praecipue spectet, Subdiaconus tamen coadiuvat, ubi opus est ». Et iterum lib. 2, cap. 8, § 7 : « Interim Subdiaconus cantaturus Epistolam . . . . affert ex credentia super bacili sandalia et caligas, manibus velo coopertis . . . . . illaque adiuvantibus duobus Episcopi scutiferis . . . . . genuflexus induit primo in dextero, deinde in sinistro pede Episcopi, detractis prius per scutiferum ordinariis calceis ». Equidem silet idem Caeremoniale, dum res est de exuendo Episcopo ; nam lib. 1, cap. 10, § 6 legitur dumtaxat, quod Subdiaconus « redit ad locum suum post Episcopum, et ibi stat usque ad finem Missae, et, ea finita, adiuvat Diaconum in exuendo Episcopum ». Et lib. 2, cap. 8, § 81 : « ibique per eosdem Ministros exuitur sacris paramentis ». Sed quid tum postea? Si ad Diaconum pertinet sacris indumentis exuere Episcopum, eodem legis praescripto, quo suam praestare operam debuerat ad ipsum Sacris induendum curnam Subdiaconus non debebit idem praestare obsequium quoad sandaliorum detractionem, si ei iubet rubrica ut ipsius pedibus eadem aptet, designando pedem, qui primum, quique postea induendus est? Nonne quoad utrumque eadem concurrit ratio? Ideo tam in induendo quam in exuendo idem servandus est modus, et una Caeremonialis Rubrica per alteram declaratur. Praeterea quoad calceamenta fit apta distinctio inter usualia et pontificalia, ac diversa distinguuntur officia ; quapropter Subdiaconus pedes Episcopi sandaliis induit, nonnisi postquam scutifer usualia detraxerat. En discrimen inter servile servitium, quod praestandum a scutifero est, et honorificum officium ab Altaris Ministro exhibendum. Scutifer igitur, Missa peracta, suum debet reassumere servile servitium, non prius, sed postquam Episcopus omnibus pontificalibus indumentis exutus est, detractis a Subdiacono sandaliis, quibus induendus est Celebrans, priusquam sacra alia paramenta sumat de manu Diaconi, quaeque deponit, postquam aliis exutus fuit. Ex rubrica igitur de induendo Episcopo facile consequitur id, quod clare non exprimit alia rubrica de sacris paramentis dimittendis post Missam.

Sed, quod magis est, idipsum colligitur ex illis rubricae verbis : *ibidem per eosdem Ministros exuitur sacris paramentis :* quae tacite includunt quod necesse non erat aperte exprimere. Etenim, postquam declaratum fuerat quaenam agenda essent cum a Diacono, tum a Subdiacono ad sacris Episcopum induendum ; quae necessitas iterum inutiliter repetendi singularia vel ab utroque, vel ab alterutro praestanda officia in exuendo? Sensus ergo illorum verborum *per eosdem Ministros exuitur,* nisi me omnia fallant, non alius est, quam sequens : *quilibet eorum suo fungatur officio; scilicet, expleta Missa, Subdiaconus adiuvet Diaconum in exuendo Episcopum, ut fecerat in induendo, et postremo peculiare suum expleat officium, detrahatque sandalia, quemadmodum imposuerat.* Itaque cum in actione illa nulla notetur differentia, imo eadem solemnitate exuendus Episcopus sit, iisdem caeremoniis et per eosdem Ministros, quisque videt, planeque intelligit actionem istam ab iisdem, eodemque modo esse praestandam, nullumque inter utramque ponendum esse discrimen. Atqui ante Missam solemniter celebraturus Episcopus sandaliis a Subdiacono induitur ; ab eodem igitur eodemque modo exuendus est, absoluta Missa. Hanc autem esse interpretationem verborum illorum *per eosdem Ministros exuitur,* declarat cl. Ioseph Catalanus ad Caeremoniale lib. 2, cap. 27, num. 28, Comment. 16, ubi ait : « Accepta per Episcopum cappa, accedant duo assistentes Diaconi in habitu Canonicali, et Diacono ad suum scabellum manente, Subdiaconus it ad credentiam ubi accipit velum humerale album, et cum Acolythis et scutifero ad Archiepiscopum accedit pro detrahendis sandaliis. . . . Subdiaconus, detractis sandaliis, ipsisque repositis apud credentiam, una cum Diacono, facta Altari et Episcopo profunda inclinatione . . . . ad Sacristiam pergunt ». Idipsum legitur in Memorial. Rituum maioris hebdomadae tit. 1, cap. 2, § 17, num. 26. « Subdiaconus, more solito (accedit) cum Acolythis et scutifero pro sandaliis detrahendis ». Neque sit qui excipiat, velitque sandalia sacris indumentis adnumeranda non esse, ideoque non per-

tinere ad Subdiaconum in iis exuendis suam praestare operam. Ab hoc me facile possum expedire. Sciscitabor curnam Caeremoniale praecipit, ut Subdiaconus, et non scutifer, Celebrantis pedibus sandalia aptet? Nonnisi quia inter sacra indumenta recensentur. Verum si sacra sunt, dum Episcopus iisdem est induendus : quapropter sacrum ad hoc opus Caeremoniale iubet adhiberi Ministrum : desinunt ne esse talia, peracta Missa, ut non a Subdiacono, sed a scutifero sint detrahenda, ac si essent usualia et profana? Quonam argumenti genere huiusmodi poterit extricari nodus?

Quamquam omnis cessat controversia, si pretiosa antiquitatis monumenta spectare velimus, rubricarum praescripta expendere, Scriptores omnes de hac re agentes audire. Omnia simul in unum confluunt evincuntque sandalia sacris pontificalibus indumentis esse adnumeranda. Mei instituti ratio non patitur, ut cuncta, quae in demonstrationem afferri possent, ex ordine proferam et mysticas significationes recenseam, quae huiusmodi pontificali indumento tribuuntur. Videri possunt Amalarius lib. 2, cap. 25; Rabanus Maurus de institutione clericorum, lib. 1, cap. 22 ; Valfridus Strabo de rebus Eccles. cap. 23; Ivo Carnutensis Sermon. 3 ; Rupertus Tuitiensis de Divin. Offic. cap. 24 ; Honorius Augustodunensis lib. 1, de antiq. Missar. ritu cap. 210; Hugo Victorinus lib. 1, de Sacrament. cap. 54; Innocent. III de myst. Missae lib. 2, cap. 48; Guillelmus Durandus lib. 3, cap. 8, num. 7 et 8 : alios quamplurimos omitto brevitatis gratia. Addam ex recentioribus Cardinalem Bona Rer. liturgic. cap. 24, num. 9, ibique Robertum Sala et Catalanum in Prolegomenis ad Pontificale Romanum, cap. 8. Haud praetereundum quod legitur in rubrica *de ritu servando in celebratione Missae* § 6 : « Si sit Episcopus, et solemniter celebret, accipit paramenta et alia, ut in Caeremoniali etc. »; ubi Gavantus *hoc est caligas, amictum, albam etc.* Siquidem indumenta, quibus Episcopus a simplici Sacerdote distinguitur, sunt *Caligae, Sandalia, Crux pectoralis, Tunicella, Dalmatica, Chyrothecae, Mitra, Baculus pastoralis.* Meratus ad Gavantum ibidem num. 34. Nulla autem in rubricis, nulla a Scriptoribus distinctio inter paramenta et paramenta : ideo si sacra sunt *Tunicella, Dalmatica, Chyrothecae etc.* cur non erunt *Caligae* et *Sandalia?* Sed in re tam clara, quid verbis est opus? Si alia deessent argumenta, illud unum sufficeret, ab oratione petendum in sandaliis induendis a Celebrante recitanda. In consecratione Episcopi, dum is caligis et sandaliis induebatur, sequens a duobus Episcopis, qui cum Consecrando a Sacrario egressi ad paratum Sacellum venerant, dicebatur Oratio : *Omnipotens sempiterne Deus, qui es initium et finis, fac istum famulum tuum N. Fratrem scilicet nostrum tua benedictione calceari, pedibus istis in praeparatione Evangelii pacis.* Ita se legisse ait in quodam antiquo Ordine Romano Ioseph Vice-Comes lib. 3, de Missae apparatu, cap. 2, pag. 116 apud Dominicum Giorgi de Liturgia Romani Pontificis tom. 1, cap. 13, num. 2. Numquid autem preces istae assignantur in solemnibus peragendis mysteriis, quoad indumenta, quae sacra non sint? Sed cur immoror in antiquis, quae non sunt amplius in usu ; si formulam Orationis habemus, quam Episcopus solemne Sacrum facturus recitare debet, dum sandaliis induitur? videlicet : *Calcea Domine pedes meos in praeparationem Evangelii pacis, et protege me in velamento alarum tuarum.* Sandalia igitur sacris indumentis adnumeranda esse tam certum est, quam quod maxime. Quid plura? Sandalia peculiare quid festivum habent ad solemnitatem actionis referendum ; ideo iisdem Episcopus non utitur Feria VI in Parasceve, vel si in funeribus pontificaliter celebret, ut in Caeremoniali lib. 2, cap. 11, § 2, et cap. 25, § 6. Si quaeras cur ita? rationem affert Durandus : *quia tunc omnis solemnitas cessare debet;* apud Martène, de antiquis Ecclesiae ritibus, lib. 1, cap. 4, art. 12, pag. 589, et apud praefatum Dominicum Giorgi ibi cap. 14, num. 7 et 8. Dic modo, quod sandalia sub sacrorum indumentorum appellatione non veniant et uti profana habeantur! At si sacra sunt, nedum decet, ut sacer Minister, tam in induendo iisdem, quam in exuendo Episcopum suam praestet operam et obsequium ; verum etiam ita faciendum omnino, veluti iubet Caeremoniale et S. Congregatio in responsione ad propositum dubium definivit.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2635. VELITERNA. (4607)

Ad componendas quaestiones, quae saepe oriebantur inter Parochos et Sodalitates Laicorum horumque Cappellanos, generalia Decreta evulgata fuerunt anno 1703, quorum

ope certa statuebantur confinia, intra quae utraque pars continere se deberet, ne in posterum similes contentiones excitarentur. Haec inter, quod nostra interest, illud est, quo non licere declaratur praefatis Cappellanis stolam deferre extra propriam Ecclesiam ; quo posito ad huius Decreti tramites « Negative » respondendum fuisset supplici Libello porrecto nomine Sodalitatis sacrorum Stigmatum Velitris canonice erectae, et Archiconfraternitati Urbis aggregatae. Secus tamen accidit : et Emi Patres Sacr. Rit. Congregationi praepositi declararunt : « Servandam esse consuetudinem, et nihil innovandum ». Et iure quidem. Etenim Decretum illud non ubique observantiam obtinuit, et forte alicubi, Ordinariis locorum acquiescentibus et annuentibus, in desuetudinem abiit. Praxis, quae Romae obtinet exemplo sit, ubi Cappellani Sodalitatum sine ulla contradictione Stolam deferunt, et pacifica modo res est, nedum vigore inductae consuetudinis, verum etiam Tribunalis Vicariatus Decreto et Sententia. Nam, lite excitata inter Sodalitatem Mortis et Parochos Urbis, quinque Dubia Sacr. Rit. Congregationi proposita pro decisione fuerunt; quae inter hoc tertium : « An Rectores sive Sacristae aliive Cappellani earumdem Confraternitatum, quando non incedunt cum suis Confraternitatibus, sed seorsim ab illis, possint in funeribus ducendis Stolam deferre? » cui responsum fuit sub die 27 Ianuarii 1680, ad 3. « Negative ». Dubium autem supponit potius, quod Stolam deferri liceret, vel saltem in more id esset, dum Cappellani incedebant cum suis Confraternitatibus : non enim de hoc quaestio erat, quae unum respiciebat casum Cappellanorum seorsim a suis Confraternitatibus incedentium. Non acquieverunt dissidentes partes, iterumque causa, beneficio novae audentiae, Sacrae Congregationi delata fuit, cui rem maturiori examini subiiciendam fore visum est; quamobrem sub die 21 Aug. eiusdem anni ampliatum iudicium fuit, quin tamen appareat iterum Sacram Congregationem rogatam pro Dubii decisione fuisse. Verumtamen scimus ex Decreto Cardinalis de Carpineo Urbis Vicarii super hisce controversiis anno 1698, plures habitos fuisse particulares Conventus ; ac tandem, quatuor resoluta Dubia a Patribus Sacrae Congregationi Concilii praepositis, negatumque Sodalitatum Cappellanis *Cotta et Stola indutis* tantummodo *recitare preces, et lustrali aqua cadavera aspergere in Ecclesiis Parochialibus;* sed per hoc non consequitur interdictum fuisse stolae usum in Processionibus. Dices tamen id postea vetitum vigore memorati Decreti anni 1703. Non intercedo. Dico tamen, vel numquam, saltem Romae, hoc Decretum in observantia fuisse, vel postea eidem derogatum permissumque Stolae usum in processionibus vel funereis, vel generalibus, vel peculiaribus, suprema auctoritate aut praeceptis aut permissis. Lego enim in Statuto Cleri Camerarii Urbis confirmatum fuisse Cardinalis de Carpineo Decretum sententia Cardinalis Marefuscus Urbis Vicarii, Petri Cathedram tenente Benedicto XIII, (scilicet multo post quam prodierat Decretum generale anni 1703). Per eam sententiam vetitum est Confraternitatibus Crucem erigere, sed eisdem datum, parvum adhibere vexillum, seu signum in deferendis cadaveribus ; permissum tandem quod *Cappellani Confraternitatum incedant cum Stola immediate post ipsam Confraternitatem.* Ex quo intelligimus, antea inolevisse abusum incedendi cum Stola seorsim a Confraternitate, vel etiam in eadem linea ad sinistram Parochi, cum decisum videam sub die 20 Decembris 1698 : « Cappellanis Confraternitatum in associatione cadaverum tumulandorum, etiam ad Ecclesias seu Oratoria ipsarum Confraternitatum, non licere incedere in fine Processionis funebris ad sinistram Parochi, sed tantummodo incedere debere post ipsam Confraternitatem funus associantem ». Quae Decreta confirmata postea fuerunt a Cardinali Guadagni Urbis Vicario sub fel. record. Clemente XII. Ita in praefato Cleri Urbis Statuto a pag. 61 ad pag. 63. Sed hic de Stola adhibenda, vel non, dum Cappellani seiuncti non sunt a suis Confraternitatibus, ne verbum quidem occurrit ; vetitus vero est Stolae usus in Ecclesia tumulante, in qua possunt preces devote recitari, ut prosequitur laudatum Cardinalis de Carpineo Decretum, *sed sine cantu, sine thure, sine Stola et sine aspersione aquae benedictae, luminibus tamen accensis.* Verum prohibitio isthaec non extenditur ad funebrem Processionem extra Ecclesiam. Ex his consequitur delationis Stolae prohibitionem, quae venit ex Decreto anni 1703, vel ex permissione et privilegio, vel ex longaeva consuetudine coercendam esse quoad Ecclesias, non quoad Processiones. Et revera haec est consuetudo, quae Romae viget, ubi in omnibus Processionibus, quae fiunt, vel in funerum asso-

ciatione, vel devotionis gratia, vel de Praesidum mandato, cum vel sine pompa, Cappellani agmen Confraternitatum claudentes Stolam deferunt coloris, quem exigit actionis qualitas, eamdemque in Ecclesiarum ingressu dimittunt, in egressu reassumunt. Quod si ratio quaeratur, cur id, ubi consuetudo est, permittatur? facile est invenire: decet namque, ut hisce Processionibus Sacerdotes Stolam deferant, quae characteris distinctivum est, ne cum simplicibus clericis confundantur. Neque est cur Parochi id eis invideant, turbasque moveant: non enim per delationem Stolae ipsorum iura, privilegia, praerogativae laeduntur: siquidem probatum fuit in adnotationibus legendis ad Decretum in Tiburtin. diei 25 Augusti 1818 Stolam distinctivum quidem esse, non autem signum iurisdictionis, ut perperam Parochi arbitrabantur. Neque ipsis fit iniuria, si Cappellani incedentes cum suis Confraternitatibus, Stolam deferant, praesertim in ducendis funeribus; quippe Parochi digniori prosequuntur loco in fine processionis, neque cum iisdem Cappellanis confundi possunt. Ideo per praefatum Cardinalis Carpinei Decretum dumtaxat praecipitur, ne Cappellani eamdem tenentes lineam, ad eorum sinistram cum Stola incedant: quo tantum in casu ab iisdem minime distinguerentur, et aliquod ius viderentur habere in corpus defuncti, ut habent Parochi; iure igitur vetitum id est. Enimvero haud repugnabant Parochi Velitrenses, imo annuebant, ut praefatus Cappellanus Stola, tamquam Sacerdotalis characteris insigni, uti possent, dummodo eam deferret super brachio plicatam instar Almutiae, non autem e collo pendentem. Quid ineptius ad componendam litem? Numquid novi ritus ad litigantium placitum commodumque sunt inducendi? Stola ex Rubricarum praescripto, non alio deferenda est modo a simplicibus Sacerdotibus supra Cottam, quam circa collum aptata et pendens ante pectus, praeterquamquod in Sacrificio Missae in quo componenda est in forma Crucis: neque est chorale indumentum, ut ad instar Almutiae deferenda sit. Licet dumtaxat brachio plicatam superimponere, dum aliqua actio Stolam requirat dimittendam, actione absoluta reassumendam, quando iterum Sacerdos sacrae actioni operam suam praestare debet.

Erit forte nonnemo, qui hucusque relata haud trahi posse secum putet ad casum, de quo agitur; nam S. C. Concilii responsa, Cardinalis de Carpineo Decretum, Cardinalis Marefusci sententia prodierunt in causa Parochorum et Confraternitatum Urbis, nec quidquid commune habent cum controversia inter Parochos et Confraternitatem a Stigmatibus nuncupatam Civitatis Velitrensis. Huic exceptioni facile satisfit. Equidem non diffiteor de Cappellanis tantummodo Sodalitatum Urbis actum fuisse: verum a Cardinali Marefusco pronunciata sententia et consuetudo deferendi Stolam per praefatos Cappellanos evincunt in casibus particularibus, aut consuetudinem sustineri, aut privilegio alias etiam Confraternitates posse decorari. Nam a firmata regula, prohibente Confraternitatum Cappellanis Stolae delationem extra proprias Ecclesias, recedendum est, si favore earumdem Societatum earumque Cappellanorum pugnaret longaeva observantia, quae in subiecta materia totum facit ac unice servanda est, veluti firmavit Rota in Colonien. Praeeminentiarum 22 Iunii 1701, § *Verum,* coram Dell'Olmo, et in Neapolitana, Primiceriatus 11 Decemb. 1722. § *Sed et clarius,* coram Lancetta. Videsis Fabium de Albertis de sacris utensilibus cap. 9, num. 80. Cum vero in eodem sacro Tribunali non semel disputatum fuerit utrum ius deferendi Stolam competeret Cappellanis Societatum aggregatarum, vi huiusmodi aggregationis, tam in Processionibus, quam in aliis functionibus; favore Sodalitatum decisum fuit, ut in Savonen., Aggregationis 27 Iunii 1698 et 15 Iunii 1699, coram Pio, 9 et 15 Iunii 1670 coram Dell' Olmo et 13 Iunii 1701 coram Molines, quae est inter eius impressas 727. Velitrensi autem Sodalitati nedum favebat consuetudo, verum etiam communicatio privilegiorum, quibus gaudet Archiconfraternitas Urbis, cui est aggregata; ideo S. C., habita utriusque ratione, in casu particulari, eiusdem Sodalitatis favore pronunciavit. Cur tamen dixi *in casu particulari?* immo potius ut generale haberi posse Decretum videtur, quo moderatur et declaratur antiquum illud anni 1703; quippe quia non una fuit decidendi ratio ex immemorabili usu Confraternitatis, de quo erat quaestio, atque ex consuetudine Romae alibique vigente, sed etiam altera, quae communis est omnibus Confraternitatibus, dum eadem S. C. simul animadvertit: « Decere et conveniens esse, ut Confraternitatum Cappellanus a simplicibus Clericis distinguatur ». Generalem igitur Decretum istud dat regulam: eoque magis, quia Apostolica auctoritate SSmus

Dom. Noster Leo XII Pont. Max. S. C. Responsionem approbavit et confirmavit.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO RESOLUTIONIS

2636. DUBIORUM. (4609)

Ad Dubium I. Casus, super quo, duobus propositis Dubiis, S. R. C. rogata fuit pro decisione, vere est singularis. Similis forte numquam per plurium saeculorum fugam contigerat; accidit tamen anno proxime praeterito 1824 in altera ex Ecclesiis Status Veneti. Qua ratione pro novitate rei consultum fuerit, omnino ignoratur: nec certe poterat in temporis angustia a Missalis Rubricis vel a liturgicarum rerum Scriptoribus lumen aliquod peti, cuius ope, quid facto opus esset, agnosceretur. Si quod tunc fuit male gestum (quod ignoro) emendari nequit: plurimum tamen interest, immo S. R. C. visum est omnino necessarium maturo examini subiicere proposita Dubia, nedum, ut cognoscatur quo modo agendum sit, si idem casus in posterum contingat; verum etiam, ut palam fiat qualitas et natura Missae, quam Feria VI in Parasceve, vero Sacrificio destituta, Praesanctificatorum appellatione distinguimus. Exquisitum proinde fuit Votum duorum Theologorum; sed quoniam hi non fuerant in una eademque sententia concordes, demandatum mihi fuit, ut iisdem expensis, meum sensum aperirem. Parui mandatis, et pro ingenii tenuitate rationes, quae in unam potius quam in alteram sententiam inclinabant, ingenuo calamo exposui. Votum autem praelo cusum, quod fuit Eminentissimis PP. Sacrae Congregationi praepositis distributum, et ab iisdem probatum, est ut sequitur:

« Quantunque la soluzione de' proposti Dubbii nulla giovi rapporto al fatto già consumato, ed al quale non sappiamo se bene o male fosse allora provveduto; si è nondimeno riputato espediente di averli in considerazione sì per istabilire la regola da tenersi in altri simili casi, se mai accadessero, sì per conoscere qual sia propriamente la qualità della Messa, che dicesi de' Presantificati. Perciò all'istanza fu rescritto: *Proponatur in prima, exquisito Voto duorum Consultorum Theologorum.* Dieder questi i loro voti in iscritto, che dal degnissimo Monsignor Segretario furono a me, come Assessore della S. Congregazione, comunicati, affinchè li riducesai in compendio, e sull'affare aprissi il mio sentimento.

» In esecuzione dell'onorevole incarico, ho preso in considerazione ambedue i Voti, i quali ho trovati nella parte sostanziale fra loro discordi; e non poco ho esitato prima di determinarmi piuttosto all'uno, che all'altro parere; giacchè, per non porre il piede in fallo, e senza prevenzione per l'uno o per l'altro, seriamente ho voluto ponderare le ragioni recate *hinc inde*.

» Convengono essi in due punti, cioè *nel primo,* che se per mancanza di soggetto abile a proseguir la funzione, dovesse questa rimaner interrotta, non deve trovarsi ostacolo nell'ammirazione, che ciò potrebbe cagionare nel popolo, avvegnachè in simili o poco differenti casi l'ammirazione si toglie con avvertire il popolo dei motivi, pei quali non può proseguirsi la sagra funzione.

» Il *secondo* poi, sul quale parimente convengono, si è nello stabilire che non possa il Diacono in virtù dell'Ordine, che esercita nel ministerio, proseguir la funzione, e dare a questa compimento colla Messa, che dicesi de' Presantificati. E ciò con tutta ragione: imperciocchè, qualunque sia in questo giorno la natura di tal funzione e Messa; certo è però che per istituto e disciplina della Chiesa, questa è così propria dell'Ordine presbiterale, che da altri d'inferior grado non si può eseguire per qualunque evento, urgenza e circostanza. In questo dunque cessa ogni questione, e l'affare è composto.

» Ma non sono così d'accordo nel punto sostanziale, cioè, se non essendovi che un solo Sacerdote non digiuno, possa questi riprendere la funzione dal luogo, ove fu interrotta per l'apoplessia, da cui venne improvvisamente colpito il Celebrante, oppure nol possa, ed in conseguenza abbia a riporsi la Sagra Ostia nel Tabernacolo da consumarsi nel dì seguente dal Celebrante, dopo la sunzione del Calice.

» L'uno crede che debba continuarsi l'interrotta azione dal Sacerdote non digiuno. Egli si appoggia all'opinione probabile di quei Teologi, che tengono essere la Messa de' Presantificati il compimento del Sacrificio offerto nell'antecedente Giovedì: ed atteso che in materia de' Sacramenti fa d'uopo attenersi alla più sicura sentenza, essendo bastevole qualunque dubbio, purchè sia fondato e ragionevole, per determinare il giudizio; perciò egli opina per

la continuazione. Così esso argomenta. L'opinione probabile che la Messa de' Presantificati sia compimento del precedente Sacrificio rimane tuttavia indecisa, non essendo stata finora dalla Chiesa o espressamente ammessa, o assolutamente riprovata: dunque la cosa è dubbia, e nella dubbiezza sembra debba prevaler l'obbligo di dar compimento al Sacrificio, e non attender l'altro del digiuno naturale, non potendosi in questo caso osservare ambedue i precetti. Se un tal argomento possa convenire al caso nostro vedremo in appresso. Ogni qual volta si avesse ad ammettere una tale opinione, si dovrebbe rispondere ai proposti quesiti:

Ad 1. cioè: *Se in tal caso la funzione di quella mattina debba proseguirsi sino al compimento?*

Resp. In casu de quo agitur Affirmative.

Ad 2. cioè: *Se possa proseguirla il Diacono Digiuno, ovvero continuarla un Sacerdote non digiuno?*

Resp. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.

» Diametralmente è opposto il Voto dell'altro Teologo; e siccome questi è d'opinione, che non possa continuarsi l'interrotta azione nè dal Diacono digiuno, nè dal Sacerdote non digiuno, così ei si determina per la negativa, tanto al primo quanto al secondo quesito, e conchiude, che debba cessare la sacra funzione e convenga riporre il Sacramento nel Tabernacolo. Le ragioni, che egli adduce, (senza far conto di quelle che si recano più *ad ornatum*, che *ad opportunitatem*) specialmente si riducono a questa, cioè, che nel caso proposto non si tratta di dar compimento ad un Sacrificio incoato, che debba necessariamente perfezionarsi, ma bensì di consumare la Sacra Ostia riservata nella Messa del precedente giorno, cioè della Feria V, affine che nella seguente Feria VI in Parasceve dal Sacerdote, che eseguir deve le funzioni del giorno, possa consumarsi. Dunque non v'interviene quella validissima ragione, per la quale non solamente è lecito al Sacerdote non digiuno di compiere la Messa da altro Sacerdote, dopo la consegrazione di una o di ambedue le specie, interrotta, per improvviso sopravvenuto accidente; ma assolutamente lo deve, poichè l'obbligo di perfezionare il Sacrificio prevale al precetto Ecclesiastico del natural digiuno. Conferma il suo sentimento coll'autorità e dottrina di Benedetto XIV, il quale seguendo la sentenza di altri dotti Scrittori, tiene, che nel caso del Parroco, che ha celebrato e riposto il Sacramento nel Sepolcro in due Parrocchie nel Giovedì Santo, non possa poi nella Feria VI iterare la funzione e celebrar la Messa de' Presantificati in ambedue: giacchè, avendo ciò interamente eseguito nella prima Parrocchia, con adempire il rito della Chiesa, che non deve essere per verun modo alterato, ha dovuto necessariamente franger la legge del natural digiuno, con sorbire la Particola della Sacra Ostia in un col vino non consacrato. Questo è un caso così analogo al nostro, che non può desiderarsi di più.

» Ammesso dunque il Voto di questo secondo Teologo, si dovrebbe rispondere *Negative ad utrumque.*

» In questa diversità di opinioni, quale dovrà abbracciarsi? Non sono io da tanto, che possa simil questione decidere, ed aspetto il giudizio, che sarà per pronunciare la Sacra Congregazione in cosa di non lieve momento, quale è la presente. Nondimeno siami lecito di esporre e soggettare al savio intendimento degli Eminentissimi Porporati, che la compongono, quelle ragioni, che, dopo aver maturamente esaminati gli argomenti recati *hinc inde,* mi fanno propendere a favore del sentimento del secondo Teologo.

» Senza andar per le lunghe, e cercar da lontano argomenti, che di molto raziocinio abbisognino, la soluzione sembra a me semplicissima, come quella, che unicamente dipende dal conoscere, se la Messa de' Presantificati debba aversi per vero Sacrificio o per compimento del Sacrificio antecedente, oppure non sia nè l'uno, nè l'altro. Sciolta questa questione, il dubbio è risoluto. Imperocchè, se avrò dimostrato non esser la Messa de' Presantificati vero Sacrificio, nè compimento di Sacrificio, sarà dimostrata altresì la qualità e natura della medesima, che dicesi Messa in lato significato, perchè il Celebrante usa i sacerdotali indumenti, con misteriosi riti, e ritenendo alcune preci appartenenti alla Messa, ma non sostanzialmente al Sacrificio, colla solennità propria del giorno, consuma la Sacra Ostia, a tal fine nel precedente giorno riservata, spezza l'Ostia e ne immerge una particella nel Calice ecc. Da tali premesse chiara discende la conseguenza, che non è lecito al Sacerdote non digiuno di dare nel caso proposto compimento alla Messa de' Presantificati.

» Certa cosa ella è, che a mio credere non può dirsi la Messa de' Presantificati vero Sacrificio: così la comune de' Teologi. E benchè fra questi alcuni pochi vi siano, che sostengono il contrario, o almeno hanno la Messa de' Presantificati per compimento del precedente Sacrificio; non è da farsi verun conto della loro opinione, troppo essendo labili, e fuor di proposito le regioni da essi addotte, come mi accingo a dimostrare.

» Non vale quella dedotta dal ripetersi più volte nella sacra azione il termine *Sacrificio,* e dal recitarsi pria di partire dall'Altare l'orazione *Placeat.* Imperciocchè la parola *Sacrificium* non sempre ha il significato di Messa, ma bensì *vel late sumitur pro quocumque ministerio sacro: vel* (che è il caso nostro) *significatur ipsa Hostia consecrata; eo modo, quo victima Sacrificii solet interdum Sacrificium appellari.* Tetamo, Diar. Ecclesiast. tract. 2, lib. 4, part. 2, cap. 8, num. 254 et 266; Suarez, tom. 3, in 3 part., disp. 75, sect. A, in fine. Si possono vedere i significati della parola *sacrificium* nel Lessico del Macri, e nel Glossario del Ducange. Non sussiste poi, che si chiuda la sacra funzione coll'orazione *Placeat;* giacchè dettosi dal Sacerdote *Quod ore sumpsimus etc.* nota la Rubrica: *non dicitur Corpus tuum Domine, nec Post Communio, nec Placeat tibi, nec datur benedictio, sed, facta reverentia Altari, Sacerdos cum Ministris discedit.* Ma dato ancora, che una volta si conchiudesse la Sacra azione coll'Orazione *Placeat,* come si pretende (non so con qual fondamento) da chi sostiene l'opinione suddetta; l'essersi poi questa posteriormente omessa porge un validissimo argomento per istabilire che la Messa de' Presantificati non è Sacrificio: poichè l'anzidetta Orazione *Placeat* in tali termini è concepita, che nella medesima la parola *Sacrificium* ha più stretto e proprio significato, di quello abbia nell'*Orate fratres,* e nell'*In spiritu humilitatis.* Affine dunque di togliere ogni motivo di equivocare sull'intelligenza dell'espressione usata in detta Orazione, che potrebbe far credere esser vero Sacrificio quello che tale non è, avvedutamente la Rubrica vuole che nel Venerdì Santo si taccia non solo il *Post Communio,* ma ancora l'Orazione *Placeat.* Perciò il Gavanto ad Rubr. Missal. part. 4, tit. 9, num. 20, litt. Z, meritamente avverte, che si tralascia l'Orazione *Placeat:* « non ob eam rationem, quia Sacrificium in ea nominatur, quod non fit hodie: nam supra nominatum est in Oratione *Orate fratres*; sed quia hic expresse diceret Sacerdos se obtulisse Sacrificium, quod non est verum; est autem verum in Sacramento Christi esse Sacrificium Sacerdotis et populi seu victimam Sacrificii, late sumpto vocabulo Sacrificii, ut in hoc casu docet Suarez part. 3, disp. 75, sect. 4, in fin., quod in *Orate fratres* dicitur. Et hoc idem voluit Durandus etc. ». Che più dunque vi vuole per conchiudere, che il termine *Sacrificium* quale in questo giorno s'incontra nell'*Orate fratres,* e nell'*In spiritu humilitatis,* non deve esser preso nello stretto e proprio significato di vero e real Sacrificio, ma bensì largamente *pro quocumque ministerio sacro, et pro ipsa hostia consecrata.*

» Non mi fermo nell'altra ancor più debole ragione desunta dal supposto, che l'assistenza alla funzione di questo giorno si abbia per adempimento del precetto d'udir la Messa, se in esso coincide la Festa dell'Annunciazione di Maria SS. Argomento piantato sul falso; giacchè cessando in tal giorno l'Ostia e il Sacrificio, cessa ancor l'obbligo di udir la Messa; e la Chiesa ha provveduto al caso, col trasferire insieme la Festa col precetto alla Feria II dopo la Domenica in Albis; a differenza di quanto accade nella Feria V, in cui, per esser giorno *liturgico,* a comodo del popolo si permettono più Messe, oltre la solenne Conventuale.

» Finalmente non so intendere, come si voglia trarre al significato di vero Sacrificio una espressione usata dal Dottor Angelico che sicuramente nol porta. All'obbiezione, che ei si propone: Perchè mai, facendosi la commemorazione della Passione di Gesù Cristo nella Feria VI in Parasceve, venga intermesso il Sacrificio? risponde: « Quod veniente veritate, cessat figura. Hoc autem Sacramentum est figura quaedam et exemplum Dominicae Passionis; et ideo in die, quo ipsa Passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur Consecratio huius Sacramenti ». (Lo stesso è che dire, *cessat Sacrificium*): Indi prosiegue: « ne tamen Ecclesia ea etiam die sit sine fructu Passionis, per hoc Sacramentum nobis exhibito, Corpus Christi consecratum de praecedenti reservatur sumendum in illo die, 3 part., qu. 23, art. 2, ad 2 ». Qui il Santo Dottore parla

del frutto del Sacramento riservato per questo giorno, in cui, *veniente veritate, cessat figura ;* ma non mai significar vuole, che la sunzione dell'Ostia preconsecrata sia vero Sacrificio o compimento dell'antecedente, pienamente già perfezionato. Che se volesse l'espressione usata da S. Tommaso prendersi nel significato di Sacrificio o compimento di Sacrificio, ne deriverebbono due gravissimi assurdi. Il primo, che manca qualche cosa alla perfezione del Sacrificio celebrato nel dì antecedente: lo che è apertamente falso. Il secondo, che vi sarebbe il Sacrificio nel giorno, in cui per istituto della Chiesa cessar deve il Sacrificio, e dovrebbe dirsi giorno *Liturgico* quello che dicesi ed è *Aliturgico,* perchè senza Sacrificio. Patentissime contradizioni! Ne risulta perciò, che non può trarsi verun argomento dall'espressione di S. Tommaso a sostener l'opinione di chi pretende esser la Messa de' Presantificati vero Sacrificio o compimento dell'antecedente.

» Ed in fatti Francesco de Lugo, il quale lib. 4, de Missa, c. 2, qu. 5, num. 4, si dimostrò propenso all'opinione, che sostiene doversi intendere l'espressione dell'Angelico, se non di vero Sacrificio, almeno di compimento del Sacrificio antecedente; si ritrattò poscia per la forte ragione, che il Sacrificio antecedente ha di già avuto il pieno suo compimento, nè resta cosa, di che perfezionarlo; perchè *una Consecratio nonnisi per unam sumptionem compleri debet in ratione Sacrificii,* e l'una e l'altra azione comprendono morale unità di tempo *in ratione Sacrificii.* Ciò tanto è vero, che, trattandosi di vero Sacrificio, dato il caso che questo sia interrotto dopo la Consecrazione, nè si abbia pronto un Sacerdote che prosiegua e compisca la Messa, ed intanto passino più ore; vuole la comune de' Teologi, che si ripongano le specie consecrate nel Tabernacolo, da consumarsi dopo la sunzione del Calice in altra Messa nel dì seguente, ma non esser più lecito il perfezionare la Messa interrotta nel giorno antecedente, poichè una lunga interruzione toglie l'unità morale necessaria al Sacrificio. Si veda Tetamo, loco citato, quaest. 4, num. 267, il quale aggiunge: « Quod Sà verbo Missa, num. 38 docuerat, etiam sequenti die esse ab alio peragendum, ubi prior desierat et sic complendum Sacrificium; hoc correxit Magister Sacri Palatii, recte volens sequenti die sumi in alia Missa quod superesset; quia peracta est actio tota hesternae Missae, nec censeretur esse idem Sacrificium ». Tratta magistralmente questa questione il Quarti ad Rubr. Missal. tit. 10, num. 2, sect. 1, dub. 5, ed ottime ragioni adduce, che pienamente convincono esser una lunga interruzione, che toglie l'unità morale, d'impedimento a compiere il vero interrotto Sacrificio. Che dir dunque dovremo del caso in questione, in cui, oltre la lunga interruzione, vi è più forte il motivo desunto dalla qualità della Messa dei Presantificati, che nè è, nè in stretto senso dir si può Sacrificio?

» Sembra perciò bastantemente comprovato, che la Messa de' Presantificati non è Sacrificio, ma neppur può dirsi compimento del Sacrificio antecedente, che ebbe la sua piena ed intiera perfezione. Mi si dirà: Perchè dunque nella Messa della Feria V furono consecrate due Ostie? Perchè la seconda con tanta solennità custodita? Perchè nel seguente giorno, secondo il prescritto rito, dal celebrante Sacerdote all'Altare consumata? E non potranno considerarsi la celebrazione della Messa, la riposizione nel Sepolcro, li prescritti riti del dì seguente e la Messa de' Presantificati per una continuazione di atti fra loro sì strettamente connessi e legati, perchè formino moralmente l'unità dell'azione? Se ciò non prova che la Messa de' Presantificati abbia ad aversi per un vero Sacrificio, almeno condurrà ad averla per compimento del Sacrificio antecedente. A tale obbietto rispondo che le premesse non conducono alla conseguenza, che se ne vuol trarre.

» Imperciocchè è vero, che nella Feria V si consacrano due Ostie; ma altrettanto è vero, che una solamente è necessaria, e dee servire alla perfezione del Sacrificio; l'altra si dee conservare ad un fine totalmente diverso, cioè per consumarsi in un giorno, che privo è di Sacrificio, perchè, secondo la dottrina dell'Angelico: *Ne Ecclesia etiam hodie sit sine fructu Passionis etc.* Allo stesso modo, benchè a differente oggetto e fine, si consacrano le particole da riporsi nel Tabernacolo per la comunione de' Fedeli; si consacrano due Ostie, affine di riserbarne una da esporsi alla pubblica venerazione. Ognun vede qual conseguenza debbasi da ciò dedurre. Sono poi piene di sublimi misteri le azioni posteriori alla Messa della Feria V cioè la riposizione nel Sepolcro, i riti da osservarsi nel seguente giorno, le lezioni, le preci, i mesti canti e la Messa de' Presantificati;

tutto diretto a tener viva nel cuor de' Fedeli la memoria della Passione e Morte del Redentore. Si abbian pur questi per atti continuati, che formino l'unità dell'azione; avrassi bensì una continuazione successiva di riti e ceremonie riguardanti il medesimo oggetto, ma non già una continuazione ed unità identica, onde la sunzione dell'Ostia riservata abbia necessariamente ad aversi per continuazione e compimento dell'antecedente Sacrificio. Che se vorrà dirsi che la Messa de' Presantificati per li speciali riti proprii di quel giorno, nel suo estrinseco ha una tal quale apparenza di Sacrificio, il concederò; purchè mi si dia che nel senso stretto e proprio non è Sacrificio, nè compimento di vero Sacrificio.

A maggior conferma di quanto finora si è detto giova ancora il riflettere, che nè vi è obbligo, nè la Rubrica prescrive, che il Sacerdote, il quale ha celebrato nel Giovedì, e nella Messa ha consecrate due Ostie, abbia poi ad eseguire le sacre funzioni della Feria VI, e conchiuderle colla Messa de' Presantificati. Anzi universale è l'uso contrario; e nelle Patriarcali, Cattedrali, Collegiate e Chiese Conventuali per il solito celebra le sacre funzioni quello, che è di turno, benchè diverso dall'altro, che ha celebrato nell'antecedente Giovedì; anzi così si pratica nella Cappella Pontificia, ove nella Feria V *in Coena Domini* canta Messa un Cardinal Vescovo, nella Feria VI il maggior Penitenziere. Dirò di più, che la Sagra Congregazione de' Riti ha creduto universale la diversità de' Celebranti in questi giorni, poichè nelle questioni spesso proposte: Se ed a chi debbasi consegnare la chiave dell'Urna, che racchiude la sacra e riservata Ostia? costantemente ha risposto: *Canonico vel Dignitati, qui in crastinum Feria VI in Parasceve erit celebraturus: Sacerdoti in crastinum celebraturo.* Lo stesso è che dire: *Al Sacerdote cui tocca per turno.* Così nella Pacen. 30 Ianuarii 1610 et Hispalen. 9 Ianuarii 1633 et 22 Novembris 1636, Granaten. 16 Ianuarii 1664, Carthagenen. 15 Martii 1732, Tiburtina 7 Decembris 1737. Si tralasciano per brevità altri simili Decreti. Ma se la Messa de' Presantificati fosse una continuazione e compimento del precedente Sacrificio; se le funzioni di ambedue le Ferie si dovessero avere come componenti una sola identica azione, cosicchè non consumandosi l'Ostia preservata, restasse imperfetto il Sacrificio della Feria V, ragion vorrebbe che, per modo di regola, senza un legittimo impedimento la funzione della Feria VI venisse eseguita da quello stesso, che ha celebrato nel giorno antecedente. Dunque qual conseguenza se ne dovrà dedurre? Non altra certamente, se non che la Messa de' Presantificati non è vero Sacrificio, nè compimento di Sacrificio.

Nè punto mi muove l'argomento, che si fa dall'autore del primo Voto. Oltrechè l'opinione probabile, alla quale egli si appoggia, (cioè che la Messa de' Presantificati è compimento dell'antecedente Sacrificio) si è dimostrato essere d'ogni ragione sfornita; si dee riflettere, che qui non si tratta *de Sacramento conficiendo;* oppure *de validitate Sacramenti;* rapporto a' quali, qualunque dubbio, che sia fondato e ragionevole, basta, perchè si abbracci il partito, che metta la cosa in sicuro: ma la questione si riduce a vedere, se la sunzione dell'Ostia consecrata debba aversi per così connessa col Sacrificio del precedente giorno, che si abbia a tenere per parte integrale del medesimo. Qui la validità del Sacramento è in sicuro, e non consumandosi, secondo il prescritto rito, per qualunque inaspettato accidente, l'Ostia preconsecrata, il Sacrificio del precedente giorno nulla perde della sua perfezione ed integrità, nè può acquistare maggior perfezione: perciò credo non potersi ammettere il sentimento esposto dall' autore del primo Voto, il quale, attenendosi al parere, come egli crede, probabile di pochi Teologi di sopra già confutati, giudica ciò essere sufficiente, perchè possa e debba il Sacerdote non digiuno continuare l'interrotta funzione e consumare l'Ostia riservata.

Da quanto si è detto fin qui sembra al corto mio intendimento essere a sufficienza provato, che la Messa de' Presantificati non è Sacrificio, nè compimento di Sacrificio. Che se ciò non bastasse, assai di forza aver deve l'esempio del Parroco, che in due distinte Parrocchie ha celebrato nel Giovedì Santo, e sì nell'una, come nell'altra ha riservato l'Ostia per consumarsi nel seguente Venerdì. Se in questo giorno compie la funzione nella prima Parrocchia, non può iterarla nella seconda, perchè non più digiuno, avendo sorbito la particola infusa nel vino non consecrato. Così Benedetto XIV nel Trattato de Sacrificio Missae lib. 3, cap. 5, num. 5, aderendo al sentimento del Silvio e del Suarez: così

il Tetamo loc. cit. cap. 8, num. 170. Ma quel che è più, ciò che aveva insegnato il suddetto dotto Pontefice da Dottore privato, confermollo poscia nella Costituzione: *Declarasti nobis*, delli 16 Marzo 1745 *super celebratione duarum Missarum eodem die per unum Sacerdotem* Bullar. tom. 2, Constitut. 3, pag. 14 et seq. Mi sia lecito di qui riportar per intero l'articolo della detta Costituzione su tale oggetto: « In nonnul-« lis regionibus mos inoleverat, quod Pa-« rochi duarum Parochiarum Feria VI ma-« ioris hebdomadae Officium faciebant, pri-« mum in una ex Parochiis, et deinde il-« lud iterabant in altera. Ieiunii praeceptum « in sumptione Eucharistiae non est iuris « Divini, sed Ecclesiastici, teste Cardinali « Bona, Rerum liturgicarum lib. 1, cap. 21, « num. 2, ubi refert initio non omnibus « in locis universos praedicta lege obstri-« ctos fuisse: cumque, hoc minime ob-« stante, animadversum fuisset Parochum « celebrantem Officium in secunda Parochia, « non ieiunum sumere Eucharistiam sub « specie panis, sumpserat enim in Officio, « quod celebravit in prima Parochia, par-« ticulam Hostiae consecratae die praece-« denti, una cum vino non consecrato, et sic « ieiunium fregerat naturale; reprobata fuit « consuetudo, etsi, uti afferebatur, pietati « et devotioni innixa. Hoc exemplo per-« culsi alii Parochi duarum Parochiarum, « aliam induxerunt consuetudinem, ut utra-« que Parochia Officium Feriae VI maioris « hebdomadae celebrare possent; praeter-« mittendi scilicet haustum vini in primo « Officio, quod in prima Parochia celebra-« bant, sumentes tantummodo speciem pa-« nis, ut ieiuni in secunda Parochia Offi-« cium facerent, Missamque, quae dicitur « Praesanctificatorum, celebrarent. At haec « quoque consuetudo fuit reprobata, ut-« pote contraria ritui Ecclesiastico, quem et « Ordo Romanus et Sacramentarium S. Gre-« gorii praescribunt et adhibet universalis « Ecclesia. Franciscus Sylvius magni nomi-« nis Theologus, tom. 5 suorum operum « editionis Antuerpiensis Orat. 1, quae est « unica de Officio Parasceve, rem graphice « exponit, nec Parochorum consuetudini « censet esse ullo modo deferendum. De « hac eadem re plura habentur apud Sua-« rez in 3 part. Divi Thomae tom. 3, quaest. « art. 2, disput. 80, sect. 3, et nos ipsi haec « omnia exposuimus in nostro tractatu de « Sacrificio Missae; et in alio tractatu de « Festis Domini Nostri Iesu Christi part. 1, « typis Patavinis edito, § 306 et seq. con-« futavimus errorem Graecorum schismati-« corum, qui volunt in Missa Praesanctifi-« catorum, per immersionem particulae in « Calicem ex Sacratissima Hostia detractae, « transubstantiationem fieri vini in Sangui-« nem Christi, et diximus Sacerdotem, in « Officio Feriae VI maioris hebdomadae, su-« mere Christi Corpus et Sanguinem, cum « utrumque revera sit sub specie panis « praecedenti licet die consecrati ».

Ma se al Parroco di due Chiese non è lecito l'iterare la funzione del Venerdì Santo nella seconda Chiesa, dopo averla eseguita nella prima, perchè non è più digiuno, avendolo dovuto frangere per necessità in osservanza del rito prescritto dalla Chiesa; molto meno potrà esser lecito il farlo al Sacerdote, che, non già per l'osservanza del prescritto Ecclesiastico rito, ma per natural necessità, o per qualunque altra siasi volontaria o accidental cagione trovasi di averlo violato. La Rubrica tit. 9, num. 4 contempla il solo caso, in cui si abbia a compiere l'interrotto Sacrificio, perchè non debba rimanere imperfetto: « Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit et in casu necessitatis, etiam per non ieiunum ». Ma siccome la Messa de' Presantificati, atteso quanto si è detto, non è Sacrificio, nè compimento di Sacrificio, cessa il motivo di dar compimento a ciò che è perfettamente compito e perfezionato; ed in conseguenza, tolta di mezzo la condizione assoluta della positiva necessità, non potrà il Sacerdote non digiuno consumar l'Ostia preservata, ma dovrà questa esser riposta nel Tabernacolo.

Faccio qui fine, tralasciando quel di più, che dir potrei in conferma di quanto ho cercato di comprovare e non facendo d'uopo d'ulteriori argomenti a dimostrare l'insussistenza dell'opinione contraria. Resta ora che la Sagra Congregazione in vista delle addotte regioni decida, non già per rimediare ad un fatto che non può disfarsi, perchè consummato, ma per prender motivo dal medesimo, affine di provvedere all'avvenire, dandosi un simil caso: e la risoluzione potrà servire per vieppiù confermare quel che già è certo cioè che la Messa de' Presantificati non è Sacrificio, nè compimento di Sacrificio. Crederei perciò, che potrebbe essere il Rescritto, come siegue.

Ad 1. *Provisum in secundo.*

Ad 2. *Si ministrans ut Diaconus est Sacerdos et ieiunus, ipse assumpta casula,*

prosequatur Officium, et Missam praesanctificatorum absolvat, alterque non ieiunus Sacerdos ei succedat in munere Diaconi; quatenus vero ille sit dumtaxat in Diaconatus Ordine constitutus, et nemo alius adsit Sacerdos ieiunus, cesset Officium et sacra Hostia reponatur in Tabernaculo, die sequenti post sumptionem Calicis a celebrante sumenda.

ADNOTATIO
SUPER
2637. GENERALI DECRETO. (4610)

Dubitatum saepe fuit, num in Orationibus recitandis in Officio et Missa S. Ioannis Constantinopolitani Antistitis et S. Petri Episcopi Ravennae addi possent agnomina *Chrysostomi* et *Chrysologi*, an potius omitti, vigore Decreti ab hac S. Congreg. editi in Einsilden. 23 Iunii 1736, quod iubet ut *expungantur omnino in Orationibus tantum cognomina et patriae Sanctorum.* Iure autem super hoc rogata S. R. C. definivit stricte accipiendum esse praefatum Decretum, nec extendi ad agnomina vel pronomina specialis praerogativae, qua Sancti decorantur. Ratio autem discriminis est, quia familiae cognomina et patriae designatio distinguunt personam ab aliis, quibus idem nomen est, et cum Oratio dirigatur ad Deum, non est opus, ut Sanctus, cuius memoria recolitur, cognomine aut patria ab aliis eiusdem nominis secernatur. Etenim, ut notat Cavalerius tom. 2, cap. 38, decr. 1, num. 4: « In Orationibus . . . . Deum alloquimur, qui haud eget instrui cuiusnam Sancti intercessionem postulemus; quare ab Orationibus aliisque, quae ad Divinum pertinent Officium, merito ad distinctionem patria apponi vetatur »: et ibidem decr. 2, num. 2: « Ubi in praecedenti decreto ab Orationibus patria expungi dumtaxat praescribitur: modo et patria et cognomina expungenda dicuntur. Sicuti namque in praecedenti decreto ponderabamus, Deum, quem in Orationibus alloquimur, ut intelligat cuius Sancti praesidium imploramus, cognomine aliquo nefas est indigum reputare ».

Non ita dicendum de pronomine, quod includit atque designat specialem quamdam qualitatem seu praerogativam, qua Deus decoravit Sanctum, de quo recitatur Officium, uti sunt *Ioannes Chrysostomus* et *Petrus Chrysologus.* Non enim pronomen adiicitur, ne confundantur cum aliis Sanctis eiusdem nominis, uti sunt familiae cognomen et indicatio patriae, sed adiicitur ad recolendum singulare donum iisdem concessum, quod ad Dei donantis gloriam refertur et ad fidelium aedificationem. Praefatus Cavalerius ibidem decreto 1, num. 5, postquam a regula excipiendas esse docuerat « Mariam Magdalenam, Mariam Aegyptiacam, aliasque Sanctas, quae Mariae nomen habent, ut distinguantur a Maria Christi Matre, quam sicuti dignitas a caeteris mulieribus admodum distare facit, ita congruit eadem secernatur, ita ut Mariae nomen absolute et simpliciter pronuntiatum Matri Christi dumtaxat adaptetur »: prosequitur ad decr. 2, num. 4: « ab hac regula (vetante additionem cognominis et patriae) exciperemus agnomina illa, ut Chrysostomi et Chrysologi etc., quae tituli honoris sunt et praesertim, quia novissime cum hoc titulo in Breviarium S. Petrus Chrysologus invectus fuerit »: videri etiam potest Guyetus in Hortologia lib. 3, cap. 2, quaest. 5.

Et revera, si in Orationibus id exprimendum est, in quo magis emicuit Sanctus, de quo celebretur memoriam ad fidelium aedificationem et exemplum: curnam tacendum erit pronomen, quod donum Dei includit et pandit, veluti sunt *Chrysostomus* et *Chrysologus?* Nonne haec duo pronomina miram exhibent in dicendo facundiam et in suadendo efficaciam, qua *Ioannes* et *Petrus* fuerant insigniter a Deo ditati, ut docerent, instituerent, corriperent, animarum spirituali saluti consulerent ac devios in vias Domini revocarent? Num ne grande hoc Dei donum, quod nedum honorificum est illis, quibus datum est, verum etiam in elargitoris Domini gloriam convertitur, cui soli debetur laus, honor et gratiarum actio, in Orationibus tacendum erit? Num ne huiusmodi pronomina confundenda sunt cum familiae cognomine et designatione patriae, de quibus, dumtaxat loquitur Decretum anni 1736? Res tamen clara ulteriori illustratione non indiget; et cessat modo quaelibet controversia, postquam S. C., re mature discussa, pronomina illa retinenda esse declaravit, ut patet ex relato Decreto. Firmum igitur stat, quod per Decretum anni 1736 delenda ex Orationibus sunt familiae cognomina, patriae designatio et aliae quaelibet additiones, quae ideo invectae sunt, ut Sanctus ab aliis eodem nomine nuncupatis distinguatur; non autem pronomina, quae honoris sunt, et ad significandam Sancti, de quo fit Officium, singularem a Deo ipsi datam qualitatem apponuntur.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2638. BRICTINORIEN. (4611)

Ad Dubium II. Facti species haec erat. Brictinoriensi Dioecesi novissimis temporibus plures accesserunt Parochiae cum suis plebibus. Siquidem ex conterminis Abbatiis S. Elleri de Galeata et S. Mariae in Cosmedin suppressis, s. me. Pius VI anno 1784 duodecim Paroecias, quae temporali Pontificio Dominio subiiciebantur, Brictinoriensi Ecclesiae adiunxit: anno 1806 s. m. Pius VII addidit septem alias, quae prius ad Abbatiam Nullius Foro Pompilii pertinebant. Quoniam autem ab eo usque tempore, quo Brictinoriensis Civitas ad Sedem Episcopalem evecta fuit, quod accidisse fertur saeculo XIV Virginem et Martyrem Catharinam, quae iam erat Titularis maioris Ecclesiae, Cathedralis honore postea decoratae, Civitatis et Dioecesis incolae, ut principem Patronam habuerunt, ei tribuentes emnia venerationis obsequia, quae Patronis debentur; opinio invaluit, quod adiectae supramemoratae Paroeciae, ut caetera Dioecesis loca, S. Catharinam in Patronam assumere deberent. Hinc orta dissidia, cum aliquae plebes, quos antea coluerant, nollent cum diverso Patrono commutare. Composita res fuit quoad Paroecias primae accessionis; nam (si unus excipiatur populus Terrae Civitellae, qui, arbitratus sibi Patronum adesse S. Philippum Nerium, haud se induci sivit, ut S. Catharinam ei in Patronatu sufficeret) aliae omnes undecim minime dubitarunt illam in Patronam habere, quae hoc honore in Dioecesi Brictinoriensi decorabatur. At non ita accidit de aliis Parochiis avulsis ab Abbatia et Territorio Foro Pompilii: singulae quippe Patronos, quos prius coluerant, retinere voluerunt. Huiusmodi dissidia et in Patronis colendis varietates, excitarunt solicitudinem vigilantissimi Episcopi, qui, ut cuncta componeret et ad formam legis exigeret, S. R. C. supplex rogavit, ut quid facto opus esset, sua auctoritate definiret. Implexa res videbatur, cum de tot diversis Patronis ageretur: nihilominus S. C. brevi responso ad duo prima Dubia singulis plebibus, quae peculiares Patronos venerabantur, sua prudentia consuluit. Generalem regulam dedit ubique in similibus servandam, qua, ut saepe alias declaratum fuerat, sancivit ab omnibus colendum esse Civitatis Patronum, dummodo in locis Dioecesis nullus reperiatur Patronus principalis. Hisce adnumerari nequibat populus Terrae Civitellae, qui perperam putat sibi adesse Patronum S. Philippum Nerium, minime servata forma Decretorum Urbani VIII, arbitrarie assumptum. Id clarissime evincitur, tum quia idem Sanctus in illa Terra ritu dup. mai. gaudet; tum etiam quia usque ad annum 1784 in eadem cultum principalis obtinuerat S. Ellerus Ecclesiae, cui tunc subiiciebatur, Patronus. Nequit igitur praefatus populus feriatum habere diem festum S. Philippi (nisi ex simplici devotione fiat), sed iuxta praefatum S. C. responsum, S. Catharinam, ut praecipuam Patronam colere debebit. Quid vero dicendum de Paroeciis et plebibus, quae sub iurisdictione fuerant Abbatiae Nullius Foro Pompilii, et modo adiectae sunt Dioecesi Brictinoriensi, si retinere cupiant Patronos, quos, ut principales Territorii, in quo versabantur, coluerant? Turbandi ne erunt a legitima possessione, et cogendi ut alium Patronum assumant? Si meum fas est expromere sensum, in libertate iisdem id esse relinquendum videtur. Difficile enim est, ut antiquum Patronum, quem tam maiores, quam ipsi specialibus venerationis significationibus coluerant usque adhuc, modo velint deserere, ut alterum prosequantur. Vere quippe ipsorum Patronus, quia talis erat Ecclesiae, cui subiiciebantur. Sed licet haec mea sit opinio; attamen magis congruere credo, si fieri sine turbis et offensione potest, ut hortationibus inducantur harum Parochiarum et Pagorum incolae ad debito honore colendam Patronam Dioecesis, ad quam modo pertinent. Plura disserere non est opus; consulto tamen haec adnotavi, quia non raro accidunt huiusmodi dismembrationes et adiectiones, ac opportunum visum est, cohaerenter ad S. R. C. responsum, regulam tradere, quae hisce in casibus quoad principales Patronos servanda sit. Ad rem hanc illustrandam nonnihil prodest aliud recentius Decretum eiusdem S. C. in Collen. 27 Martii anni mox praeteriti 1824 cum subiectis adnotationibus.

Ad Dubium III. Iure quaesitum fuit: « An possit Episcopus tolerare, quod in Calendario dicatur Patrona Civitatis et Dioecesis tam B. V. Maria de Lacu nuncupata, quam S. Catharina V. et M. ». Unus namque, ut decreta iubent, Patroni Civitatis nomine et praerogativis gaudere potest: quamobrem cum S. Catharina V. et M., ab immemorabili tempore talis sit, perperam in Calendario principalis Patronae qualitate B. V. Maria de Lacu donata est. Habet quidem Officium

ex concessione S. R. C. duplex 1 class. cum Octava; sed sola elevatio ritus non valet ad patronatum, quum alii multi sint tituli, qui S. C. indicunt ad illud indulgendum. Ad patronatum inducendum aliae et multo plures sunt conditiones, quae requiruntur, et in casu et in specie nostra omnino desunt. Specialissimus cultus, singularia venerationis obsequia debentur B. M. V. quae prae omnibus Sanctis omnium Christifidelium Patrona est : verum non inde consequitur, quod non generali dumtaxat, sed etiam peculiari alicuius Civitatis vel loci patronatu gaudeat, cum adnexis praerogativis et privilegiis, nisi praecesserit formalis electio et subsequens confirmatio, iuxta Urbani decreta. Ideo S. C. proposito Dubio respondit : « Negative, etiamsi Officium Beatissimae Virginis celebretur sub rit. dupl. 1 class. cum Octava ».

Ad Dubium IV. Altera se offerebat quaestio de abstinentia et ieiunio servando in pervigilio Festi S. Catharinae principalis Patronae. Variae erant sententiae. Notabat extensor Calendarii Dioecesani : *Vigilia cum ieiunio.* Rogatus, quo iure ? ignorare fassus est : neque ex caeteris inventus est ullus, qui id sciat. Certum tamen est alios esse, qui tenent ex praecepto omnino servandum, alii putant in arbitrio id relinquendum, et quatenus servari velit, nonnisi ex devotione faciendum : hinc scandala et peccandi pericula. Qui ieiunium non servant scandalo sunt iis, qui abstinentiam et ieiunium in praecepto esse arbitrantur ; et ex diverso opinandi modo oriri potest periculum quoad populum operandi cum erronea conscientia. Eoque magis id timendum, quia non una est, sed varia Confessariorum praxis. Ut rem componeret, solertissimus Episcopus onus sibi dedit scrutandi ; num ex voto, num ex consuetudine, an alia quacumque ex causa huiusmodi ieiunium inductum fuerit : nihilque invenisse fatetur, unde saltem coniici posset Vigiliam hanc cum ieiunio de praecepto servandam. Ad hanc igitur S. C. recursum habuit pro solutione Dubii. Quid ergo iuris? Decidendi ratio a regula generali petenda est, qua docemur huiusmodi ieiunium non esse in praecepto ; repetendam vero eiusdem originem, vel a Maiorum voto, vel a consuetudine ac voluntaria populi devotione. Nulla lex est, quae iubeat principalium Patronorum Festa praeveniendi esse in pervigilio, et illa dumtaxat sub praecepto cadunt, quae in Rubricis, Breviario et Missali Romano suis apte locis notantur, vel cum Officio et Missa atque ieiunio servanda, vel cum alterutro tantum, iuxta qualitatem Festorum et temporum, in quibus cadunt. In hypothesi vero, quod ieiunio originem dederit votum a Maioribus nuncupatum, hoc non obligat successores, qui non voverunt, ut pluries declaravit S. R. C., praesertim vero sub die 18 Aprilis 1643 : « Unanimi consensu declaratum fuit, ex dispositione Constitutionis praedictae *Universa per Orbem* Urbani PP. VIII pro observatione Festorum dat. Idibus Septembris 1642, personas voventes tantum teneri ». Huiusmodi autem responsum idem Urbanus Pontifex laudavit et approbavit, dixitque « intentionem suam fuisse per eam Constitutionem tollere Festa de voto quoad vim praecepti et reducere illa ad instar Festorum de devotione, praeservata obligatione ratione personalis contractus ex vi voti provenientis ipsismet personis tantum, quae voverunt ». Ita etiam sancitum fuit in Hipporegien. die 19 Novemb. 1650, in Marianen. die 16 Martii 1658 et 15 Februarii 1659, in Barcinonen. 20 Decembris 1659 et in Panormitana die 1 Februarii 1744. Ad consuetudinem quod attinet, haec laudabilis est, strictam tamen obligationem non inducit. Guyetus in Hortologia lib. 1, cap. 17, quaest. 2 de hac re agens: « Multorum pia, inquit, ac laudabilis consuetudo tam Saecularium, quam Regularium, ut in pervigiliis suorum Patronorum, sive ex devotione, sive ex statuto et ordinatione aliqua particulari, ieiunium servent » : mox quaestio 3 quaerit : « Num legitimus sit huiusmodi Vigiliarum usus? » et respondit ut sequitur : « cum Ecclesiae illae, in quibus receptus est, insignes sint, ac titulares, quae suo item gaudent Breviario proprio, non tantum legitimus est eiusmodi usus, sed etiam venerandus ac laudabilis; adeoque iure retinendus. Quoad vero alias Ecclesias, quae Romano Breviario mancipatae sunt, si talis etiam usus apud illos inductus est ex legitima item consuetudine , quae numquam interrupta fuerit, non video quid necesse sit eum abrogare , maxime cum id patitur ratio temporis, nec aliud occurrit impedimentum. Nam velim id sit praeter Rubricas quidem, at non contra . . . . ubi vero talis usus incognitus fuit hactenus, haudquaquam eum legitime induci posse crediderim, cum nihil simile in Rubricis permittatur (ubi agit de more illarum Ecclesiarum, quae proprio gaudent Breviario, iungendi ieiu-

nio Vigiliae Officium), cuius proinde silentium hac in parte pro negatione haberi debet. Esto ergo ieiunetur in mensa, *si lubet* (idem est ac si ex devotione fiat) haud tamen propterea Officium diei immutare, aut aliquid addere fas est ». Equidem commendatissimus Auctor inductam laudabilem et legitimam consuetudinem vult esse servandam, quae tamen, ut prosequitur, *nusquam interrupta fuerit.* In specie autem nostra, num consuetudo ieiunandi in pervigilio S. Catharinae legitima sit, et numquam interrupta fuerit, dubium est; et dubitandi rationem affert opinionum dissensio, et confessariorum praxis, unde fit ut aliqui de populo abstinentiam et ieiunium Festo praemittant principalis Patronae, alii non item ad id teneri arbitrentur. Itaque S. C. regulae adhaerens proposito Dubio respondit: « Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam ». Sed quoniam providendum erat quieti animarum, cum et Confessarii in diversa abirent, scandalisque parandum erat remedium, addiderunt Patres: « Consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum et exemptione quoad futurum, quatenus opus sit ».

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2639. URBIS. (4613)

Cupientes Magistri Caeremoniarum Patriarchalis Lateranensis Basilicae novis privilegiis, praeter ea quibus gaudent, locupletari, preces dederunt Sanctissimo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. eas flagitantes honorificentias et praerogativas, quae Sacri Palatii Apostolici caeremoniarum Magistris concessae sunt. Precibus autem ad S. R. C. remissis, haec re mature discussa, respondendum censuit: « In decisis sub die 17 Septembris 1822 in responsione ad 14, videlicet: Et quoad caeremoniarum Magistros Ecclesiarum Patriarchalium Urbis servandam esse stricte formam privilegii ». Aequum visum fuit huiusmodi responsum Sanctissimo Domino Nostro, ac proinde nedum Sanctitas Sua eidem Apostolicae auctoritatis addidit pondus, verum etiam iussit, *ne preces amplius recipiantur.* Decet namque illos, qui immediate servitio Domni Apostolici specialiter sunt destinati, nedum extrinsecis honorificentiis, sed et privilegiis plurimis distingui ab aliis, qui eodem funguntur officio, sed quosdam intra limites contineri debent, utpote ad unius Ecclesiae servitium destinati. Hi namque uti possunt indultis privilegiis, non ubique, sed in Ecclesia tantum, cuius servitio sunt addicti. Secus si fieret, magna oriretur confusio, et ex communicatione privilegiorum non levis daretur dissidiorum occasio. Siquidem, ut non infrequenter accidit in similibus, ex privilegiorum etiam limitata communicatione, possent, qui hanc obtinuerunt, fimbrias extendere, iuraque turbando, indebita ac incompetentia sibi munia usurpare in praeiudicium illorum, quibus privative conveniunt; cavendum propterea, ne id fiat. Neque illud omittendum, quod magnum discrimen ponit inter Pontificios caeremoniarum Magistros et alios qui Patriarchalibus Basilicis inserviunt. Quippe primi nobile quoddam Collegium efformant, atque constituunt. Horum in munere senior Praefecti nomine decoratur; et idem, vel ex eodem Collegio alter assumptus, a Summo Pontifice d putatur in Secretarium Congregationis Caeremonialis, cui semper praeest Eminentissimus Dominus Sacri Collegii Cardinalis Decanus. Et quoniam numquam defuerunt in eodem Collegio, qui nedum in agendo peritia et rerum liturgicarum cognitione, verum etiam in scientificis aliis facultatibus multum praestabant; ideo amplioribus honoribus digni habiti sunt. Et ne vetustiora exempla quaeramus, recentissima non desunt: nam saeculo proxime praeterito sacris infulis Gambaruccius et Realius fuerunt insigniti: Dinius vero Praelatis domesticis adnumeratus: et modo alter, qui in eodem Collegio fuerat, ob eximia sua merita et doctrinam, uno ex iis muneribus decoratur et fungitur, quibus maiora succedunt. Qui igitur ad huiusmodi Collegium pertinent, confundendi non sunt cum illis, qui in respectivis Patriarchalibus Lateranensi, Vaticana et Liberiana idem munus exercent. Hi sua habent privilegia, suasque etiam extrinsecas honorificentias, quibus ab aliis inservientibus minoribus Ecclesiis distinguuntur; iisdem contenti sint, nec potiora quaerant.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2640. NERITONEN. (4614)

Dum S. R. C. a fel. record. Pio VII deputata in peculiari Conventu die 27 Augusti 1822 providis legibus modum imposuit Capitulis et Canonicis quibus Insignium

Pontificalium usus, vel exercitium, aut utrumque indultum est, ne sibi indebitos usurparent honores, utque ab usurpatis in posterum desisterent; simul addidit per statutas leges Apostolica auctoritate firmatas, ope Constitutionis *Decet Romanos Pontifices etc.* IV editae Nonas Iulias 1823, nullum inferri praeiudicium Capitulis, si quae sunt amplioribus privilegiis decorata. Sed quoniam evenire facile poterat, ut aliqui, perperam interpretando hanc exceptionem et praeservationem, eadem abuterentur censentes sibi licere morem sequi, et honorificentias in Decreto et Constitutione non expressas adhibere, ac si essent speciali Indulto vel immemorabili consuetudine quae iustum supponit titulum, roboratae; ideo cautum consulto fuit, ut si quae sunt aut esse putantur huiusmodi privilegia, in Sacra Congr. perpendenda deducantur, ad effectum opportune decernendi quod e Canonicarum Sanctionum praescripto visum fuerit. Latae legi obtemperans Neritonensis Antistes et Apostolicae Constitutioni § *Quo circa,* praecipienti locorum Ordinariis, « ut praesentes nostras Literas, et singula in eis statuta faciant auctoritate nostra debitae exequutioni demandari, illaque inviolabiliter observari »: interdixit quasdam honorificentias et praerogativas, quas agnovit nec expressas, nec permissas in praefatis Decretis et subsequenti Apostolica Constitutione Archipresbytero primae Dignitati insignis Collegiatae Castri Cupertini, qui, licet nec iniuria, nec perperam, iisdem uteretur, reverenter tamen mandatis paruit. Verum cum bonum ius habere crederet, ne sibi suisque successoribus detrimentum silentio afferret; e re sua esse duxit S. C. rogare, ut dignaretur declarare privilegia, quibus huc usque usus fuit, legitime fuisse inducta, ac propterea in possessione ipsum esse manutenendum. Eminentissimi autem Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, inhaerentes dispositioni § *Si quae vero etc.* antedicti Decreti, abnuerunt ab iis, quae documentis destituebantur, veluti erat mos *sumendi ex Altari paramenta, adhibendi assistentem ministrum supra numerum, sedendi in mobili sede coriacea,* et coercendas praerogativas declaravit dumtaxat ad duo, videlicet, *quoad trinam benedictionem,* et *quoad anulum.* Ita habetur in supra relato Decreto; de his namque plene constabat, praesertim ex actis visitationis peractae anno 1686, in qua Episcopus cognovit: « Che il Reverendo Arciprete di Copertino aveva il privilegio *ab immemorabili* di benedire il popolo col Santissimo Sagramento con tre Croci, come suole benedire il Vescovo; ed anco tiene il privilegio di celebrare la Messa, o solenne o privata con lo anello al dito ». Propterea huiusmodi praerogativas approbavit, confirmavitque. In Instrumento vero possessionis datae proviso a felic. recordationis Clemente XI de Archipresbyteratu, legitur eumdem admissum in possessione fuisse: « Apponendo in uno ex eius digitis anulum gemmatum, quem continuo gestare debet et in Missis tam solemnibus, quam privatis et ubique locorum; ac pariter in triplici benedictione populi cum Venerabili Sacramento ad instar Episcopi, ut ex privilegio etc. ».

Facti seriem exponere opportunum duxi, immo id consulto feci, ut, qui in casibus huic affinibus versantur; intelligant quae fuerit mens Sacr. Congr., dum Decreto generali adiecit clausulam *praeservativam,* quae simul *suspensiva* est. Qui enim in dignitate aliqua constituti Pontificalibus fruuntur insignibus, vel etiam exercere Pontificalia habent in more, ne credant sibi licere usum honorificum alicuius praerogativae, quam sibi debitam, praeter expressas in Decreto et Apostolica Constitutione, arbitrantur vel ex privilegio, vel ex consuetudine, priusquam iura ad Sacr. Rit. Congr. deducant, et huius decisionem obtineant. Nam non datum est ipsis de legitima possessione decidere, sed examen et iudicium eadem Sacra Cong. sibi reservavit, et semper est parata, iuxta canonicas sanctiones, ad confirmandum privilegia, siqua legitima repererit, vel immemorabilem consuetudinem, si plene probatam cognoverit. Sciant quoque Episcopi, aliique locorum Ordinarii, onus sibi iniunctum exequendi praefatum generale Decretum, quod, utpote Apostolica auctoritate firmatum, vim legis universalis obtinet: proindeque, si in respectivis Dioecesibus aut separatis Territoriis quid inductum invenerint vel praeter, vel contra in Decreto indulta et specialiter expressa, iubere debent, ut adamussim servetur idem Decretum; et interea, specialis praerogativae usu suspenso, ad Sacr. Rit. Congr. deducantur documenta, ut eadem, iuxta casuum diversitatem et documentorum pondus, providere possit, et, quid in posterum servandum sit, praecipere, veluti in praefato casu Archipresbyteri Collegiatae Castri Cupertini Dioecesis Neritonen. factum est.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2641. APUANA. (4615)

Ad Dubium I. Quamquam Caeremoniale Episcoporum, dum ordinem servandum in solemni Processione Sanctissimi Corporis Christi apte disponit lib. 2, cap. 33, num. 4, tam Parochis, quam Collegiatis sub Cruce Cleri Ecclesiae Cathedralis incedentibus, debitum locum assignet: haec tamen regula non omni ex parte, et praeceptiva tenenda est; sed potius, ne oriantur inter diversos Cleri coetus dissidia et dissensiones de praecedentia et loco, ut directiva habenda est: dum sub unica tantum Cruce, unicum quodammodo morale Corpus efficiunt, licet diversi Ordines sint. Ideo varias locorum consuetudines non eliminat, veluti notat cl. Catalanus ad hunc Caeremonialis locum num. 1 et 2. Eadem dispositio obtinet dumtaxat in casu, quo diversi Ordines simul conveniunt, non autem si in more sit positum, ut seiunctim a Clero Cathedralis, vel Parochi, vel Collegiatae sub propria Cruce incedant. Hoc adeo verum est, ut nemo ignoret universali fere usu id esse receptum. Itaque Apuani Parochi cum a saeculo et ultra consueverint alterna vice propriae Parochiae Crucem erigere, sub qua primum Clerici, mox Presbyteri, demum ipsi Parochi Superpelliceo Stolaque induti incedebant, digniorem locum relinquentes Collegiatae (postmodum in vim subrogationis ad Cathedralis decus evectae) a legitima possessione acquisita per centenariam consuetudinem, quae vix praeter, non contra legem est, turbandi non sunt. Neque deneganda eis est stolae delatio. Praeterquamquod enim de centenaria huiusmodi delationis consuetudine non dubitatur; decet ut Parochi collegialiter, non uti singuli, incedentes, a ceteris Presbyteris distinguantur. Stola quippe sacerdotale indumentum est, non signum iurisdictionis (si excipias parochiale exercitium in funeribus), ut quidam perperam opinantur. *Nullam autem importare iurisdictionem, si simpliciter deferatur sine ullo illius actuali exercitio,* docet Pignatellus tom. 3, consultat. 48, num. 40, expresse dicens, *quod Stola sine suo exercitio non est signum praecipuum iurisdictionis, sed vestis sacerdotalis.* Can. *Ecclesiastica* 9, distinct. 23; et ut tradit S. Thomas tom. 3, part. 9, supplement. artic. 7, in corp. Est habitus proprius Sacerdotis, et est veluti forma totius ornatus Sacerdotalis; et deducitur ex Concilio Bracharen. III et Toletan. IV, cap. 39, apud Gratian. cap. 398, n. 61; Panimoll. part. 3, decis. 270, num. 11; Rota in Savonen. Aggregationis 15 Iunii 1699, § *Non obstat,* coram Pio, ibi: « Non obstat quod Stola sit signum iurisdictionis, ideoque non concedenda simplici Sacerdoti etc. Quapropter aliud Stola significat in Episcopo, aliud in simplici Sacerdote etc. Et propterea esse signum aequivocum, nec importare iurisdictionem, nisi illam deferens expleat Parentalia ». Et in Bisinianen. Praeeminentiarum 27 Ianuarii 1726 § final. coram Calcagnino, ubi: « quod delatio Stolae in actibus non funeralibus non est signum iurisdictionale, sed dumtaxat distinctivum Parochorum a ceteris Presbyteris »; et sic etiam alibi saepe saepius, ut refert probando Scarfantonius ad Ceccoperium part. 3, addit. 36, sub n. 80. Et expresse declaravit Benedictus XIII, Constit. incip. *Pretiosus* § *et ad tollendam,* ibi: « declarantes et quatenus opus erit, decernentes, ac matura deliberatione mandantes Crucis erectionem, Stolae delationem et ingressus in Ecclesias in omnibus et singulis enumeratis ac ceteris quibuscumque similibus casibus, nullam penitus iurisdictionem importare etc. ». Ita apud Lucium Ferrarium verb. *Stola,* num. 2.

Ad Dubium II. Non eadem militat ratio quoad praetensionem Parochorum, qui arbitrantur Clericos Seminarii nuperrime erecti anteire debere immediate post ipsorum Crucem, non autem sub illa Cathedralis. Obstat clare Caeremonialis dispositio, obstant S. R. C. Decreta; sed nec ulla afferri potest consuetudo, quae, etiamsi adesset, repudianda foret ut irrationabilis. Caeremoniale loc. sup. cit. disponit, quod post Magistratum Clerus succedat sequenti ordine: « Primo minister portans Crucem Ecclesiae Cathedralis medius inter duos Clericos portantes duo Candelabra cum candelis accensis; deinde, si aderunt, Clerici Seminarii, et post eos Curati Ecclesiarum Parochialium cum Cottis; tum Ecclesiae Collegiatae, et ultimo loco Clerus Ecclesiae Cathedralis ». « Utique Seminarium non esse membrum Ecclesiae Cathedralis et propterea debere in publicis Processionibus generalibus anteire, et cedere locum digniorem Curatis, Canonicis et Clero Ecclesiarum Parochialium et Collegiatarum, iuxta formam dicti Libri caeremonialis » declaravit S. R. C. in Capuana die 1 Septembris 1607; addictum tamen est Ecclesiae Cathedralis servitio, et statis diebus interesse debet Choro, Proces-

sionibus, aliisque functionibus saltem solemnioribus; ideo a Clero Ecclesiae, cui inservit, seiungendum non est; et eo tantum in casu digniorem locum cedit Parochis et Collegiatis, si omnis Clerus sub unica Cathedralis Cruce incedat. Vide hac de re eiusdem S. C. Decreta in Rodigien. Andren. Dioecesis die 21 Martii 1620, Pennen. die 1 Mart. 1636, Capuana 14 Ianuarii 1640, Placentina 13 Ianuarii 1661, Nucerina Paganorum die 19 Ianuarii 1704 et 26 Aprilis eiusdem anni. Nec afferri potest consuetudo, quia agitur de Seminario erecto anno 1803, in quo admissi fuerunt Clerici mense Novembris anno 1805, qui proinde advenientibus Litaniis Maioribus die Festo Sancti Marci 1806 interesse coeperunt Processioni sub Cruce Capituli Cathedralis. Cum itaque contrariam Parochi habeant dispositionem iuris, nec consuetudine (quia revera consuetudo neque habuit initium, nisi Clerici simplices respectivis Parochiis subiecti et inservientes confundantur cum Seminarii alumnis) tueri se possint; consilium dimittant exigendi, quod Seminarium ipsorum Crucem sequatur. A Clero quippe Cathedralis separandum non est. Quod si ipsi nolint supplicationibus interesse ante Clerum et Canonicos Cathedralis, et post Clericos Seminarii simplicesque Presbyteros, servata forma Caeremonialis Episcoporum; velintque antiquum morem sequi et seorsim a Cathedrali, publicis, ut debent, supplicationibus interesse, sub propria Cruce elevanda ab illa Parochia, ad quam per turnum pertinet, cum propriis singularum Cleris, id eis licet, veluti declaravit S. C. ad I. Dubium.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2642. EMERITEN. (4616)

Iure merito S. R. C. ampliavit iudicium, quousque accederent aliorum Episcoporum instantiae, una cum documentis originalibus assertam Imaginis B. M. V. manifestationem comprobantibus. Unus enim erat Emeritensis Episcopus, qui postulationem faciebat pro universa Sanctae Fidei Provincia. Utique in Emeritensi Dioecesi situs est Pagus nuncupatus *Chinquinquira*, sacra Imagine ditatus B. M. V. titulo Rosarii populorum devotione et frequentia ac miraculorum fama apud Indos celebratissima, quae ex traditione maiorum mirabiliter ad finem vergente saeculo decimo sexto fertur manifestata: sed non inde sequitur, quod Dioecesanus Antistes ius habeat usurpandi nomen universae Provinciae, pro qua petiit in Patronam dari B. M. V. sub praefato titulo cum Officio proprio in Festo secundario celebrando in die designanda ab Ordinario, ad recolendam eiusdem imaginis manifestationem, quam accidisse dicunt die 26 Decembris perpetuo impedita. Neque ad cohonestandam Emeritensis Antistitis petitionem, ratio valet, quod tam Archiepiscopalis, quam fere omnes Episcopales Provinciae sedes modo vacent: nam non de re agitur, cui aut prompto aliquo remedio aut Indulto consulendum sit: immo nullum detrimentum religioni, illisque populis venit, si cunctando S. C. differatur responsum, quousque novi Pastores vacantibus Sedibus dentur. Et quoniam ratio extendendi Officium sub convenienti ritu ab altera dependebat, scilicet a confirmatione Patronatus; et petitio altera concessionis Officii cum lectionibus propriis secundi Nocturni ab authenticis legitimisque documentis, quae deerant, quum ea, quae afferebantur ad rem conficiendam, essent prorsus inepta; ideo, ne pes laberetur in lubrico, nedum opportuna, verum etiam necessaria visa est praefata dilatio. Verumtamen, novis datis precibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni XII, eadem Sanctitas Sua, cunctis perpensis facti circumstantiis, habita ratione tituli Ecclesiae B. M. V. *de Rosario* a nomine Pagi de *Chinquinquira* nuncupatae, petitam gratiam indulsit, eam coercendo ad unam dumtaxat titularem Ecclesiam sub ritu Titularibus convenienti. Sed quia, ut supra notatum est, apud Indos traditio viget, quod dictae Imaginis mira accidisset manifestatio, pluribus signis atque miraculis comprobata die sacro Protomartyri Stephano; ideo, ne pietas Indorum tepesceret, quae potius excitanda fovendaque videtur, indulsit insuper, ut eiusdem manifestationis quotannis memoria fieret in numquam immutanda die ab Ordinario fixe designanda, sed cum Officio et Missa de SSmo Rosario pro universali Ecclesia approbatis. Sed nihil decrevit de manifestationis modo, cuius examen instituendum reliquit S. C., postquam allata fuerint, siqua revera habentur, documenta eiusdem veritatem et circumstantias comprobantia: quapropter nihil detractum voluit eiusdem S. C. responso, quod immo firmum manere declaravit. Haec adnotanda duxi, ne quis credat Pontificio rescripto reformatum fuisse S. R. C. responsum, aut eidem derogatum,

quin imo simul ambo mire concordant, unumque tantum intercedit discrimen vix attendendum, quod SSmus id benigne concessit, quod nullum praebebat obstaculum; et S. C., ampliato iudicio, hoc etiam, quod seorsim petitum indulsisset, decidendum reservaverat in alio Ordinario Conventu, ut sub uno eodemque Decreto aliis ad rem eamdem pertinentibus petitionibus respondendo, cuncta simul comprehenderet. Ecclesiae namque sub titulo B. M. V. de Rosario iure convenit ritus dupl. 1 class. cum Octava: et constans apud Indos traditio de mira eiusdem Sacrae Imaginis manifestatione satis erat pro Indulto celebrandi Festum secundarium in einsdem memoriam. Verum Sanctitas Sua S. R. Congregationi reservavit examen documentorum, si quae sunt, de modo, quo huiusmodi manifestatio facta est, ad effectum declarandi an pro memorato secundario Officio historicae lectiones secundi Nocturni admittendae sint, vel reprobandae.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2644. VICEN. (4618)

Duo sunt, quae notanda occurrunt ad huius Decreti illustrationem. Primum versatur circa abusum celebrandi Missam Conventualem, simul ac in Choro aliqua ex Horis Canonicis cum cantu persolvitur. Id fieri solet in Cathedrali Ecclesia Vicensi, in qua, ut in facti expositione legitur, singulis tertiis Dominicis cuiuslibet mensis usque ab anno 1584, Missam votivam solemnem de SSmo Sacramento celebrari consuevit *post Missam conventualem celebratam, durante cantu Horarum canonicarum Tertiae et Sextae.* Alterum vero, quod in proposita instantia quaerebatur, erat circa tempus canendi Missam solemnem de Sacramento, cui Processio succedit.

Ad primum quod attinet, abusum dixi, et merito quidem, morem illum Vicensis Ecclesiae celebrandi Conventualem Missam, dum persolvuntur Horae canonicae. Actiones enim sunt, quae successivae esse debent, nec licet easdem ita simul componere, ut quae diversae sunt et certo quodam ordine peragi debent, quodammodo compenetrentur.

Ad alterum ut progrediar, cum Missa solemnis votiva de SSmo Sacramento nullam habeat relationem ad Officium et Missam de Dominica aut de Festo occurrente, nonnisi post Nonam canenda est. Ita disponit Rubrica part. 1, tit. de hora celebrandi Missam, num. 5, ubi legitur: « Missae votivae, quia non correspondent Officio, si solemniter celebrentur pro re gravi vel publica Ecclesiae causa cum populi frequentia, dicantur post Nonam ». Ibi Gavantus: « Duplicem habes causam; discordantiam ab Officio et frequentiam populi; qui dum tardiori Missae interest, quasi suo ieiunio Orationi publicae vires addidit ». Perperam igitur anno 1804 vel 1806, antiquus mos (nescio quorum consilio) perturbatus fuit, et ordo confusus: nam Missa votiva solemnis de SSmo Sacramento cantari coepit, dum simul in Choro persolvebatur cantus horarum Tertiae et Sextae: deinde vero succedebat Conventualis de Dominica aut Festo occurrente cum Processione. Oh quot in hisce innovationibus reprobandi damnandique abusus! Praescriptus ordo pervertitur; incongruus locus datur Missae votivae solemni; eodem tempore simul persolvuntur Horae canonicae, quae praemitti debent Missae Conventuali postmodum canendae de Dominica aut Festo occurrente, quae proinde celebratur non post Tertiam, ut Rubrica iubet, sed post Sextam. Erat igitur debitus revocandus ordo; quamobrem Sacra Rit. Cong. nedum antiquum laudabilem morem arbitrarie inversum restituit; verum etiam praefatos abusus removit, mandans ut post Tertiam celebretur Missa conventualis de die; absolutis vero reliquis horis Sexta et Nona, altera solemnis cantetur votiva de SSmo Sacramento. Cum vero ritus diei sit primae classis, qui impedit Missae votivae celebrationem, quae Expositionem et Processionem cum SSmo Sacramento non impedit, eadem conventualis Missa celebrari posse post Nonam videtur, ut Processio Missam immediate sequatur.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2645. ALBANEN. (4619)

Facti species haec erat. In Cathedrali Ecclesia Civitatis Albani duo sunt Canonicorum classes. Ad primam pertinent qui antiquitus fuere instituti: in altera ponuntur illi, qui postea ex piis fundationibus accesserunt, et secundae erectionis nuncupantur. Hi autem, licet ultima teneant subsellia, nihilominus ex indulgentia Canonicorum primae erectionis, in vacationibus superius permittuntur ascendere iuxta ordinem antianitatis. Hinc fit ut, etiamsi quoad

praebendas et massam communem et vocem in Capitulo ab iisdem Canonicis primae erectionis omnino discriminentur, quoad stallum in Choro, aliis, qui postea de Canonicatu provisi sunt, praecedant. Id accidit Canonico Silvestroni, qui licet praebendatus esset secundae erectionis, huiusmodi ascensum a Capitularibus obtinuerat, et gradatim eo inde pervenit, ut post se duos haberet Canonicos primae erectionis, quibus onus incumbit inserviendi Canonicis in officio Diaconi et Subdiaconi. Quoniam vero non ita multo post praefatus Silvestroni primae erectionis Canonicatum obtinuit, et; ne, ut de novo provisus inferius descendere cogeretur, indultum petiit retinendi locum, in quo reperiebatur, quod concessum Apostolica auctoritate ei fuit sub hac expressione: *SSmus Oratoris precibus indulsit quoad stallum dumtaxat;* erat hinc quaestio super dictione illa restrictiva *dumtaxat,* et iuniores duo Canonici sese ei contradictores praebuerunt, arbitrati materialem tantummodo sedem in Choro ei fuisse supra ipsos indultam; neutiquam vero concessum, ut iis frui posset officiis, quibus seniores gaudent, et ab iis esset oneribus exemptus, quibus duo iuniores gravantur. Ut autem componerentur dissidia, conventum inter partes fuit ut res omnis definienda proponeretur Sacr. Rit. Congregationi.

Quinque igitur Dubiis, quae data fuerunt, Emi Patres eidem Congregationi praepositi responderunt, ut in supra relato Decreto; declarantes Silvestronio de novo Canonicatu proviso cum retentione stalli praeeminentias et munera in omnibus Ecclesiasticis functionibus fuisse praeservata, quae eidem, priusquam novum Canonicatum consequeretur, vel ex iure, vel ex indulgentia competebant, quin obstet dictio illa *dumtaxat,* quia retentio stalli alia omnia includit, quae in eo sedenti conveniunt. Duo tamen excipienda visa sunt, videlicet sedes in Capitulo et delatio Stolae in funeribus.

Etenim sedes in Capitulo confundi nequit cum stallo in Choro. Per stallum quippe locus designatur a Praebendatis occupandus ad persolvendas Horas canonicas, aliaque agenda, quae ad Divinum Cultum pertinent, nihilque ibi licet peragere quod temporale et profanum sit. Contra vero eorumdem conventus in Capitulo de rigore actio sacra non est, vel talis improprie, latoque modo appellanda. Non enim fit ad Primam complendam, ut antiquitus praesertim apud Monachos erat in more positum, qui, dicta Oratione, e Choro pergebant ad Capitulum- videlicet in unum conveniebant omnes ad Martyrologii, Necrologii, Sacraeque regulae lectionem, Culparum emendationem, ac laboris iunctionem etc. (Videri possunt Martène lib. 1, cap. 5, de Monachorum ritibus, ac alii, quos recenset Meratus ad Gavantum sect. 5, cap. 21, num. 4). At iuxta hodiernam disciplinam Capitulum nihil commune habet cum Horis Canonicis, a quibus omnino seiungitur. Si quid vero superest antiqui moris vestigium, non ad Capitulum, sed ad Chorum pertinet, ubi Horae Primae Oratione absoluta, preces leguntur, quae antiquitus legebantur in Capitulo. Sed nedum Capitulum a Choro distinguitur, verum etiam in eo plerumque temporalia tantum tractantur: agitur de bonorum administratione; dati et accepti rationes a ministris redditae expunguntur; designantur personae, quibus diversa distribuuntur officia, et id genus, alia fieri solent, quae, ut quisque videt planeque intelligit, latum ponunt discrimen inter stallum in Choro et sedem in Capitulo, seu, ut rectius dicam, inter choralia officia et capitularia negotia. Iure igitur per dictionem illa *praeservativam* simul et *restrictivam: quoad stallum dumtaxat* reservata fuisse Silvestronio declaratum fuit munera, praeeminentias, honorificentias ac alia, quae stallo Chori adnexa sunt: neutiquam vero praecedentiam in Capitulo, tum quia antequam ipse Canonicus fieret primae erectionis, vocem in Capitulo non habuerat, tum etiam quia aequum non videbatur, quod ei essent postponendi voto et subscriptione, qui usque dum in possessione reperiebantur tam votandi, quam subscribendi.

Ius autem deferendi Stolam, quod Silvestronio non competebat ratione praecedentiae in stallo, priusquam Canonicis primae erectionis adnumeraretur, neque competere modo potest supra illos, qui licet sint inferiores in sedendo, sunt tamen antianitate potiores. Enimvero cum huiusmodi ius in funeribus lucrum aliquod secum ferat, ratio illud exercendi non est petenda a iure praecedendi in stallo, sed, cum praebendae omnes sint aeque presbyterales, anterioritas possessionis unice spectanda est; ideo detrimentum inferendum non est illis, quos Silvestronius, priusquam novo Canonicatu potiretur, ex indulgentia praeierat, neque eo privilegio uti potuerat, etsi gauderet aliis honorificentiis stallo adnexis, veluti sunt officium hebdomadarii, Missa conven,

tualis per turnum, praeintonatio Antiphonarum et his similia.

Breviter ut omnia complectar, Sacr. Congregationis responsa redigi ad unum possunt, quo declaratur ita intelligendam esse dictionem illam *quoad stallum dumtaxat,* ut per eam praeservata Silvestronio fuerint iura omnia, beneficentiae, munera quibus huc usque potitus fuerat : non autem alia, ad quae ius non habuerat, uti sunt vox in Capitulo et delatio Stolae in funeribus, quae duo de novo ei conveniunt, utpote de Canonicatu primae erectionis proviso: idcirco in horum exercitio ordo servandus est non stalli, sed provisionis et possessionis.

ADNOTATIONES SUPER DECRETUM

2646. ALEXANDRINA. (4620)

Ad Dubium I. Non inficior aliqua, (sed sane pauca) in Episcoporum Caeremoniali occurrere, quae forte non satis clara videri possunt; talia tamen non sunt, dummodo non superficiali intuitu, vel sola, separatim a contextu, spectetur expressio, vel ratio haberi velit omissionis alicuius dictionis non necessario exprimendae, ut sibi fingunt qui novitates amant, easque inducere student; sed attendenda sunt, simulque conferenda adiuncta et circumstantiae sacrae functionis, ut qui fuerit extensoris sensus, et quid in casu faciendum sit, intelligatur. In hoc tamen immorari non est opus, quum in proposito casu, de quo est quaestio, nihil implexum sit, nil obscurum, nil non satis declaratum, ut propterea interpretatio sit postulanda. Lege cap. 16, lib. 2, Caeremonialis de Processione Candelarum in die Purificationis B. M. V., praesente Episcopo. Ibi num. 15 praecipitur: Processionem esse inchoandam, praeeunte thuriferario, quem sequuntur « duo Acolythi . . . . et inter eos Subdiaconus paratus Planeta ante pectus plicata super Albam sine manipulo, portans Crucem ». Igitur non a Clerico Cotta induto Crux est deferenda, sed ex Caeremonialis lege *a Subdiacono Planeta ante pectus plicata.* Quod vero is diversus esse debeat a Subdiacono Missae ministrante, clarissime patet, quia, dum fit Processio, « Canonicus aut alius Missam celebraturus cum Diacono et Subdiacono capiunt paramenta convenientia ». Ibi § 16. Nec diversus est ordo servandus in Dominica Palmarum, etenim ut in cap. 21, § 8 habetur: « ordinatur per Caeremoniarium Processio per Ecclesiam eodem ordine, quo ibi (scilicet in die Purificationis) dictum fuit . . . interim Canonicus Missam celebraturus cum Diacono et Subdiacono debent esse parati ». Quod vero attinet ad Feriam V in Coena Domini, iubet Caeremoniale cap. 23, n. 10: « interim alter Subdiaconus accipit Crucem velatam velo violaceo ». Et agens cap. 25, de Feria VI in Parasceve: « interim ordinatur Processio . . . praecedit Subdiaconus paratus cum Cruce denudata inter duos Ceroferarios ». Qui Subdiaconus alius sit oportet a Subdiacono Missae, qui ministrare necessario debet Celebranti in reliquo Officio et Missa, quae dicitur *Praesanctificatorum.* Ubinam igitur obscurum occurrit, quod interpretatione indigeat? imo potius clara sunt omnia, et ad cuiuscumque intelligentiam expressa.

Aliqua forte posset exoriri dubietas de Crucifero adhibendo apud Castrum doloris, dum assistens Episcopus, vel e throno, vel e faldistorio in die omnium Fidelium defunctorum et in Anniversariis, absolutionem facit. Siquidem Caeremoniale lib. 2, cap. 12, num. 6, apertis non id declarat verbis: at si te non pigeat implicitum scrutari sensum, fatearis oportet satis hoc esse declaratum. En Caeremonialis verba: « Si Episcopus voluerit ipse absolvere, deposita cappa apud sedem, capiet amictum supra Rochettum, sive supra cottam, si sit Regularis, crucem pectoralem et Stolam, et demum pluviale nigrum, et mitram simplicem; et omnia fient, quae superius in praecedenti capite dicta sunt ». Atqui ibi legitur *praecedunt duo Acolythi . . . . . in quorum medio erit Subdiaconus, qui in Missa cantavit Epistolam, deferens Crucem etc.,* cap. 11, num. 14. Idipsum igitur faciendum est si Episcopus dumtaxat assistat et Missa ab alio celebrata fuerit. Atque haec est omnium Ecclesiarum Cathedralium praxis, quae arbitrarie invertenda non est, imo constanter servanda, cum nulla ratio occurrat, qua vel Subdiaconus diversus a Ministrante, vel non Tunicella nigri coloris, sed simplici indutus Cotta, Crucem deferat.

Ad Dubium II. Nihil est quoad hoc Quaesitum indigens declaratione. Sacra enim Rituum Congregatio, dum servandum iubet Caeremoniale Episcoporum, haud intendit adprobare, vel reprobare peculiares Ecclesiarum consuetudines, sed sibi reservat earumdem examen in casibus particularibus, ut cognoscere possit num rationabiles et laudabiles sint, vel potius habendae ut corruptelae et abusus, ac tales propterea sint,

ut reprobari et eliminari omnino debeant. Equidem in dubio de consuetudinibus res esse videtur, quae nulli Ecclesiae Statuto opponuntur : sed id privatorum iudicio non est relinquendum. Multae quippe consuetudines, quae laudabiles privato aliquorum iudicio videri possunt, tales revera non sunt : idcirco vel ad debitam formam ab locorum Ordinariis reducendae sunt, vel in dubio Sacr. Congregationi exponendae, ut eadem definiat utrum necne queant retineri. Si ita est, poteruntne consuetudines omnes, ut in dubio, ac veluti in unum collectae, quaeque ignorantur, probari vel reiici unica responsione negativa, vel affirmativa? Quis non videt quot quantaque incommoda, quotquot in probatorum rituum perniciem induci aut invalescere possent corruptelae ex nimis generico illimitato responso ; prudens ideo et omnino necessaria est illius regulae observantia, quam constanter servat Sacra Congregatio, dum generica haec dubia proponuntur, respondens, prout in casu, *recurrendum in casibus particularibus*.

Ad Dubium III. Nec video nec intelligo quo argumenti genere queant se tueri, qui dubium proponunt, voluntque assistentiam a Dignitatibus non deberi Episcopo Sacramentum deferenti ad paratum Sacellum Feria V in Coena Domini, hoc officium reiicientes in Diaconum et Subdiaconum, qui Missae inservierant. Qui novitatem hanc nituntur inducere, oculos tantisper intendant in Caeremoniale Episcoporum *lib. 2, cap. 23*, in quo agitur de Feria V in Coena Domini, num. 12, ubi legitur : « quo facto, Episcopus redit ad Altare . . . . et *Diaconus assistens* (ut distinguatur a Diacono, qui ministravit in Missa) et non alius, cum debitis reverentiis capit Sacramentum de Altari, et illud stans offert Episcopo » et paulo post: « *Ministri assistentes* (non Diaconus et Subdiaconus Missae) hinc inde elevant fimbrias anteriores Pluvialis ». Quod si adhuc dubitas, lege Memoriale Rituum, in quo praescripta in Caeremoniali clare et ordinate enumerantur. Dum ibi agitur de Processione cum SSmo Sacramento ad sacellum, § IX, num. 1, legitur: « Episcopo parato accedit *Presbyter assistens* . . . . recedentibus Diacono et Subdiacono in Secretarium pro deponendis Albis, et sumendis paramentis super Rochettum sicuti et caeteri Canonicorum, etc. . . . In suppedaneo genuflexus Sacramentum incensat, *adiuvantibus Presbytero et Diaconis assistentibus* (non Diacono et Subdiacono Missae, qui iam recesserant, et amicti paramentis Ordini convenientibus, se aliis Canonicis adiunxerunt) ». Nonnisi igitur qui Caeremoniale ignorat, opinari potest, quod in solemni hac SSmi Sacramenti delatione ab Episcopo facienda, non ei teneantur debitum obsequium ac servitium praestare assistentes, a quibus id exigit qualitas functionis pontificalis.

Ad Dubium IV. Haud concipere mente possum, quod aliquis inveniatur, qui arbitretur pro diversitate personarum invertendas esse cum Caeremonialis tum Missalis Rubricas circa ea, quae communia sunt sacris Ecclesiae Ministris; vel hi sint ex Dignitatum et Canonicorum Collegio, vel Beneficiati ac Mansionarii, vel exteri Cathedralis Ecclesiae Clero non adscripti. Pro diversitate temporum et functionum diversa adhiberi debent sacra paramenta, quae nedum colore, sed etiam forma distinguantur, neque ulla ratio habenda est maioris minorisve dignitatis Ministrorum, qui iisdem uti debent, sed unice attendendum est officium, in quo ministrant. Atqui usus Dalmaticae vel Planetae plicatae pro dierum temporumque diversitate statutus est et ab Ecclesia absolute praescriptus, neque est in privatorum arbitrio eumdem immutare ; quod si fiat, qui facit, id Ecclesiae leges ausu temerario contemnit, aut ut mitius agam, suam crassam supinamque ignorantiam prodit. In utroque casu, vel debita plectendus poena, vel monendus et erudiendus ; ideo Sacra Congregatio ad primam Dubii partem respondit : *Negative;* ad secundam vero *contra facieus plectendus poena arbitrio Episcopi pro qualitate defectus*. Mei instituti non est hac de re longius disserere , rationesque exponere ac enumerare, ob quas in diebus moestitiae et luctus, ac illis praesertim, qui nos ad recolenda praecipua Incarnationis et Redemptionis mysteria disponunt, Dalmatica et Funicella in Planetas plicatas commutantur : ostendisse sat est relate ad Dubium, quod in alterutrius usu attendi omnino debent Rubricarum praescriptum et sacrae actionis qualitas, nullatenus vero ministrantium in officio Diaconi et Subdiaconi diversus subsellii gradus, maior minorque honorifica personalis dignitas. Tanto autem cum rigore accipienda ac servanda est rubrica praescribens usum planetarum complicatarum in designatis diebus et functionibus, quin liceat earumdem loco Dalmaticam et

Tunicellam adhibere, ut in minoribus Ecclesiis ad quas Caeremonialis dispositio non extenditur, Diaconus et Subdiaconus haud possint cum Dalmatica et Tunicella, sed in Albis tantum debeant ministrare. Ita respondit S. R. C. in Angelopolitana die 13 Iunii 1671. Si quis plura velit, consulat Meratum ad Gavantum in adnotationibus ad Rubricas Missalis part. 4, tit. I, num. IV, ad § 4.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2618. RAVENNATEN. (4621)

Paucis est opus, ut quisque videat planeque intelligat per Apostolicas Literas *Decet Romanos Pontifices* fel. record. Pii VII, derogatum nullatenus fuisse iuribus ac privilegiis, quibus aliqua Capitula decorabantur, praeter expressa in eadem Constitutione; eaque proinde firma consistere, quibus ditata Ravennatensis Metropolitana Ecclesia eminet, atque inter celebriores cum vetustate tum dignitate distinguitur. Ignorare id nequit qui in ecclesiastica historia hospes non sit et peregrinus. Usque ab Ecclesiae primordiis suam habuit institutionem et nacta est Antistitem S. Apollinarem a Petro Apostolorum Principe Romae consecratum, illucque missum, ut eam regeret et gubernaret. Interim optimus Pastor per Aemiliam discurrens ab nefario Idolorum cultu plurimis revocatis et ad humilem Christi sequelam adductis, Ravennam tandem reversus glorioso martyrio cursum consummavit. Ita in Martyrologio Romano ad diem 24 Iulii. Successores habuit nonnullos multa sanctitate praestantes, quos inter speciali mentione dignus est *Sanctus ille Petrus* coelitus datus, qui ob auream eloquentiae vim *Chrysologi* pronomine meruit nuncupari. Merito igitur Innocentius III Ravennatensem Ecclesiam appellavit *quasi primogenitam* Apostolicae Sedis, aliique plures ex Romanis Pontificibus verbis amplissimis commendarunt. Sed ne antiquiora quaeramus exempla, quod longum nimis ac laboriosum foret, satis esse puto recentissima felic. recordat. Benedicti XIII ac Pii VII elogia referre. Siquidem ille, datis Literis in forma Brevis die 19 Augusti 1727, eam appellavit *Metropolitanam istam tot conspicuis meritis vetustae recentisque memoriae illustrem ecclesiam etc.* Alter vero in similibus Literis datis sub die 22 Iunii 1819 eam appellat *vetustissimam Ravennatensium Ecclesiam, quam a primis Christianae Fidei temporibus celebratam multis praeclarisque nominibus etc.*

Non autem hic est animus singula percensere privilegia, honorificentias ac praerogativas, quibus omni aevo fuit cumulatum et gaudet Ravennatensis Metropolitanae Capitulum; neque, ut hoc praestem, mei fert instituti ratio. Satis est animadvertere eiusdem Metropolitanae Dignitates atque Canonicos honoribus plurimis, usu Pontificalium atque Insignibus fuisse decoratos, vel beneficentia et auctoritate Romanorum Pontificum, vel longaeva consuetudine, cuius origo inter tenebras antiquitatis omnino latet, et frustra adlaboraret qui eam quaereret invenire. Verum etsi tam nobilis insignisque Ecclesiae Capitulum, dum prodiit praefata Constitutio *Decet Romanos Pontifices* de amplioribus, praeter illa quae in eadem adnumerantur et declarantur permissa Pontificalium usum habentibus, de sibi collatis privilegiis et praerogativis, quae illustria sunt et non pauca, minime dubitaret; nihilominus paruit Archiepiscopo praecipienti, ut latae legis in obsequium ab eorumdem usu cessaret, ac interea sua iura expendenda in S. R. C. deduceret, simulque ostenderet non esse comprehensum sub regula generali, bene vero ad eorum classem pertinere, quae sub clausula praeservativa, *si quae vero Capitula veniunt,* et excipiuntur. Praestitum hoc fuit in ordinario Conventu habito pridie nonas Maii 1826. In hoc autem visum est Patribus Emis ampliare iudicium, non quod ancipites essent de bono postulantium iure, sed quia tunc temporis Ravennatensis Ecclesia suo erat viduata Pastore, ideoque esse cunctandum duxerunt, quousque novus eidem daretur Antistes, qui et audiri posset, et Sacrae Congregationis decreta exequi, quaecumque demum ea forent. Ideo statim ac Archiepiscopali illi Sedi SSmus Dominus Noster Leo XII Pont. Max. novum dedit Archiepiscopum, instaurata fuit instantia; et, ne in longum nimis protraheretur decisio, omnem solicitudinem posuit novus Antistes, ut antequam ad sibi commissam Ecclesiam accederet, definitivum hac super re iudicium postularet. Quamobrem Sanctitas Sua precibus annuens, eiusdem Causae cognitionem Congregationi particulari commisit, quae sub die 28 Septembris anno 1826 definivit Ravennatense Capitulum a generali lege esse excipiendum, utpote comprehensum sub praefata clausula praeservativa, ac propterea manutenendum esse in posses-

sione et usu privilegiorum, quae privative eidem concessa optimoque iure acquisita communia non sunt aliis Capitulis, Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus aut alio quocumque nomine nuncupatis Pontificalium usum habentibus. Ne tamen ex generali simplicique responsione ulla posset oriri dubietas aut controversia, opportunum duxit specifice duo declarare, videlicet : « licere usum Palmatoriae in Civitate universaque Dioecesi, in omnibus ecclesiasticis functionibus », apposita tamen exceptione et limitatione : « dummodo aliquis non assistat ex Cardinalibus vel Archiepiscopus ». Item sancivit : « licere adhibere Mitram non simplicem hoc est lineam, sed serico-damascenam », addita declaratione, « dummodo dissimilis sit in textura ab illa Eminentissimorum Cardinalium »; ac praeterea iussit quoad Processionem Corporis Christi, ut serventur strictim decreta in Anicien. et Urbinaten., quae iubent « ne in hac processione caput Mitra tegatur ». In reliquis sancivit : « ut servetur decretum Archiepiscopi Farsetti die 24 Decemb. 1727 et 2 Ianuarii 1728 ». Non erant necessario exprimenda, quae in praefatis Decretis enumerabantur privilegia Metropolitanae Capitulo speciatim concessa, aut immemorabili legitimaque inducta consuetudine comprobata. Ac praeterea in iisdem ita clare distincteque enumerantur tam quae in sacris actionibus licite retinenda et servanda sunt, quam modus in exercitio adhibendus, et circumstantiae, quibus occurrentibus unius alteriusve praerogativae usus coercendus ; ut nihil superesset aut moderandum, aut declarandum, aut abolendum. Antedictae autem particularis Congregationis Rescriptum approbavit confirmavitque SSmus Dominus Noster Leo XII die 4 Octobr. eiusdem anni 1826.

Quae huc usque dicta sunt, potius quam ad utriusque decreti dilucidationem servire possunt et debent ad docendum Capitula, Dignitates, Canonicos, Rectores etc., qui ampliora privilegia, praeter enumerata in generali decreto et subsequenti Apostolica Constitutione, vel habent vel habere arbitrantur, ne ad placitum, sacra Congregatione inconsulta, in eorumdem usu continuare praesumant, sibique usurpare declaratorium iudicium, quod apertis verbis eidem Sacrae Congregationi reservatum est sub ea clausula : « si quae vero Capitula amplioribus ac praeter huiusce decreti instituta privilegiis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria haec iura in Sacram Congregationem perpendenda deducant, ut, quod ex canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit, opportune decernatur ». Exemplo sint ipsis Capitula Ecclesiarum Ravennatensis et Imolensis, quae licet illustria, clara nullique exceptioni obnoxia haberent monumenta, quibus bonum ius tueri possunt, ac talia ut ignorem num aliquid sit, non dicam amplioribus sed saltem aequalibus ditatum, nihilominus praecepto obsequentes ab specialium indultorum usu et exercitio cessarunt eaque subiecerunt Sacrae Congregationis examini. Si quae sunt igitur Capitula, Dignitates, Canonici, Rectores etc. maioribus praerogativis ac honorificentiis gaudentes, sciant non ipsis licere in eorumdem exercitio continuare, nisi id fieri posse Sacra Congregatio declaret et iubeat post institutum eorumdem privilegiorum examen.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2649. IMOLEN. (4622)

Iuvat hic recolere ea, quae adnotata fuerunt ad Decretum Sac. Congregationis in Causa Neritonen. die 8 Martii 1825 legendum in hac Collectione, ubi declaratum fuit quomodo intelligenda sit clausula praeservativa apposita Decretis eiusdem Sacrae Congr. datis sub die 27 Augusti 1822 et in Constitutione Apostolica *Decet Romanos Pontifices* IV Nonas Iulii anni 1823 a fel. record. Pii VII adprobatis et confirmatis ad effectum eliminandi corruptelas et abusus, qui inoleverant in quibusdam Cathedralibus, Collegiatis aliisque Ecclesiis et Personis arbitrarie, ac ad proprium commodum decusque ampliantibus aliqua privilegia ipsis concessa circa usum honorificum Insignium ac exercitium Pontificalium, eadem revocando ad formam iuris, enumerando quae per eadem privilegia licent, et quae non item. Praefata quippe clausula declaratum fuit per generales leges in Decretis et successiva Constitutione contentas: « nullum inferri praeiudicium Capitulis, si quae sunt amplioribus privilegiis decorata ». Sed quoniam evenire facile poterat, ut nonnulli perperam interpretando hanc exceptionem et praeservationem, eadem abuterentur censentes sibi licere morem sequi et honorificentias in Decretis et Constitutione minime expressas, (pervertendo sensum vel aucupando verba, eaque ad placitum studiose tra-

hendo) sibi usurpare ac si essent speciali indulto vel immemorabili consuetudine roborata; ideo, ne id accideret, provide consultum fuit, adiectaque conditio; ut, si quae sunt aut esse putantur huiusmodi peculiaria privilegia *in Sacr. Rit. Congregationem deducantur, ad effectum opportune decernendi, quod ex Canonicarum Sanctionum praescripto visum fuerit.* Quum autem praefata clausula praeservativa modo supra relato tenenda servandaque sit; ideo Imolensis Cathedralis Ecclesiae, multis nominibus, nobilioribus adnumerandae Dignitates et Canonici, quos per Literas in forma Brevis expeditas die 11 Maii 1816 fel. record. Pii VII, qui eamdem Ecclesiam gubernavit Antistes, et etiam post Summum adeptum Pontificatum universaeque Ecclesiae regimen ad plures annos retinere voluit, privilegiis amplissimis decoravit et auxit: licet de iisdem, utpote expresse indultis et singillatim enumeratis, deque eorumdem firmitate dubitandum minime foret, nihilominus latae legi reverenter obtemperantes, religioni sibi duxerunt suppliciter a Sacra Congregatione declarationem postulare, qua licite possent honorifica adhibere insignia et Pontificalia diebus modisque (a quibus post latam Constitutionem cessaverant) exercere. Quoniam igitur in praefatis Apostolicis Litteris Pii VII omnes enumerantur honorificentiae et privilegia, quibus ditati sunt Imolensis Cathedralis Ecclesiae Canonici et Dignitates, itemque modus et tempora, quibus permissum est iisdem uti; ideo Sacrae Congregationi haesitandum non fuit, et ad aequam postulationem respondit: « Iuxta votum Magistri Caeremoniarum, ad formam privilegii licere Capitulo Imolensi uti Pontificalibus in omnibus ad formam Literarum in forma Brevis expeditarum ».

Unum tamen est, de quo dubitari adhuc posse videtur; num scilicet fuerit concessum, utpote in praefatis Literis specifice non expressum, privilegium Presbyteri assistentis praeter alios Ministros in Missa pontificali. Siquidem nonnemo putabit dubiam rem esse, et in utramque partem disputari posse. Si literaliter et stricte accipienda sunt, quae in Apostolicis Literis enumerantur, certe videtur Presbyter assistens nullatenus comprehensus in indulto, cum nulla fiat eiusdem mentio in tam specifica privilegiorum enumeratione, proptereaque censendum non illud concessum, quod expressum non est. Et revera ipsi Canonici et Dignitates Imolensis Ecclesiae post editam saepe dictam Constitutionem *Decet Romanos Pontifices etc.* de huiusmodi privilegio, utpote non expresso, merito dubitarunt: nam, ut refert Vicarius Generalis in sua informatione: « Canonici in executione Literarum Apostolicarum Pii VII, annuente etiam tunc temporis Cardinali Episcopo Rusconi, usi quidem sunt Pontificalium privilegio in singulos annos et statis diebus usque in praesens, omnia ad concessionis literam intra statutos fines perfecerunt, neque sibi aliquid vel usurpare vel ampliare ausi sunt: (Quae sequuntur attende) si unus excipiatur Presbyter assistens, qui Canonico celebranti, praesente etiam Episcopo, ad Altare cum Pluviali in Missa semper adhibitus est, quamvis de eo nullum faciant verbum Literae Apostolicae supra memoratae: rati forsan hoc esse ipso Pontificalium privilegio generaliter inclusum ». Quamobrem idem Vicarius, postquam suam aperuit sententiam et Votum, videlicet: « Capitulum et Canonicos penitus manutenendos in privilegio, quo legitime honestati sunt »; tamen concludit, suas adiungendo preces, ut et etiam: « Si fieri poterit, quoad Presbyterum assistentem, amplietur indultum ». Ex his clare patet Capitulum et Canonicos, imo et ipsum Vicarium generalem informantem Votumque suum aperientem, incertos saltem fuisse, num revera Presbyter assistens, si non expresse, tacite saltem iuxta mentem concedentis haberi possit indultus: secus pro declaratione, non autem pro nova concessione postulassent.

Contra vero quum in praefatis Apostolicis Litteris, inter alia, quae Dignitati aut Canonico pontificaliter celebranti cum indulto adhibendi Faldistorium conceduntur, expressum habeatur quod et Ministrum de candela seu palmatoria habere libere et licite possit et valeat, non abs re erit putare quod per Ministrum de candela intelligi debeat Presbyter assistens, quia reipsa is ille est, qui in Pontificalibus (non in Throno, sed in Faldistorio etiam celebrandis) palmatoriam sustinet, et ad opus ministrat. Praeterea quis credere posset id conforme non esse menti concedentis? Qui enim indulsit indumenta pontificalia sacris actionibus respective convenientia, videlicet Mitram, Crucem pectoralem, Anulum, Sandalia, Caligas, Chirothecas, Tunicellas, Dalmaticam, Faldistorium, censeri potest concessisse quoque sub nomine *Ministri de*

Candela Presbyterum assistentem: eoque magis, quia idem Presbyter assistens (per usum vel abusum, de quo non est hic disputandi locus) alicubi in celebrioribus festivitatibus a celebrante, etiam si simplex sit Sacerdos, in solemni Missa solet adhiberi. Quinimmo ipsa Sacra Congregatio in una Nullius Altamurae ad quaesitum: « An Dignitatibus Ecclesiae S. Nicolai Missam solemniter celebrantibus Presbyter assistens debeatur cum Pluviali? » sub die 23 Septembris 1713 respondit: « Affirmative ». Alia fuisset responsio longeque diversa, si huiusmodi assistentia uni dumtaxat deberetur Episcopo. Nonne autem potior militat ratio in casu nostro, in quo agitur de Dignitatibus et Canonicis Cathedralis Ecclesiae, pluribus honorificentiis, praerogativis ac privilegiis decoratis et auctis? De Canonicis inquam et Dignitatibus, non ut ceteri Sacerdotes celebrantibus, sed pontificaliter Sacrum peragentibus? Ac tandem, ut praetereain cetera, quae afferri possent, addam hic argumentum negativum ex iisdem Apostolicis Literis desumptum. In his expresse recensentur quae indulta non sunt et omnino interdicuntur Dignitatibus et Canonicis pontificalia exercentibus. En verba: « Praecipiendo mandamus ne Dignitas vel Canonicus celebrans ullo modo praesumat pontificalibus indumentis ad Altare aut in Choro indui, vel trina benedictione populum benedicere, seu cum forma episcopali *Pax vobis:* salutare, vel pastorali baculo uti . . . . in processionibus Corporis Christi Mitram in capite gestare . . . . aut Mitra in aliis praeter quam in supradictis Collegialibus functionibus uti valeat ». Sed hisce exceptionibus, limitationibus, declarationibus non adnumeratur Presbyter assistens; quamobrem per negativum hoc argumentum confirmari posse videtur quod supra diximus, videlicet per Ministrum de candela ex concedentis mente intelligi posse Presbyterum assistentem. Haec sunt, quae tam pro affirmativa, quam pro negativa sententia afferri possent. Negativam autem sequutus egregius caeremoniarum Magister pro Voto requisitus in sensu est, quod indultis privilegiis illud adnumerandum non sit Presbyteri assistentis. Ait enim: « Quod vero spectat ad Presbyterum assistentem, quo in Pontificalibus huc usque usi sunt, praesente etiam Episcopo, quoniam nec in Apostolicis Literis conceditur, nec per aliquam consuetudinem, confirmationem, quae omnino deest, adprobatur, putarem esse revocandam, ne eam confirmando, dum Constitutionem ipsam pro viribus protuemur, eam infirmare aliquo modo videamur »; et id quidem merito, ut infra sum ostensurus.

Quoniam autem Sacra Congregatio, licet pro ampliatione indulti requisita, quatenus illud in Literis Apostolicis comprehensum non censeret, simpliciter respondit: *Licere Capitulo Imolensi uti in omnibus ad formam Literarum in forma Brevis expeditarum,* quin verbum addiderit relate ad Presbyterum assistentem; nonnemo forte erit qui in quaestione verti posse existimet: Num et quae sit vera intelligentia generalis Rescripti, et dubitandum fore arbitretur num Sacra Congregatio negaverit ampliationem et extensionem Indulti ad Presbyterum assistentem, an potius voluerit rem in Apostolicis Literis non expressam et forte obscuram, in suspenso relinquere. Quid igitur in hac ambiguitate sentiendum? Ego quidem, si quid promere licet, in sensu sum, quod verba Rescripti: *licere Capitulo uti Pontificalibus in omnibus ad formam Literarum Apostolicarum,* stricte accipienda sint, quodque Sacra Congregatio Voto adhaeserit Caeremoniarum Magistri, qui insinuaverat admittendam non fore petitionem pro Presbytero assistente; ideoque nihil addere voluerit (per declarationem, aut interpretationem, aut concessionem) privilegiis enumeratis in Literis Apostolicis Pontificis Pii VII: eoque magis quia finis et obiectum petitionis erat non ampliatio indulti, sed simpliciter declaratio dubii: num privilegia Cathedrali Imolensi concessa sustinenda forent, utpote contemplata in clausula praeservativa Apostolicae Constitutionis *Decet Romanos Pontifices,* addita generali Decreto super moderatione indultorum.

Neque argumenta supra relata, quae in oppositum afferri possent, tanti sunt ponderis, ut in sensum contrarium meum animum inflectere valeant. Etenim Presbyter assistens uni debetur Episcopo, nec confundi debet cum Ministro de candela; duae quippe sunt diversae personae, duo diversa officia. Quamobrem si in Apostolico indulto expresse nominatur Minister de candela, sed non aeque Presbyter assistens; nemo erit, qui non intelligat unum fuisse concessum, non item alterum. Eoque magis, quia multo honorificentior est Presbyteri assistentis praesentia, quam Minister de candela; eidemque munia multa sunt

propria, quae simplici Ministro de candela non conveniunt. Id verum adeo est, ut dubitatum quandoque fuerit num celebranti Suffraganeo coram suo Metropolitano competeret Presbyter assistens. Ita in Aquileien. proposito dubio: « An Suffraganeus celebrans in Ecclesia Aquileiae (ubi interveniunt Patriarcha et Canonici Aquileiae) debeat, ultra Diaconum et Subdiaconum Canonicos, habere alium Canonicum pro assistente? » Sacra Congregatio sub die 7 Augusti 1627 respondit: « Debere ». Locum non habuisset quaesitum, nisi de licito aut illicito dubitatum fuisset. Abbatibus quidem statis diebus pontificaliter celebrantibus in Throno convenit Presbyter assistens, quia in Decreto generali fel. record. Alexandri VII huiusmodi privilegium concessum legitur: aliis vero Presbyteris quacumque dignitate fulgentibus Pontificalium usu ditatis haud debetur, nisi expresse declaratum sit. Haud prodest Decretum Sacrae Congreg. in causa supra relata Collegiatae *Nullius Altamurae:* forte enim illi favebat, aut speciale privilegium, aut antiquissima consuetudo, cuius latebat origo. Quod si alicubi in solemnioribus festivitatibus, praeter Diaconum et Subdiaconum, Presbyter pluviali indutus assistit, id fit per abusum, nullo praetextu cohonestandum, imo prorsus reprobandum et abolendum. Quis vero non videt in lubrico versari, et fallax esse argumentum alterum desumptum ex potioribus honorificentiis, quibus Pontifici placuit decorare Capitulum? Duo quippe notanda sunt. Primum: Principi liberum esse, qua vult in parte iuris relaxare rigorem. Secundum: Privilegia minime posse pro lubito extendi ad non expressa.

Tandem nullatenus prodest argumentum alterum, quod negativum est; quippe quia in parte postrema Apostolici Brevis necessario ea erant enumeranda, quae forte per abusum pedetentim facile poterant vel falsa interpretatione et arbitraria extensione introduci: at non aeque opus erat speciatim inter excepta recensere praesertim Presbyteri assistentis; nam si expresse in indulto nominatur Minister de candela, non item Presbyter assistens (ut eo in loco fieri debuisset, si concedens et hunc etiam indulgere voluisset), facile quisque intelligit eumdem minime in privilegio fuisse contentum.

Quae cum ita sint in ea me sententia confirmo, quod per Sacrae Congregationis Rescriptum minime censeri potest ampliatum privilegium ad non expressa in Literis Apostolicis, ac propterea Dignitatibus et Canonicis Imolensibus Pontificalia celebrantibus non licere habere, praeter Diaconum et Subdiaconum, etiam assistentem Presbyterum; ideoque sine eiusdem praesentia posse, imo debere pontificalem Missam celebrari, nisi benigna Pontificis largitione novum huiusmodi privilegium iam indultis accedat.

SUFFRAGIA ET ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2650. GANDAVEN. (4623)

Ad Dubium I. Quaestionis primae. Consuetudines laudabiles et rationabiles servari licite possunt, quamvis plane non conveniant cum regulis contentis in Caeremoniali Episcoporum, Rituali Romano aliisque liturgicis Codicibus. Quod si utraque destituantur qualitate, omnino tollendae et eliminandae sunt, ac ad formam legum S. R. C. exigendae. Id profecto accidit relate ad dubia, quae Sacrorum Rituum Congregationi pro decisione delatae fuerunt a Parochis Gandavensis Dioecesis. Omnia fere, etsi ab iisdem legibus difformes ritus exhibeant, non alio innituntur fundamento, si illud excipias, quod originem causamque ab una dumtaxat consuetudine trahit. Sed istiusmodi consuetudo tantum abest, ut dici possit rationabilis et laudabilis, quin imo potius ut detestabilis corruptela habenda sit, ac proinde omnino reprobanda et damnanda, etiamsi longissimi temporis observantiam ostentaret. Iure igitur Emi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, pro delatis dubiis, id omne reformandum esse decreverunt, quod perperam, et contra legem Ecclesiaeque disciplinam, sub consuetudinis praetextu, huc usque gestum est.

Et revera ad praesens dubium quod attinet, nemo est, qui non sciat pro quibusdam conficiendis aut conferendis Sacramentis parandam ac adhibendam esse materiam designatis ritibus, precibus ac caeremoniis, a quibus vetitum est declinare; praeterquam in Sacramento Baptismatis, pro quo conferendo, si necessitas urget ac imminentis mortis periculum, non opus est adhibere aquam solemni ritu sacratam, sed sufficit simplex et elementaris. Sic feria V in Coena Domini sacra ab Episcopo, cum magno ministrorum et caeremoniarum

apparatu, conficiuntur olea, quae in posterum per integrum sequentem annum adhiberi debent, nec amplius uti fas est veteribus, quae comburenda sunt. Quin imo si quis, deficientibus recenter sacratis, antiquis utatur (puta in Extrema Unctione) actus erit illicitus, non tamen invalidus. De hoc tamen opportunior redibit disserendi occasio in sequentibus enodandis dubiis. Interest modo cohibere sermonem ad illud quod praesens dubium requirit; et refertur ad materiam Sacrificii, praecipue vero pro eo conficiendo et in particulis asservando ad Communionem Fidelibus administrandam. Quilibet panis vel fermentatus sit vel azymus corruptioni obnoxius est, si diuturno tempore reservetur; praesertim vero si in arca vel alia custodia obseratus retineatur. Et quamvis fermentatus magis ac citius, quam azymus ad corruptionem pergat, nihilominus azymus etiam alterationem patitur. Nolo hic immorari in quaestione : Num facilius sit, quod citius in aestivo, quam in hyemali tempore corruptio eveniat vel e contra ; mihi sufficit quod sine ullo discrimine et distinctione inter varias anni tempestates, non liceat ad Communionem Fidelium adhibere particulas vel a sex vel a tribus mensibus reservatas, quia uno vel altero temporis interiecto spatio, facile possunt sacrae species corrumpi, quod omnino vitandum est. Idcirco sacrae, quibus utimur, leges iubent frequenter renovandum esse Sacramentum ad evitandum corruptionis periculum. Et quamvis, ut supra notatum est, citius fermentatum corruptioni obnoxium sit; difficilius tamen in azymo coepta corruptio ex visus sensu cognosci potest; quapropter, ne servatae particulae caepta iam, sed non visu cognita corruptione adhibeantur, easdem frequenter renovari necesse est. Quo enim difficilius corruptio solo intuitu cognosci potest, eo maior adhibenda cautela est, ne id contingat. Nostrum Romanum Rituale ideo praecipit : « SSmae Eucharistiae particulas frequenter (Parochus) renovabit . Hostiae vero seu particulae consecrandae sint recentes; et ubi eas consecravit, veteres prius distribuat vel sumat » tit. de SSmo Eucharistiae Sacramento § *SSmus etc.* Clara est lex, sed quoniam Rubrica tempus, intra quod particulae renovandae sunt, non declarat; aliquis forte putabit, quemque suo pro lubito facere id posse, dummodo de corruptionis periculo certe non constet. Equidem perperam ; primum enim, non expectandum est quod certe de periculo constet, sed periculum pra evenire oportet: dein vero advertendum, quod si particularum renovatio relinqueretur in privatorum arbitrio, ut et interpretatio dictionis *frequenter,* illud perquamfacile accidere malum posset, quod, ne fiat, diligentissime curandum est. Praeterea quod generice innuit Rubrica, nec satis clare praecipit, aliis ex fontibus singulariter nec obscure desumitur. De renovanda enim Sacra Eucharistia habetur Decretum Concilii Turonensis apud Regionem lib. 1, de ecclesiasticis disciplinis, cap. 70. Ibi legitur : « ut de tertio in tertium diem semper mutetur, illa a Presbytero sumatur, et alia, quae eodem die consecrata est, in locum subrogetur, ne forte diutius asservata mucida, quod absit, fiat ». Rigida forte nimis huiusmodi sanctio videbitur. Non intercedo ; neque in expendenda ea sanctione, quae particularem Ecclesiam respicit, est animus me velle immorari. Quae fuerit et modo sit universalis Latinae Ecclesiae disciplina quaerendum est ; nec ab ea declinandum. Audiendus Baruffaldus ad supra notatum Ritualis locum: « Praecipit Rubrica nostra, ut frequenter renoventur particulae, ne in Pyxide et in Tabernaculo clausae corrumpantur, et sic Sacramentum amplius non adsit, quia, corruptis panis speciebus, cessat esse Corpus Christi. Ista frequentia D. Carolus act. 4 decrevit, ut octavo quoque die ad summum esset intelligenda ». Martenius de antiquis Ecclesiae ritibus lib. 1, cap. 5, num. 3, infinita propemodum affert testimonia, quibus comprobat constantem esse disciplinam Ecclesiarum renovandi particulas semel in hebdomada vel saltem ad summum de quindecim in quindecim dies. In Concilio Mediolanensi IV Provinciali: et capite, cui titulus : *Quae ad SSmum Eucharistiae Sacramentum pertinent,* a S. Carolo Borromaeo statutum est : « ut octavo quoque die renovetur Eucharistia et quidem ex Hostiis non ante viginti dies ad summum confectis ». Idem saepe alibi confirmat et praesertim in Instructionibus de ipso Eucharistiae Sacramento. Sic enim inquit : « eas (Eucharistiae particulas) octavo quoque die ad summum renovabit . . . . Hostiae autem adhibeantur recentes, et a viginti diebus ad summum confectae ». Quid autem non ultra octavum diem particulae pro Communione Fidelium reserventur, expresse mandant passim non recentes modo Synodi, verum etiam anti-

quiores, praesertim Rotomagensis anni 1072, Canone 6, et Londinensis anni 1257, Canone 2, etc.

Haud ignoro apud Graecos Eucharistiam in Coena Domini consecratam usque ad annum reservari consuevisse quia apud eos invaluit opinio, quod Eucharistia in Coena Domini consecrata maioris foret efficaciae. Verum Innocentius IV in Literis Apostolicis ad legatum in Regno Cypri super ritibus Graecorum hunc errorem proscripsit, et reservationis licentiam ad quindecim dies cohibuit. Quamvis vero etiam Clemens VIII Constitut. *SSmus* 31 Aug. 1591 Eucharistiae reservationem non ad octo cohibuerit, sed ad quindecim usque dies protrahi posse declaraverit; notandum *primo* est eam Constitutionem latam fuisse super ritibus *Italo-Graecorum: secundo* constantem disciplinam omnium Ecclesiarum esse, ut non ultra hebdomadam huiusmodi fiat renovatio. Habemus etiam Sacr. Rit. Congregationis Decretum in Conchen. 3 Septemb. 1662, quo idipsum praecipitur: « In renovatione, quae quolibet octavo die fieri debet de Augustissimo Eucharistiae Sacramento, consumi debet tum Hostia, tum etiam particulae, quae existunt in Tabernaculo, post sumptionem Sanguinis ante purificationem etc. ». Quod si ad quindecim dies protrahatur renovatio, non id reprobandum, culpaeque vertendum; quia hoc intra breve tempus haud formido, quod sacrae species corrumpantur. Secus nec Clemens VIII tempus hoc pro *Italo-Graecis* determinasset.

Ex his, quae hactenus sunt disputata, recte consequitur quod si non licet renovationem Sacramenti ultra octo vel ad summum ultra quindecim dies differre, multo minus fas erit permissos transgredi terminos et Fidelibus distribuere particulas a sex vel tribus mensibus consecratas. Si Concilium Turonense supra laudatum voluit, ut de tertio in tertium diem Hostiae renovatio fieret, ne diutius asservata mucida evaderet; quomodo ferendum erit, ut particulae reconditae maneant ad longissimum tempus trium vel etiam sex mensium, intra quod non solum timenda, sed forte etiam iam inducta censenda erit specierum alteratio et corruptio? Omnino igitur proscribenda et damnanda erat consuetudo, de qua in dubio et iubendum Parochis Civitatis et Dioecesis Gandavensis, ut, eliminata corruptela, ad Ritualis Romani Rubricas sese omnino conforment; veluti Sac. Rit. Congregatio omnino faciendum praeceptive decrevit.

Ad Dubium II. Quaestionis primae. Si illicitum est Parochis et Rectoribus Ecclesiarum Dioecesis Gandavensis reservare particulas pro Communione Fidelium ad tres usque, vel etiam, quod magis est, ad sex menses ob gravissimam illam rationem, quod infra tam longum tempus potuerint corrumpi, licet, non alterato colore et externa superficie, integrae videantur, quod nonnisi fallaci sensu visus percipitur, cui proinde fidendum non est; quum inducta corruptio sit, quin oculis pateat, haud poterunt Sacerdotes, qui hoc non ignorantes (ut praesens dubium supponit) easdem sacra Communione refici petentibus distribuere. Eadem quippe militat pro utrisque ratio. Nam, si, ut in praecedenti responso declaratum fuit, damnanda est consuetudo ad longum et ultra praefinitum tempus reservare particulas, nemini consequenter fas erit easdem Hostias ac particulas tamdiu reservatas ad Fidelium Communionem adhibere. Igitur vel Parochus vel Rector ille sit, qui communicat, vel extraneus Sacerdos, qui ad Ecclesiam celebraturus accedit, haud potest id facere, quod ex intrinseca causa damnatum est, et substantialiter praeceptivis, ac omnino servandis Rubricis, Apostolicis Constitutionibus Decretisque S. R. C. opponitur; quibus districte praecipitur, ne ultra octo, aut ad summum quindecim dies renovatio Sacramenti protrahatur, ne periculum immineat vel sit distribuendi particulas iam corruptas. Neque vero in re tam gravi licitum vel illicitum ullo modo pendere potest ab approbatione vel improbatione, consensu aut dissensu Rectorum et Parochorum. Non enim agitur de re, quae uno alterove modo fieri possit, sed de Eucharistiae distributione, quae non amplius adest, sed adesse cessat sub speciebus, quae corruptionem subierint. Ac propterea non expectanda certa inceptae corruptionis signa, sed ad avertendum malum satis est periculum; ideo determinatum est tempus faciendae renovationis. Igitur responsio data ad praecedens dubium afficit aeque Rectores et Parochos, ac etiam Sacerdotes, qui non ignorant pravam et Rubricis contrariam consuetudinem, quae viget in Dioecesis Gandavensis Ecclesiis. Si Sacr. Congregationis mandatis (quod absit ut futurum credam) aliquis sit ex iisdem Rectoribus et Parochis vel Sacerdotibus, qui

adhuc in retinenda reprobata ac damnata consuetudine persistere velit, sciat gravi reatu fieri obnoxium. Quod enim est intrinsece illicitum, nullo modo, nullo sub praetextu, nullo colorato motivo licitum evadere potest.

Ad Dubium I. Quaestionis secundae. Si omnia, quae Ritualis Romani Rubricae servanda iubent, adamussim tenenda sunt, multo magis ab iisdem non est recedendum, quae respiciunt Sacramentorum administrationem. Altera autem ex generalibus regulis, quae sub titulo *de iis, quae in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt,* haec est, quae sequitur : « In omni Sacramentorum administratione Superpelliceo sit indutus (Parochus aut Sacerdos quilibet, qui administrat) et desuper Stola eius coloris, quem Sacramenti ritus exposcit ». Quae regula exceptionem dumtaxat patitur in Sacramento Poenitentiae ministrando, quia facile contingere potest, ut, aut pro re nata tempus non suppetat sumendi Superpelliceum et Stolam ; vel alia intercedat rationabilis accidentalis causa dispensationis et excusationis. Sed de hac generalis regulae exceptione quaerendum modo non est, quum quaestio omnis in eo sit : An retineri possit praxis, ubi invaluit, deferendi ad infirmos, eisque administrandi Sanctissimum Sacramentum cum Stola supra Vestem communem sine Superpelliceo. Ad hunc reprobandum abusum satis esset regula generalis, cuius supra mentio facta est : verumtamen alia Rubrica specialis *de Communione ministranda infirmis,* in qua sic legitur : « Deferri autem debet hoc sanctum Sacramentum ab Ecclesia ad privatas aegrotantium domos, decenti habitu superposito, mundo velamine , manifeste atque honorifice etc. ». Decentia autem haec quoad habitum, non ad Vestis cuiuscumque usualis et communis minorem vel maiorem pulchritudinem, elegantiam, decus referri debet, sed ad illam, quae ecclesiasticorum indumentorum propria est, quaeque Sacramentorum administrationem decet, eique ex praefata generali regula convenit, necnon sacro Ministro Sacramentum deferenti. Nova non est huiusmodi Vestium differentia; imo antiquissima nec repudianda illorum sententia est, qui censent in ipsis Ecclesiae primordiis Apostolicisque temporibus duplicem fuisse Vestem, aliam scilicet ad communem usum, aliam ad ministerium et officium. Sed modo, non interest de hoc disputare. Vel Vestium distinctio fere ab Ecclesiae exordio repetenda sit, vel aliquando post fuerit inducta, certum tamen est eamdem esse multa antiquitate praestantem. Sed qualis esse debeat decens hic habitus infra a Rubrica declaratur : « Ubi vero convenerint qui Eucharistiam comitaturi sunt, Sacerdos indutus Superpelliceo et Stola, et, si haberi potest, Pluviali albi coloris, Acolythis seu Clericis aut etiam Presbyteris (si locus ferat) Superpelliceo pariter indutis comitatus etc. ». Superpelliceum igitur et Stola in praecepto sunt, Pluviale vero in arbitrio et more. Neque sit quispiam, qui aucupando verba et eorumdem pervertendo sensum, interposita illa dictione *si locus ferat* abutatur et ad Sacerdotem Sacramentum deferentem referat id quod respicit dumtaxat Pluviale, Acolythos, Clericos aut etiam Presbyteros comitantes, quos Rubrica exoptaret (insinuando, non praecipiendo) Superpelliceo indutos incedere. Quod si ecclesiastico hoc indumento optat Rubrica indutos esse Sacerdotes aut Clericos comitantes, suspicari ne possumus fas esse consuetudinis praetextu non adhiberi Superpelliceum a Sacerdote Sacramentum deferente, quamvis praeceptiva sit prima Rubricae pars, quae eumdem respicit ; directiva vero, et facultativa pars altera, quae ad Sacerdotes et Clericos comitantes refertur? Praeterea, erit forte nonnemo, qui reponat, non haec omnia semper et necessario esse in praecepto, et excipiendum esse casum, in quo locus fiet alicui indulgentiae non sumendi Superpelliceum, si nempe longius aut difficilius iter obeundum sit, ut in dubio proponitur. Errat quammaxime qui ita opinatur ; quippe casum hunc Rubrica non praeterit, imo modum in eo servandum praescribit. En verba: « Quod si longius aut difficilius iter obeundum sit et fortasse etiam equitandum, necesse erit vas, in quo Sacramentum defertur, bursa includere, et ita ad pectus alligare atque obstringere, ut neque decidere, neque Pyxide excuti Sacramentum queat » : ex quibus Rubricae verbis colligitur modum dumtaxat praescribi, quo Sacramentum decenter deferatur, ne vel decidat, vel Pyxis excutiatur : quoad Superpelliceum et Stolam nulla fit limitatio aut exceptio. Quod si, quando longius est iter et difficilius, dispensandum Parochum voluisset Rubrica a delatione Superpellicei et Stolae, hic erat locus apposite id adnotandi. Hoc notatum non video ; igitur

in hoc contemplato casu per istam Rubricae declarationem nihil detractum est alteri supra relatae, quae iubet Superpelliceum et Stolam assumendam a Parocho vel quoque Sacerdote Viaticum deferente et ministrante. Si mei ita ferret Instituti ratio, longe plura addere hic possem, sed brevitati consulturus, quae dixi satis esse arbitror, ut evincam S. C., proposito dubio respondendo : « Negative, et eliminata consuetudine servetur Ritualis Romani praescriptum », eidem Rubricae adhaesisse, eiusdemque sensum declarasse.

Ad Dubium II. Quaestionis secundae. Eadem responsio convenit alteri huic dubio. Rubrica namque ordinem ritumque praescribens in administratione Extremae Unctionis servandum, vult omnino decenter ministrari ; ideo vestes, quae a Parocho vel Sacerdote ministrante adhibendae sunt, tales sint oportet, ut ad debitam reverentiam rectamque tractationem conducant, praesertim vero omittendae non sunt, dum eas signanter Rubrica designat et adhiberi iubet. Haec autem nedum principio expresse praecipit, datque regulam generalem de Superpelliceo et Stola coloris convenientis adhibendis in omnium Sacramentorum administratione, ut supra notatum est ; verum etiam speciatim agens de Sacramento Extremae Unctionis : « Deinde, ait, posito oleo supra Mensam, Superpelliceo Stolaque violacei coloris indutus, aegroto Crucem pie deosculandam porrigit, mox etc. ». En praescriptum praeter Stolam etiam Superpelliceum. Cur autem servanda et non potius damnanda consuetudo, seu potius corruptela Extremam Unctionem administrandi sine Superpelliceo? Excipio casum positivae necessitatis. Dura quippe videtur sententia Layman. tract. 8, cap. 8, num. 1 relat. a Barbosa, qui dicit « non licere, etiam in casu necessitatis, administrare hoc Sacramentum, non adhibitis Vestibus ab Ecclesia praescriptis ». Certe casus necessitatis a multis excusat, veluti refert et monet Barruffaldus ad Ritual. Roman. tit. 27, num. 44. At casus necessitatis dari potest, quin tempus suppetat sumendi vestes pro hoc Sacramento administrando praescriptas. Quid autem, si longum ac difficilius ineundum sit iter? Eritne causa sufficiens, quae ab usu praescriptarum Vestium excuset? Minime gentium. Rubrica casum praevidit, eidemque consuluit; et, dum modum servandum quoad circumstantiam itineris indixit, nullam aliam limitationem posuit aut moderationem quoad reliqua. En Rubrica : « Quod si longum est iter peragendum, aut etiam equitandum sit . . . . vas cum oleo sacculo aut bursa inclusum . . . ad collum appendat, ut commodius et securius perferat ». Quae quidem ad circumstantiam itineris dumtaxat sunt referenda, non ad cetera quae circa Sacramenti administrationem versantur. Rubrica igitur, quae sine ulla exceptione, limitatione aut moderatione adhiberi iubet Superpelliceum et Stolam, servanda omnino est, et ab ea nullo sub expiscato praetextu declinandum. Ideo usus contrarius sive potius abusus, ubi viget, est eliminandus.

Ad Dubium Quaestionis tertiae. Accidit saepenumero, ut Ecclesiastici etiam viri, quin servent praescriptas leges consulantque decentiae quoad Sacramentalia resque sacras, propriae potius commoditati inserviant. Id profecto accidit in Gandavensi Dioecesi (et utinam ibi dumtaxat), ut Parochi, ne aliquid incommodi sentiant et accedere cogantur ad Ecclesiam, ubi Sacrum infirmorum Oleum servandum est, apud se in propriis domibus illud retineant. Equidem fateor Ritualis Romani Rubricam rigorose locum non adsignare pro sacris custodiendis oleis, sed quod expresse non iubet, tacite tamen designatum intelligitur, et ex contextu aliisque Rubricae locis declaratum videtur esse Ecclesiam. Vult enim ut « haec vascula (sacra olea continentia) in loco proprio, honesto et mundo sub clave et tuta custodia asserventur etc. ». Quis autem *decentem, honestum et mundum locum* extra Ecclesiam a Rubrica consideratum fuisse putabit? Praeterea quod lex aperte non dicit, universalis omnium Ecclesiarum constans disciplina declarat. Nam ubique Ecclesia locus est, in quo Sacra Olea asservantur ; at varius est locus pro iisdem custodiendis. Ideo nonnullis in Ecclesiis consueverunt reponi in custodia prope Altare maius, sed seorsim ab illo ; in aliis servabantur in custodia sacrarum rerum, quam Sacristiam sive Sacrarium et Secretarium vocant ; in aliis tandem intra ipsum, vel saltem prope Fontem baptismalem, ut in promptu sint Chrisma et Oleum Cathecumenorum, dum infantes baptizandi deferuntur. Quovis autem in loco ex memoratis Sacra Olea custodiantur, semper ac solemne cuique fuit summa cum reverentia eadem servare et custodire in Ecclesia. Et quoniam longe decentius esset adhibitis luminibus assidue ardentibus ea-

dem asservari; propterea, ut plures monent hac de re Scriptores, communisque est Ecclesiarum praxis, praestat post vel prope Altare, in quo reconditur Sanctissimum Sacramentum Custodiam collocare; illae quippe, quae ratione SSmi Sacramenti ardent lampades, custodiendis etiam reverenter sacris oleis possunt inservire. In hoc tamen non insisto, quia, licet deceat lampadem ardere, ubi sacra olea asservantur, decentia tamen minime secum fert obligationem et praeceptum. Haud praetereunda sunt quae S. Carolus Borromaeus, ecclesiasticae disciplinae post Tridentinum Concilium Restaurator et Assertor eximius, quoad rem hanc sapienter constituit pro sua Mediolanensi Ecclesia. In III Provinciali Concilio, et praecise in capite de iis quae ad sacramentalia et Sacramenta pertinent statutum lego « ut sancti Chrismatis et sancti Cathecumenorum Olei (idem intelligendum de altero infirmorum) vascula non alibi, sed in Ecclesia religiose adserventur in Ciborio aliove eiusdem Ecclesiae certo constituto loco, quem Episcopus comprobaverit ». Hic autem *Ciborium*, ne forte accipias pro Tabernaculo, in quo SSmum Sacramentum adservatur; sed intelligi debet pro Custodia separata, clave claudenda. Clare id patet ex alio eiusdem Provincialis Concilii loco, ex capite scilicet de iis quae ad SSmum Eucharistiae Sacramentum pertinent, in quo statuitur ut Tabernaculum pro sacra Eucharistia asservanda vacuum sit. En verba: « Omnino Sacra Eucharistia cum suo vase in eo dumtaxat servetur, aliud praeterea nihil ». Synodus etiam Ferrariensis expressius locum designat, in quo oleum infirmorum decenter et caute sit custodiendum: « Fenestellam propriam, atque ad hoc unice praeparatam habere debet Sanctum Oleum infirmorum, quam nonnulli vocant Armarium. Propria ista debet esse haec fenestella in parte Ecclesiae ad cornu Evangelii, seu in quo adsit Tabernaculum cum SSma Eucharistia ». Atque id est universaliter receptum; et bene stat, quia frequenter accidit, ut, dum Viaticum infirmo deferendum est, Oleum etiam infirmorum pro sacra unctione deferendum sit; quemadmodum expedit, ut prope baptismalem Fontem costodiantur cum Chrisma tum Oleum Cathecumenorum, quia adhiberi debent in sacro ministrando baptismate.

Quod si in Pontificali Romano praecipitur, ut iuxta Sacrorum Canonum dispositionem sacra olea custodiantur, utque Episcopus diligenter curet, ne Presbyteri in iis caute custodiendis negligentes sint: si Custodiae locus designatur, vel in Ecclesia, vel in Sacrario: si eadem Custodia clave est claudenda, « ne, ut praecipit Rituale Romanum, ab aliquo nisi Sacerdote temere tangatur, aut eis sacrilege quispiam abuti possit » « ut nulli (ita in Pontificali) sub praetextu medicinae vel maleficii tradere praesumant », fas ne erit ut privata in sua domo Parochi oleum infirmorum detineant? Si ita fiat, dici ne poterit reverentiae et decentiae satis provisum? Dici ne poterit sic custodiri, ut nullum sit periculum, quod a laicis tangatur, aut quod, absente Parocho, sacrilege aliquis illo abuti non possit?

Eoque magis quia idem Rituale Romanum, praecise agens de oleo infirmorum, illud custodiri praecipit *in loco nitido et decenter ornato,* ad quae verba notat Baruffaldus: « hoc oleum suum habere debet repositorium separatum a quocumque alio loco, nam neque in Fonte Baptismali, neque in Tabernaculo, neque in Reliquiarum Sacrario, custodia reponi debet ». Huiusmodi locum in Ecclesia ponit, apteque distinguit aiens: « debet esse..... in pariete Ecclesiae ad cornu Evangelii Altaris maioris, seu in quo adsit Tabernaculum cum SSma Eucharistia.... eius altitudo a terra sit quanta sufficiat ad commode eam (fenestellam, quae custodiam claudit) aperiendam, sine ope vel scalae, vel suppedanei.... ostiolum habeat ex ligno, quod bene claudat cum sera et clave.... et subtus literis maiusculis haec verba legantur: SANCTUM OLEUM INFIRMORUM ».

Eritne igitur vel nunquam, vel aliquando licitum sacrum oleum domi retinere? Passerinus cap. 9, n. 102, quem sequitur Barbosa, non bene agere putat Parochum dubitantem de nocte se fore pro infirmo periclitante vocandum, si Vespere ferat oleum ad suum cubiculum, ut vocatus expeditior procedat; vel si de nocte reversus ab administratione Sacramenti, oleum non reponat in consueta fenestella seu repositorio Ecclesiae, sed retineat in cubiculo usque mane: verumtamen gravis eum piaculi minime damnandum putat, dummodo non adsit scandalum vel periculum irreverentiae. Mei Instituti ratio non fert, ut in hac sententia discutienda immorer. Dato autem quod in casu proposito infirmi periclitantis liceat Parocho per unam

noctem vel partem noctis Sacrum Oleum domi retinere, ut promptius accurrat ad illud morituro ministrandum, ex hac generalis regulae limitatione recta consequitur, ab regulae observantia sine urgentissima necessitate recedendum non esse, proindeque illicitum fore unica tantum commoditatis ratione Sacrum Oleum domi retinere.

Quoniam vero in casu proposito agitur de consuetudine Parochorum, qui pro sua commoditate retinent Sanctum Oleum; secus respondendum non erat quam *negative*, hoc est consuetudinem esse reprobandam, damnandam et eliminandam. Scite tamen S. C unam posuit limitationem, excepitque casum necessitatis magnae distantiae ab Ecclesia; sed simul consultum voluit honestae decentiae tutaeque custodiae, quemadmodum exigit Rubricae dispositio.

Ad Dubium Quaestionis quartae. Sacrorum Oleorum dispensatio nequit differri usque ad Dominicam in Albis, nisi prius fieri nequeat ob locorum distantiam, viarum difficultatem et asperitatem, nec non ob aeris temporumque vicissitudines et intemperiem; nec dilationis causa peti potest ab inducta consuetudine, quae potius appellari debet abusus, damnandaque corruptela. Rubricae generales cum Pontificalis, tum Ritualis, certam ponunt regulam, ut ante Paschalem solemnitatem Sacra Olea per Parochias distribuantur, nisi intercedat altera ex causis superius allatis. Non mihi est animus hic quaerendi num Sacrorum Oleorum benedictio et consecratio, ceu nonnulli Auctores volunt, a S. Fabiano Pontifice fuerit instituta, quod probatum non est; sed quoniam de ea mentio fit in magni Gregorii Sacramentario et in veteri Ordine Romano; ideo sub finem saeculi sexti vel saltem septimi initium, de re liturgica Scriptores volunt invaluisse morem benedicendi et conficiendi Sacra eadem Olea Feria V in Coena Domini. Quidquid autem de hoc sit, satis nobis sunt Rituales et a Sede Apostolica probati Codices, quibus in Sacramentis et Sacramentalibus uti debemus. Porro Pontificale Romanum titulo de officio in Feria V in Coena Domini notat et praecipit: « hac die singulis annis benedicitur Oleum Cathecumenorum et infirmorum, et conficitur Chrisma »: iubet vero Rituale Romanum de iis agens, quae ad sancta pertinent Olea: « Sanctum Chrisma et Sanctum Oleum, quod et Cathecumenorum dicitur, quorum usus est in baptismo, eodem anno sint benedicta ab Episcopo de more Feria V in Coena Domini ». Huic Rubricae altera succedit, videlicet: « Curet Parochus, ut ea suo tempore quamprimum habeat, et tunc vetera in Ecclesia comburat ». Quale autem tempus sit, ad quod referri debeat illud *curet quamprimum*, clare patet ex alia Rubricae dispositione. Cum singulis annis Sabbato Sancto baptismalis Fons sit benedicendus, et in eo nova Olea Feria V in Coena Domini sacrata debeant infundi, ut Rubrica praescribit et habetur in cap. Si quis de consecratione, distinct. 4; consequitur curandum esse, ut quamprimum, scilicet Sabbato Sancto, eadem Olea ad Paroecias delata sint. Hoc ex Rubricarum inter se collatis dispositionibus clare deducitur, nec non hanc esse obviam et legitimam, non arbitrariam interpretationem a Sacris Synodis passim confirmatam, quae mandant, ut Parochi ante Paschatis Solemnitatem Sacra Olea petant et recipiant. Sic Synodus Carthaginiensis IV, Canone 36, praecipit: « Presbyteri, qui per Dioeceses Ecclesias regunt.... a suis (Episcopis) ante Paschatis solemnitatem Chrisma petant ». Idem mandatum legitur in Synodo Vasensi Canone 3: « ut per singula Territoria Presbyteri vel Ministri ab Episcopis.... per annos singulos Chrisma petant appropinquante Solemnitate Paschatis ». Adeundus aeternae memoriae Pontifex Benedictus XIV qui spartam hanc, Instit. ecclesiastic. 81, solita sua eruditione doctissime illustravit.

Quod si ex iis, quae huc usque allata sunt, clare patet Parochos teneri Olea Sacra petere et accipere ante Paschalem Solemnitatem, nisi rationabilis causa intercedat, qua cohonestari queat dilatio; eruntne sine censura dimittendi Decani foranei, qui Sacra Olea iam confecta ex una dumtaxat improbanda loci consuetudine ad Parochos mittere usque ad Dominicam, quae in Albis dicitur, differunt? Ex hac autem arbitraria consuetudine, quae legitimam causam non habet, illud consequitur grave incommodum, ut, si interea contingat baptizari infantem, vel infirmum extrema unctione muniri, cogatur Parochus veteribus oleis uti, quod nefas est, dum haberi possunt recenter consecrata. Si verum est a peccato excusari non posse Parochum seu Sacerdotem, qui sua culpa negligat aut sub reprobandae consuetudinis praetextu Olea recentia recipere, quibus utatur in administratione baptismatis et extremae unctionis, eritne a reatu immunis habendus De-

canus foraneus, qui sine causa aut ulla necessitate, differat traditionem Oleorum ad Paroecias, usque ad Dominicam in Albis? Audiendus Baruffaldus, qui titul. de Sacris Oleis haec habet : « Haec Olea debent esse eo ipso anno benedicta.... si Sacerdos uteretur veteri oleo, peccaret graviter, et quoque puniri deberet etc. »; et agens de Sacramento extremae unctionis inquit : « debet esse hoc Oleum illo anno benedictum ab Episcopo in Feria V in Coena Domini, quia, quamvis Doctores allegati per Clericat. decis. 65, num. 16, concludant valide posse administrari Sacramentum extremae unctionis cum Oleo veteri benedicto.... nihilominus illicite semper fit, quia est contra praeceptum de singulis annis comburendo veteri Oleo, et novo consecrando. Attamen in casu necessitatis, deficiente novo, poterit adhiberi Oleum benedictum vetus iuxta responsum Sacr. Congregationis Episcopor. 20 Maii 1590, apud Gavant. in Manuale Episcoporum verbo *extrema unctio* num. 10 etc. Sed non omnis necessitas excusat a culpa, verum illa tantum, quae non oriatur ex negligentia et socordia Sacramentum ministrantis, ideo, ut Baruffaldus prosequitur : « Si necessitate non urgeatur Parochus adhibens vetus Oleum, non videtur a peccato excusatus..... quia debet Oleum esse benedictum eo anno, ut praecipitur in cap. literis de consecrat., distinct. 3. Si vero Parochus careat Oleo noviter benedicto ob aliquem fortuitum casum, adeo ut ista deficientia absque sua culpa sit, poterit vetere Oleo morituros ungere, usque dum novum ipsi ab Episcopo transmissum fuerit, etc. ». In casu autem proposito ob paritatem rationis haud poterunt excusari Decani foranei, qui cum differant ex una tantum loci consuetudine delationem Oleorum usque ad Dominicam in Albis, Parochis dant causam ut, si interea temporis sit Baptismum administrandum, vel moribundus extrema unctione muniendus, veteribus Oleis utantur.

Ad Dubium I. Quaestionis quintae. Ad primum hoc dubium quaesiti V recolenda veniunt, quae supra diximus in adnotat. ad dubium unicum quaesiti III. Unum dumtaxat addere iuvat. Cum sacra Olea iuxta Rubricarum dispositionem, traditas in Synodis regulas et doctrinam de re liturgica Scriptorum, nequeant asservari, nisi in Ecclesia, ibique in custodiis respective adsignatis ; semper tamen decenti in loco, honesto ac tuto, cuius fenestella clave sit clausa, ne aperiri queat, nisi a Rectore, vel Parocho, ad quem pertinet, ne excepto quidem Oleo infirmorum, licet ad Sacramentum extremae unctionis ministrandum urgeat quandoque ex inopinato improviso casu verae necessitatis, (nisi casus praevisus sit, ut supra notatum est) ; quis non videt locum eo magis sibi vindicare Rubricam quoad Sanctum Chrisma et Oleum Cathecumenorum, pro quorum usu inopinatus dari nequit urgens casus? Clare igitur patet fas non esse Parocho vel Rectori Sacra Olea sibi tradita retinere domi usque ad Dominicam subsequentem, sed omnino teneri eadem deponere in decenti tutoque loco intus Ecclesiam ad id destinato.

Ad Dubium II. Quaestionis quintae. Quod vero attinet ad alterum hoc dubium, quod respicit solemnitatem deferendi sacra Olea ad Ecclesiam, pravam hanc consuetudinem inductam fuisse non ex alia, nisi ex crassa ac supina ignorantia, iure existimo. Debeturne Sacramentalibus ille extrinsecus honor, qui uni convenit SSm̃o Eucharistiae Sacramento? Nonne Rubrica modum praescribit servandum in deferendis Sacris Oleis? Iubet namque deferri debere per ecclesiasticum Ministrum, ut decenter et reverenter tractentur : « Parochus, quantum fieri potest, curet ne per laicos, sed per se, vel per aliquem Sacerdotem, vel saltem Ecclesiae Ministrum haec Olea deferantur ». Ubi notandum est quod non absolute praefata Rubrica excludit laicos ab eorumdem delatione, sed monet tantummodo, ne Parochus laico huiusmodi delationem demandet ; quia quandoque contingere potest, praesertim in parvis Oppidis ac Paroeciis ruralibus pro administrando Sacramento Extremae Unctionis, ut alius non sit, nisi laicus, qui bursam cum Oleo infirmorum ad aedes infirmi deferat, impedito Parocho, necessitate urgente, spiritualia Ecclesiae subsidia in agone posito infirmo ministrante. Quum igitur Parochus per se nequeat, aliumque non habeat, nisi laicum ministrum Clerici vices fungentem, huic committere cogitur ut hoc praestet officium. Id tamen, quantum fieri potest, vitandum est. Praeterea tam verum est, quod in delatione Sacri Olei nulla adhibenda est solemnitas, ut nec locum obtineat in actu administrationis : ideo Ritualis Rubrica monet, quod unica tantum paranda sit candela, quae deinde *accensa ipsi iniungenti lumen praebeat*, ad quae Rubricae

verba Baruffaldus notat: « Candela similiter in promptu sit: nam etiamsi de die ministretur hoc Sacramentum, necesse est ut adhibeatur lumen non solum ad dignitatem Sacramenti.... adhibet hoc lumen Sacerdos ad bene discernendas partes inunctas et ad illas tergendas: ut innuit ipsa Rubrica relatis supra verbis: ipsiinungenti lumen praebeat ».

Item in Sacrorum Oleorum confectione Pontificale Romanum, Rubrica *de Officio in Feria V in Coena Domini,* cum ea benedicuntur et conficiuntur, mensam Mappa ornatam parari praecipit, nullum vero verbum de luminibus in Mensa ponendis facit, et duo tantum lumina assignat hinc inde a lateribus Crucis deferenda, dum e Sacrario pergitur processionaliter ad Chorum pro conficiendo Chrismate atque Oleo Cathecumenorum, et dum post illorum confectionem ad Sacrarium deferuntur. Aliud revera est ipsa Oleorum benedictio et consecratio quae solemniter fit, pro quorum confectione Missae Sacrificium, inter cuius Solemnia conficiuntur, abrumpitur; aliud vero simplex illorum delatio, vel ad Ecclesiam, vel ad Fontem. Et si pro illorum consecratione praescribuntur lumina, quae quidem non in Mensa, sed a Crucis lateribus deferuntur, quaeque praescripta dici possunt pro actu processionis, et Cruci assignata videntur; haud quidem sequitur maiorem Solemnitatem in simplici praedicta illorum delatione servandam esse. Multo autem minus fas est eadem deferre sub baldachino ad Ecclesiam, ubi exponuntur in aliquo Altari cum hymnis et eadem solemnitate portantur ad Fontem baptismalem, eique infunduntur; ceu fit a multis Pastoribus Gandavensis Dioecesis, ut in Quaesito. Quis autem ignorat non aliter ritus esse servandos, sed eo modo dumtaxat, quem Ecclesia praescribit? Modus autem qui servatur ab aliquibus Gandavi, nedum perperam inductus est praeter et contra Rubricae dispositionem; sed, quod gravius est, damnandum in errorem rudem populum potest inducere, qui cum videat Sacra Olea tanta solemnitate deferri et sub baldachino, ac in Altari exponi, in falsam opinionem veniat, quod Sacris Oleis non reverentia dumtaxat, sed et cultus debeatur, qui, uni SSmae Eucharistiae Sacramento debetur. Aliud est quod sacrum est et Sacramentalibus adnumeratur revereri; aliud vero colere, hoc est adorare, et extrinsecas illas solemnitates adhibere, quae uni conveniunt Augustissimo Eucharistiae Sacramento. Neque reverentia confundi hoc sensu cum cultu debet, ut unum pro altero accipiatur: quae distinctio in distinctis etiam actibus externoque apparatu, quae indicia sunt interioris animi sensus, omnino conservanda est. Iam vero cultus sive adoratio non Sacramentorum materiae, non Sacramentalibus generice, sed Sacramentorum Auctori debetur. Quod si non veneratio solum, sed et cultus quidem Latriae Eucharistiae Sacramento praecipitur, Christo ipsi praestatur, qui sub panis speciebus occulte quidem, sed realiter in hoc Sacramento adest. Ex hoc ipso non omnia Sacramenta aequalia sunt, quemadmodum sacra Tridentina Synodus definivit Canone 12, Sess. 6, de Sacramentis, quo anathema dixit contra eos, qui pari inter se dignitate omnia Sacramenta esse dicerent: « Si quis dixerit haec septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit ». In Sacramento enim Eucharistiae praeter gratiam, quae a Sacramento confertur, Auctor ipse gratiae et adoratur, et recipitur, in quo differentia et maior prae aliis Sacramentis dignitas est posita.

Puto autem a vero non aberrare si quis arbitraretur hanc ob ipsam rationem, ne scilicet in errorem populus inducatur, neve falso fideles existiment Sacro Oleo deberi cultum et adorationem, quae uni convenit Eucharistiae, sine luminibus accensis, sine Campane sonitu vas Olei infirmorum deferri debere sacculo coloris violacei inclusum. Nonne enim hanc rationem innuit Rubrica districte praecipiens occultam esse debere eiusdem olei delationem? Agens quippe de casu, quo infirmus ad exitum vitae properet et Sanctum Oleum una cum Viatico deferri debeat: « Si tamen, inquit, alius Presbyter vel Diaconus, qui Oleum Sanctum deferat, haberi possit, per ipsum deferatur, qui Superpelliceo indutus cum Oleo Sacro occulte delato sequatur Sacerdotem Viaticum portantem ». Ad quae verba notat Baruffaldus: « Verum est, quod si ceteri et diversi alii ecclesiastici Ministri adessent, omnes, quotquot essent, deberent similiter Superpelliceo indui, unde non distingueretur inter illos quisnam deferret Sacramentum Sancti Olei, eo magis quia, ut praescribit Rubrica, debet occulte deferri ». Nam si alios inter distingueretur Sacerdos vel Diaconus Oleum Sanctum deferens, rudis populus facile posset reve-

rentiam cultumque confundere, eamdemque venerationem exhibere cum Sacramento, tum Sancto Oleo. Neque praetereundum est S. R. C. responsum, quo praecipitur in delatione Olei Sancti ad infirmos nullam extrinsecam solemnitatem esse adhibendam. Quum enim delatum fuisset Sacerdotes Ecclesiae S. Nicolai ad infirmos deferre solitos Mannam solemniter Superpelliceo indutos cum luminibus et lanternis, ac si Sacramentum extremae Unctionis ad infirmos deferrent; Sacra Rit. Congregatio expresse reprobavit huiusmodi morem, nedum quoad Mannam, verum etiam quoad Oleum infirmorum: « Non modo Mannam S. Nicolai, sed neque extremae Unctionis Oleum solemniter cum Superpelliceo et lanternis ad infirmos deferendum esse ». Ita die 28 Ianuarii 1606. Sed de hac re iam satis.

Ad Dubium III. Quaestionis quintae. Ab hoc tertio dubio me paucis expedio. Nam repetenda hic forent quae dicta iam sunt. Nulla enim ratio occurrit; qua posita, queat adprobari solemnitas quoad infusionem Sacrorum Oleorum in Fontem baptismalem; si eadem haberi nequiverunt Sabbato Sancto, dum sacra actio benedictionis aquae peracta fuit. Auctores liturgici agentes de hac Oleorum infusione dilata ad aliam diem, nullam solemnitatem memorant adhibendam; multoque minus locum sibi vindicare potest illa, de qua in dubio proposito. Sed quid opus est liturgicos Scriptores consulere, si expressam habemus S. R. C. declarationem in Lucana, ad dub. 3, hisce verbis conceptam: « An fas sit Parochis uti in collatione Sacramenti Baptismatis aqua in Ecclesia Matrice aut Plebanali benedicta, cui privatim et separatim, et non in ipso actu benedictionis baptismalis Fontis fuerint infusa Olea Sacra? » En responsum: « Parochi ex Matricis Fonte aquam, cui Sacra Olea iam fuerint commixta, suscipere debent, quam adhibeant in Baptismi collatione. Qui vero ante Fontis benedictionem Sacra Olea recipere non potuerunt, illa subinde *privatim* ac *separatim* in aquam mittere poterunt ». Ita sub die 12 Aprilis 1755. Si *privatim* ex praefato responso Sacra Olea infundenda sunt, nonne eliminanda est quaelibet extrinseca solemnitas?

Ad Dubium postremum. Dubium hoc postremum, in quo quaeritur: « An benedictio cum Indulgentia plenaria, iuxta Constitutionem Benedicti XIV *Pia Mater* 5 Aprilis 1747, impertienda sit pueris, qui defectu aetatis primam Communionem necdum instituerunt », potius pertinet ad facultatem theologicam, quam ad liturgicam. Sed quoniam Sacra Congregatio de hoc etiam rationem habuit, eidemque definiendo respondit; et ego quoque in eodem elucidando tantisper immorabor. Praemitto de illis rem hic esse, qui possint per aetatem, malitiam et conditionem peccare, ideoque Indulgentias lucrandi idonei putentur et sint, licet nondum censeantur capaces ad Sacram Communionem percipiendam. Nam quum Indulgentiae idea aliam praesupponat peccati, quod remissum sit quoad reatum culpae, sed supersit remittendum quoad reatum temporalis poenae; et quum Indulgentia, sive partialis sit, sive totalis seu plenaria, aliud non sit, nisi remissio temporalis poenae pro peccatis actualibus quoad reatum culpae iam remissis; hinc si quis per aetatem peccatum patrare nequit, nec culpae ignoscendae capax esse potest, proindeque nec poenae temporalis, ac consequenter neque eius remissionis sive Indulgentiae, quia deest actuale subiectum. Hoc ad rectam rei, de qua agitur, intelligentiam, et ad omnes ambiguitatem aequivocationemque vitandam breviter praemisso; ad propositnm dubium venio. Quum Indulgentia in sensu, quo accipienda est, non culpam respiciat, sed poenam, quia eius subiectum est poena remittenda quoad illos, qui a reatu culpae fuerunt absoluti, ea concedi omnibus poterit, qui adhuc poenae temporali pro qualitate dimissae culpae sunt obnoxii; seu, quod idem est, peccatores, quacumque in aetate sint constituti, omnes temporalis poenae remissionis generice capaces sunt, et Indulgentiam obtinere possunt, dummodo sint rite dispositi. Enim vero ad acquirendum Indulgentiae bonum, iniuncta opera implenda sunt, inter quae si de plenaria res sit, ut plurimum adnumeratur Sacrae Eucharistiae sumptio. Non est mihi animus hic enumerare casus, in quibus forte plenariae Indulgentiae fructus acquiri possit, etiamsi praemissa non fuerit sacramentalis Communio. Inquiri dumtaxat debet num pueri doli capaces, sed nondum ad Communionem sumendam per aetatem idonei, ad plenariam Indulgentiam lucrandam in vitae exitu admitti possint, etiamsi sacra Dape non fuerint refecti. Omnis tolli videtur dubitandi ratio ex Constitutione supralaudata Benedicti XIV; legitur quippe

in eiusdem exordio : « Pia Mater Catholica Ecclesia de aeterna filiorum suorum salute in primis solicita, quum hanc intelligat ab extremo ipsorum mortis articulo potissimum pendere, nunquam praetermisit omnibus eos subsidiis, pro huiusmodi temporis necessitate, opportunis iuvare atque instruere, tam iis nimirum, quibus opus esset ad aeterna praecavenda supplicia, quam quae apta et salubria forent ad evitandas poenas temporibus praefinitas, quas in altera vita humanis plerumque spiritibus, etiam dimisso mortalis culpae aeternaeque poenae reatu, in purgatorio igne luendas, manere non ignorat ». Clare hic dicitur quod absolute generica universalis Ecclesiae cura sit de aeterna filiorum suorum salute, et remissione temporalis poenae, nulla facta inter filios exceptione. Omnes igitur ex generali verborum expressione *omnes Ecclesiae filii,* qui peccaverunt quique temporali poenae subsunt post dimissum mortalis culpae reatum, lucrandi Indulgentiam capaces censeri debent, iis minime exceptis, qui ob aetatis dumtaxat defectum nondum sacram Synaxim receperunt. Hi namque, ut adulti, filii sunt piae matris Ecclesiae, iidemque in mortis articulo constituti esse possunt, proindeque obnoxii temporali poenae luendae ob aliquam culpam, forte malitia praeveniente aetatem (utinam non raro accideret) admissam, sed iam debita poenitentia expiatam. Ut autem clarius pateat generaliter omnes, qui peccaverunt, nulla facta aetatis distinctione, in praefatis Benedicti XIV Literis comprehendi fideles, ita ut nemo temporali poenae subiectus post culpae remissionem ab Indulgentia obtinenda excludatur, alia proferam, quae in iisdem Literis habentur. Postquam enim sapientissimus Pontifex graviorum recensuerat quorumdam criminum absolutionem reservatam vel uni dumtaxat Romano Pontifici quoad universum Orbem, vel Episcopis in propriis Dioecesibus, subdit regulae generalis limitationem, casumque excipit, si proximae mortis immineat periculum. En verba : « Attamen adveniente unicuique Fidelium supremo migrationis die, omnes huiusmodi absolutionum reservationes cessare etc. Praeterea cum in Ecclesia immensus et inaestimabilis existat thesaurus spiritualis..... hoc semper summo studio curarunt Praedecessores nostri Romani Pontifices, ut illius divitias in moribundos Fideles diffunderent, et maxima omnium amplitudine, quae Indulgentia plenaria nuncupatur, cuiusque impertiendae ius in Apostolica Sede unica residet.... nec ullus in Orbe Terrarum angulus esset, ubi Catholicae Religionis professoribus huiusmodi adiumenti copia deesset pro extremo illo momento, quo ipsorum salutis causa in discrimen adducitur ». Ex relatis Literarum Apostolicarum verbis, rite inter se collatis, erui posse videtur Ecclesiae curam fuisse et esse, quemadmodum ab omnibus quibuscumque culpis quemque peccatorem in mortis articulo absolvere, quacumque reservatione cessante ; ita et Indulgentiae thesaurum eodem mortis articulo omnibus aeque concedere. Atqui quoad culpas earumque absolutionem nulla ponitur exceptio ; ergo nulla etiam exceptio fit aut esse debet quoad impertiendam obtinendamque Plenariam Indulgentiam. Verum exceptio esset in casu, si illi, qui Indulgentiam obtinendi capaces forent, utpote poenae temporalis rei, per sacrae Communionis defectum ob immaturam aetatem ab ea lucranda excluderentur. Ne igitur exceptio, ubi non est expressa, ponatur ; dicendum erit etiam pueros, de quibus in dubio, per verba illa *omnibus* etc. *moribundos Fideles* etc. *Catholicae Religionis professoribus* etc. comprehendi. Secus si diceretur, dici posset eos tamquam filios et Catholicae Religionis professores, quibus adiuvandis Ecclesia magnopere studet, quoad huiusmodi effectum, haud esse considerandos. Quod contra Ecclesiae spiritum foret, quae in omnes large diffundit quae spirituali saluti proficiunt, et alienum esset ab ea charitate, qua omnes indistincte ac peramanter filios complectitur.

Plura etiam alia leguntur in Literis Apostolicis, ex quibus nullam in subiectis ad Indulgentiam hanc acquirendam idoneis exceptionem faciendam patet ; satis superque tantum hic referre erat, quum eadem prorsus de his ac de illis ratiocinatio possit institui ; et quum aeque generalia sint verba, et indiscriminatim omnium Fidelium mortis articulum, et thesaurum Indulgentiae in tanta communi aeque omnium necessitate impertiendum respiciant. Ita ex. gr. quae sequuntur : « A fel. rec. Praedecessore Nostro Alexandro PP. VII..... indultum fuit, ut Christifidelibus in mortis articulo constitutis benedictionem cum Indulgentia plenaria impertiri valeant ». Quid plura? Clariora etiam sunt, nullamque admittunt exceptionem, quae post pauca subdit : « Ut enim multas praetereamus con-

cessiones Indulgentiae plenariae morientibus Fidelibus *indistincte* applicandae »: quid ad rem nostram aptius? Si *indistincte* morientibus Indulgentiae plenariae concessiones sunt applicandae; nullus ergo excipiendus videtur, qui concessionis eiusdem capax esse possit. Sed illi, qui sacram Communionem nondum receperunt, idonei esse possunt, eo quod, dimissa culpa, superest adhuc poena temporalis ab iisdem pro qualitate culpae luenda; ergo haud ab generali Indultu excipi debent, ac proinde applicari iis quoque poterit in mortis articulo benedictio cum adnexa Indulgentia.

Demum sapientissimus Pontifex Episcoporum excitat solicitudinem, ne sinant moribundos tanto beneficio privari; imo et eos monet, ut etiam personaliter ad aegrotos accedant. Postquam enim Episcopis aliisque Praelatis inferioribus, sed iurisdictionem in suis Territoriis habentibus, facultatem fecerat alios subdelegandi, declarat: « Non id propositum nobis fuisse, ut eos prorsus eximeremus ab hoc paternae charitatis officio per se ipsos adeundi miseros aegrotos plenariae absolutionis in extremo articulo adipiscendae cupidos; sed ut eorum pietatem opportune iuvaremus, ne, dum ipsi aliis pastoralibus curis detinentur, dolere debeant commissos sibi fideles hoc tanto spirituali beneficio destitutos ex hac vita migrare ». Quod si neminem ex hac vita discedere curandum est Episcopis, quin tanto Ecclesiae thesauro gaudeat; neque illi eo privandi sunt, de quibus in proposito dubio ratio habenda est. Praeterea in praevia instructione ad formulam adhibendam ad impertiendam benedictionem in articulo mortis nulla fit mentio Communionis, sed dumtaxat Confessionis: « Si aegrotus voluerit confiteri.... si Confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de huius benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat, tum instruat atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat etc. ».

His omnibus addenda est communis, quae servatur, praxis impertiendi benedictionem, cui plenaria Indulgentia est adnexa, etiam illis, qui repentino morbo correpti, sacram Synaxim in extrema illa periodo recipiendi capaces non sunt, *si illam petierint, scilicet benedictionem et indulgentiam, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis etc.* Iam vero si necessaria omnino esset sacra Communio, neque Indulgentiam obtinendo idonei essent illi, qui subitaneo morbo correpti aut deglutiendi facultate privati, aut evomitionibus obnoxii, sacra refici nequeunt Eucharistia. Atqui ii capaces censentur, tantoque beneficio nullatenus privantur, *si verisimiliter petiissent, dum sana mente et integris sensibus erant.* Ex allata propterea universaliter admissa praxi consequitur Communionem tamquam conditionem omnino necessariam in recensitis casibus non requiri: curnam tanto bono privandi erunt pueri qui, ad percipiendam Eucharistiam, etsi nondum idonei censentur, doli tamen capaces cum sint, aliqua culpa suam foedarunt conscientiam, qua per Poenitentiae Sacramentum remissa, adhuc sunt temporali poenae luendae in hac vel altera vita obnoxii? Eritne deterior habenda horum conditio, ita ut sint incapaces ea Indulgentia, quam pia mater Ecclesia cunctis fidelibus, sine ulla exceptione vel limitatione, benigne elargitur? Imo potius beneficium extendi ad istos quoque putandum est, quo omnes adulti (dummodo aliud non obstet) capaces sunt, etsi ex allatis impedimentis nequeant Communionem praemittere. Quid insuper? Ideo ad lucrandas Indulgentias plenarias praemitti Communio debet, quia habetur ut opus iniunctum a concedente, qui potest illud, si velit, non apponere; ergo absolute et simpliciter necessarium non est, et aliquo in casu potest omitti, et omissio impedimento non est lucrandae Indulgentiae, ad differentiam alterius conditionis, qua, expiata conscientia quoad reatum culpae, remittendus dumtaxat supersit reatus temporalis poenae, quum ad id consequendum fructumque Indulgentiae percipiendum indispensabiliter necesse sit status gratiae. Idipsum colligi posse videtur ex praefatis Apostolicis Literis Benedicti XIV; quippe a sapientissimo Pontifice monitos video Sacerdotes, qui in extremo agone laborantibus spiritualia praebent Ecclesiae auxilia: « Ut omni ratione studeant moribundos fideles ad novos de admissis peccatis doloris actus eliciendos, concipiendosque ferventissimae in Deum charitatis affectus, praesertim vero ipsam mortem aeque ac libenti animo suscipiendam ». Quibus in verbis nulla fit distinctio inter infirmum et infirmum, sed *omnes* veniunt sub generali dictione *moribundi fideles:* de Communione vero ne verbum

quidem, licet casus (nec infrequenter) dari possit, ut in mortis discrimine positus, et plenaria Indulgentia ditandus fuerit pluribus retro diebus Viatico roboratus, et adhuc capax sit iterum sacra Dape se reficiendi.

Addere hic iuvat aliud argumentum, quod, licet directe casum non respiciat, tantam nihilominus ad illum relationem habet, ut nonnihil prosit ad ea, quae huc usque dicta sunt, confirmanda. Idem Pontifex Benedictus XIV Apostolicis Literis ad Poenitentiarios directis, quibus enumerantur facultates per integrum Iubilaei annum Confessariis concessas, alteram has inter ponit, scilicet in aliud pium opus, Indulgentiam Iubilaei lucrandam, commutandi pueris, qui nondum ad Communionem percipiendam videntur idonei. Ibi enim § 48, sic legitur: « Quamvis iniuncta pro hoc Iubilaeo Communio sit; pueri tamen, qui nondum per aetatem ad propriam Communionem admissi fuissent, neque intra hunc annum sanctum Parochi proprii vel Confessarii iudicio admittendi videantur, censeri possunt ab isto iniuncto opere legitime impediti, iisdemque Communionem in aliud pium opus arbitrio Confessarii praescribendum commutari permittimus ». Iam vero si pro lucranda Iubilaei Indulgentia pueris Communio in aliud commutatur opus, et ideo commutatur, quia censeri debent ab altero iniuncto, Communione scilicet, legitime impediti; cur non idem de iisdem censendum erit, qui in mortis articulo reperiuntur? Imo pro hisce potior videtur ratio, propter quam tanto beneficio privandi non sint. Quod si ullum est tempus, quo iniunctum Communionis opus, vel in aliud commutetur, vel etiam nec absolute, ut in casu nostro, nec necessario requiratur: illud profecto est, cum maior pro obtinenda luendarum poenarum remissione urget necessitas, et maioribus ac opportunioribus subsidiis pia Mater Ecclesia Fidelibus omnibus in agone positis succurrere nititur.

Aliquis fortasse erit, qui casum a casu distinguat, haereatque in eo quod pro Iubilaei Indulgentia obtinenda singularis facultas et dispensatio quaedam concedatur; quamobrem videtur iniuncti operis commutationem habitam fuisse a legislatore Pontifice, ut necessariam conditionem, quae tamen desideratur pro pueris doli capacibus positis in articulo mortis. At primum advertendum est ea in Constitutione (quae unice versabatur circa facultates Confessariis concessas favore poenitentium, ad effectum dumtaxat consequendi magnam Iubilaei Indulgentiam) locum non habuisse casum alterum, de quo in praesens est disputatio. Deinde alia attendenda ratio est, quae ponit differentiam. Benedictina Constitutio consulit pueris, qui sani sunt et capaces ad opus, in quod iniuncta Communionis conditio commutatur: verum, qui in agone positi reperiuntur, plerumque aliud adimplendi opus sunt incapaces; non erit igitur et his succurrendum? Id repugnaret curae et solicitudini, quam habet pia Mater Ecclesia omnium filiorum, et fidei catholicae professorum, quaque omnes complectitur, et opportunis iuvare vult subsidiis in gravissima illa necessitate. Hinc nil mirum si nulla singularis dispensatio, nulla singularis facultas concedatur, nulla commutatio facienda praecipiatur quoad positos in mortis articulo, licet necessaria sit pueris capacibus et valentibus implere opus, in quod commutata est Communio ad Iubilaei Indulgentiam consequendam.

Sive igitur ratio habeatur finis, quem habet pia Mater Ecclesia in hac impertienda benedictione et indulgentia, sive eiusdem Indulgentiae subiecti, sive communis cum aliis fidelibus obtinendi Indulgentiam necessitatis ad dimittendas temporales poenas debitas pro peccatis iam poenitentia remissis, sive generalium Apostolicarum Literarum locutionum, sive praxis quae universaliter obtinet; concludendum videtur pueros, de quibus in dubio, quatenus illam obtinendi capaces sint, per peccata patrata et iam quoad reatum culpae remissa, ab hoc singulari beneficio non esse excludendos; quemadmodum Sacra Congregatio in responsione ad propositum dubium declaravit.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2654. NEAPOLITANA. (4627)

Quum inter Primicerium et Canonicos Collegiatae S. Ioannis Maioris Civitatis Neapolis nonnullae exortae essent controversiae; hinc ad effectum imponendi iisdem finem, componendi dissensiones turbatamque pacem restaurandi, aliquot dubia discutienda definiendaque delata fuerunt ad Sacror. Rit Congregationem; quae sub diebus 22 Iunii et 25 Octobris 1697 et 5 Ianuarii 1698 re diligenter matureque dis-

cussa, habitaque ratione iurium utrique parti competentium, singulis opportunum dedit responsum. Ea inter in postrema propositione illud quartum tenebat locum, quo quaerebatur: « An Primicerio solemniter celebranti Canonici pro Diacono et Subdiacono inservire teneantur? » Cui Quaesito, novis adhibitis curis, requisitoque alterius ex Magistris Caeremoniarum Voto, responsum fuit: « Affirmative », decretoque addita fuit clausula: « Nec amplius in omnibus Causam praedictam proponi decrevit ». Post longam fugam centum et triginta fere annorum, credi merito poterat compositam rem fuisse, nec amplius litem fore instaurandam. Secus tamen accidit. Etsi enim quoad alia dubia, quae in praefatis Congregationibus discussa ac definita fuerant, nullo modo moveatur quaestio; non ita tamen evenit de illo, quod versatur circa assistentiam Primicaerio solemniter celebranti a Canonicis praestandam. Verum in novo hoc disponendo examine ab consueto iudiciali ordine declinandum fuit. Nam cum ageretur de quaestione, quae a sacro Patrum Ritibus tuendis praepositorum Coetu discussa ac definita est, dubium proponendum erat sub altera ex sequentibus formulis: « An sit standum vel recedendum a decisis? » sive « An Decretum 25 Ianuarii 1698, sit confirmandum vel infirmandum? » Verum a solito declinantes Canonici, ac si de noviter exorta controversia agendum esset, nec petita facultate de redeundo, non obstante clausula *amplius* apposita postremo Decreto anni 1698, simpliciter postularunt: « An Primicerio solemniter celebranti Canonici pro Diacono et Subdiacono inservire teneantur? » Ideo Sacra Congregatio non directe proposito Dubio respondit, et satius esse duxit praxi iudicialique ordini conforme antiquum confirmare Decretum sub ea Rescripti formula: « Servetur omnino Decretum diei 5 Ianuarii 1698; et amplius ». Breviter haec adnotanda duxi ad uberiorem facti declarationem.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2633. ROMANA (4628)
BASILICAE COLLEGIATAE
S. MARIAE TRANSTIBERIM.

Hoc Decretum nulla indiget declaratione aut illustratione. Postquam SSmus Dominus Noster Leo Papa XII, quem Deus O. M. diu sospitem incolumemque servet pro universae Catholicae Ecclesiae bono, declaravit *Sacra Congregat. responsa conformia esse Menti Suae,* nulla superest ambiguitas circa intelligentiam Constitutionis *Super universam* datae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae 1824, IV Kalendas Novembris, de nova Paroeciarum Almae Urbis ordinatione. Quod praesertim respicit dispositionem expressam in § *Id nos maxime contendentes.* Etenim Sacratissimus Princeps datis regulis mediisque comparatis, quibus Parochi simul possent cum muneris dignitatem tueri, tum diligentius, expeditius, commodius Animarum curae incumbere, speciali quodam modo distinxit, novoque auxit honore illos, qui tanquam Vicarii Curati erant constituendi in Patriarchalibus, Basilicis minoribus ac Collegiatis. Hos namque praeter Parochialis muneris, quod commune cum aliis Parochis, exercitium habent, novo auxit decore et ornamento, decernendo ut iidem ac eorum successores nunc et in perpetuum Patriarchalium Ecclesiarum Beneficiariis Ordinis Presbyteralis accenserentur, ubi primum Beneficiaria Praebenda vacasset, similique modo Vicarii perpetui aliarum Basilicarum minorum et Collegiatarum Canonicatum de Massa primo vacaturum obtinerent. Sed hoc non satis. Iussit insuper, donec vacaret aliqua ex praefatis Praebendis, eosdem illico stallo aliisque praerogativis, praeeminentiis ac insignibus potiri et gaudere, ut ceteri vel Beneficiarii, vel Canonici ex Collegio, respective potiuntur et gaudent. Ex his clarissime patet, quod si Parochus, vel Beneficiarius, vel Canonicus, qui usque dum honorarius fuit, stallum inter Beneficiarios vel Canonicos Ordinis Presbyteralis supra ceteros inferioris Ordinis in sua institutione occupavit, licet nondum Praebendam adeptus, postquam hanc consequutus est, factusque verus Canonicus, verusve Beneficiatus, a sede, quam tenuerat, nullo modo, nullo sub praetextu aut quaesito colore est exturbandus, vel iure ascendendi privatus; quia cuiuscumque Ordinis sit Praebenda vacans, quam ipse obtinuit, vigore tamen praefatae Constitutionis *Presbyteralis* evasit, et uti talis in perpetuum habenda erit. Ideo in hoc peculiari casu ex mente et voluntate satis expressa Pontificis Legislatoris, qui primus erat in Ordine Diaconali, nequibat ad Presbyteralem ascendere, eo quod huiusmodi ascensus uni competebat Vicario Curato, et alia quaeli-

bet dispositionis Apostolicae interpretatio erronea erat, ac propterea irriti et inanes actus omnes, qui ex falsa interpretatione sequuti sunt. Sed in re tam clara non interest immorari diutius, postquam Legislator ipse Pontifex Summus hunc sensum esse voluntati suae conformem declaravit.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2657. ALEXANDRINA. (4631)

Ex Decreto colligimus Cathedralem Ecclesiam Alexandrinam anno 1803 suppressam fuisse, dein vero in Collegiatam commutatam, in quo statu qualitateque perseveravit usque ad annum 1817, quo tandem a sa. me. Pio VII Apostolicis Litteris datis die 2 Augusti in Cathedralem fuit restituta, aut noviter erecta, dato in nova Dioecesium circumscriptione eidem Ecclesiae Episcopo. Scire nullatenus interest num intermedio tempore, quod a suppressione ad reintegrationem vel novam erectionem computatur, legitime fuerit in veram Collegiatam conversa : illud potius attendi debet, quod Capitulum usquequo existenti Cathedrali inservivit, stetitque Episcopalis Sedes, consuevit Horis Canonicis addere Officium parvum B. M. V., illud defunctorum, Psalmos Graduales ac Poenitentiales diebus ferialibus vel recurrente Officio ritus simplicis, iuxta formam praescriptam in Rubricis Breviarii a Sancto Pontifice Pio V reformati. Ab hoc onere adimplendo, extincto Capitulo, cessatum fuit prout cessarunt iura aliaque onera omnibus Cathedralibus communia, vel peculiaria vigore Instituti et Constitutionum Alexandrini Capituli. Eo tamen reintegrato, vel per restitutionem, vel per novam erectionem, reassumenda erat etiam vi praefatae Pianae Constitutionis antiqua consuetudo recitandi Officium parvum B. M. Virginis etc.; nec poterant Dignitates et Canonici, ut perperam nonnulli opinabantur, se ab eodem onere ita solutos credere, ut ad interruptam consuetudinem redire non tenerentur, eo sub praetextu quod in Literis Apostolicis reintegrationis aut novae erectionis de eadem consuetudine reassumenda nulla mentio occurreret. Id opus non erat, et sicuti restituebantur antiqua iura, ita etiam et onera, vel ex lege, vel ex consuetudine, saltem quoad ea, quae respiciunt Divinam Psalmodiam in Choro persolvendam. Rationes autem subtilesque argumentationes ab aliquibus productae, ut sese Capitulumque eximerent a praefato onere, putantes per reintegrationem vel novam erectionem, restitutam praefatam consuetudinem non esse habendam. Merito igitur re delata ad S. R. C., Eminentissimi Patres eidem praepositi nihili habendas esse allatas rationes et subtiliter deductas argumentationes declararunt; propterea restitutum Capitulum teneri ad recitationem Officii parvi B. M. Virginis etc., iuxta consuetudinem, quae obtinuerat usque dum Cathedralis Capitulum steterat. Haud prodesse poterat interrupta consuetudo ad sustinendam opinionem contrariam : nam eadem S. C. in quaestionibus hac super re quandoque exortis nihil pendendum morem censuit ab laudabili consuetudine alienum, quacumque ex causa idem fuerit inductus, semperque respondit parendum esse Constitutioni S. Pii V. et Rubricis Breviarii reformati, primaevamque consuetudinem esse restituendam. Ita sub die 28 Ianuarii 1606 in una Suessae et in Pacen. cum petiissent Canonici et Capitulum declarari : « An tenerentur recitare Officium B. M. V., illud defunctorum etc. prout assignantur in Breviario reformato etc., quae recitari consueverunt ante acceptationem dicti Breviarii reformati, sed non in omnibus diebus in Rubricis postea praescriptis iu memorato Breviario reformato, sed in quibusdam tantum diebus: quae consuetudo in desuetudinem postea abiit », sub inani praetextu quod Constitutio S. Pii V non obligat sub poena peccati mortali; responsum fuit : « Teneri in Choro recitare Officium parvum B. M. V. etc. in diebus, in quibus assignatur in Breviario reformato etc.; extra Chorum excusari, si.... non celebrent ». Ita sub die 10 Ianuarii 1609. Vide etiam aliud Decretum in Seguntina die 10 Martii 1657; et tandem in *Nolana* tanto cum rigore id esse intelligendum ab eadem S. C. declaratum fuit sub die 20 Martii 1660, ut mos semel inductus nequeat aboleri per contrariam consuetudinem post Bullam Pii V introductam, et *hanc esse abusum impraescriptibilem*. Si abusus impraescriptibilis est, quanam ratione, colore ac praetextu poterunt Cathedralis Alexandrinae Dignitates et Canonici ab onere se censere solutos, cui sese obligaverunt Breviarium reformatum acceptantes?

Ne quis opponat Decretum in Nucerina die 11 Iunii 1629, quo declaratum fuit ab

Episcopo cogi non posse Nucerinae Cathedralis Canonicos ad recitandum in Choro Psalmos Graduales etc. Nam ea in Ecclesia similis consuetudo non aderat, et numquam adfuerat; nec propterea novum onus erat imponendum, quo eiusdem Capitulum se gravare nolebat. Igitur Decretum hoc, et siquae sunt alia huiusmodi, contradictionem non involvunt, sed inter casus et casus ponunt differentiam, ut clarius explicatum video ab eadem S. C. in Pernambucen. die 4 Septembris 1775; nam ad dubium hisce conceptum verbis: « An Capitulum possit in bona conscientia omittere recitationem Officii parvi B. M. V. in diebus simplicibus et ferialibus, eo quod tenues sint dictae Praebendae, et nulla adsit consuetudo praedictum Officium parvum recitandi? » respondit: « Officium parvum B. M. V. in diebus simplicibus et ferialibus, *non abrogata tamen consuetudine quae in contrarium fortasse vigeret*, tuto posse omitti ». Ex hoc responso facile quisque intelligit quid sit servandum; nam tuto omitti posse praefatam recitationem respondit, quia expositum fuerat *nullam adfuisse consuetudinem*, sed simul Decreto additam voluit clausulam conditionemque praeservativam: *Non abrogata tamen consuetudine, quae in contrarium fortasse vigeret*: quod idem est ac si responsum fuisset: *Consuetudinem omnino servandam recitandi praefatum Officium, si aliquando ea in Cathedrali obtinuisset*.

Haec adnotanda duxi, non quia Decretum latum pro Ecclesia Cathedrali Alexandrina illustratione indigeret, verum ut ostenderem quae constans sit Sacr. huius Congregationis mens et sententia, videlicet, quod nullo sub colore, nullo sub praetextu, nulla ex causa recedendum sit a recitatione Officii B. M. V. in Choro, etiam si quacumque ex causa constet morem a Rubrica praescriptum fuisse interruptum. Ab hoc onere dumtaxat libera esse Capitula, quae nullo unquam tempore illud sibi imposuerunt.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2659. BUGELLEN. (4633)

Quoad assistentiam praestandam Episcopo pontificaliter celebranti, vel in Pontificalibus sacris assistenti Mysteriis, clara est Caeremonialis Episcoporum dispositio, nec mihi datum est intelligere unde orta sit petitaque dubitandi ratio, propter quam duo dubia discutienda definiendaque Sacr. Rit. Congregationi proposita fuerunt. Porro de Presbytero assistente, de quo dumtaxat quaestio est, praefatum Caeremoniale lib. 1, cap. 7, num. 1, ita disponit, et generalem dat regulam: « Inter omnes Episcopi ministros, qui ei in Divinis et assistunt, et serviunt, primus et dignior est Presbyter assistens, qui idcirco debet esse dignior ex Presbyteris tam Canonicis, quam Dignitatibus, qui in Choro cum aliis sedere solent, nec refert quo nomine nuncupetur, an Archidiaconus, an Archipresbyter, ut digne et decenter officium suum exercere valeat, et opportune Episcopo rem divinam agenti ministrare possit ». Quid clarius, quid evidentius decerni poterat ad designandam certam personam, quae Episcopo celebraturo praebeat assistentiam? Atqui quum dignior ex omnibus, qui in Cathedrali Bugellen. sedent in Choro, est prima Dignitas, quocumque nomine ab aliis, si quae insuper sunt, distinguatur, palam fit, rectaque consequitur ad ipsam pertinere officium Presbyteri assistentis. Id tam verum est, ut in eadem Caeremonialis dispositione adhibeatur dictio *debet*, quae praeceptum importat: ideo ab hoc exercitio nequit se eximere prima Dignitas, et alteri qui sequitur locum cedere, nisi legitime sit impeditus.

Verumtamen Episcopi non semper Missam in Pontificalibus celebrant et Vesperas decantant, imo frequentius Divinis cum Cappa intersunt Officiis. Cuiusnam ergo erit hoc in casu munus assistentiae? Provisum id video in eodem Caeremoniali. Ibidem num. 7: « Episcopo vero non celebrante, « sed Vesperis aut Missae solemni per al- « terum cantatae praesente, tunc Presbyter « Canonicus dignior post Dignitates assistat, « prout et duo Canonici Diaconi in habitu « canonicali sine paramentis ». Ex hisce Caeremonialis verbis duo deducuntur, videlicet ad Dignitatem spectare assistentiam Episcopo Sacra pontificaliter peragenti; digniori ex Canonicis quando Episcopus suam tantummodo praestat assistentiam: quo in casu tam ipse Canonicus, quam duo assistentes Diaconi in habitu canonicali sine paramentis respectivis officiis funguntur.

Praefatis Caeremonialis dispositionibus apprime consona sunt S. R. C. Decreta. Cum enim Dignitates Cathedralis Monopolitanae quaesivissent declarari quis inservire debeat Episcopo solemniter celebranti pro Presbytero assistente, et quis quando

Episcopus non celebrat, sed tantum Divinis praesens est? sub die 15 Decembr. 1632 respondit : « Aut Praebendae sunt distin- « ctae in Presbyterales et Diaconales; et « tunc Episcopo solemniter celebranti as- « sistere debere pro Presbytero assistente « digniorem de Capitulo, quocumque no- « mine nuncupetur, dummodo sit in Sa- « cerdotio constitutus; Episcopo vero non « celebranti, sed tantum praesenti, pro « Presbytero assistente inservire debere di- « gniorem Canonicum post Dignitates. Aut « Praebendae non sunt distinctae; et tunc « Episcopo sive solemniter celebret, sive « Divinis tantum praesens sit, pro Pre- « sbytero assistente inservire debere di- « gniorem de Capitulo iuxta dispositionem « Caeremonialis lib. 1, c. 7, et 8 ». Id ipsum confirmatum fuit in Beneventana sub die 21 Martii 1671. Omitto alia Decreta, quibus idipsum confirmatur. Atque ita constanter servatum fuit in Ecclesia Cathedrali Bugellensi. At nunquam desunt turbidi ingenii homines, qui dissidias quaerunt, alienaque iura usurpare conantur. Hoc novissime accidit in ea Cathedrali, in qua unus adest vel alter ex Canonicis, qui Dignitati assistentiam in solemnioribus dumtaxat competere contendit, et hoc munus digniori Canonico tribuit, si solemnia agit Episcopus in Festis secundae classis, et in benedictione Candelarum, Palmarum et Cinerum. Iure igitur Dignitates ad sacram hanc Congregationem confugerunt ad iura servanda, quae ex Caeremonialis dispositione ipsis conveniunt, nequaquam Canonicis, nisi in earumdem defectu.

Equidem non ignoro eruditissimum Catalanum in eam abiisse sententiam, ut crederet Episcopo celebrante in Festis minoribus aut Feriis, assistentiam competere non Dignitati, sed Canonico, praesertim ubi Ordines non sunt distincti. Verumtamen tanti viri opinio omni destituitur fundamento. Ideo enim eam sequitur, quia talis est praxis Pontificiae Cappellae, quae tamen trahi nequit ad Ecclesias Cathedrales. Pontificia enim Cappella suos habet peculiares ritus et caeremonias, nunquam pro aliis Ecclesiis in exemplum afferendas, in quibus non Caeremoniale peculiare Augustini Patritii pro eadem Cappella dispositum, sed aliud quod Episcoporum dicimus servandum omnino est.

Iam ergo si Episcopis licet in quibuscumque Festis, ac etiam diebus Ferialibus, Vesperas et Missam pontificaliter celebrare; imo si ad aedificationem Fidelium quammaxime decet, ut Solemnia ipsi agant in nonnullis Festis secundae classis, prout sunt Festa Annunciationis, Conceptionis, Nativitatis B. M. V., Apostolorum ac etiam alia, quae peculiaria sunt ob populi venerationem ac pietatem, et in quibus, si lubet, solemniter Episcopus celebrat; servanda omnino sunt quae in Caeremoniali praescribuntur, praesertim cap. 7. Quoniam autem cap. 34, num. 2, libri 2, post enumerata Festa, in quibus decet ut Episcopus Pontificalia solemniter peragat, additur: vel etiam arbitrio suo in aliis Festivitatibus per annum, quandocumque ei placuerit; palam fit quod nihil immutandum sit quoad Presbyterum assistentem, celebrante Episcopo in Festis etiam minoribus diebusque ferialibus.

Idem pariter dicendum est, quando ipsemet Episcopus candelas, cineres et palmas benedicit. Dignitates quippe et Canonici in his quoque benedictionibus sacra induunt paramenta. Atqui, ut supra vidimus ex eodem Caeremoniali, dignior Canonicorum quando munere fungitur Presbyteri assistentis, hoc praestare debet officium in habitu canonicali, et sine paramentis; unde facile consequitur non ad ipsum pertinere assistentiam in supra relatis sacris functionibus, verum id pertinere ad primam dignitatem : nempe pluviali assumpto, ad sedem episcopalem accedere, ministrare naviculam, porrigere aspersorium, deindeque thuribulum. Verbo cuncta perstringam. Primae Dignitatis est, vel ea impedita, alterius, quae succedit, praestare assistentiam Episcopo, dum sacra a Dignitatibus et Canonicis sumi debent indumenta, vel Celebrante Episcopo, vel supra memoratas functiones peragente : Canonico vero digniori, dum assistentia debetur sine sacris paramentis, sed in habitu chorali. Atque ita ad proposita dubia respondens, S. C. declaravit intelligendam esse Caeremonialis Episcoporum dispositionem.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2660. VERONEN. (4634)

Praestat heic loci maiori claritatis gratia subiicere facti expositionem una cum Voto a me confecto, quod Sacra Congregatio, re mature discussa, dignata est adprobare.

Fin dall'anno 1725, sotto il giorno 5 Mag-

gio, viene asserito che il P. Ignazio Religioso dell'Ordine dei Carmelitani Scalzi con publico Istromento fè dono di una Teca, entro la quale si conservano le tre seguenti reliquie, cioè: *Ligni SSmae Crucis D. N. I. C., Veli cuiusdam albi, et alterius Veli rubri intincti seu aspersi Sanguine pretioso Plagarum Christi Domini Nostri*, coll'autentica di Fra Crisostomo Calvi dell'Ordine de' Predicatori, Vescovo di Cefalonia e di Xante, alla Chiesa Parrocchiale di S. Ambrogio di Valpolicella, Diocesi di Verona.

Tali reliquie furono accettate dalla Comunità del Luogo e dal Parroco della Chiesa con i seguenti patti: cioè che sieno custodite in un Tabernacolo a due sportelli e a due Chiavi, una delle quali abbia a restare presso la Comunità del Luogo, e l'altra presso il Parroco della Chiesa; che debbano esporsi con certo determinato numero di lumi e colla maggior solennità nella terza Festa di Pasqua, in cui havvi in quella Chiesa l'Indulgenza Plenaria; come ancora in caso di gravissima necessità. Sopra il Tabernacolo, in cui custodite sono le suddette Reliquie, o a meglio dire sopra l'Altare, o altro luogo appartato e decente, ove forse resta collocato l'anzidetto Tabernacolo, leggesi la seguente Iscrizione: *Guttas pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., Velum B. M. V. eodem aspersum, parvam Crucem de Cruce Salvatoris: Venite Adoremus.*

In adempimento dei patti convenuti nello stabilito giorno, cioè nella terza Festa di Pasqua, si fa la funzione, che viene considerata la maggiore della Chiesa e del Paese con grande solennità e maggiori sfarzi di sacra pompa: e così fors'anche si pratica nelle straordinarie esposizioni delle anzidette Reliquie, che fassi in caso di gravissime necessità. Si soggiunge, che da pochi anni fa venne eretta una magnifica Cappella in riconoscenza di particolar grazia riportata in occasione di militari saccheggiamenti.

Il culto, che in tale solennità si presta alle anzidette Reliquie, è il seguente. Nella mattina vien trasferita la Teca, che le contiene, all'Altare, in cui si conserva il Santissimo Sagramento, si espone sul Trono, si canta la Messa, il Celebrante le venera con doppia genuflessione, ed in fine benedice il Popolo al modo stesso, che prescritto viene e si fa col Sagramento. Quindi viene collocato il Reliquiario nello stesso Tabernacolo col Sagramento; e nella sera si rinnuova la funzione collo stesso rito e ceremonie praticate nella mattina. Così viene asserito essersi fatto sino agli ultimi tempi, senza che i Vescovi in occasione di Sagra Visita abbiano fatto verun Decreto contrario; anzi si pretende, che i Vescovi medesimi abbiano talvolta praticato alcuni de' suddetti atti di special Culto.

Inoltre vien soggiunto, che la cosa fino agli ultimi tempi a noi prossimi, è stata pacifica, ed il rito sopraccennato non ha sofferto verun cambiamento, nè ha incontrato verun contradittore. Provveduta però ultimamente la Chiesa del nuovo Arciprete nella persona del Negrini, questo, come più esperto, più zelante per l'osservanza dei sacri riti, variò il consueto sistema, ed appoggiato al prescritto delle Rubriche e al Decreto di cotesta Sacra Congregazione dell'anno 1736 *in una Brixien.* dei 15 Settembre riformò la funzione ed il rito, incensando in piedi il Reliquiario contenente le suddette Reliquie, e non riponendolo nel Tabernacolo col Sacramento.

Una tal variazione non è da dire quale e quanto rumore e disturbo cagionasse nel Popolo, che proruppe in appresso in sconvenevoli questioni ed espressioni di dubbiezze e diffidenze toccanti la Religione e la Fede.

In questo stato di cose, essendo l'affare assai serio e delicato, prudentemente il suddetto Arciprete si recò a suo dovere di consultarne Monsig. Vescovo di Verona, dal quale ebbe in risposta l'approvazione del di lui operato; ed attesochè non solo il Popolo era rimasto offeso per la succennata riforma di rito, ma altresì alcuni, se non tutti i Preti ed Ecclesiastici di quella Parrocchia; perciò conchiude il Vescovo: « Legga questa lettera ai suoi Preti, e li faccia capaci. Ad essi poi toccherà di far capace il Popolo in buone maniere: il che ottenuto dal Dio della Pace, dell'Umiltà e dell'Obbedienza, si passerà per gradi a fare la diminuzione di Culto eccessivo e privo di ragionevole fondamento ».

Non si poteva rispondere e provvedere con maggior maturità e saviezza: ma convien dire, che non perciò sia riuscito di ridurre al dovere tutti gli Ecclesiastici e Popolazione. Quindi si credette indispensabil dovere dal zelante Parroco Negrini di avanzare ricorso a codesta Sacra Congregazione, ad effetto di avere una decisiva risoluzione, con precisare ciò che è tolle-

rabile e ciò che non si deve assolutamente permettere.

Tale è la serie e l'esposizione del fatto, sul quale debbon sottoporsi ad esame due punti. Il primo riguarda l'identità delle supposte Reliquie e specialmente di quella, che dicesi del preziosissimo Sangue: il secondo poi è relativo alli distintivi di special culto, che per uso, o a meglio dire per abuso, finora si sono praticati e son riputati adesso degni di riforma.

Riguardo al primo, relativo all'identità delle supposte Reliquie, mi sia pur lecito di francamente esporre il mio sentimento; il quale è sembrarmi di avere sufficienti motivi da doverne dubitare.

Il dono si fece da un Carmelitano Scalzo, dal quale venne supposto di averlo ricevuto da altro Religioso Domenicano Vescovo di Xante e Cefalonia. Ardito non sembrerò, se poca fede a me sembra di poter prestare alla autenticità ed identità delle Reliquie, venute da quelle Isole, delle quali gli abitanti, o siano Greci, o siano Latini, per lo più non sono di gran cultura, nè forniti di quella sana e giusta critica, che in ragion di Reliquie è necessaria per discernere le vere dalle false, ovvero dubbie. Non voglio qui disputare sulla Reliquia della Croce, nè sull'altra del Velo di Maria SSma: la mia grave dubbiezza cade su quella, che si vuole essere del preziosissimo Sangue di Nostro Signor Gesù Cristo. Si dice nell'Autentica: *Alterius Veli rubri intincti seu aspersi Sanguine pretioso Plagarum Christi Domini Nostri.* Se il Velo è rosso, come potrà distinguersi che di sangue è asperso? Nella custodia delle sacre Reliquie presso Monsign. Sacrista è certo, che niuna ve ne ha di tal sorta; vi è bensì del Velo di Maria SSma con porzione della fimbria, che si dice volgarmente cimosa, la quale è di fili rossi tessuta. Or dunque non potrebbe la decantata Reliquia essere una porzione degli accennati fili? Per lo meno evvi una valida ragione da dubitarne.

Checchè però sia di ciò, certo è per altro che sospette e dubbie sono le Reliquie tutte, che si vogliono dare a credere essere del preziosissimo Sangue di Nostro Signor Gesù Cristo. Nè occorre qui recar le ragioni, per le quali debbono aversi per incerte e sospette quelle che per tali vengono supposte e decantate. Li più accreditati Scrittori tengono per fermo esser piuttosto per Reliquie del prodigioso Sangue emanato in Berito da una prodigiosa Immagine oltraggiata dagli Ebrei. Fra gli altri posson vedersi Benedetto XIV, de Canonizatione Sanctorum lib. 4, part. 2, cap. 10, num. 8, 9, 10, ed Onorato di S. Maria, Animadvers. de regulis et usu Critices, tom. 3, dissert. 5, artic. 1, et sequen.

Questo è in quanto all'identità ed autenticità della supposta Reliquia. Si potrebbe qui aggiungere, che qualunque ne sia la provenienza, la celebrità ed altre simili circostanze sono per lo meno d'incerta qualità. La più certa è quella che si conserva in Mantova; ma la Sacra Congregazione dei Riti nell'accordarne ed approvarne l'Uffizio sì per Mantova, come per altri luoghi, si astenne affatto dal dir parola che potesse aversi per decisione *de qualitate sanguinis:* come ce lo attesta lo stesso Benedetto XIV loc. cit. num. 10, in fine.

Vengo ora al secondo punto relativo ai distintivi di special Culto finora prestati alla supposta Reliquia, che da alcuni vorrebbonsi sostenere. Mi sia qui permesso di richiamare a memoria quel che è accaduto in Roma parecchi anni addietro, mentre era degnissimo e zelantissimo Vicario Sua Eminenza Rma il Sig. Cardinale della Somaglia, ora Decano del Sacro Collegio e Segretario di Stato.

Conservasi nella Chiesa Collegiata di S. Nicola in Carcere una Reliquia asserita e riputata essere del Sangue del Nostro Signor Gesù Cristo, la quale fu da qualche secolo indietro donata alla medesima da uno de' Principi della nobile ed antica Casa Savelli; ed è stato solito di esporla con qualche solennità, specialmente nel Venerdì Santo. Coll'andare del tempo, cioè dodici o quindici anni addietro, si procurò di estenderne il Culto con altre estrinseche dimostrazioni, cioè di portare la suddetta Reliquia in pubblica solenne Processione. L'esempio venne imitato da altri, e per due anni si fece una simile Processiane dalla Chiesa della Madonna de' Monti, la quale possedeva o aveva di recente ottenuta una piccolissima Teca, con una quasi impercettibile macchietta rossa in mezzo ad un tenue frammento di tela, asserendosi essere: *Particula Sanguinis D. N. I. C.* La novità di tali Processioni non potè non cagionare, come addivenir suole, diversità di opinioni, e la più sana parte era di sentimento, che per l'incertezza di tali Reliquie non convenissero simili dimostrazioni estrinseche, cioè la solennità della Proces-

sione e l'uso del Baldacchino. Non mancarono i Superiori Ecclesiastici di sottoporre l'affare a diligente esame, e si convenne in fine che nulla s'innovasse circa l'esposizione solita farsi nella Collegiata di San Nicola in Carcere alla ricorrenza del Venerdì Santo; ma in quanto alle Processioni, queste vennero assolutamente inibite. Di più per rapporto alla Reliquia, che conservavasi nella Chiesa di S. Maria de' Monti, dopo di essere stata esaminata, fu creduto espediente di ordinare che venisse riposta e custodita tra le altre Reliquie, ma nulla più si facesse in venerazione della medesima.

Da ciò, che si è detto fin qui, ognuno comprende quale e quanta cautela debba usarsi, affinchè a simili Reliquie non si presti un indoveroso estrinseco culto, ed il Popolo non venga indotto in errore. Ciò tanto è vero, che trattandosi del vivifico Legno della Santa Croce, come altresì delle Reliquie delle sacre Spine intessute nella Corona posta sul Capo del Divin Redentore, la Sacra Congregazione de' Riti permise bensì che portar si potessero in Processione, ma il distintivo del Baldacchino fu accordato soltanto *ubi adest consuetudo immemorabilis;* come dai Decreti dolla stessa Sacra Congregazione delli 12 Luglio 1704 ed in una Gadicen. dei 26 Agosto 1752.

Posto ciò per venire al caso nostro sul punto dell'identità delle supposte Reliquie, mi sembra di far uso di quella moderazione e cautela, che suol praticare la Sacra Congregazione de' Riti, quando si tratta di concedere qualche Uffizio e Messa, a motivo della devozione e venerazione, che prestasi alla Reliquia medesima, poichè nella concessione vi appone la clausola: « citra tamen adprobationem Reliquiae »; giacchè questo è un incarico, che si appartiene alla cura e vigilanza de' rispettivi Vescovi, i quali, prima di permettere il culto e la venerazione alle Reliquie, debbono esaminare quali siano, da qual luogo estratte, da chi autenticate, unitamente ad altre circostanze, che rendano una moral certezza della verità, identità ed autenticità delle medesime. Anzi, benchè nella prima Istituzione della Congregazione dei Riti, nelle questioni, che su ciò possono insorgere, alla medesima ne appartenesse l'esame: ora però privativamente spetta all'altra in appresso istituita *super Indulgentiis et sacris Reliquiis.* Ma quantunque sul punto dell'identità ed autenticità ora non s'ingerisca la suddetta Congregazione de' Riti, se non in certi casi particolari, conviene per altro alla medesima per Istituto e diritto il conoscere e dichiarare quali distintivi di culto e di venerazione debbano prestarsi alle sacre Reliquie, secondo la varietà delle medesime, e quali debbano essere vietati, come abusivi ed indoverosi. Perciò, quantunque special culto si debba agli Istromenti della Passione del Nostro Divin Redentore, come sono la Croce, le Spine ecc.; nondimeno debbono essere distinti da quelli, onde adoriamo la sacra Eucaristia, sì riposta nel Tabernacolo, come patente alla pubblica venerazione.

Da quanto ho riferito, detto e riflettuto sin qui, mi sembra, che nel presente esposto caso, senza entrare in questioni e dispute, che porterebbero troppo in lungo e molto tempo e studio ricercherebbero (il che non so di quale vantaggio fosse per essere) mi sembra, dissi, potersi strettamente rispondere, che *citra adprobationem assertarum Reliquiarum,* si abbia a scrivere lettera a Monsig. Vescovo di Verona, in cui si dica, che la Sacra Congregazione dei Riti è restata ben soddisfatta della di lui saviezza per le disposizioni prese, insinuate e prescritte all'Arciprete della Chiesa di S. Ambrogio; ed attesochè nello stesso Reliquiario, in cui si conserva la supposta Reliquia del Sangue, havvi ancor quella della Santa Croce, non permetta altro culto ed altri distintivi di venerazione, se non quelli che convengono al sacro Legno, con vietare la doppia genuflessione, l'incensazione del celebrante genuflesso, la benedizione *ad instar Sacramenti* e la riposizione nel Tabernacolo col Sacramento, ed altre simili circostanze, se mai vi fossero, indoverosamente introdotte. Faccia poi uso della sua prudenza per illuminare il Popolo, e specialmente gli Ecclesiastici, se alcuni di questi tuttora persistessero nella mal concepita opinione, con far loro conoscere la ragionevolezza di quanto a nome della Sacra Congregazione ha dovuto ordinare. Nè può dubitarsi della di lui esattezza nell'esecuzione, avendone dato un saggio sicuro colla lettera responsiva all'Arciprete di S. Ambrogio, dal quale era stato consultato in questo affare.

Potrebbe perciò farsi il seguente breve Rescritto:

Citra adprobationem Reliquiarum, scribatur Rm̃o Episcopo, iuxta mentem Sacr. Congregationis.

Mens est, ut permittat tantummodo illas venerationis et cultus significationes, quae conveniunt Reliquiis de Cruce D.N.I.C.; prudenter vero suaviterque per se vel per alios discretos Sacerdotes curet Populum docere et erudire, ne scandalum patiatur ex praescripta indebiti cultus reformatione.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2661. PATAVINA. (4636)

Antiqua est nonnullorum querela, qui arbitrantur et praedicant plura reperiri Decreta a Sacrorum Rituum Congregatione lata, quae sustinent sese inter adversa fronte pugnare. Hi autem errant quammaxime, quia plerumque non distinguunt casum a casu; ignorant quandoque habendam esse rationem consuetudinis, vel immemorabilis, vel legitime inductae et difficillime sine offensione et scandalo abrumpendae; neque considerant in aliqualibus speciebus, attentis diversis factorum circumstantiis, a iuris rigore consulto posse vel debere recedi quoad ea, quae circa disciplinam versantur, quin ulla generali regulae noxa inferatur. Quapropter si qui forte inveniatur et sit, qui huiusmodi querelam instauret in praesenti casu; cum Sacra Congregatio Patavinae Ecclesiae illud negaverit, quod sub die 21 Aprilis 1668 Augustanae Ecclesiae, et sub die 26 Novembris 1696 Beneventanae indulserat: iste certe haud discrimen attendens, quod casum inter et casum intercedit, falsa sua opinione deceptus a vero longissime aberrat. Sacra etenim Congr. in Patavina Oratoris precibus abnuens generali regulae Pontificalis standum esse iure sancivit, legesque liturgicas, quae hac in re vetustissima et gravissima semper viguerunt, quasque servandas voluit, neque vel nulla vel. levissima admodum intercedente ratione, infirmandas est passa; quum ex instituto ritus omnes et caeremonias in ritualibus Libris praescriptas (nisi rationabilis gravisque causa adducatur) eadem S. C. debeat potueri. Neque sibi adversatur contradicitque si in Beneventana Emi Archiepiscopi, qui postea in Petri Cathedra sedit Benedictus XIII appellatus, postulationibus annuens, rationabilibus de causis concedi posse sancivit, quod postea in Patavina negavit. Ne quis autem in posterum ea concessione abuteretur, clausulam addidit: « dummodo non transeat in exemplum ». Huiusmodi autem clausula aperte significare voluit veterem hanc disciplinam, sacrosque Canones, qui eam praescribunt, in sua firmitate manere; mentem vero Patrum Sacris Ritibus tuendis praepositorum fuisse et esse, ut nonnisi rationabilibus de causis dispensatio concederetur. Sane sibi hoc modo non adversatur; quippe quia, si tunc aliquid de hac veteri disciplina remisit, idipsum faciendum in Patavina non duxit, in qua ratio satis valida non occurrebat, quae simili Indulgentiae viam aperiret, locumque dispensationi relinqueret. Qui enim aliquid quandoque vel ob validas gravesque circumstantias, vel etiam, si vis, ex gratia, ex causis sibi notis, concedere non renuit, non ideo semper ad idem concedendum tenetur, nec cogi potest, nec proinde sibi adversatur, nec ullam notam meretur, si aliis accedentibus de eadem re petitionibus, illud ipsum deneget quod alias putavit concedi posse.

Scite autem prudenterque S. R. C. clausulam illam in Beneventana addidit, ne scilicet plura danda ac afferenda essent dispensationis exempla, et ne ex concessionibus iteratis pedetentim abusus inducerentur, quibus eliminandis, si sint, vel praecavendis, si futuri praevideantur, eadem Sacra Congregatio adniti quammaxime debet.

Hisce praeiactis, vide modo discrimen, quod intercedit Patavinam inter causam aliasque Beneventanam ac Augustanam; in quibus S. R. C. rationabiles circumstantias non desiderari conspiciens, merito credidit aliquantulum relaxandum de iuris rigore, quae quidem in Patavina non occurrunt. Idcirco in ista nihil esse cognovit, quod Indulgentiae locum daret; secus ac in illis. Etenim in Augustana (de hac primum loquimur, utpote antiquiore) *quamplurima milliaria Altarium pollutorum erant sola violatione Sepulcrorum, ex quibus extractae fuerunt sacrae Reliquiae in praeteritis Suevorum invasionibus,* ac propterea violenter profanata, non tamen amotis lapidibus, seu mensis a suis stipitibus. Quomodo autem potuisset Episcopus tot Altaria in variis vastissimae Dioecesis locis, iisque inter se dissitissimis sita, de novo et integraliter consecrare, omnibus servatis ritibus et caeremoniis in Pontificali praescriptis? Id certe nedum multum difficultatis habebat, verum et erat plane impossibile, nisi plures accersiti fuissent Episcopi ad id peragendum, quod per unum dumtaxat nequibat; aliqua idcirco dispensatione opus erat, quam S. C.

indulsit, concedendo facultatem illa reconciliandi *sola repositione Reliquiarum*, servatis caeremoniis pro eadem praescriptis. Atque id erat quod Episcopus in gravissima illa circumstantia compulsus merito postulabat.

In Beneventana autem, licet non multa essent Altarium millia reconcilianda, ut fuerant in Augustana, sed longe minor numerus, scilicet quatuordecim; licet praeterea non in dissitis inter se locis extarent; licet tandem non tam gravi cum Episcopi incommodo possent rite consecrari, tamen Emi Antistitis petitionibus annuendum esse Sacra Congregatio tunc censuit, quia Mensae non impia manu fuerant pollutae, aut alio nefario modo Altaria direpta, sed eaedem Mensae integrae permanentes cum Reliquiarum Sepulcris a stipitibus decenter fuerant amotae, ad hunc solum finem, ut Altaria, quibus sacris unctionibus adhaerebant, ex nobiliori materia construerentur, ac in elegantiorem redigerentur formam; ex quibus externis operibus maior iis splendor et maiestas accederet, et maius per haec divinus Cultus decus acciperet. Quod mirum igitur, si petitioni adhaerent S. R. C. ea indulgentia usa fuit, ut concederet procedi posse ad Altarium consecrationem, omissis ceteris caeremoniis ad repositionem Reliquiarum pertinentibus? prout in Decreto ea in Causa lato clare intelligitur.

Haec autem omnia magnam inter praefatas Ecclesias et Patavinam S. Iustinae ponunt differentiam. Singulis quippe inspectis, quae in hoc concurrunt, circumstantiis, nihil erat quod petitam dispensationem concedi posse suaderet, imo omnia collineabant ad eam denegandam. Viginti quinque eo in Templo extabant Altaria, ex quibus duodecim integra adhuc et ad sacra Mysteria idonea supererant, satis superque ad commodum praebendum Parochialibus aliisque explendis functionibus. Tredecim dumtaxat nova indigebant consecratione, non per solam remotionem lapidum ad effectum solummodo eadem altaria construendi cum maiori decore Religionis et ornamento; verum quia, ut legitur in Decreto, *per feraces manus, aut ablata, aut disfissa, aut destructa fuerant*. Praeterea quatenus occasio daretur in iisdem Altaribus de novo consecrandis celebrandi Missam, suppleri interea poterat per modum provisionis ope Ararum portatilium, quae superponerentur. Quoniam igitur S. C. omnia mature perpendit, casumque longo intervallo distare ab iis, quae valida argumenta praebuerant pro dispensatione in Augustana et Beneventana, respondit: « Non esse locum petitae dispensationi ». Et ita decernendo, tam leges super tam gravi re latas ab Ecclesia servata voluit; quam abusus, qui, novo interveniente exemplo novaque accedente concessione, si in hac causa a regula declinasset, exoriri et augeri possent, eos praecavendo penitus sustulit.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2662. MELITEN. (4637)

Ad Dubium I. Innumerae fere quaestiones fuerunt, quae diu multumque agitarunt Capitulum, Dignitates et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Notabilis Insulae Melitae. Hisce occasionem dederunt Capitulum et Canonici Collegiatae S. Pauli Naufragi Civitatis Vallettae, ab eo ferme tempore, quo Ecclesia, quae primum Parochialis dumtaxat erat, honorifica Collegiatae qualitate fuit insignita. Controversiarum origo altius repetenda est, ab cupiditate scilicet Canonicorum eiusdem sese elevandi, cum honorificentia Insignium, tum amplitudine privilegiorum, quae sibi modis omnibus ditare curarunt, ita ut sese aequales redderent Canonicis Cathedralis, ac in publicis etiam functionibus vix, ac ne vix quidem, ab illis distinguerentur. Pluries idcirco ad Sacram hanc Congregationem delatae fuerunt querelae controversiaeque discutiendae, declarandae ac componendae: praecipue vero de iisdem omnibus concordatis viginti quatuor dubiis actum fuit in Congregatione particulari coacta die 19 Maii 1786, iterumque adunata sub die 15 Iunii 1789. Patres autem Emi praefatam particularem Congregationem componentes, visis iuribus ab utraque parte productis, perpensis libratisque rationibus, quibus se quodlibet ex duobus Capitulis suam propugnabat causam, dum singulis dubiis respondendo, id quod aequum iustumque est decreverunt, prudenti tamen consilio simul studuerunt, ut omnia ad aequitatis leges revocarentur, litibus abruptis, inter duo Capitula; ita ut non alia in posterum super praeeminentiis et honorificentiis exorirentur iurgia, veluti videre est in Decreto supra. Res videbantur compositae, et ignis extinctus: secus vero accidit; nam eiusdem Collegiatae Canonici novis distinctionibus ac praerogativis semper avidi, ut proximius eorum Collegium ad formam qua-

itatemque Cathedralis accederet, longe ampliora illis, quibus iam fruebantur specialibus honoribus atque Indultis augeri indesinenter postularunt, et quod habebant in votis tandem obtinuerunt. Concessum quippe eis fuisse vulgatum fuit, ut ad instar Cathedralis uti possent Clava argentea Senatoria, ac Mozzettas adhibere subsutas serico rubri coloris, una cum similibus asulis et globulis; ac insuper obtinuerunt aureas Cruces deferendas tam super indumentis choralibus, quam sacris; quibus praerogativis cumulati, nulla amplius erat differentia eos inter et Canonicos Cathedralis. En autem causa longeque acrior molesti dissidii ad plures annos protracti: opus hinc fuit ad Sacr. Rit. Congregationem recursum habere, quae ulteriores hasce quaestiones suo definiret iudicio. Sed non tamen facile decernere fuit quid iuris, ob defectum potissimi documenti, a quo decidendi ratio petenda erat. Siquidem quoad usum argenteae Clavis Senatoriae se tuebatur Collegiata Rescripto, quod sui favore datum asserebat a sa. me. Pio VII: Cathedralis vero huius existentiam, aut saltem authenticitatem impugnabat. Quaestio erat facti factoque finienda, productione scilicet controversi Rescripti; et Patres Emi Sacr. Rit. Congregationi praepositi semel, iterum ac tertio rescripsere pro reportatione Rescripti, quin Collegiata iussioni obtemperaret. Post tot interiectas moras, dilationes et technas, quae suspicionibus locum fomentumque dederant, et forte etiam occasionem simultatum inter partes dissidentes, non sine aliquo conscientiarum detrimento, ut aliquando molestissimae huic quaestioni finis imponeretur, SSmus Dominus Noster Leo XII Pont. Max. deputavit particularem Congregationem, quae, omni adpellatione remota, quaestiones omnes controversiasque expenderet. Ideo duo concordata fuerunt Dubia, quae in Decreto leguntur: et Emi Patres pro eadem selecti, expensis iuribus ab utraque parte productis, habitoque tandem Authographo memorati Rescripti sa. me. Pii VII, quod tandiu delituerat, ita rem composuerunt, ut optata quies inter dissidentia Capitula restitueretur pacificaque concordia. Habita quoad primum Dubium ratione Rescripti originaliter reportati, ut eidem maius robur accederet, et ne in posterum novae exorirentur dubitationes, prudenti consilio primum decreverunt: « Consulendum SSmo pro concessione Brevis ad supplicationem Capituli S. Pauli Naufragi, quo detur facultas utendi Insignibus, de quibus in Dubio, necnon Clava argentea intra et extra Ecclesiam »; dein vero limitationem posuerunt, modumque praescripserunt omnino servandum, ut ratione aliqua Cathedralis Capitulum quoad privilegia inter se aequalia distingueretur: « Exclusis tamen (ut Rescriptum prosequitur) functionibus, quibus interveniunt Capitulum Cathedralis, aut S. Ioannis Vallettae ». Idcirco confirmato favore Collegiatae S. Pauli Naufragi privilegio utendi argentea Senatoria Clava, eiusdem usum coercuit ad functiones dumtaxat particulares et proprias sine interventu Capituli Cathedralis, aut S. Ioannis Vallettae: quod si intersit praefatum Capitulum, cuius Canonici modo eidem Ecclesiae S. Ioannis servitium praestant, loco et vice regularis equestris ordinis, ad quem pertinebat et pertinet, hoc in casu Collegiatae Canonici ab eiusdem Clavae usu debent abstinere.

Ad Dubium II. Ad secundum Dubium quod attinet, dubitandum non erat de privilegio utrique Capitulo concesso deferendi auream Crucem pectoralem. Ideo « Affirmative » responsum fuit. Sed quoniam ex concessione poterat Crux imponi tam Vestibus choralibus, quam sacris, abusus inoleverat eam gestandi discoopertam supra sacras Vestes, quod est contra Caeremonialis praescriptum: ideo additum fuit « ad Mentem », quae est, « ut Episcopus mandet Canonicos decoratos privilegio Crucis deferendae super Paramenta sacra, eo uti debere ad praescriptum Caeremonialis, nempe imposita Cruce super Albam, et eamdem tegere celebrante Episcopo ». Quum autem SSmus Dominus Noster Leo XII Pont. Max. praefatae Congregationis particularis definitiva responsa adprobaverit et confirmaverit, nil modo restat, nisi ut exequutioni mandetur, et optata quies atque concordia inter duo illa Capitula restituatur, et in posterum perseveret.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2664. MAZARIEN. (4639)

Dum primum haec Causa proposita fuit in Sacra Rit. Congregatione Ordinaria coacta die 22 Martii 1828, placuit Emis Patribus rem differre et ampliare iudicium. En quae fuit ratio. Quaestio agebatur: An velandum, aut discoopertum relinquendum esset Simulacrum S. Ioannis Baptistae, quod magna in veneratione est apud Populum Parochia-

lis Ecclesiae Castriveterani, Dioecesis Mazarien., dum publicae adorationi patet in Throno SSmum Eucharistiae Sacramentum? Hac data occasione excitatum fuit Dubium num expediret extendere praeceptum tegendi Tabulas Altarium, ut fit ex praescripto Instructionis Clementinae Romae in Oratione Quadraginta Horarum, ad alias omnes expositiones, quae per annum fiunt, vel pro adimplendis piis Legatis ex Fidelium fundationibus, vel in Novemdialibus et Triduanis precibus, quae frequenter occurrunt, praesertim vero ante Festivitates B. M. V., vel alia quacumque de causa. Ideo, suspenso iudicio, responsum fuit : « Ad D. Secretarium cum SSmo iuxta mentem ». Mens erat, ut fieret relatio SSmo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max., cui tamen placuit suam Mentem non aperire, sed *mandavit, ut iterum proponeretur in proxima* (scilicet *Congregatione*). Coacto igitur altero Ordinario Emorum Patrum Sacris ritibus tuendis praepositorum Coetu, re maturius in utramque partem discussa, libratisque argumentis quae afferri poterant, unanimiter fuerunt in sensu, quod magis expediret nihil innovare, nulloque positivum Decretum interponere ; quapropter tribus propositis Dubiis *collective* responsum fuit : « In casu, de quo agitur, servandam esse consuetudinem, excepto tempore expositionis Quadraginta Horarum ». Et Sanctitas Sua huiusmodi responsum adprobavit et confirmavit. Supradicta autem brevior Rescripti formula aequivalet alteri relativae ad singula Dubia, videlicet :

« Ad I. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam ».

« Ad II. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam ».

« Ad III. Negative ».

Quoad igitur attinet ad decisionem primi et secundi Dubii ea prudentia usa est S. C., quam servare aequum est, quando in quaestionibus, quae ad extrinsecam disciplinam pertinent, declarari oportet quid magis deceat vel magis expediat. Etenim in casu, iis omnibus, quae hinc inde afferri possunt, aequa lance libratis, inclinari pondus videtur pro consuetudine potius servanda, quam pro novo praecepto indicendo; unde rem serio meditanti nihil obversetur, quod obstaculum Religioni contrarium interponat. Secus vero periculum immineret offensionis et scandali, ubi mos viget, si nova lex diceretur de velandis Imaginibus in omnibus expositionibus, ubi viget consuetudo contraria. Equidem Bauldrius in Manual. sacr. caeremon. part. 3, cap. 17, num. 2, et Bissus verbo *Expositio Sanctissimi Sacramenti* num. 232, § 5, necnon Thiersius, de exposit. SSmi Sacramenti cap. 4, num. 12, quos sequitur sa. me. Benedictus XIV Institut. ecclesiastic. quae est 30ª editionis latinae, sunt in sensu, quod : « Non liceat, Sacramento exposito, apertas teneri Imagines B. M. V. et Sanctorum, quia, praesente Domino cessare debet honor qui Servo adhibetur, et praesente Sole omnia Astra splendorem amittunt ». Verum quidem id est : congrua tamen congruis sunt referenda ; atque ita praefatae auctoritates intelligendae, quod confundi non debent cultus diversae species, *Latriae* scilicet, qui soli Deo Optimo Maximo debetur, *Hyperduliae*, quo veneramur Deiparam Virginem et *Duliae*, quem obtinent ceteri Sancti. Has distinctiones omnino tenendas servandasque esse ipsa suadet Religio, quia nullo pacto licet diversas cultus species simul confundere, et Coelicolis dare id quod convenit et debetur uni Deo ; vel quo ob suam excellentiam supra ceteras creaturas Deiparam colimus : nihilominus cessat omnis dubitandi ratio, quia simul cessat omnis confusio cultus, si unicuique tribuatur quod ei debetur. Dum enim ad Deum confugimus, ut ad unicum Creatorem et Datorem bonorum omnium, preces ad eum dirigendo cultu *Latriae*, nonne possumus mediatricem Deiparam adhibere apud Eum et Coelicolas intercessores? Imo et fieri ita debet, quia re ipsa nullatenus *Hyperduliae* et *Duliae* cultus confunditur cum cultu *Latriae* uni Deo debito, prout habent S. Thomas part. 3, quaest 25, artic. 5, et S. Bonaventura in 3, distinct. 9, num. 2. Conveniens imo est, ut deprecatores adhibeamus Coelicolas ; et ex Ecclesiae instituto faciendum ita est, ut quod nostris precibus non valemus, intercessione, ope ac patrocinio B. M. V. et Sanctorum consequamur. Secus enim, si in sensu rigoroso suprarelatae auctoritates essent accipiendae, nequaquam liceret Sacramenti expositionem coniungere cum respectivo cultu B. M. V. et Sanctis debito, et abrogandae forent Novemdiales et Triduanae preces, quae fiunt ad honorem Deiparae et Coelicolarum cum Sacramento exposito ; imo etiam abrogandae forent Litaniae Lauretanae, quae ad implorandum B. M. V. praesidium fere semper ante Hymnum *Tantum ergo* recitantur. Carpenda praeterea esset ipsa Clementina

Instructio, quae iubet, ut dum Sacramentum exponitur pro Oratione Quadraginta Horarum, et priusquam Populus dimittatur cum eiusdem Benedictione, recitentur Litaniae Sanctorum cum precibus. Quis autem est, qui non videat quod si praefatae auctoritates accipiendae essent strictissime, nullaque facta distinctione et discrimine, censura impeteret institutum probatosque Ecclesiae mores, quod vel simpliciter cogitare piaculum est? Nam Litaniae Sanctorum, Lauretanae necnon aliae preces recitari solitae, et ab Ecclesia adprobatae, permissae et quandoque in publicis praesertim necessitatibus etiam praescriptae, nihil detrahunt Cultui *Latriae* Sacrae Eucharistiae debito, quia cultus omnis refertur ad Deum, ut ad principium et finem ultimum; Deiparae vero et Sanctorum invocatio fit, veluti supra iam dixi, tamquam medium, ut, adhibitis intercessoribus, facilius a Deo obtinere possimus quod petimus, et fragilitas nostra non praesumit. Recte igitur, sapienter prudenterque S. C., dimisso consilio extendendi ad omnes expositiones praescriptum velandi Imagines et Simulacra Sanctorum, magis expediri censuit nullam super hoc innovationem facere, respondens ad prima duo Dubia *consuetudinem esse servandam*, seseque conformavit responsioni alias datae in Ordinario Conventu diei 26 Ianuarii 1793. Consuetudo erat, ut singulis Annis solemnis expositio fieret in Sacello Paulino Basilicae Liberianae, patente vetustissima Imagine B. M. V., quae ibi magna est in veneratione: verum, quum nova extructa machina, in altum nimis assurgens, impedimentum afferret detectioni praefatae sacrae Imaginis, orta quaestio inter Capitulum et Ecclesiae Patronum ad saepedictam sacram Congregationem delata fuit, propositoque Dubio: « An SSmum Sacramentum publicae venerationi sit exponendum in Altari Deiparae Virginis, huius Imagine detecta, vel potius tecta? » responsum fuit: « In casu, de quo agitur, servandam esse antiquam consuetudinem ». Ne autem sit qui existimet ad alios casus extendendum non esse Decretum, quod non est generale, sed relativum ad speciem propositam; nam si in quibuslibet expositionibus cooperiendae essent Imagines Deiparae et Sanctorum, quia, ut aiunt Auctores supra laudati, « praesente Domino omnium summo, cessare debet cultus Servorum »: neque consuetudo, etsi immemorabilis, neque conventio, neque lex fundationis, neque alia quaelibet gravissima cogitanda ratio posset cohonestare detectionem Imaginum, dum Sacramentum est publice expositum. Itaque illud tenendum est, quod supra dixi, nempe relata verba in sensu congruo sunt accipienda, et dummodo cultus non confundantur, neque Deiparae et Sanctis honorem illum tribuamus, qui soli Deo debetur.

Si ita est, sciscitandi fit locus curnam tegendae omnino sunt Imagines in Oratione Quadraginta Horarum, non vero in aliis, vel minus solemnibus, vel etiam solemnissimis, quae non raro per anni circulum fiunt? Praesentissima se offert ratio discriminis. Pro diversitate functionum diversoque earumdem fine aliquid decet et licet in una, quod in altera, quamvis idem sit utriusque subiectum, non expedit. Porro oratio Quadraginta Horarum ideo instituta fuit, ut *diu noctuque, quavis hora, toto vertente anno, sine intermissione incensum in conspectu Domini dirigatur*, ut legitur in Constitutione Clementis VIII *Graves et diuturnae* data 25 Novembris 1592. Instituti itaque praecipuus et unicus est finis: ergo, durante Oratione, quae numquam intercipitur, omnis Cultus soli Deo exhibendus est; idcirco expedit velari Altarium Tabulas, aliaque ita disponere, ut Populus sine distractione totus sit in adoranda Eucharistia intentus.

Pertinent haec ad duo prima Dubia: sequitur responsio ad tertium, qua excipitur *tempus expositionis Quadraginta Horarum*. Atque hic quaeri posse videtur, quomodo intelligenda et accipienda sit huiusmodi exceptio, nempe, num habeat vim generalis Decreti, an potius unam respiciat Ecclesiam, pro qua Dubium propositum fuerat? Mihi quidem videtur peculiaris, non generalis; quia dum aliqua dispositio in Sacra Congregatione fit, qua generalis regula detur ubique servanda, id clare disponitur. Hoc factum non est, et fieri debuisset, quatenus S. C. regulam generalem dicere voluisset. Praeterea quia aliud habemus Decretum latum sub die 12 Iunii 1749 quoad Dubium: « An Constitutio pro Oratione Quadraginta Horarum, Romae iussu Clementis XI edita, etiam extra Urbem servari possit ac debeat? » responsum fuit: « Praedictam Instructionem extra Urbem non obligare: laudandos tamen qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis Locorum statuatur ». Dicam ulterius, si introspiciatur mens Sacrae Congregationis latens sub ver-

bis illis *excepto tempore expositionis Quadraginta Horarum,* ea esse videtur, ut maxime convenire credat et exoptet, quod ubique praescriptum Clementinae Instructionis, saltem quoad Imagines velo tegendas, tempore Orationis Quadraginta Horarum, servetur. Omnem quae dirimit controversiam est formula responsionis, quae incipit: *in casu de quo agitur:* quae dictio initio orationis evincit Decretum coarctari ad unam speciem propositam, nec ultro progredi; quamobrem minime adversatur alteri suprarelato anni 1749.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2665. IMOLEN. (4640)

Cathedralis Ecclesiae Imolensis Canonici et Dignitates honorificis aut Insignibus, et Pontificalium usu ex benigna concessione sa. me. Pii VII, quem habuerunt Antistitem, fruentes, adhuc tamen duas alias praerogativas a Sacra hac Congregatione postularunt. Primum scilicet *extensionem Indulti ipsis et ipsorum singulis utendi argentea Palmatoria, tum extra Pontificalia in propria Ecclesia, tum in quacumque Imolensis Civitatis Ecclesia, in qua sive privatim, sive solemniter sacras functiones Sacrumque eos peragere contigerit.* Secundo vero *facultatem ipsis omnibus, et singulis gestandi quotidie pectoralem Crucem.* Patres autem Emi sacris ritibus tuendis praepositi, etsi quoad Palmatoriae extensionem annui posse precibus non repugnassent, apposita limitatione: « Dummodo non sit praesens Episcopus, Metropolitanus, Nuncius, Legatus, S. R. E. Cardinalis »; renuit tamen alterum concedere, *usum* nempe *Crucis pectoralis.*

Quaerere aliquis posset curnam Dignitatibus et Canonicis insignis Ecclesiae tot cumulatae beneficiis, huiusmodi usum, qui aliis Capitulis quandoque indultus fuit, denegaverit? Dicam primum insolens esse sciscitari rationes, propter quas Sacra Congregatio in materiis pure gratiosis annuit vel renuit petitionibus assentiri. Addam secundo expedire quandoque modum imponere privilegiis, hisque non alia addere privilegia; ne, qui in inferiori sunt Ordine, nimis quoad extrinsecas honorificentias Superiori appropinquentur, veluti est Episcopus relate ad Dignitates et Canonicos, qui eius Capitulum componunt. Equidem non ignoro pectoralis Crucis usum non ita convenire Episcopis, ut nequeat ex Indulgentia concedi aliis Ecclesiasticis Viris in dignitate aliqua constitutis, imo etiam alicui Metropolitanae, Cathedrali et quibusdam ex insignioribus Collegiatae Ecclesiae Dignitatibus et Canonicis. Caute tamen, et nonnisi pensatis omnibus et singulis circumstantiis, faciendum id expedit, ne adauctis nimis honorificis decorationibus, Dignitates et Canonici vix ab Episcopo in populi aspectu distinguantur, huiusque honor imminutus quodammodo videatur. Itaque quum Imolensis Ecclesia multiplicibus ditata sit privilegiis, ac praesertim usu Pontificalium, mirum non est si S. C. alterum honorificum signum, illud scilicet gestandi quotidie Crucem pectoralem, concedere recusavit, ut in hac saltem extrinseca decoratione solus illius Ecclesiae Episcopus hoc sibi Insigne privative competere agnosceretur.

Et quoniam obiter incidit sermo de Cruce pectorali, quae, ut initio dixi, non ita est propria Episcopi, ut aliis in dignitate constitutis nequeat eius usus (cum limitationibus et conditionibus) aliquando concedi: eruditionis ergo addere hic mihi visum est quae hac de re apte disserit doctissimus Catalanus in Prolegomenis ad Pontificale Romanum cap. 13.

« Nemini adhuc satis exploratum est « an primis saeculis in usu fuerit Episco« pis Crucem cum Sanctorum Reliquiis, « quam nos pectoralem dicimus, collo ap« pensam deferre. Emus Cardinalis Bona « et Andreas Saussaius ex alto de ea re « veterum Scriptorum silentio eum ritum « non admodum antiquum putant. Cui ta« men sententiae adhaerere nequeo. Cum « enim, ut scite docet Thomassinus part. 1 « disciplinae lib. 2, cap. 58, num 4, an« tiquitus libero quidem et peculiari in« stinctu Christiani fere omnes seu Orientis, « seu Occidentis Crucem, vel ipso Crucis « Ligno, vel sacris Reliquiis munitam, collo « appensam gestarent, haud dubium quin « et illam non modo Episcopi, sed et Cle« rici etiam deferrent. Certe quod prisci « Fideles muniti Cruce incederent ostendit « fuse eruditus Gretserus in Opere suo, « quod de Cruce inscripsit. Quod autem « Episcopos spectat, egregium est quod re« fert S. Gregorius Turonensis Episcopus « lib. 1, de gloria Martyrum, cap. 11. Ait « enim se Crucem auream ad collum ge« stasse, in qua erant Reliquiae Beatae Vir« ginis, Sanctorum Apostolorum et B. Mar« tini, cuius ope incendium restinxit, quod « aqua tolli non poterat. – Tunc, inquit,

« extractam a pectore Crucem elevo contra « ignem; mox in adspectu Sanctarum Re« liquiarum ita cunctus ignis obstupuit, ac « si non fuisset accensus. Alia eiusdem « rei exempla post laudatum Thomassinum « refert vir clarissimus Dominicus Geor« gius lib. 1, de Liturgia Romani Pontifi« cis cap. XIX.

« Fateri hic illud necesse est, quod, « etsi multa de eo Episcoporum ritu exem« pla afferri possint, cum tamen nec pri« sci Sacramentorum libri, nec antiqui prae« sertim Scriptores liturgici, qui ornatus « sacros Pontificum aliorumque Ministro« rum, tam in Oriente, quam in Occidente « pertractarunt, ad earum significationes « mysticas enucleandas; cum ipsi, inquam, « numquam pectoralem Crucem attigerint, « argumento id est, nulla tunc eam lege « vel consuetudine generali usurpatam fuis« se, adeo ut labente Saeculo XIII in pote« state Episcopi esset Crucem pectoralem « deferre, vel non. Sic enim in suo Pon« tificali scribit Durandus, qui saeculo illo « vivebat: – Indumenta vero sibi (Episco« po) per ordinem necessaria sunt haec, « videlicet Caligae, Sandalia, Amictus, Al« ba, Cingulum cum subcinctorio, quod « habet similitudinem Manipuli, et depen« det a Cingulo in latere dextro, Crux « pectoralis, si quis ea velit uti, Stola, « Tunicella, Dalmatica etc. – Sane recte « docet laudatus Georgius, loco citato in « fine, a Romanis quidem Pontificibus, qui « pectorali Cruce iampridem usi sunt, in« ter Episcoporum peculiaria ornamenta « fuisse adscriptam.

« Vocari in dubium minime potest, quin « pectoralem Crucem Romani Pontifices « vel antiquitus praegestarent; constanter « id quidem asserit Ioseph Vicecomes l. IV, « de Missae Apparatu, cap. XXX, et lau« datus Thomassinus num. IV, ubi usum « pectoralis Crucis Reliquiis Sanctorum re« fertae ex S. Gregorii Papae Vita per Ioan« nem Diaconum scripta eruit. Ioannes « quippe lib. IV, cap. VIII, dum sacras « enumerat Vestes, quibus indutus fuerat « memoratus Pontifex, dum Tumulo inve« heretur, ait, phylacteria ipsius magna ve« neratione a Christifidelibus fuisse habita; « phylacteriorum autem nomine designari « sacram Reliquiarum Thecam collo appen« sam, idem Scriptor ibidem demonstrat: « imo Gregorius ipsemet eamdem vocem « de Cruce sacris foetam pignoribus, ma« xime autem Sanctissimo Christi Crucis « frustulo interpretatur: uti videre est « lib. XII, Epistola VII, quam ad Theodo« lindam Longobardorum Reginam scripsit, « dicens: – Excellentissimo autem filio « nostro Adaloaldo Regi transmittere phy« lacteria curavimus, id est Crucem cum « Ligno Sanctae Crucis Domini, et lectio« nem Sancti Evangelii Theca persica in« clusam –.

« Insequentibus saeculis pectoralem Cru« cem specialem fuisse Romani Episcopi or« natum luculenter docet Innocentius III « Pontifex Maximus lib. 1. Mysteriorum « Missae cap. LIII. Singulas enim Papae « Vestes ad Altare explanans pro lamina « illa aurea, quam solus Pontifex Summus « gestabat in fronte, subiicit Crucem a collo « catenulis suspensam, ut quae et ipsa la« minae loco esset summi Pontificis propria: « – Quia signo Crucis, inquit, auri lamina « cessit, pro lamina, quam Pontifex ille « gerebat in fronte, Pontifex ipse Crucem « gerit in pectore; nam Mysterium, quod « in quatuor libris auri lamina continebat, « in quatuor partibus forma Crucis expli« cuit iuxta quod inquit Apostolus: Ut « comprehendatis cum omnibus Sanctis, « quae sit longitudo et latitudo, sublimi« tas et profundum. – Ideoque Romanus « Pontifex Crucem quamdam insertam ca« tenulis a collo suspensam sibi statuit ante « pectus, ut Sacramentum, quod ille tunc « praeferebat in fronte, hic autem recon« dat in pectore. Nam corde creditur ad « iustitiam, ore autem confessio fit ad sa« lutem –. Ita Innocentius, cuius verba pene « exscripsit Durandus lib. III Rationalis « cap. IX; ubi adiungit Summum quidem « Pontificem Crucem statuere sibi ante pe« ctus ad designandum quod ait Aposto« lus in Epistola I ad Corinthios cap. VI: « *Glorificate, et portate Deum in corpore* « *vestro*. Tradit deinde idem Durandus Pon« tificem imponendo sibi et deponendo « Crucem, ipsam exosculari, ad denotan« dum quod Christi Passionem, quae per « illam significatur, credit et confitetur, « quodque ad eamdem repraesentandam in « officio Missae se parat.

« Sunt qui autumant, etiam Graecos « Episcopos pectoralem Crucem gestasse, « eamque ab ipsis *Encolpion* appellari. « Quod tamen non satis exploratum est; « quinimo a compluribus doctis Viris con« stantissime pernegatur. Patriarcharum « Orientalium Legati Constantinopolim ap« pulsi, ut VIII generali interessent Syno-

« do, testificati sunt quidem, ut primum « ad Imperatorem admissi sunt, illum Cru- « cem, quae ex pectore eius pendebat, ipso- « rum collo imposuisse, qua eos obtesta- « retur: non alias persequi, non alias pro- « movere Ecclesiae utilitates; *Imposuit su-* « *per colla nostra Encolpion suum, et di-* « *xit: Ecce iudicium Ecclesiae exigat Deus* « *a cervicibus vestris in die iudicii.* Ex- « tant haec verba in Actione V memora- « tae Synodi VIII; ubi animadvertere aiunt « Anastasium Bibliothecarium Graecos sinu « semper Crucem circumferre, eique inser- « tum semper aliquid esse verae et vivi- « ficae Crucis, vel sacrarum alloqui Reli- « quiarum, idque a Graecis *Encolpion* ap- « pellari. *Encolpion,* inquit, *est quod in* « *sinu portatur, colpos enim graece sinus* « *latine dicitur. Moris enim Graecorum* « *est Crucem cum pretioso ligno vel cum* « *Reliquiis Sanctorum ante pectus portare* « *suspensam ad collum.*

« Sed non inde satis valide infertur « Encolpion fuisse Insigne Episcoporum; « nam primo, qui illud *imposuit fuit Im-* « *perator; secundo Helias Vicarius Sedis* « *Hierosolymitanae, qui narrans adventum* « *suum in Regiam Civitatem, et qualiter* « *ab Imperatore ipse cum sociis receptus* « *fuerat, ea verba dixit: Imposuit super* « *colla nostra Encolpion etc.,* non erat Epi- « scopus sed Presbyter. Tertio ut Gretse- « rus lib. 2, de Cruce, cap. XXXIV animad- » vertit, et post eum Saussaius *Panopliae* « *Episcopalis* lib. IV, pag. 299; non infi- « ciatur *Encolpii* vocem neque in Graeco « textu memoratae Actionis V, neque in « Latina versione haberi, sed ωμοφορα, « Humeralia seu Superhumeralia. Idipsum « confirmat Georgius lib. I de Liturgia Ro- « mani Pontificis cap. XIX. Quarto demum « frustra ea verba ad Crucem pectoralem « Episcoporum referuntur, cum, ut late « probant qui *de Cruce* scripserunt, Cru- « cem secum ferre commune esset omni- « bus Christianis; et praesertim hodie di- « tioribus foeminis, quae in signum potius « vanitatis quam christianae religionis, Cru- « cem lapidibus pretiosis intextam collo « appensam deferunt. Ceterum quod spectat « Crucem quam pectoralem vocant, quam ni- « mirum Episcopi Latini gestare solent, « benedici aliquibus ab hinc saeculis consue- « vit, extatque hodie titulus in II parte « nostri huius Romani Pontificalis, qui in- « scribitur: *de benedictione Crucis pectora-* « *lis* ».

A.

Idem Catalanus ad part. 2. Pontificalis tit. 14, quod est *de benedictione Crucis pectoralis,* sic adnotat: « De Cruce pecto- « rali Episcoporum actum a nobis fuse iam « fuit tom. I huius Operis in Prolegome- « nis cap. 13, ubi non modo de eius ori- « gine et usu apud Latinos, verum etiam « apud Graecos, nonnulla notata sunt. Quan- « tum vero ad eiusdem Crucis benedictio- « nem attinet, nihil in priscis MSS. ponti- « ficalibus Libris, nihil prorsus apud Scri- « ptores antiquos invenio. Sed neque ex- « tat is praesens titulus in editis ante Cle- « mentem VIII Pontificalibus; in quibus « post titulum *de benedictione novae Cru-* « *cis,* statim sequitur titulus ille, qui in- « scribitur *de benedictione Imaginis B. M. V.* « Porro, uti alibi notatum est, ex Duran- « di Pontificali liquido constat sua ipsius ae- « tate, saeculo nimirum XIII, Crucem pecto- « ralem gestatam quidem ab Episcopis fuisse, « sed nondum inter ornamenta Episcopo- « rum translatam; in potestate tamen Epi- « scopis eam adhibere, vel non adhibere. « Constat nihilominus saeculo XIV, non mo- « do inter Episcoporum peculiaria orna- « menta Crucem ipsam fuisse adscriptam; « verum etiam, ubi ipsam Episcopi accipie- « bant Missam celebraturi, hanc ex Romano « Missali Fratrum Minorum, quod extat in « Vaticana Bibliotheca, pronunciabant for- « mulam: *Tuam Crucem adoramus Domine* « *tuamque gloriosam recolimus Passionem;* « *et Tu miserere nobis, qui passus es cle-* « *menter pro nobis. Amen.*

« Tametsi antiquus non sit praesens ti- « tulus *de benedictione Crucis pectoralis,* « quam nempe Episcopi ad collum appen- « sam gestant, videaturque a Clemente VIII « adiunctus, cum in editis ante ipsum Pon- « tificem Libris pontificalibus haudquaquam « inveniatur: est tamen non ita recens « alius titulus, qui non modo in Pontifica- « libus editis, sed et in MSS. Pontificali « Codice Guillelmi Durandi, qui floruit « saeculo XIII, et in aliis habetur inscri- « ptus de benedictione et impositione Cru- « cis proficiscentibus in subsidium et de- « fensionem Fidei Christianae, seu recupe- « ratione Terrae Sanctae. Estque is titu- « lus XXI iuxta ordinem titulorum par- « tis II Romani hodierni Pontificalis. Por- « ro cautum est ex hac nostra Rubrica, ut « Pontifex ad benedicendam Crucem pe- « ctoralem uti possit ea forma, quae in « ipso titulo XXI est assignata ».

Quoniam itaque patet ex his, quae al-

lata sunt, usque a saeculo XIII vel XIV morem invaluisse gestiendi ab Episcopis pectoralem Crucem, si vellent, qui tamen mos communis evasit, et per modum regulae, quandoquidem in Romano Pontificali insertus fuit titulus *de benedictione Crucis pectoralis,* quae aliis pontificalibus indumentis adnumeratur; plane consequitur ita Episcopis pectoralem Crucem convenire, ut usurpari nequeat ab aliis inferioris ordinis, nisi per privilegium. Hoc autem nonnisi raro rationabilibus de causis caute conceditur. Nil mirum igitur, si eam postulanti Imolensis Cathedralis Capitulo Sacra Congregatio novum hoc Insigne concedere repugnavit. Quum enim tot aliis privilegiis cumulatum esset, eiusdemque Canonici ac Dignitates Pontificalium usu decorati sint, haud congruere visum est aliud addere pectoralis Crucis, quo magis accederent ad extrinsecas pontificales honorificentias; et tantum detraheretur extrinseci honoris Episcopali Dignitati quantum additum esset Dignitatibus et Canonicis eiusdem Capitulum componentibus.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2666. FAVENTINA. (4641)

Facile quisque videt planeque intelligit Pontificales Missas relate ad illos, qui non ex iure, verum ex privilegio in quibusdam dumtaxat designatis diebus queunt Pontificalia peragere, quin iisdem liceat alios dies, praeter expressos in Apostolicis Constitutionibus, (ut illa est Alexandri VII pro Abbatibus et Praelatis Episcopis inferioribus) vel peculiaribus privilegiis concessis quandoque Capitulis, Dignitatibus, Rectoribus etc., addere. Quamobrem Archipresbyter Collegiatae et Parochialis Ecclesiae S. Michaelis Balneocaballi Faventinae Dioecesis, cui facta fuit potestas a sa. me. Benedicto XIV Pontificalia peragendi in designatis solemnioribus anni diebus a primis Vesperis ad occasum Solis diei sequentis, perperam praesumit privilegium extendere, eoque uti etiam in Sabbato Sancto, quia Pontificalem Missam licite potest celebrare sequenti die solemni Paschatis Resurrectionis. Equidem in facultate ei est quoad alias festivitates canere pontificaliter primas Vesperas, quia revera a Vesperis initium habet sequentis diei solemnitas; sed Dominica in qua recolitur Resurrectio D. N. I. C. habet quidem primas Vesperas, si Vesperae dici possunt, quae singulari ritu intra Missam persolvuntur loco versus *Communio* et Orationis *Postcommunio.* Nam, ut notat Tetamus Diar. Ecclesiastic. civil., cap. 8, de Sabbato Sancto, num. 358: « Eaedem Vesperae verius appellari possunt gratiarum actio, quam Officium Vesperarum, teste Ruperto de divin. Offic. lib. II, cap. XVIII. Confer Benedictum XIV, de Missae Sacrificio, sect. I, cap. XXIII, § 1, sed et Vesperae vocabantur gratiarum actio. Vide Meratum ad Gavantum, tom. II, sect. IV, cap. V, num. 1 ». Hinc huiusmodi Vesperae separatim non persolvuntur in Choro, sed celebrantur in Missa, quae, ut aliae diei functiones, (per anticipationem) peragitur; ideo dumtaxat ad privatim eas recitandas tenentur, qui Missae non adstiterunt intra quam fuerant absolutae. Quapropter locus non est, eas pontificaliter persolvendi, nisi intra Missam, prout fieri debet ab Episcopis, qui generalem Ordinationem promovendorum cum ad Minores, tum ad Sacros Ordines peragunt, vel etiam possunt, si velint, etiamsi non adsint ad Ordines promovendi; quia Episcopis numquam interdictum est agere Pontificalia. Quod autem iure proprio, et ex dispositione Caeremonialis Libri, possunt Episcopi, haud aliis permissum est, qui ex privilegio gaudent limitato usu Pontificalium, et stricte tenentur ad id quod in privilegio expressum est. Idcirco Archipresbyter Collegiatae Balneocaballi, ut Vesperas Paschatis pontificaliter celebraret in Sabbato Sancto, deberet etiam in Pontificalibus alias functiones, et praesertim Missam, a qua Vesperae separari nequeunt, persolvere. Atqui pontificalem Missam non ei est in Sabbato Sancto celebrare permissum; ideo etiam nec Vesperas, quia privilegium Missam solummodo designat pro solemni die Paschatis, non autem pro Sabbato Sancto.

Eius autem intentioni obest potius, quam prosit resolutio Sacrae Congregationis Concilii diei 9 Iulii 1785, qua declaratum fuisse asseritur, quod Paschalis solemnitas exorditur a Missa Sabbati Sancti. Esto quidem ita sit; sed quoniam inter designatas in Privilegio Missas, illa Sabbati Sancti non occurrit, sed ea tantum exprimitur solemnitatis Paschatis, quid ultra quaerendum est, ut Archipresbyter Orator vanam suam petitionem agnoscat? Casus vero Sacrae Congregationi Concilii propositus, quo se tueri posse confidit, a specie nostra quammaxime distat, nec ullam habere

potest relationem ad eamdem. In illo quippe agebatur de Canonico, qui ex fundatione tenebatur dumtaxat: *d'intervenire* (in Choro) *nelle solennità del SSmo Natale, di Pasqua e di S. Eustachio.* Et exorta controversia super intelligentia mentis Fundatoris; an scilicet sub nomine solemnitatum etc. interessentia incipere deberet a primis Vesperis solemnitatum in testamento a Fundatore praescriptarum, et an cum his venirent etiam illae, quae intra Missam in Sabbato Sancto persolvuntur: iure declaratum fuit Canonicum teneri interesse Missae Sabbati Sancti, quia Vesperae ea die in Choro non separantur a Missa. Species autem nostra non est de obligatione adimplendi a Testatore impositum onus, quod a iure procedit, et cum iure coniungitur; verum de extensione privilegii ultra fines praescriptos, seu de Pontificalibus, quae a Privilegiatis celebrari nequeunt, nisi ad formam indulti, et solummodo in diebus ab Indulto designatis et expressis. Non secus igitur S. R. C. indebitae postulationi respondere debebat, nisi prout fecit, videlicet: *servetur stricte privilegium Benedicti XIV,* ideoque, excluso Pontificali Sabbati Sancti, posse Oratorem solummodo ad formam indulti in Pontificalibus Missam celebrare die Sancti Paschatis.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

3668. ANDRIEN. (4647)

Rescriptum S. R. Congregationis, quo laudandus decernitur Episcopus, qui Decretum tulit pro abolitione huiusmodi Processionis, quo etiam praecipitur ut in posterum servetur, novum non est. Haec S. R. Congregationis responsio ab alia non discrepat responsione, sed illi prorsus conformis est, qua in una Mantuana Episcopi Litteris satisfecit, qui postquam prohibuit undecim suae Dioecesis Oppidis deferri Sanctissimum Sacramentum processionaliter Feriis V et VI maioris hebdomadae, S. ipsam Congregationem de hac re consuluit; a qua Episcopus laudatus fuit, et eius pariter Decretum fuit confirmatum. Laudandi sane sunt Episcopi, qui irreptos paullatim abusus eliminare student, vel ritus Ecclesiae rite servari praecipiunt, vel novos induci aut veteres et adprobatos ab Ecclesia ritus quodammodo corrumpi vel immutari aegre sentiunt; laudandi, inquam, sunt Episcopi, ad quos ex Litteris Apostolicis Summorum Pontificum, quae Caeremoniali Episcoporum aut Pontificali Romano vel praefiguntur, vel in fine referuntur, spectat ex officio advigilare, ut omnia rite serventur, quae ab Ecclesia in ritibus et caeremoniis sunt constituta, et in dubiis, quae passim occurrunt, S. R. Congregationem adire, eamque consulere, et ab illa sententiam et Decreta perquirere, ne ritus ipsi immutentur, corrumpantur, et Divini Cultus maiestas per inscitiam, negligentiam vel novitatis amorem vilescat. Laudandus quidem, iterum dicam, iure est Episcopus, qui hanc processionem cum SSmo Sacramento prohibuit, quia hac die passionis et moestitiae non convenit: adversatur enim ritui, caeremoniis ac mysteriis, quae in Ecclesia universa hoc tempore recoluntur ac celebrantur. Nam post processionem SSmi Sacramenti ad Sepulchrum, strictiori quo potest fieri modo et sensu, passionis mysteria incipiunt; quemadmodum evincunt Altarium denudationis vetustissimus ritus ab Ordinibus Romanis praescriptus, qui ut Durandus, Alcuinus, Amalarius, mysticas huius ritus et varias significationes assignantes, sentiunt, vel Christum vespertinis horis suis discipulis nudatum significat (et ideo immediate post Vesperas denudantur Altaria); vel ut opinatur Rupertus, et cum eodem Durandus, Christum in crucifixione suis expoliatum vestimentis designat, quae inter milites divisa fuerunt: ut non obscure indicat Antiphona, quae in Altarium denudatione dicitur: *Diviserunt sibi etc.,* vel item recolit Christum Passionis suae tempore amisisse speciem et decorem.

Eamdem repugnantiam ostendit vetustissima Ecclesiae disciplina, quae diem prorsus aliturgicum sequentem Feriam sextam agnovit; qua cum memoria recolatur cruenti in Cruce Iesu Christi sacrificium, cessat ab incruento Missae sacrificio celebrando. Ad quid, quaeso, expoliantur Altaria, Templa suis ornamentis carent, silent instrumenta omnia Ecclesiastica, et pro campanis Crotalum ad convocandum ad Ecclesias populum adhibetur? Nisi ad indicandum Ecclesiae luctum ob passionem et mortem Christi Domini Sponsi sui? Cur lampades, quae ante Altaria lucent, extinguuntur? Omnia profecto moestitiam et luctum sive in Templis, sive in Altaribus, sive in Ministris annunciant, ut Fideles per haec exterioris tristitiae signa Christi passionem recolant, mortem eius meditentur, et cum lugente Ecclesia lugeant et ipsi Filii. Iam quid commune esse potest cum moerore et laetitia,

cum lacrymis et gaudio, cum pompa et luctu? Quid demum cum Christi morte iuxta Ecclesiae intentionem, et triumphali cum SSmi Sacramenti Processione his diebus, quibus ipsa incruenta Sacrificia cessari Ecclesia praescribit? Huiusmodi itaque Processio contra ipsius Ecclesiae mentem perageretur, quia adversatur peculiaribus ritibus dierum, peculiaribus mysteriis, ad quae consideranda et celebranda Ecclesia signis etiam externis filios suos excitat, invitat. Per hoc ipsum Processiones omnes, quae hac die prohibentur (si Ecclesiae spiritum et mentem inspiciamus), vetitae etiam censeri debent sequenti die. Haud hic loquor de Processionibus, quae ad Passionis ac mortis Christi mysteria referuntur. Non est hic mei muneris de illis inquirere, cum de his neque Decretum agat. Vetitae, dixi, censeri debent Processiones sequenti etiam die. Et sane extat de hac re Decretum Congregationis Episcoporum: « Processio solemnis aliquo certo die facienda, si cadat in Feriam sextam Parasceve, eo anno transferenda est in alium diem ». Ita decretum fuit 25 Februarii 1598; ut legi potest apud Cavalerium Tom. 4, c. 2. Transferenda est Processio iuxta allatum Decretum. Igitur in Parasceve facienda non est, et ratio patet manifestissima; siquidem huic diei non convenit solemnitas et festivitas et quidquid solemnitatem potest redolere; sed moestitia et luctus, haec sola conveniunt. Haec tamen aeque conveniunt toti Passionis et mortis Christi triduo. Ex hoc sequitur Processiones laetitiae celebrandas non esse a Vesperis Feriae IV maioris hebdomadae usque ad Sabbatum Sanctum inclusive, quorum dierum spatio, ut etiam in antecedentibus, singulari modo Ecclesia ad luctum moestitiamque componitur. Et quamvis videri posset in Sabbato Sancto post meridiem, iuxta hodiernam disciplinam, Paschali cantato Praeconio et incoepto Resurrectionis gaudio celebrari posse solemnes Processiones, nihilominus laudabile non esset illas peragere: quia etsi Ecclesia Paschale praeconium annuntient, etsi in Missa canat *alleluja* vocem exhibendo, quae cum iubilo Deum laudare vi hebraicae vocis significat, ac proinde ad laetitiam invitet; tamen ostendit gaudium suum plenum adhuc non esse, et in ipsa Missa hanc vocem ipsam cum *Tractu,* vocabulo nempe moestitiae, coniungit. Ex quo liquet gaudium cum luctu Ecclesiam miscere; et si gaudium Paschale est, plenum tamen completumque non est, nam Christi Resurrectio nondum plene perfecteque est patefacta. Eadem ratione in Missa ad Evangelii cantum luminaria non deferuntur ad significandum Angelos annuntiare quidem nobis Christum resurrexisse (quemadmodum Evangelium, quod canitur, annuntiat); sed nondum Christum, qui resurrexit, manifeste apparuisse. Item quibusdam caret Missa partibus ad indicandam hanc incompletam Ecclesiae laetitiam: caret Introitu, Graduali, Offertorio, Symbolo, Communione; vel quia, ut putat Durandus cap. 85, num. 2, et Belethus cap. 111, sicut Introitus (ut alias de cuiusque partis omissione rationes omittam, quae ab Auctoribus proferuntur) est caput Missae, et Christus nostrum est caput; ita omittitur, ad significandum Christum Dominum nobis subtractum, et in sepulchro silentem manere, et quamvis resurrexerit, nocte tamen Resurrectionis suae Discipulos ipsum surrexisse adhuc ignorare; vel quia, ut Rupertus de divin. offic., lib. 7, cap. 11 opinatur, cum tam Introitus, quam aliae partes quae omittuntur, considerari possint tamquam totidem ornamenta solemnis diei, detrahuntur diei ipsi licet iucundo, licet festivo, ad indicandum moerorem ac tristitiam, qua Ecclesia adhuc quodammodo afficitur. Et si nihilominus Ecclesia, ut innui, per Levitas suos solemniter Paschalia gaudia filiis suis annuntiat, si laetitiae vestes Ministris suis praescribit, si Altaria festivo ornantur apparatu; haec omnia aliaque, quae afferri possent, si cum aliis omnibus conferantur ritibus et caeremoniis super expositis, non comprobant plenam perfectamque eius laetitiam, et per anticipationem fiunt. Nam huius Sabbati dies nullum per se de die Officium haberet, et esset per se inspecta, aeque ac praecedens Feria VI, dies aliturgica; et totum Officium antiquitus erat sequentis noctis eiusdem Sabbati. Haec omnia, quae sunt huc usque adnotata, si quis attente consideret, facili negotio sibi persuadere poterit solemnitates omnes, quae cum imperfecta laetitia non conveniunt, quae cum gaudio et moerore simul componi nequeunt, prorsus excludi, ac proinde Processiones, de quibus sermo est in Decreto, locum memoratis diebus, nempe Feria V et VI maioris hebdomadae, habere non posse; ac iure proinde Episcopum esse laudandum, qui illas prohibuit, et Decretum ab eo latum servandum in posterum esse, ut sapienter Sacrorum Rituum Congregatio sancivit.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2669. MEXICANA. (4648)

Cum agitur de Ritibus ac Caeremoniis, omnia sunt peragenda iuxta Rubricas, et ab his nunquam recedendum; et si aliquando vel locus, vel Ministrorum defectus, vel alia quaecumque rationabilis caussa haud sinat stricte eas sequi, id minus quam fieri potest eveniat, et in iis, quae rei substantiam non attingunt, sed minima et pauca. Iam quid indicat Rubrica huius diei, cum agit de extractione Calicis a Capsula? A quo peragenda est actio, nisi a Diacono? « Diaconus, inquit Rubrica, interim aperit Capsulam . . . . tum Diaconus (nempe is, qui cum Celebrante processit ad locum Sacramenti, non alius ab illo diversus) extrahens Calicem cum Sacramento de Capsula dat ad manus Sacerdotis etc. ».

Diacono haec extrahendi Sacramentum a Capsula actio tribuitur; non aliter, sive Sacristae, sive Sacerdoti cuicumque Stola induto. Adeo hoc verum est, ut ipsum Caeremoniale Episcoporum, si quam actionem Sacristae assignat, non aliam assignat, nisi Capsulae aperitionem. Et rursus (legitur § 31, cap. 25, lib. 2) « genuflexus super pulvino incensat triplici ductu SSmum Sacramentum, Sacrista aperiente Capsulam »: extractione vero actionem primo Diacono adsistenti assignat: « Tunc primus Diaconus assistens accipit Sanctissimum Sacramentum ds dicta Capsula, illudque in manibus Episcopi adhuc genuflexi reverenter collocat ». Idem prorsus indicatur in Memoriali Rituum Bened. XIII fel. rec. Tit. XVI, § 3, num. 18: « Diaconus prope Altare, facta genuflexione unico genu, sine capitis inclinatione, extrahit de Capsula Calicem Sanctissimi Sacramenti suo velo coopertum . . . et stans tradit Calicem eidem (Celebranti) ». Satis haec sint, quae breviter sunt adnotata. In re enim tam clara diutius immorari supervacaneum prorsus esset. Nil mirum si S. Congregatio nihil de Stolae colore proposito dubio respondit; nam Rubricae inhaerens, inductum abusum reprobare tantum censuit excludendo Sacristam ab actione extrahendi Sanctissimum Sacramentum, et sic Rubricam accurate servari decrevit.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2670. BAREN. (4649)

Mitra per se nihil est aliud quam capitis ornamentum; et ea Mulieres antiquitus, et apud Hebraeos et apud Paganos ornabantur; et erant Mitrae Foeminis, quod galei sunt Viris; et diversae erant Virginum, diversae Matronarum Mitrae. Iudith 10, 3 legitur: « Discriminavit crinem capitis sui, et posuit Mitram super caput suum ». Isaias inter muliebria ornamenta adnumerat *torquem, monilia et Mitram,* et de Magdalena scribit Hieronymus cap. 10: « Non habuit crispantes Mitras, nec stridentes calceolos ». Nunc Mitra est Episcoporum capitis ornamentum, ac inter sacra Pontificalia ornamenta adnumeratur, quae pariter suam habet particularem benedictionem, ut chyrothecae, annulus, Pastorale; et ab Episcopo consecrante peculiari adhibita verborum formula consecratis imponitur et peculiaris oratio pronunciatur, dum in Missis Pontificalibus Episcopus ea ornatur. Sicut Mitra varia sortita est nomina et varia fuit eius pro diversis temporibus forma; sic diversa fuit et adhuc est in Ecclesia eiusdem qualitas, sive species. Ut de nomine dicam, appellata est *Apex, Sertum, Corona,* modo *Sacerdotalis,* modo *Gloriae, Galea, Pileum, Tiara, Infula, Cydaris.* Si de forma loquamur, diversa haec quoque fuit, alia Pontificum, alia Episcoporum; alia in cuspidem in superiori parte ad instar coni terminabat, alia minus cuspidata et valde obtusas cuspides habebat, aliae bifides erant et breviores; sed temporis progressu adeo earum forma varia evasit, ut de his certi nihil possit affirmari. Si eruditorum scripta hac in re persequi vellemus, si picturas, si musiva opera, quae in antiquioribus, tum in nostra hac Urbe, tum alibi, Ecclesiis conspiciuntur, invisere, satis superque hoc evinceretur. Adeat, si quis optet, eruditissimum Christianopul., qui in suo Opere plures profert veterum Mitrarum figuras, et duodecim enumerat, quarum una ab altera differt, et una tantum ex his nostrorum temporum Mitris assimilatur. Ex his autem pleraque non in lateribus, ut nostrae, sed in anteriori parte sunt apertae. Haec advertenda putavi, ut quisque agnoscat quanta fuerit in sacris ipsis ornamentis per varia saecula varietas.

Antiquissimum est hoc ornamentum, quidquid putent Panvinius et Menardus, qui solo quorumdam Auctorum silentio innituntur. Adeat, si quis velit, Maternium, Mabillonium, Georgium et si velit, etiam Cardinalem Bona, qui licet conciliet sententias, aliquod saltem capitis ornamentum Episcopis assignat ab ipso Ecclesiae exordio. An-

tiquissimum sane est hoc Mitrae ornamentum; et si a veteri Lege illud desumptum dicamus, a veritate certe non discedemus. In hac enim Sacerdotes et Levitae Mitra utebantur, et Deus ipse hoc praescripserat ornamentum. *Et impones eis Mitras,* legitur Exodi cap. 9; *Posuitque Mitras, ut iusserat Dominus,* legitur in Levitico; et in Mitra Summi Hebraeorum Pontificis Dei nomen scriptum inspiciebatur. In nova quidem lege, ipsa nascente Ecclesia, Mitra adhibebatur; et si audiantur Epiphanius et Hieronymus, atque Baronius, Mitra erat ea, qua utebatur S. Iacobus Apostolus ut Episcopus Hierosolymitanus, et Mitra pariter erat ornamentum illud S. Ioannis Apostoli et Evangelistae, de quo scribit Polycrates Episcopus Ephesinus; et scribit Epiphanius *auream laminam* in fronte eumdem Apostolum habuisse, quam et Mitram fuisse clarissime asserit. Nostris hisce temporibus eadem est omnium Mitrarum forma, sed varia earum species, quae triplex est iuxta Caeremoniale Episcoporum. Una, quae *pretiosa* dicitur, quia gemmis et lapidibus pretiosis vel laminis aureis aut argenteis contexta esse solet; altera *auriphrygiata,* sine gemmis et sine laminis aureis vel argenteis, sed vel aliquibus parvis margaritis composita, vel ex serico albo auro intermixto, vel ex tela aurea simplici sine laminis et margaritis. Ex hoc quisque videt in hac secunda Mitrae specie Caeremoniale non excludere aliquod ornamentum a materia serica auro intexta, qua conflata est, sed solum laminas et margaritas, eas nempe, quibus pretiosior ornata est. Unde si quis hac utatur, ut descripta reperitur a Caeremoniali, non ideo posset reprehendi quasi pretiosa uteretur. Tertia quae simplex vocatur sine auro ex simplici serico damasceno vel alio, aut etiam linea ex tela alba confecta rubeis laciniis, seu frangiis et cistis pendentibus.

Haec triplex est Mitra ex ipsa Caeremonialis Episcoporum descriptione et statuto. Unum hic adnoto quoad Mitram, quam ex serico damasceno confectam dicit, hanc nempe, ex consuetudine et praxi, sive ad distinctionem Dignitatis, prae aliis propriam exclusive esse solummodo S. R. E. Cardinalium, qui dum simplicem gestant, non ex *tela linea,* sed damascenam in capite gestant. Plura hic proferri possent de usu Mitrae. Mitrae usus non solum Episcoporum, sed et Presbyterorum et Diaconorum Cardinalium propria est ex concessione Summorum Romanorum Pontificum; et si monumenta persequemur, vel huius generis investigemus memorias, ea a paucis annis post millesimum iam utebantur. Alia etiam de Mitris Summi Pontificis addi hic possent; sed ne longior aequo sim, satis sit innuere olim Mitram Summorum Pontificum a Mitris Episcoporum diversam fuisse. Haec noscere qui cupiat, adeat Mabillonium, Papebrochium, Caietanum, Ciampinium et Vaticanos Codices. Unaquaeque Mitra duo habet cornua, duasque in posteriori parte, quae super humeros fluctuantes pendent lineas ad instar vittarum, quorum extremitates, quoad primam alteramque Mitrarum speciem, aureis laciniis ornata est; tertia vero rubei coloris lacinias habet. Haec de Mitra ait Sicardus Cremonensis, eam breviter describens: « Mitra sumitur a lege, quae tiara, cydaris, infula, pileum appellatur. Ea bysso conficitur, auro et gemmis ornatur, habens duo cornua, duasque lingulas posterius et fimbrias dependentes inferius. Hac caput velatur et coronatur ». Huic consonat Innocentius III lib. 1, de mysteriis Missae, cap. 44, qui simul et materiam et formam describit, et significationes mysticas tradit: « Mitra Pontificis, scribit ipse, scientiam utriusque Testamenti significat: nam duo cornua duo sunt Testamenta, duae fimbriae spiritus et littera: circulus aureus, qui anteriorem et posteriorem partem complectitur, indicat quod omnis scriba doctus in Regno Coelorum de thesauro suo nova profert et vetera. Caveat ergo diligenter Episcopus, ne prius velit esse Magister, quam norit esse discipulus; ne si coecus coecum duxerit, ambo in foveam cadant. Scriptum est enim in Propheta (Osea): Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi ». Hae diversae Mitrarum species non inutiliter, non sine ratione ab Ecclesia statutae sunt, sed vel varias plus minusve dierum aut actionum solemnitates possunt indigitare, vel etiam temporis et Ecclesiae aut moestitiam aut luctum. Prima quae aliis pretiosor est et ornatior, in solemnioribus diebus et actionibus adhibetur; et si in eadem primaria aut solemni actione, ut in Missa solemni, ea secundi quoque generis adhibetur Mitra, illa prima in aliquibus Missae partibus nihilominus adhibetur, et ea Episcopi aliquibus in actionibus ornantur, ut in lotionibus, in benedicendo populo etc. Hinc colligi posset secundi generis Mitram, scilicet auriphrygiatam, hoc

in casu, si ea utuntur licet minus pretiosa sit, ad commoditatem Episcoporum quia levior est, eam adhiberi, ne ipsi, cum hymni Angelici aut Symboli cantus (quibus praesertim temporibus ea adhibetur) longe protrahitur, dum mitrati sedent, molestiam accipiant. Tertia demum, quae simplex est et linea, adhibetur in functionibus, quae moestitiam luctumque redolent, ut in Exorcismis, in Processionibus poenitentiae, ferialibus Quadragesimae diebus, aliisque quibus Episcopi vel Cardinales (qui propria suae dignitatis, ut innui, utuntur) praesente Summo Pontifice Mitris ornantur. De vario hoc Mitrarum diversarum usu, et variis sive temporibus, sive diversis ritibus accommodato, audiatur ipse Durandus in suo Ration. Div. off. lib. 3, cap. 13, num. 6, quibus comprobatur pro diversis temporibus diversi generis Mitras adhiberi. « Sane, scribit, Mitra auriphrysata utendum est a Pascha usque ad Adventum, et a Nativitate Domini usque ad Septuagesimam in omnibus festis duplicibus et novem Lectionum totius anni (nisi in Festo Innocentium, et in Dominicis praedictorum temporum); et generaliter quandocumque *Gloria in excelsis* et *Te Deum laudamus* dicuntur . . . In aliis vero temporibus regulariter non auriphrysata, sed simplici utendum est, videlicet ab Adventu ad Nativitatem. . . Item in festis trium Lectionum illius temporis, et in omnibus Vigiliis, in quibus ieiunium celebratur, et in quatuor Temporibus et in Rogationibus, item in Officio Defunctorum ». Ex ordine Romano pariter evincitur sicut triplex Mitrae species, sic et diversus pro diversis temporibus usus. Plurima his addenda essent; sed haec videri possunt in allatis Auctoribus, quibus addo et Cangium et Spalmannum et Baquillottum.

Iam quaedam ornamenta et honoris praeclariora insignia iure Episcoporum, inter quae et Mitra recensetur, a variis saeculis per privilegium etiam aliis a Summis Pontificibus concessa fuerunt Canonicorum Collegiis, Abbatibus ac Praelatis Episcopis inferioribus, vel ob rem aliquam praeclare gestam erga S. Sedem, vel ad distinctionem aliarum Ecclesiarum ob peculiaris ipsius Ecclesiae antiquitatem, vel etiam ut splendidiori per haec honoris et decoris signa apparatu Divini cultus maiestas magis eluceret et fideles per hunc ipsum externum Ministrorum ornatum ad rerum altissimarum contemplationem excitarentur. Sed cum non semel eveniret, ut ii, qui singulari modo his privilegiis honestati essent, latius accepta privilegia et honores interpretando, maiora sibi concessis arrogarent et terminos concessionis excederent, et ita contra Concedentis voluntatem agerent, ordinem perverterent et abusus inducerent, S. Rituum Congregatio modum aliquem huic quorumdam libertati ponere ex munere statuens, et Pontificiorum Diplomatum violationes vel praecavere vel continere, singulari Decreto declaravit sub die 27 Augusti 1822 quaenam Pontificalia sint privilegia; quod adprobavit, confirmavitque fel. rec. Pius VII qui Praedecessorum suorum Pontificum Alexandri VII et Benedicti XIV exemplo inhaerens, peculiarem etiam Constitutionem edidit sub die 4 Iulii anni 1823, cuius initium est: *Decet Romanos Pontifices.* Hac, ut ii, quibus aliquod huiusmodi privilegiorum ante fuerit concessum, statutis legibus continerentur, neve illorum iura laederentur, ad quos inspecto Ecclesiasticae Hierarchiae ordine huiusmodi insignia stricto pertinerent sensu, neque in posterum alii inducerentur abusus, et omnis perturbationis, querimoniae et dissidiorum tolleretur occasio, hac, inquam et memoratum S. R. Congregationis Decretum confirmavit, et Praedecessorum suorum Leges et Statuta, quoad usum Pontificalium Praelatis Episcopis minoribus aliisque concessum, sapientissime renovavit, ius ut suum sarctum tectumque Episcopis servaret, ne quid per illimitatum privilegiorum usum praescriptos in privilegiis ipsis terminos praetergrediendo, Episcopalis Dignitatis splendori detraheretur. Cum autem tam in memorato Decreto, quo privilegia Pontificalium declarantur, quam in dicta Pii VII Constitutione statuatur, ut ii, qui amplioribus gauderent privilegiis, peculiaria sua iura ad S. Congregationem perpendenda deducerent, ut inde de illis iuxta Canonicarum Sanctionum opportune posset decerni; Ecclesia Metropolitana Barensis, Summi Pontificis mandatis obtemperans, privilegia sibi induta illico deposuit; sed ad vitandam quamcumque aliorum admirationem ob repentinam hanc insigniorum dimissionem, preces porrexerunt pro usu privilegiorum, quibus gaudebant, quae a fel. rec. Leone XII benigne concessa iterum fuere.

Laudabilis haec Canonicorum Barensium obedientia confirmationem privilegiorum quasi promerita est; quae simul ostendit legitime eos concessis privilegiis uti, et a

statutis legibus non declinasse. Quo factum est, ut iisdem postulantibus et Rmo Archiepiscopo ipsis favente, Sacra Congregatio quoque *pro gratia confirmationis* rescripsit. Unum tamen excepit, usum nempe Mitrae auro contextae, ut Decreti et Constitutionis statutis eorumque fini gratiae confirmatio responderet, qui in eo praecipue situs est, ne quis ex Praelatis Episcopis minoribus, si forte aliquis Pontificalium privilegiorum gaudeat, illorum iura laedat. Vidimus supra ex diversis Mitrarum speciebus, et antiquissimo eorum usu, quid ad Episcopos spectet, quid aliis conveniat qui ex privilegio Mitra utuntur. Cum itaque Canonici Metropolitanae Barensis ex privilegio ea utantur, non alia uti possent, nisi memorata, nempe simplici ex tela alba cum sericis laciniis, ea nempe quae a Decreto sub num. 8 describitur.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2671. CATANIEN. (4650)

Instructio Clementina haec habet § XVII, num. 1: « Non si celebrino Messe di Requie nel tempo che durerà l'Orazione delle Quarant'ore ». In Instructionis verborum adnotationibus num. 1 haec subiicitur ratio : « Dedecet enim, quod cum lugubri apparatu celebrentur Defunctorum Missae, ubi Sacramentum est triumphaliter expositum, praesertim (en alia ratio) quia in his haud adiici potest commemoratio Sacramenti, quam in Missis votivis omnibus, si per Rubricam liceat, eadem Instructio demandat ». Scio equidem nonnulla S. R. Congregationis Decreta reperiri, quibus videtur non absolute prohiberi Defunctorum Missas, idque erui quodammodo posse ex verbis, quibus eadem S. Congregatio usa est in una Canonicorum Regularium Lateranensium sub die 2 Decembris 1684, et in altera Eugubina 27 Aprilis 1697. Legitur enim in prima *regulariter negative:* in altera vero *congruentius abstinendum,* ex quibus utriusque Responsionis verbis tam Cavalerius, quam Tetamus in ea sunt sententia, ut absoluta huiusmodi Missarum prohibitio non eruatur, licet per eos etiam satius sit eas non celebrari. Sed advertendum hac in re est haec Decreta, quae de congruentia, de regularitate quoad non celebrationem loquuntur, Instructionis Clementinae promulgationem praecessisse ; atque hinc quod posteriori Lege in contrarium statuta sunt, contra haec ipsa esse non posse, nec legem nec regulam posse efformare ; hinc si absolute non prohibentur a Decretis Congregationis anterioribus, per ipsam Instructionem prohibentur ; quae et vim regulae habet, et Legem constituit, qua Constitutione, qua regula, qua lege ea ipsa Decreta revocata atque abrogata censeri iure possunt ac debent. Nihil enim clarius dici potest, ut inde pateat absoluta prohibitio : *Non si celebrino Messe di requie :* quae quidem verba omnem excludunt, si qua esse posset, ambiguitatem, et praeceptum de non celebrandis huiusmodi Missis includunt in iis saltem Ecclesiis, quas Instructio Clementina respicit. At reponet fortasse quis : Haec Instructio de Ecclesiis loquitur, in quibus Sanctissimum Sacramentum in forma Quadraginta Horarum est expositum, pro quibus apposite edita est ; non sequitur hanc Legem aliis etiam Ecclesiis aptari debere, in quibus illud quocumque alio modo est expositum. Nemo ignorat praecipuum hoc esse Clementinae Instructionis obiectum, sed, si quid video, alias etiam expositiones cum Sanctissimo Sacramento includit. Et sane S. R. Congregatio 7 Maii 1746, cum iam nempe suam mutavit post Clementinam Instructionem sententiam, in una Varsavien. respondit : « Missae *de Requie,* extra Altare ubi est expositum Sanctissimum Sacramentum, poterunt celebrari; dummodo tamen Oratio cum Sanctissimo Sacramento non sit ex causa publica ».

Hac responsione S. Congregatio occurrit dubio, quo quaesitum est : « An permitteret Rubrica celebrari Missas *de Requie* durante expositione Sanctissimi Sacramenti in Pyxide? » Iam quis non videt differentiam inter expositionem Sanctissimi Sacramenti in Pyxide, et aliam in Throno sive umbella? Haec aliquam semper habet solemnitatem, ut demonstrat ipse expositionis modus, cui etiam saepe coniungitur publica causa ; illa vero nullam vel publicam caussam, vel solemnitatem, ut plurimum saltem, praesefert. Hoc posito discrimine, videt per se quisque, permissis huiusmodi Missis *taxative* dum Sanctissimum Sacramentum est expositum in Pyxide, indirecte quidem, sed non obscure hac responsione prohiberi Missas *de Requie* cum Sacramentum est expositum in Throno; eo vel magis 1° quia singulari dubio de Sanctissimo Sacramento in Pyxide respondit ; 2° quia publicum excipit bonum, in quo semper est quaedam solemnitas. Insuper ut non inopportune, quoad rem nostram pertinet, advertit Au-

ctor Adnotationum ad Instructionem Clementinam, *dedecet quod cum lugubri apparatu celebrentur Missae Defunctorum,* ubi expositum est triumphaliter Sanctissimum Sacramentum. Iam si dedecet has Missas tali in casu celebrare, quid dicendum de Missis *de Requie* cum cantu, quo nihil solemnius in luctu dici potest, nullus apparatus magis lugubris esse potest? Haec in luctu ipso solemnitas, hic lugubris apparatus directe adversaretur solemnitati expositionis. His addendum: si Missae, praesente Cadavere, exposito Sanctissimo Sacramento prohibentur; quid dicendum, si hae, absente cadavere, cum cantu celebrarentur? Vigeret semper et alia ratio de commemoratione Sacramenti in Missis omnibus privatis, quae cum per Rubricam addi potest, omnino non est omittenda, quaeque hoc in casu deberet omitti: qualitas enim Missae illam excludit. Vigeret denique ratio ex fine desumpta, quo fiunt expositiones quocumque modo solemnes, qui est ut Fideles in tanti Sacramenti institutionis meditatione immorentur, in illius Auctoris caritate admiranda, in Christi recolenda Passione, et in eo, quod nobis per ipsum datum est, aeternae gloriae pignore considerando; a quo tam excellenti fine mens abstraheretur, si eo, quo Sanctissimum Sacramentum veneraremur tempore, ad aliud per lugubrem cantum Defunctorum Missae vocaremur. Multa his addi possent, sed finis sit; et qui plura desiderat adeat Cavalerium, Tetamum, Instructionem Clementinam, et subiectas adnotationes, quibus haec quae hactenus dicta sunt, confirmantur.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2672. FLORENTINA. (4651)

Cum Missae Sacrificium ea sit actio, quae ceteras actiones ad Divinum cultum spectantes longe maxime aliis antecellit virtute, dignitate, ratione et victimae et offerentis (Christus enim ipse est victima, et Sacerdos se ipsum Patri offerens) et maior sit actio, quae in Dei honorem peragi possit ab Ecclesiae Ministris Ecclesiae ipsius nomine, nihil in ea addi potest, nihil intermisceri; et nullis sive precibus, sive actionibus diversis ab Ecclesia praescriptis debet abrumpi, quae actionis unitatem adimant, et iis peragi debet Legibus, quae ab Ecclesia pro illius celebratione statutae sunt. Potest immo et debet Sacerdos, qui Minister est Dei, in cuius honorem Sacrificium offert, et Ecclesiae sive Fidelium, pro quibus offert, Eucharisticum panem e divina mensa petentibus praebere: iis tamen semper legibus, eo ordine, qui ab Ecclesia ipsa praescriptus est. Ast in proposito Dubio et actionis unitas abrumperetur, preces intermiscendo, quae pro Sacrificio Missae non sunt praescriptae, quaeque dicendae essent in casu; (ipsa enim Rubrica praecipit de *Communione infirmorum* psalmum *Miserere,* et alios psalmos et cantica esse dicenda); ideoque in casu unitas actionis Sacrificii tolleretur; nec regulae servarentur, quae pro simplici Fidelium communione sunt adsignatae. Si quis e contra, ne videretur Missam abumpere, Orationes pro hac·actione statutas omitteret, haud ordinem illum servaret, quem Rubrica in administranda Communione bene valentibus indicat. Iam haec Rubricae praescriptio aptari nequit proposito dubio, nisi ordinem pervertere velimus, et unum cum altero ritu confundere, quod nefas esset. Hinc etiam est, quod S. Rituum Congregatio respondit etiam *non licere administrationem Viatici infra Missam, si Celebrans e conspectu suo amittat Altare.* Hoc enim esset Sacrificium quodammodo interrumpere, tum propter longum iter, quod supponi debet, si Sacerdos e conspectu amittat Altare, tum propter interpositionem aliarum precum, sive psalmorum, qui recitari deberent a discessu ab Altare ad infirmorum lectum; quae si aliunde omitterentur, et Sanctissimum Sacramentum nihil recitando (ne actio videretur abrupta) deferretur, hoc in casu quaedam quasi irreverentia in Sanctissimum Sacramentum oriretur et quoddam etiam scandali genus Fidelibus oriri posset; et ageretur directe contra Rubricam, quae praecipit, ut cum Sanctissimum Sacramentum ad infirmos defertur, non sub silentio, sed psalmis et canticis adhibitis deferatur.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2676. GERUNDEN. (4656)

Rubrica Breviarii, tum particularis huius diei, tum generalis, hanc divisionem primae Missae a Matutino et Laudibus in nocte Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi non admittit, quemadmodum et Laudum a dicta Missa separationem excludit; et cum haec Rubrica sit particularis huius noctis (quae quidem ut videbimus, sua non caret ratione) et ordinata sit pro Choro,

in hoc servari debet quidquid praescribitur, et ordo prorsus non est invertendus, nec pro libito prima Missa a Matutino, et a Missa Laudes dividi debent. En verba Rubricae particularis : « Et dicto *Benedicamus Domino* celebratur, prima Missa post mediam noctem, qua finita, dicuntur Laudes ». Rubrica autem generalis Tit. XXX. de hymno *Te Deum,* num. 4: « Similiter quando dicitur *Te Deum* eo hymno dicto, statim inchoantur Laudes, praeterquam in nocte Nativitatis Domini, quia tunc dicitur Oratio, postea celebratur Missa ». Habemus itaque clarissime praescriptum ordinem, et unionem Missae cum Matutino, et Laudum cum Missa. Dixi ordinem hunc a Rubrica pro Choro praescribi ; in privata enim recitatione nulla est obligatio seiungendi Laudes a Matutino, ut omnes ferunt Auctores. Item Caeremoniale Episcoporum eumdem omnino ordinem indigitat lib. 2, cap. 24, § 9. Super allatis Rubricae verbis seu praescripto inquit Tetamus : « Post Matutinum dicitur Missa in Choro »; et Gavantus in Rubrica Breviarii Sect. 6, cap. 5, num. 5 : « Laudes sequuntur Missam primam de aeterna Generatione ». Et num. 6 ubi Francolini sententiam negativam profert de cantanda Missa ante Canonicam horam Primae, secundo loco haec habet : « Neque dicas sufficere Laudes ante Missam secundam, tum quia non debent dividi a Nocturnis, nisi quantum Missa prima occupat temporis quod intercedit, cum sint unica hora ». Sive itaque sequamur Rubricam particularem Breviarii, sive Episcoporum Caeremoniale inspiciamus, is ordo ab omnibus Rubricis praescribitur, ut novum omnino sit, et contra Rubricas, et contra vetustissimam Ecclesiae consuetudinem et universalem disciplinam, Missam primam a Nocturnis dividere, et Laudes ante Missam canere, cui uniri semper debent, et eo ordine, qui a Rubrica praecipitur, sive media nocte, sive summo mane, aliqua accedente iusta causa, Officium Nativitatis peragatur.

Iuvat hic aliquid animadvertere, et generalem proferre regulam, quoad Matutini et Laudum recitationem (loquor de Officio in Choro persolvendo) ut inde rationem investigemus peculiaris huius diei Rubricae. Certum est Laudes a Nocturnis ex generali regula dividi non debere, et quum Laudes ab Amalario Matutinale Officium appellantur, ideo sic vocari, quia sunt pars Officii Matutini, et idcirco hoc etiam non terminatur separatim a Laudibus. Ex hoc ipso, quod iuxta Romanum Ritum Matutinae Laudes recitantur coniunctae cum Nocturnis, factum est ut Matutini nomen aequivocum quandoque fuerit, et quid diversum iuxta Auctores varios non semel hac voce intelligatur. Aliquando acceptum est pro solis Nocturnis separatis a Laudibus, aliquando pro aggregato ex Nocturnis cum Laudibus usurpatum est, quatenus una eademque sit Officii pars, et diversas non constituant partes; aliquando denique pro solis Laudibus. Benedictus XIV Institut. XXIV, n. 9, Amalarium sequens, unionem Matutini cum Laudibus indicat : « Nobis satis est tempus indicare, quo iuxta Canonum sanctiones Matutinum una cum Laudibus persolvantur; quae sane coniunguntur, cum Amalarius tradat se a Magistris Romanis responsum habuisse nullum inter Matutinum et Laudes tempus intercedere ». Ex hac doctrina et auctoritate, et ex Rubrica patet certissimum Laudes a Nocturnis numquam seiungi. Seiungi tamen debent, ut vidimus, in Officio Nativitatis Domini. Quaenam, quaeso, particularis huius Rubricae erit ratio? Si Benedictum XIV audiamus, memorata Institutione hanc rationem affert : « In pervigilio Nativitatis Domini Matutinum a Laudibus seiungitur, ante quas Sacrum peragitur. Cum enim circa mediam noctem Missae Sacrificium celebrari debeat, nimis absone Laudes eo tempore canerentur ». Quodnam est illud tempus? Illud nempe, quod paullo ante eadem Institutione eodemque numero Amalario adhaerens indicaverat, scilicet ab initio crepusculi ad ortum solis. Est ergo haec ratio ab hora desumpta simul et ab unione Laudum cum Missa ; cui cum Laudes coniungi debeant, Missae vero Sacrificium circa mediam noctem debeat celebrari, ut utrumque servetur, et unio scilicet Laudum cum Missa, et tempus minus Laudibus inconveniens, hae post Missam potius, eas a Nocturnis dividendo, recitantur, quam immediate post Nocturnos, ut generalis regula exposceret. Haec est ratio a Ben. XIV adducta. Iam quis tam sapienti, tam erudito Pontifici audeat contradicere, quin temeritatis notam apud omnes incurrat? Ratio quidem haec est, sed non sola. Haec enim ex convenientia potius horae qua Laudes, iuxta morem, recitari debent, et ex praecepto simul eas a Missa non dividendi, quam ab intrinseco desumpta est. Alia tamen est ratio, si quid video, ex ipso intrinseco mysterio, quod recolitur, deprompta, et Officii huius diei propria, quam af-

fert Durandus in suo Rationali Divini Officii lib. 6, cap. 13, num. 16; quam et hic afferre haud dubitem: « Generatio Divinitatis, scribit ipse, praecessit generationem humanitatis, et quia illarum notitia fuit nobis laudis materia, ideo Laudes sequuntur. Missa praecedit, quia prius fuit aeterna generatio, de qua Missa ista loquitur, quam aliqua creatura fuerit, quae Deum laudare potuerit. In Laudibus quasi choream ducimus: Quem vidistis Pastores? Et ipsi responderunt: Natum vidimus etc. » Haec Durandus.

Iam totum Officium Divinum nihil aliud per sese est, nisi quoddam Divinarum Laudum genus, quae sive psalmis, sive hymnis, sive canticis, sive aliis huiusmodi ab Ecclesia statutis, in Dei laudem et honorem canuntur. Tamen haec Officii pars, quae *Laudes* specialiter nominatur, ideo hoc donatur nomine, quia speciali quodam modo laudes Deo concinuntur. In his enim ad iubilandum Deo, ad Ei benedicendum, ad Eum laudandum Fideles excitantur. Hoc posito, si ex Durando Missa huius noctis *est nobis laudis materia,* quia sane in prima Missa Nativitas Christi ad salutem et redemptionem humani generis speciali modo Fidelibus per Evangelium annunciatur, quae iam per Angelos vigilantibus super gregem suum Pastoribus annunciata fuit, et gaudium magnum nunciatum pariter fuit, quod omni Populo erat futurum ob Salvatoris nativitatem; quid aequius, quid rationabilius quam et in recolendo quotannis hoc mysterio speciale hoc Deum laudandi genus, *sive Laudes,* post Missam reservetur, et Missae immediate coniungatur? Cum specialis hac nocte ratio reperiatur eas a Nocturnis dividendi, et Missae immediate coniungendi?

Unum postremo hic addere non alienum a proposito erit, quo confirmatur et seiunctio Laudum a Matutino, Missa interposita, et Laudum cum Missa immediata coniunctio. Antiquitus non modo separatae erant Laudes huius Officii a Nocturnis, sed Missa prima, quae media nocte celebrari solebat, complebatur cum *Benedicamus Domino,* non autem cum *Ite Missa est,* quae verba iuxta communiorem Liturgicorum sententiam nihil aliud nisi dimissio Populi sunt. Testatur hoc Micrologus, qui hanc adducit veteris huius ritus rationem his verbis: « Ne populo quasi licentiam abeundi infra Matutinales Laudes dedisse videamur, quas statim post Missam iterum concrepantibus signis incipere solemus ». Iam si antiquitus, ut Populus post Missam Laudibus adesset, omittebantur hac nocte verba, quae illius dimissionem sive ab Ecclesia discessum indicabant; quo maiori argumento utemur ad probandum ex antiquitate ipsa hanc Laudum cum Missa coniunctionem, quae adhuc ab Ecclesia servatur, suam habere originem, ac proinde male prorsus se gessisse, qui contrarium servavit? Demum aliquibus in Ecclesiis alius hac nocte servabatur peculiaris ritus, et ideo servabatur ut Populus in Ecclesia retineretur. Ritus autem erat, ut inciperentur Laudes statim post Communionem, et complebantur post Orationem, quae dicitur in fine Missae, eo sane modo, quo Vesperae una cum Missa in Sabbato Sancto decantari solent, in quibus una eademque oratio et Missae est, et Vesperarum. Iam si antiquitus, ut Populus post Missam Laudibus adesset, verba apposite omittebantur, quibus illius dimissio sive ab Ecclesia discessus indicebatur, ne Populus discederet, Laudes post Communionem inchoabantur, et complebantur cum Missa. Quonam maiori argumento utemur ad demonstrandam Laudum cum Missa in hac nocte coniunctionem, quae servatur ab Ecclesia, non solum iure adhuc servari, sed ex ipsa antiquitate suam habuisse originem, ac proinde male sese penitus gessisse, qui ut ex Dubio patet, a speciali hoc Ecclesiae ritu discessit?

Aliud quoque hoc breviter investigandum occurrit, quod non inutile fortasse erit. Quidam sunt, sed pauci sane, qui autumant Matutinum huius noctis, dicto post Orationem *Benedicamus Domino,* concludendum esse cum versiculo: *Fidelium animae etc.* Innituntur fortasse hi Decreto S. R. Congregationis in Thelesina sub die 24 Aprilis 1742 dato, quod sic enunciatum est: « Non est omittendus in fine cuiusvis Horae *Fidelium animae,* quando post eam immediate dicitur Missa, sed servandus adamussim textus Rubricae XXX Breviarii Romani »; Versiculum hunc addendum statuit Ecclesia, cuius pietas erga defunctos ea est, ut peracto Divino Officio, aut illius partibus ad utilitatem vivorum, suffragetur statim et Defunctis, qui degunt in Purgatorio. Hic est finis Ecclesiae, quae etiam praecipit per Rubricas, ut quibusvis Horis Canonicis addatur. Iam videamus, si locum habeat hac nocte in fine Matutini. Ex decreto et intentione Ecclesiae dicendus est hic versiculus in fine Horae cuius-

vis. Si itaque Hora non terminatur, versiculus hic non est addendus, ac proinde fallitur qui illum in casu omittentes erroris et culpae arguit. Laudes numquam a Nocturnis separantur, et unam eamdemque horam simul iunctae constituunt; hinc si hac nocte ex specialis Rubricae Statuto Nocturni a Laudibus dividuntur, non sequitur diversas, per hanc peculiarem huius noctis Rubricae dispositionem, et a se separatas Horas ex Nocturnis et Laudibus constitui, proindeque, absoluto Matutino, Hora revera non terminatur: hinc profecto est, quod in nullo liturgico Sacro Codice, sive in Missali, sive in Breviario, sive in Caeremoniali Episcoporum, huius versiculi mentio invenitur; et *taxative* ab his tempus determinatur, quo Missa post Nocturnos debeat inchoari, sive qua prece, quo versiculo absoluto. Quod spectat ad particularem Breviarii Rubricam huius diei legitur: « Et dicto *Benedicamus Domino,* celebratur prima Missa post mediam noctem »; quod vero pertinet ad Rubricam generalem eiusdem Breviarii, sic in ea legitur Tit. XXXI, de Hymno *Te Deum* n. 11: « Similiter quando dicitur *Te Deum,* eo hymno dicto, statim inchoantur Laudes, praeterquam in nocte Nativitatis Domini, quia tunc dicitur Oratio, postea celebratur Missa ». Demum Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 14, § 9. « Iterum responso *Dominus vobiscum,* dum Chorus cum Organo prosequitur lente *Benedicamus Domino,* et *Deo gratias,* ipse (Episcopus) deposito Pluviali . . . . demum accedit ad infimum gradum Altaris pro Missa inchoanda ». Ubinam, quaeso, mentio fit de hoc versiculo *Fidelium animae etc.* quo terminari debeat Matutinum? aut potius ubi, tacite saltem, non excluditur? Excluditur quidem, statim ac taxative dicitur; *dicto* Benedicamus Domino, *celebratur prima Missa: Prosequitur lente* Benedicamus Domino, *et* Deo gratias . . . . *accedit* . . . . pro *Missa inchoanda.* Cur autem excluditur? Quia nempe, absolutis Nocturnis, non terminatur Hora, et hinc Decretum, quo huius versiculi recitationis Defensores (si qui sunt, paucissimi autem sunt, et fortasse unus vel alter) innituntur, Officio huius noctis nequit aptari, quod peculiarem et propriam sibi vindicat Rubricam, quae clara satis est ad excludendum hunc versiculum. Hinc est, quod Tetamus cap. 25, ad diem 25 Decembris, Sect. III, scribit: « Ubi post Matutinum dicitur Missa in Choro, dicto *Benedicamus Domino,* non addatur versus *Fidelium Animae:* hinc quod Gavantus scribit Section. V, cap. XXII, num. 4: « Qui versus non dicitur ante *Pretiosa* ad Primam, quia adhuc non terminatur Officium . . . neque dicitur post aliam Horam, si aliud sequatur, ut vel Missa, sicuti fit in nocte Nativitatis Domini ». Quid plura? Omittitur quandoque hic versus, quando etiam quaedam Officii Hora est absoluta. Hinc apposite idem Gavantus eodem num. 4 addit: « neque ad Completorium habet in fine locum congruum. Non enim ante Antiphonam B. Virginis, quae ad Officium vivorum attinet, neque post eam, quam sequitur Oratio Dominica cum Salutatione Angelica ». Sic autem explicit: *vel Officium parvum B. Mariae, septem Psalmi, Litaniae, in quarum fine dicitur* Fidelium etc. Quod hic dicit Gavantus Rubricae generali apprime consonat, cuius sequens est dispositio Tit. XXX, de Oratione, num. 3: « Postea dicitur (nempe post Orationem) *Benedicamus Domino,* deinde dicitur versus: *Fidelium animae* etc. qui versus non dicitur post *Benedicamus Domino* ad Primam . . . nec quando post aliquam Horam immediate sequitur Officium parvum B. Mariae, vel Officium Defunctorum, aut septem Psalmi Poenitentiales, vel solae Litaniae etc. » Iam si omittendus est hic versus, quando quaedam Divini Officii Hora penitus est absoluta, et sequitur Officium ab illo quod celebratur diversum, quaecumque sit huius omissionis ratio, quae quidem a Gavanto adducitur, (tametsi prodest potius, quam officiat in casu nostro); cur erit dicendus in nocte Nativitatis cum absoluto Matutino absoluta nequit credi Hora, cum integram horam Matutinum cum Laudibus constituat, cum Missa sequi debeat immediate Nocturnos ob intrinsecam rationem noctis et diei, et Festivitatis propriam, quae peculiarem ritum exposcit nulli alteri Festivitati communem? Quod si quis reponeret peculiarem esse rationem omissionis in casibus a Rubrica notatis; peculiarem aeque rationem agnoscat in Officio Nativitatis, quae peculiarem Rubricam habet, qualis ea est, per quam interposita prima Missa Laudes a Nocturnis dividuntur; et sicuti hoc Officium ritum a generali regula diversum habet ex ipsa Rubricae dispositione et praecepto; sic et in fine Nocturnorum huius noctis excludi debet memoratus versiculus, nec sub adducto Decreto debet comprehendi.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2680. AESINA. (4664)

Responsio S. Congregationis responsionibus est conformis alias datis tum die 12 Iulii 1628, tum die 19 Iunii 1773, cum simile huic Dubium fuit propositum, nec diverso potuisset modo respondere. Cum enim accuratae Rituum et Rubricarum observationi Sacra Congregatio sit praeposita, quidquid abusum vel novitatem redolet, debet reprobare, atque eliminare debet ex ipso suae Institutionis fine. Abusum autem et novitatem praesefert, consuetudo, quae in medium profertur, quaeque Sacrae Congregationi perpendenda proposita est, administrandi scilicet Sacramenta Baptismi et Eucharistiae a Canonicis cum Rocchetto et Stola, et domus benedicendi in Sabbato Sancto cum Rocchetto, Mantelletto et Stola ab Archipresbytero : praeter quam enim solum Rocchettum non possit haberi tamquam vestis Ecclesiastica, nec in Choro quis cum hoc tantum adesse possit, et Rocchettum cum Mozzetta sit habitus choralis tantum ; nimis clara est Ritualis Rubrica : *De iis, quae in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt,* quae praecipit, ut Sacramenta administrentur cum Superpelliceo et Stola : « In omni Sacramentorum administratione Superpelliceo sit indutus et desuper Stola ». Tenentur igitur Sacerdotes Stolam et Cottam induere dum Sacramenta administrant, et id ab hac Rubrica praecipitur (demptis casibus ab ipsa Rubrica notatis, qui locum in nostro casu nullum habent); quod etiam monitum fuit a S. Congregatione Episcoporum die 8 Novembris 1588. Si qui sunt, qui ex concessione usu gaudent Rocchetti et Mozzettae, his uti nequeunt in administrandis Sacramentis, pro quorum administratione taxative vestis praescribitur a Rubrica, ut vidimus; sed illis tantum uti possunt in Choro, in Processionibus et Functionibus omnibus, in quibus habitum choralem induunt. Hinc enunciatio Bullae, quae illimitata dicitur, suos utique habet limites, nempe *Functiones publicas et privatas* respicit, quae collegialiter sive in Ecclesia, sive extra peraguntur, et hic habitus toti Collegio, non singulis est concessus, exclusa tamen semper Sacramentorum administratione, in qua unusquisque eam debet vestem induere, quae pro hac est a Rubrica praescripta. Non igitur illimitata est concessio, sed illimitata potius et nimis libera, et contra Rubricae praescriptum illius interpretatio; ex qua abusus est exortus, quem Sacra Congregatio dato Decreto, et confirmatis aliis iam super hac re existentibus, eliminandum esse censuit.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2682. MARSORUM. (4669)

Ad Dubium LIV. Nulla positiva Lege, nullo Rubricae praecepto, sed e praxi tantum removetur a Vasis prope Ecclesiarum fores Aqua Benedicta ultimo maioris Hebdomadae triduo. Hinc haec consuetudo suos habet adversarios, tum quia ab Alexandro I sancitum fuit : « ut Aqua Benedicta sale admixta perpetuo in Ecclesia asservetur » ; tum quia Ritualis Romani Rubrica praescribit, ut aspergantur Aqua Benedicta infirmi, quibus SSmum Viaticum, extremae Unctionis Sacramentum hoc triduo ministrari contigerit, et Aqua pariter Benedicta aspergi debeant Defunctorum cadavera, quae tribus his diebus efferuntur : quibus supponi debet Aquam Benedictam in Ecclesiis reperiri. Aliam quoque addunt animadversionem, quam ex Rubricis Missalis in die Sabbati Sancti desumunt, quae agens de benedictione ignis et incensi praescribit Aquam Benedictam adhiberi : « Dicta Nona Sacerdos adstantibus Ministris, cum Cruce et Aqua Benedicta . . . . et deinde praedicta grana incensi et ignem ter aspergit Aqua Benedicta ». Inferunt hinc Aquam Benedictam in Ecclesiae Vasis existere debere; ac proinde etiam inferunt hi, quos inter praesertim Cavalerius tom. 4, dub. 9, num. 11, hanc consuetudinem esse *contra morem, qui est ut habeatur in vasis prope Ecclesiae fores et contra Statuta,* quia in Breviario ad diem 3 Maii Alexander decrevisse dicitur, ut Aqua Benedicta sale admixta perpetuo servetur in Ecclesia; demum *contra finem,* quia apponitur ut Fideles Ecclesiam ingredientes, statim aspergi valeant, et a levioribus noxis mundari. Haec proferunt, qui stant pro aquae reservatione in vasis prope fores Ecclesiae hoc triduo. Verum tanti non sunt ponderis hae rationes, ut proscribenda sit consuetudo aquam ab Ecclesiae vasis removendi, ut Cavalerius vellet. Et sane quod spectat ad perpetuam in Ecclesia Aquae Benedictae asservationem, quae decreta dicitur ab Alexandro I, haec perpetuitas non tollitur per triduanam tantum illius remotionem ; quemadmodum non tollitur aliquid faciendi consuetudo, si

semel iterumque et tertio faciendum omittitur, quod fieri ex consuetudine solet. Quod pertinet ad incensi et ignis benedictionem, possunt haec benedici, quemadmodum revera benedicuntur cum aqua alio in loco, praeterquam in Ecclesiae vasis asservata. Alexander enim I non praecipit perpetuam (quam haud tolli vidimus) asservationem in vasis, ita ut perpetuitas cesset, si in vasis desit, sed in Ecclesia. Hac ipsa aqua, nempe in alio reservata loco, infirmi et Defunctorum cadavera possunt aspergi. Quod spectat ad intentionem seu finem Ecclesiae, qui est ut Fideles Ecclesiam ingredientes statim aspergi possint, et sic a levioribus noxis mundari, neque haec ratio ab hoc fine desumpta officit consuetudini aquam hoc triduo a vasis amovendi, quin immo probari aliquo modo potest remotionem aquae, quae hoc triduo ex consuetudine viget, Ecclesiae institutioni non adversari, et religiosum saltem quemdam et peculiarem ritum mysterio certe non vacuum continere : quod non admittit Cavalerius, qui etiam consuetudinem hanc proscribendam putat, quod nullum mysterium exhibet. Mysterium quidem fateor nullum in se continet haec aquae remotio ; sed quia haec aquae remotio conformis aliquo modo est mysteriis, quae Ecclesia his diebus in Fidelium mentes revocat, idcirco mysterium inest in hac remotione, quia ad mysteria recolenda nos vocat; adeoque hic usus non improbandus, cum et Fidelibus peculiarem ritum mysteriis, quae celebrantur, consonum offerat, neque damnandus ut novus, aut sine auctoritate retentus, cum et ab immemorabili retineatur consuetudine, et sciente inspicienteque Supremo Ecclesiae Capite ac Rectore peragatur. Nemo, quod sciam, ex Auctoribus, qui hanc aquae remotionem defendunt, animadvertit quod mox mihi animadvertendum esse puto, sed levibus rationum momentis usi sunt. Iam libeat haec mihi animadvertere ex ipsa, ut innui, Ecclesiae institutione, ex quibus consequens erit indicatum superius locum ab Ecclesia diversum pro asservanda aqua ad varias ignis, incensi, Infirmorum benedictiones admittendum esse, aut saltem non improbandum.

Aquae benedictio non una, sed multiplex est in Ecclesia ; sicuti et multiplex est diversis exorcismis, diversis precibus, diversis invocationibus vel rerum diversarum infusionibus, Aquae Benedictae usus, ad finem aeque diversum, quam Ecclesia intendit et statuit. Inter has vetustissima illa est, quae singulis Dominicis diebus ab Ecclesia peragitur, qua Fideles aliaque asperguntur, quamque ipsi in mundis vasculis domum etiam asportare ad Religiosos usus a veteribus temporibus consueverunt. Habuerunt et Ethnici aquam suam lustralem et piacularem, ut constat ex ipsis prophanis Auctoribus, qui referunt adeuntes Templa aqua aspergi consuevisse, ut ab anteactis culpis purgarentur, et mundos sese Diis suis licet falsis praesentarent. Hanc Ethnici ab Hebraeis usurparunt ; et sicut illi ab his acceperunt, depravantes tamen quod habetur in lib. Numeror. cap. 19 de aqua lustrationis et expiationis, ita et nos Christiani aquam adhibemus sanctificatam per Verbum Dei et Orationes, et sic sanctam reddimus. Quod Ethnici perverse et superstitiose usurparunt ob finem diversum ab eo, ad quem nos dirigimus. « Quaedam sanctificamus, ut ait Augustinus contra Faustum, quae communia quodammodo cum illis videmus, quorum quaedam Satan, ut noverit Tertullianus, lib. de Praescriptionibus adversus Haereticos, tamquam Dei symius, pleraque divina instituta aemulatus invenit ». Christiani itaque Aqua sanctificata utimur. Primis Ecclesiae saeculis fideles aqua baptismali utebantur, eamque priusquam in ea Chrisma infunderetur, domum deferebant, ut domus, vineas, campos, segetes aspergerent, eademque ante Chrismatis infusionem in Ecclesia ipsa Fideles aspergebantur. Haec Fidelium aspersio in Ecclesia nostris etiam diebus servatur. Nam in Missali Sabbato Sancto Rubrica de Fontis benedictione, antequam Sacerdos infundat Oleum Catechumenorum, praescribit, ut Sacerdotes adstantes aspergant. « Deinde per assistentes Sacerdotes spargitur de ipsa Aqua Benedicta super populum » : quod in Ecclesiis, in quibus benedictio fontis baptismalis peragitur, servatur; et in Vaticana Basilica solemni quadam pompa haec fit super Populum aspersio. Insuper de hac aqua ex Rubrica accipitur ad eam spargendam in domibus Fidelium et aliis locis : « Et interim unus ex Ministris Ecclesiae accipit in vase aliquo de eadem aqua ad aspergendum in domibus et aliis locis » : quae aqua in vasis etiam prope Ecclesiae fores existentibus infunditur. Licet hic mos apud nos servetur, et a Rubrica praescribatur, interdictum aliquando fuit ut Fideles hac baptismali aqua aspergerentur ; quia per errorem putabant nonnulli se iterum a pec-

catis omnibus mundari, quemadmodum et alia quaedam ob aliquem irreptum errorem fuerunt interdicta, inter quae lotio capitum Cathecumenorum antequam Baptisma susciperent Sabbato Sancto : quae lotio peragebatur ad munditiam capitis ob Baptismi reverentiam in Dominica Palmarum, quae ab hac caeremonia Dominica in *Capitilavio* fuit quoque nuncupata. Abrogata fuit haec caeremonia, quia multi putantes hanc capitis lotionem ipsum esse baptisma, baptizari postmodum negligebant. Nil itaque mirum si haec quoque aspersio, de qua hic sermo est, fuerit olim interdicta. Sed Ecclesia uti sapienter omnia instituit, ita et sapienter quaedam diversis temporibus prohibuit ; quae in bonum Fidelium initio statuta, Fideles ipsi vel ad proprium damnum, vel ad alium finem convertebant ab eo, ad quem pia Mater Ecclesia constituerat.

Praeterea quia eo usque huius aquae, nempe fontis baptismalis ante Sacrorum Oleorum infusionem sacer usus devenit, ut tantae Fidelium multitudini et ad diversos pios ac religiosos fines adhibita non sufficeret, alia aquae benedictio instituta fuit; et ea est, quae singulis Dominicis diebus est peragenda, ut Fidelium pietati satisfieret. Sed hac etiam nova aquae instituta benedictione, duo excepta fuerunt pro hac tempora ; ea nempe, quibus fons baptismalis ex antiquissima Ecclesiae disciplina consecratur, et id statutum fuit ad indicandum fortasse hanc benedictionem ex illa aquae baptismalis originem habere, et huic illam fuisse suffectam, vel etiam, ut adnotat Rupertus Abbas, in memoriam lavacri regenerantis; quod et Durandus, morem hodiernum aeque ac veterem respiciens aspergendi Fideles, ut Rubrica innuit, nonnullorum veterum errorem advertit his verbis : « Non ut rebaptizemur, sed ut gratiam Divini Nominis cum memoria Baptismatis invocemus ».

Aqua haec Benedicta, quae in Ecclesiarum foribus pro Fidelium usu prompta est, lotionibus etiam successit, quibus olim Christiani utebantur, antequam ad Ecclesiam accederent. Ad hunc morem respiciens S. Ioannes Chrysostomus sic scribit, Homil. 32 in Matthaeum : « In nonnullis Ecclesiis hunc morem corroboratum videmus, ut diligenter multi studeant quomodo lotis manibus, mundis induti vestibus in Ecclesiam ingrediantur ; quomodo autem animam suam puram offerant Deo, nullam prorsus curam habeant ».

Pro his lotionibus apposita lavacra construebantur. Haec lavacra de antiqua Ecclesiarum forma ad disserendum me vocarent; sed non est hic longius, quam par est, aut instituti ratio postulat, in hac re pertractanda immorandum. Satis erit aliquid delibasse, quod ad rem nostram opportunum, aut saltem non prorsus alienum videtur. Inter Ecclesiae partes, in quibus exteriora quaecumque apud veteres Christianos adnumerabantur, ut *atria, limites, perfugii loca ac peristilia*, et ceu partes Ecclesiae haberi consueverant, illa erat, quae Narthex appellabatur, et duplex erat, una interior, exterior altera. In exteriori hac Narthece, sive exteriori Ecclesiae ambitu, exteriora itidem atria includente, splendidum erat vestibulum, *primus Introitus* nuncupatum, quod prior eius pars erat, quae Porticibus persaepe circumsepta erat, et columnis undique extollebatur. In huius areae medio *fons* erat, sive per alios, *cisterna*, in qua Populus abluebatur priusquam Ecclesiam ingrederetur. De hac mentionem faciunt Auctores, quos inter Eusebius, qui lib. 10, cap. 4, sic scribit : « Hic Sacrarum expiationum signa posuit (loquitur de Templo Paulini) sive fontes ex adverso Ecclesiae extructos, qui interius Sacrarium ingressuris copiosos latices ad abluendum ministrent ». Paulinus Nolanus Episcopus quinque hos memorat, quos canthari nomine appellat. Iam fontes hi aquam simpliciter continebant nullo ritu, nulla benedictione initio consecratam, qua Fideles materialiter abluebantur exterius, et hae lotiones ante Templi ingressum significativae tantum erant interioris munditiae, quae esse deberet in Fidelibus Ecclesiam ingressuris, et sacris adfuturis actionibus. Nostra vero aqua, quae prope Ecclesiae fores reperitur, nudum non est interioris munditiae signum, sed Ecclesiae exorcismis ac precibus benedicta et consecrata, unum est ex Sacramentalibus, et ad omnem immundi Spiritus infestationem abigendam instituta, terroremque venenosi Serpentis procul pellendum, ad omnes latentis inimici insidias praecavendas eliminandasque, et praecipue ad Fideles a levioribus noxis liberandos, et ad delendas in illis veniales culpas, positis requisitis dispositionibus, aliisque quae requiruntur. Haec itaque Aqua fontibus et cantharis ad simplicem manuum lotionem, quae in Narthece erat, lotionibus ipsis suffecta fuit ; et tanta potiori ratione suffecta, quanto excellentiori fine adhibita, quanto venialium cul-

parum delatio simplici et materiali lotioni internae tantum munditiae significativae praestat. Ecclesia autem hanc in Templorum foribus aquam retinendam voluit ad Fidelium Templa ingredientium religiosum usum, ut puriores ingrederentur, et dignius incruento Sacrificio adstarent, mundioresque Divinae Maiestati sese offerrent, et suas ad Deum preces mundiore funderent corde. Iam duo post haec animadvertenda sunt. Primum, cum praeceptum fuerit singulis Dominicis fieri aquae benedictionem, excepta duo tempora fuisse ob Fontis baptismalis consecrationem. Cum autem inter haec adnumeretur Sabbatum Sanctum, et hac die Rubrica praecipiat aspergi Fideles ex ipsa aqua, antequam in ea Catechumenorum Oleum infundatur; ex ipsa exceptione renovandi aquam sequitur supponi non immerito debere hac saltem die in Vasis prope Ecclesiae fores Aquam Benedictam usque dum Fontis baptismalis benedictio peragatur, non asservari. Praeterea huius aquae institutionis multiplex est finis. Iam cum inter diversos fines is adnumeretur, ut Fideles puriori corde Sacro peragendo adsistant, patet ex hoc altera ratio, ob quam in foribus Ecclesiae hoc triduo, licet non integro, non servetur haec aqua. Cum enim Feria VI Sacrificium non celebretur, et ideo sit dies penitus aliturgicus, hinc nil mirum si hac Feria VI Aqua Benedicta memoratis in vasis non asservatur.

At reponet aliquis: Quid de Feria V, quid de Sabbato Sancto dicendum, si Sacrificii cessatio altera est ratio, ob quam ex consuetudine Aqua Benedicta removetur? In utroque enim die unicum quidem sed tamen Sacrum solemne peragitur, cui Fideles adsunt. Nihil omnino aquae remotioni haec animadversio officit. Nam quoad Feriam quintam in Agno Domini, hac die, quae dici certe nequit aliturgica, removetur aqua absolutò Sacrificio, dum Vesperae dicuntur, dum Altaria denudantur, uno verbo, dum tempus vere aliturgicum incipit et luctus ob Christi mortem. Non deest igitur aqua antequam eo die Sacrificium inchoetur, et ea uti possunt Fideles Ecclesiam ingredientes Sacrificio adfuturi. Quod vero pertinet ad Sabbatum Sanctum, haec dies esset pariter stricte aliturgica non secus ac antecedens Feria VI, et Sacrum hoc mane per anticipationem peragitur; celebrari enim deberet nocte subsequenti, quemadmodum antiquitus celebrabatur; et ut ostendunt verba, quibus utitur Ecclesia in Oratione Missae *Hanc Sacratissimam Noctem*, et infra actionem: *Et Noctem Sacratissimam celebrantes:* adeoque nil mirum, si mane Aqua Benedicta in Ecclesiae foribus non asservatur. Sed hoc omisso, quod quidem remotioni non officit, licet haec aqua non sit in vasis prope Ecclesiae fores dum Fideles Ecclesiam ingrediuntur, non deest tamen aspersio Fidelium antequam Sacrum peragatur. Nam iuxta Rubricam, ut vidimus, baptismali aqua aspergendi sunt Fideles, antequam Catechumenorum Oleum infundatur. Non deest aqua paullo post ingredientibus Ecclesiam, cum ex ipsa hac aqua ante Olei Catechumenorum infusionem soleant Ecclesiae vasa impleri, uti de hac ipsa aqua Rubrica innuit: « In mundo aliquo vase per unum ex Ministris Ecclesiae esse accipiendam ad aspergendum in domibus et aliis locis ». Et ita haec interpretando Rubricae verba, Ecclesiae vasa ab Aedituis aliisque implentur: vel privatim quoque solita aquae benedictio in Ecclesiis baptismali fonte carentibus peragi solet, et hac ea impleri, cum Paschalis solemnitas iam per Cerei benedictionem, vel certe ab Ecclesiae Ministris Praeconii cantu est annunciata, et mox Resurrectionis Mysterium per anticipationem Fidelibus repraesentatur. Consuetudo itaque Aquam Benedictam ab Ecclesiae vasis amovendi non est contra Rubricam, cum nulla Rubrica id prohibeat; licet huic ritui *nulla*, ut inquit Cavalerius, *adstipuletur Rubrica*. Non vacat mysterio aliquo; nam si per se nullum mysterium continet, ad ea saltem nos excitat, quae Ecclesia hoc triduo nobis consideranda offert: hac demum deficiente Aqua Benedicta, et in locis ab Ecclesiae vasis diversis asservata, benedici possunt, ac revera benedicuntur et novus ignis et Cereus et infirmi, quibus ministratur Viaticum et Extrema Unctio, et Defunctorum cadavera asperguntur. Secus dici deberet, quoties hae peragantur benedictiones et aspersiones, Aquam Benedictam ad hos fines adhibendam necessario ex vasis Ecclesiae hauriri debere, et Ecclesiam ad hoc suos Ministros cogere, si his in casibus Aquam Benedictam ex alio loco aut vase, quam ex illis quae prope Ecclesiae fores sunt, haurire contra Ecclesiae morem, statuta et finem esset; ut putat Cavalerius ipse, qui sane haud poterat inficiari morem, statuta et finem Ecclesiae illum esse, ut Fideles in Ecclesia ingredientes ea sese aspergant ac signet.

Sed habemus ipsum Cavalerium quodammodo sed involuntarie confitentem, et praxim, quam citato paragrapho reprobat, adprobantem. Cap. XXI de Sabbato Sancto § 12 haec habet: « Sacrista itidem vel alius Minister infundit in aliud vas de aqua fontis (antequam Oleum Catechumenorum infundatur) . . . . et ex eadem aqua renovari consultius quoque erit vasa Ecclesiae »: inquit *renovari:* non inficior dici posse *renovari,* etiamsi paullo ante illa removeatur, quae erat in vasis praedictis. An removenda saltem erit, antequam Officium incipiatur? En igitur Fideles ingredientes sine aqua, qua se signent. Sed cum agit Cavalerius de ordine procedendi ad ignem benedicendum haec habet: « Praecedentes tres Acolythi, quorum medius incedit deferens Vas Aquae Benedictae ». Quaeso undenam hausta est haec aqua? non certe ex vasis Ecclesiae, quae supponuntur iam vacua, et illa quae prius nempe paullo ante in illis erat? Haud equidem possum admittere. Cum enim immunditiam et foeditatem ut plurimum habet ob Populi frequentiam; ob pulverem desuper cadentem, ob aliam etiam quamcumque rationem, indecens sane esset ea uti, et alia potius mundior ac purior adhibenda est: haec autem in casu alia esse non potest, nisi antea benedicta, et alio in loco a vasis Ecclesiae diverso asservata. At nullam habeat vim postrema haec animadversio, haud sibi contradicat Cavalerius; semper tamen ex supra adnotatis et ex aliis rationum momentis nec improbanda erit haec ultimo maioris Hebdomadae triduo quae viget, remotio, neque proscribenda, ut vellet Cavalerius.

ADNOTATIONES ET SUFFRAGIA SUPER DECRETO

2684. PISANA (4672)

Ad Dubium I. Caeremoniale Episcoporum in universali Ecclesia ab omnibus et singulis personis, ad quas spectat, observandum esse praecipitur a fel. rec. Clemente Papa VIII in Litteris Apostolicis sub plumbo quae incipiunt *Cum novissime;* in quibus statuitur: « Caeremoniale huiusmodi sic emendatum et reformatum nullo umquam tempore in toto vel in parte mutari vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse, ac quascumque personas praedictas... ad ea peragenda et praestanda iuxta huius Caeremonialis formam et praescriptum teneri ». Item Innocentius X Bulla: *Et si alias,* ipsum Caeremoniale adprobando et confirmando, eadem statuit ac praecipit. Et haec quidem Benedictus XIII, in Bulla cuius initium est: *Licet alias,* pariter habet; additum autem in ea est, ut in virtute sanctae obedientiae nihil detrahatur, nihil addatur, immutetur nihil; quemadmodum et in Bullis Praedecessorum suorum legitur. Summi itaque Pontifices toti in eo sunt, ut quae in Caeremoniali (idem dicatur de Pontificali, Missali et Rituali) sunt constituta accuratissime serventur, ut Sacri Ritus et Caeremoniae iuxta Ecclesiae disciplinam et statuta peragantur, nec aut quadam aliquorum libertate, aut aliorum negligentia, aut aliquorum non recta interpretatione, ex propria cuiusque commoditate non semel orta, novitatibus inductis Ritus ipsi et caeremoniae Ecclesiae corrumpantur, et per mutationes ipsas et novitates, externus cultus sancto studio, sancta sollicitudine, tam diligenti cura et labore ad Religionis ipsius maiestatem statutus, penitus cum ipsius Religionis detrimento vilescat. His positis quidquid diverso modo, quo statutum est peragitur, contra Caeremoniale peragitur et nulla umquam consuetudo, (si eas excipias quae ut legitime, et conditionibus necessariis inductae ab Ecclesia ipsa sunt adprobatae) contra illius legem potest praescribere, nullam potest constituere exceptionem, nullam normam aut regulam efficere, nec approbari umquam poterit, quin immo non summopere reprehendi. Aut enim consuetudo, quae profertur in medium, quamque nescio quis velit in casu protueri, est ante Caeremonialis correctionem, confirmationem et adprobationem Summorum Pontificum, qui illud correxerunt, confirmarunt, adprobarunt; aut postea. Si ante, iam consuetudines istae, si peculiari modo non sint adprobatae (neque enim adprobari potest quod directe Caeremonialis praescriptis adversatur) per genericam abrogationem, abrogatae censendae sunt: si postea inductae sunt, iam eo ipso contra Caeremonialis statuta eiusque leges sunt inductae, et inobedientiam Ecclesiae legibus redolent, et novitatis notam merentur, propriaeque commoditatis amorem praeseferunt, ideoque reprobandae sunt ac reiiciendae, utpote Caeremoniali adversae, quemadmodum haec est consuetudo in nocte Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi Laudes legendi: nimis enim haec consue-

tudo contraria est Caeremonialis praescripto; nam satis superque clare Caeremoniale praescribit ut Laudes cantentur. « In Laudibus (legitur lib. 2, cap. 14, § 12) tandem, quae post hanc Missam solemniter cantari debent »; quae verba, ut quisque facili negotio videt, praeceptum important; adeoque consuetudinem omnem contrariam excludunt. Quod si praeceptum iuxta Rubricam non est, ubinam, quaeso, Rubrica praeceptum exhibebit, aut quando Rubricae servari poterunt? Idem dicas de omnibus consuetudinibus, quae si sint huiusmodi, neque umquam poterunt praescribere, ac nullo umquam tempore erunt admittendae.

Ad Dubium V. Consuetudinem hanc Sacra Rit. Congregatio non ferendam decrevit, utpote contrariam Rubricae legibus, novam prorsus, et idcirco improbandam. Si quidem omnes sive canonici, sive Beneficiati aliive huius generis Ecclesiastici, qui Chorali gaudent munere, tenentur *omnibus Canonicis Horis praesentes adesse non solum, sed et in Choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare*, ut Concilium Lateranense Tom. 2, part. 4, Sess. 2, § 59 *et seq.* silentium nonnullorum psallendi tempore improbans, et Concilium Tridentinum Sess. 24, c. 12, de Reformatione, loquuntur. Iam si teneantur *omnibus Horis Canonicis* adesse, et adesse ad psallendum, nec sola praesentia sufficit ut hoc adimpleant munus, eo etiam debent modo atque ordine psallere, qui ab Ecclesia statutus est; et sicut qui adest sola praesentia quin psallat, quique comparari potest mutis simulacris, ut inquit Benedictus XIV in sua 107 Institutione, et fructus non percipit; ita, ut sponte fluit, tenentur omnes et singulas Horas cantare vel recitare, prout cuiusque Ecclesiae Constitutiones, tempora, dies, solemnitates vel praecipiunt, vel exposcunt: atque hinc patet nullam ab illis omitti Horam canonicam posse, nec anteverti, nec confundi; secus dici deberet aut duabus obligationibus, quae ex lege successivae sunt in Choro, uno eodemque tempore posse satisfieri: si dum ab aliis *Nona lectio* et *hymnus Te Deum* decantantur, ab aliis Laudes submissa voce dicuntur; aut Canonicos satisfacere obligationi recitandi Laudes, si dum ab ipsis cantatur praedictus hymnus, solis Cappellanis harum recitatione ab illis penitus remissa, hae Laudes, praedicto tempore, a paucis tantummodo, ut in dubio recitarentur. At falsum utrumque est, et neutrum probatione ibi indiget, ut quisque facili negotio intelligit. Quisque enim, sive privatim, sive publice, tenetur et per se tenetur divinum recitare Officium, et leges servare, quae recitationem sive publicam sive privatam respiciunt, nec obligationi potest satisfacere, si quid omittat; vera autem omissio est ea de qua in dubio est sermo. Cappellani enim in casu nostro pro Canonicis et Beneficiatis Laudes recitarent, quas ipsi omittunt: hoc autem admitti nequit; ex Concilii enim Tridentini verbis supra allatis consequitur Canonicum sive alium quemque muneri suo deesse, si quosdam alios solum psallere permittat, is autem omittat, aut pro se eum supplere sinat, qui pariter tenetur psallere, quique idcirco supplere nequit. Quid vero dicendum nostro in casu, si integra omittatur Hora a Canonicis, aliis pro se supplentibus alterius Horae canonicae tempore? Onus autem singulorum est singulas Officii partes, et eo ordine, quo sunt dispositae, recitare. Quid autem Officii nomine intelligatur, ad cuius recitationem singulis diebus tenentur qui sacris Ordinibus initiati sunt vel clerici Beneficio praediti, satis percipitur ex cap. *Presbyter* de celebratione Missarum, ubi haec habentur: « Si Matutini (id Laudes etiam complectitur), Primae, Tertiae, Sextae, Nonae, Vesperae, Completorii tempore, nostrae servitutis officia persolvamus ».

Totum itaque Officium his diversis Horis constituitur. Canonici, ut et alii omnes, idem facere tenentur: hoc solum interposito discrimine, quod alii Clerici, quocumque in loco persolvere Divinum Officium possint, Canonici vero ceterique omnes, qui alicui addicti sunt Ecclesiae, ad eam convenire, et ibi idem Officium recitare aut canere omnino debeant.

Dubitandum autem non est, quin haec lex Cethedrales et Collegiatas Ecclesias comprehendat; et colligitur ex Clementina Prima, de celebratione Missarum, in qua haec sunt: « In Cathedralibus aut Collegiatis Ecclesiis ».

Dixi singulas Horas recitari vel cani, prout tempus exposcit, in Choro debere et ita ut una ab alia distincta sit, quemadmodum Ecclesia illas distinctas voluit; et ita etiam, ut earum non invertatur ordo, nec una cum altera confundatur, nec pariter una eo tempore recitetur, quod al-

teri est praescriptum. Confunditur autem si unius Horae recitationis tempore, altera, ut in casu, recitatur: quod intentioni, fini et statutis Ecclesiae adversatur. Ecclesia autem, ut Horas, sic et tempus eas recitandi assignavit, a quo, ut videtur, et nomen unaquaeque Officii pars desumpsit suum. Quid si primae Ecclesiae Fidelium morem inspiciamus? « Olim Christiani, scribit Cardinalis Bona, tribus primis vigiliis tres Nocturnos divisim, quarta vigilia Laudes recitabant. Tantus erat ardor charitatis ut quater in nocte surgerent ad orationem, prima vigilia ad primum Nocturnum, secunda ad secundum, tertia ad tertium, quarta ad Laudes persolvendas, vel omnes simul, vel divisi in cohortes ». Haec disciplina, sive vetus mos, generice obsolevit, licet quaedam Monasticae familiae et Religiosae aliquod de hac veteri consuetudine retineant vestigium. Nunc in praesenti disciplina, loquor de Clero saeculari praesertim, statutae sunt quidem Horae pro recitandis divinis laudibus seu psalmodia; sed quamvis diversa ab antiquioribus sint assignata tempora, tamen tempus unicuique Horae debetur, licet hoc non accuratissime, ut Horarum nomen indicat, sed iuxta praesentem disciplinam utcumque servatur.

Ecclesia insuper, per Rubricarum dispositiones et statuta, tempus ad Sacrum celebrandum constituit, modo post Tertiam, modo post Sextam vel Nonam, ratione habita vel ad tempus, vel ad mysteria, quae aut recolit, aut ad quae nos praeparat et vocat, vel ad moestitiam aut gaudium, vel ad Missae qualitatem, quae omnia ex Rubricis ipsis desumuntur; quae quidem probant ita eam voluisse Horas Officii Divini etiam tempore distinctas, ut ad servandam hanc distinctionem et veterem recitandi morem, Sacrum Divinum esse peragendum inter unam alteramque Horam iusserit. His omnibus positis, quid dicendum foret de hac in dubio asserta allataque consuetudine, et a S. R. Congregatione improbata, si ea cum veteri Ecclesiae disciplina aut praesenti etiam conferatur? Nihil profecto aliud, nisi quod directe intentioni, fini et statutis Ecclesiae adversetur. Tandem, quod hic decretum est a S. Congregatione cum alio Decreto concordat, quod edidit in Casalen. die 3 Aprilis 1751. In hoc enim Decreto, proposito dubio respondit: « Canonicos non satisfacere obligationi Chori recitando modo praedicto Completorium, tempore, quo a Musicis Vesperae decantantur ». Modus autem hic erat, ut ex immemorabili asserta consuetudine Canonici Ecclesiae Cathedralis, diebus Dominicis aliisque Festis infra Annum occurrentibus, quando a Musicis Vesperae decantabantur, consueverant eo tempore bini et bini Completorium persolvere. Modus hic a S. R. C. reprobatus nihil omnino differt a modo, de quo est sermo in praesenti dubio, nempe recitandi Laudes tempore hymni *Te Deum*; quinimmo aliquid magis contrarium praebet: nam in dubio Casalen. omnes recitabant Completorium; in hoc autem a Canonicis Laudes prorsus omittebantur, quod certe maiorem defectum consideranti offert. Ac propterea haec S. Congregatio Ritibus omnibus sua in integritate ac puritate servandis protuendisque instituta, consuetudinem hanc suo Decreto non ferendam declaravit. Illa enim aeque ac ista asserta consuetudo statutam singularem Horarum divisionem ac distinctionem tollit, earumque permixtionem et confusionem inducit, quae, iterum dicam, intentioni, fini, statutis Ecclesiae quam maxime adversatur, ac proinde abusus debet appellari, omni prorsus ratione eliminandus, quemadmodum hoc suo Decreto S. R. Congregatio iure meritoque sancivit.

Ad Dubium VIII. Quoad hanc secundam huius dubii partem, cui S. R. C. negative respondit, plurima iam sunt adnotata, eaque videri possunt in Tiburtina d. 30 Martii 1824. Ibi in subiecta a nobis adnotatione, eruditissimi Merati affertur auctoritas praxim improbantis quarumdam Ecclesiarum, in quibus diversus est Diaconus, qui Paschale Praeconium cantat, ab illo, qui in Missa mox celebranda ministrat. Praxis haec revera contraria est Rubricae Missalis, iuxta quam unus idemque debet esse Diaconus, ut advertit Meratus et Corsettus in ea adnotatione adducti. Merati verba in ea adnotatione leguntur. Corsettus autem, Cap. 8, num. 5, haec habet illis simillima verba: « Tum Diaconus, qui debet esse ille, qui in Missae Officio inservire debet, et non alius ad hanc solam functionem, et ad cantandum tantummodo Praeconium (hoc enim repugnat Rubricae Missalis, neque in ullo habetur Caeremoniali cum sit quiddam addere, quod est contra Bullam Pii V, et maxime notandum) ». Quam opportune haec a Corsetto postrema verba addita sint, quisque per se videt: nam post reformationem, adprobationem et evulgationem Missalis, Pontificalis, Caeremonialis, Ritualis, Brevia-

rii, nihil addi, nihil detrahi, nihil immutari potest; et in Litteris Apostolicis Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi monentur ut accuratae illorum observationi advigilent, quae statuta in illis sunt: hinc si quis quid addat, quid detrahat, quid immutet, iam eo ipso et novitatem inducit, et iure inobedientiae notam incurrit. Iam diversum Diaconum cantare Praeconium, diversum in Missa ministrare est contra Rubricae Missalis praescriptum. Si enim haec inspiciatur et illius dispositio, patet manifestissime unum eumdemque esse debere in utroque memorato Officio Diaconum, idque ex toto contextu eruitur, initio sumpto ab ignis benedictione ad licentiam usque, quae populo datur discedendi ab Ecclesia. Mitto hic actiones, quae ad Diaconum spectant, quasque non memorat Rubrica, utpote illius muneris proprias, ac ab Arundine incipiam. « Tum, inquit Rubrica, Diaconus indutus Dalmatica albi coloris etc... Diaconus elevans Arundinem..... Diaconus dat Arundinem uni Acolytho »; deinde: « Completa benedictione Ceri, Diaconus depositis albis, sumit violacea paramenta, et vadit ad Celebrantem, qui exuitur Pluviali etc. ». Qui, quaeso, Diaconus, nisi qui cantavit Praeconium? et hic non ad Sacrarium vestem depositurus, sed ad Celebrantem accedit, depositis albis et sumptis violaceis paramentis. Demum inquit Rubrica: « Cum autem perventum fuerit ad ℣ *Peccatores, Te rogamus,* Sacerdos et Ministri surgunt, et accedentes ad Sacristiam induuntur paramentis albis pro Missa solemniter celebranda ». Iidem igitur debent esse et Celebrans et Diaconus, et Subdiaconus, si iidem Ministri; ergo ex Rubricis is qui cantavit Praeconium, si loquamur de Diacono, is qui detulit Crucem, si loquamur de Subdiacono, de utroque dicitur quod debeat ministrare in Missa; ac si nullum dubium de Subdiacono, cur de Diacono dubiun excitari potest? Sed quid dico dubium excitatur? Cur diversus adhibetur Diaconus? dicere debuissem; et tamen ex praxi quadam per abusum inducta in nonnullis Ecclesiis, diversus est Diaconus Missae a Diacono Praeconii. Praxis haec adversatur penitus Missalis Rubricae; ex qua, dispositione et ordine inspectis, infertur unum eumdemque esse debere Diaconum et Praeconii et Missae; quod quidem ex legitima illatione concluditur. Ratio autem huius illationis patet ex Officio ipso: nam qui Functionem incepit, idem et perficere debet. Huius diei Officium unum idemque est, sive Praeconium respiciamus sive Missam; omnia simul sumpta Officium diei proprium constituunt; et licet diversa Ecclesia recolat, tamen Functionem unicam statuit peragendam. Si itaque Diaconus eam incepit, eam pariter et debet perficere; nisi peculiaris aliter agendi sit ratio, aut Rubrica ipsa aliter faciendum non indigitet. Sed ratio non adest aliter peragendi, et Rubrica aliter peragendum non innuit: idem igitur Diaconus debet esse et Praeconii et Missae. Quod spectat ad Rubricam, si haec disponit diversum esse debere in aliqua functione Ministrum, non omittit sane vel indicare, vel etiam praecipere; ut evenit, cum Feria V in Coena Domini alium Subdiaconum innuit esse debere a Subdiacono Missae, pro deferenda Cruce in Processione: « Et fit Processio more solito, alio tamen Subdiacono parato Crucem ferente ». Haec Ministri diversitas non indigitatur a Rubrica quoad Diaconum in Sabbato Sancto, sed unus idemque innuitur; a Rubricae igitur dispositione non est recedendum. Recte proinde statuunt Auctores unum eumdemque esse debere pro utroque Officio Diaconum, et tamquam Rubricae violatores diversimode agentes considerant, cum audeant sic a Rubricae praescripto declinare. Si omnia secundum ordinem fieri debent, eo magis cum de Ritibus agitur, quorum usus in Ecclesiasticis functionibus legitimus et accuratus est omnino retinendus ac religiose servandus. Haec fuit summi Pont. Sixti V Constitut. LXXIV. maxima cura in S. R. Congregatione statuenda, ut Sacri Ritus ubivis locorum, in omnibus Urbis Orbisque Ecclesiis, a quibusvis personis diligenter observarentur; ut caeremoniae, si exoleverint, restaurarentur; si depravatae fuerint, reformarentur; si immutatae, ad ordinem revocarentur. Quae olim fuit Summorum Pontificum cura, ea ipsa adhuc est et Summi Pontificis quem sospitem Deus servet; ea ipsa adhuc est Sacr. Rituum Congregationis quae ritus omnes ut reviviscant, restaurentur, ad ordinem revocentur, accuratissime serventur, ex proprio munere adnititur, ut sic et splendor Divinae maiestatis magis effulgeat et Fideles ad Divinarum rerum contemplationem sustollantur: ut inquiunt Tridentini Concilii Patres, et Supremae Apostolicae Sedis, a qua dimanat, legislativa auctoritas observetur. Habitualis autem rituum et caeremoniarum inobservantia tacitum, ut plurimum, potest inferre con-

temptum; et leviorum etiam Rubricarum omissio, vel mutatio, et libera illarum interpretatio confusionem in Ecclesia parere possunt, et ad Dei opus negligenter peragendum inducere. Non me latet, hac ipsa in re, de qua loquimur, in eadem Tiburtina, ut videri potest, S. Congregationem consulendo Sanctissimo respondisse; sed quid hoc probat? nisi S. Congregationem, cuius munus est vigilare Rubricarum observationi, allatam in contrarium consuetudinem noluisse admittere, sed attentis peculiaribus circumstantiis inclinasse forsan ad illam non penitus saltem excludendam, sed eodem tempore noluisse eam propria auctoritate aut adprobare aut confirmare, utpote Rubricae dispositioni non apprime conformem, et, si qua Indulgentia hac in re posset concedi, a Supremo Pastore concederetur, quemadmodum revera factum est. Sed peculiaris haec Tiburtinae Ecclesiae Cathedrali, ob peculiares rationes, concessa Indulgentia generalem non constituit dispensationem; adeo ut liberum cuique sit ea uti. Si enim eadem non adsint rerum adiuncta, fortasse nec alteri Ecclesiae concedetur, eoque minus poterit aliqua Ecclesiae per se hanc sequi praxim: persaepe enim evenit ut Diaconus Praeconii diversus sit a Diacono Missae, non ex necessitate, non ex vocis defectu, vel ex voce aut nimis aspera, aut ad modulationem inepta; sed ex quadam vocis ipsius ostentationis specie alius seligatur Diaconus qui adstantium concinna nimis vocis modulatione alliciendo aures, plausus captare velit ac laudes. Nisi igitur necessitas adsit, unus idemque esse debet Diaconus Praeconii et qui in Missa ministrat; sine enim necessitate aut rationabili caussa Rubrica accuratissime servanda est, nec ab ea declinandum, et omnis illius interpretatio, si qua in tam clara illius dispositione esse potest, excludenda est.

Ad Dubium IX. Improbanda sane in usu, de quo est sermo, Rubricae infractio reperitur et novitas in Ritibus pro hoc Officio praescriptis proprio lubitu inducta, quae nullo prorsus modo erat ferenda: atque ex hoc ipso nihil, ut quisque videt advertendum occurrit, nec ratio ulla est adducenda ad usum praedictum eliminandum. Res enim ipsa per se apparet manifestissime, ac propterea nonnisi simplici negativa responsione poterat a S. C. dubio huic satisfieri. Quin igitur infractionem Rubricarum ac novitatem demonstrando immoremur, aliquid quoad Cereum advertamus. Ecclesia hac die ad resurgentem Christum recipiendum se praeparat, et mox ipsum resurrecturum Fidelibus pariter annuntiat. A consecratione itaque Luminis Paschalis solemnitatis annuntiationem inchoat, quae verae lucis claritatem humano generi contulit. Quod ad Cereum spectat, Paschalis hic Cereus benedicitur in Sabbato Sancto; quia ex simplici sua natura absque benedictione non potest mysteria significare, quae per illum Ecclesia repraesentare intendit. Est haec benedictio non de constitutivis, per quae immutato naturali rei alicuius statu sacrum quid efficitur; sed de simpliciter invocativis, quibus Dei benignitas invocatur, ut personis vel rebus aliquid boni tribuat: et licet per has benedictiones res statum suum naturalem non immutent, nec sacrum quid efficiantur, aliquid tamen religiosum in se continent, nec amplius prophanae possunt haberi. Constans autem ac perpetua fuit Ecclesia disciplina, ut nulla re ad religiosum quemdam ritum publice uteretur, quin prius eam benedixerit; ut ex Thoma Massinio, Benedict. XIV aliisque Auctoribus constat. Iuxta Liturgicos Cereus hic columnam nubis et ignis, quae Hebraeos in deserto ambulantes praecedebat, significat, et hinc illa Praeconii verba, *sed iam columnae huius praeconia novimus;* vel Christum significat corporaliter prius extinctum, et postea resurgentem, sicut tunc Diaconus Cereum benedicens significat Evangelii praedicatorem qui Christum, passione corporaliter extinctum, debet Laudum benedictionibus praedicando, Resurrectionis luminosa gratia reddere illustratum. Item Cereus Paschalis ex Ecclesiasticis Scriptoribus, quos refert Theophilus Raynaldus, institutus primo fuit ut symbolice esset imago Baptismi, ac propterea singulis qui baptizabantur parvus dabatur Cereus, et ideo dabatur ut illum asservarent, et suscepti Baptismatis memoriam identidem in se suscitarent.

Instituti deinde fuerunt Cerei, *Agnus Dei* ob Agni figuram quae in illis inspicitur nuncupati, ut essent pariter suscepti baptismi symbolum, et singulis recenter baptizatis, depositis in Sabbato post Pascha vestibus albis, dabatur Cereus hic *Agnus Dei,* quia commodius hunc prae parvo etiam cereo gestare poterant. Hi autem *cerei Agnus Dei* illorum collo appendebantur, ne suscepti baptismatis memoriam una cum albis vestibus baptismalibus, quas deponebant,

amitterent, sed hos prae oculis semper habentes, et tantum beneficium per baptismales aquas receptum recolerent, et gratias Deo redderent, et receptam gratiam fideliter custodirent.

Olim dispertiebantur populo particulae Cerei Paschalis ad suffumigandum una cum thure pio ac religioso animo, ad avertenda mala bonaque postulanda. Est ea secundaria Cerei Paschalis institutionis caussa. Quemadmodum vero substituti fuerunt *cerei Agnus Dei* ad excitandam retinendamque baptismi memoriam in recenter baptizatis, et pro Cereo Paschali sive huius particula parvi Cerei ipsis dabantur; ita et cerei *Agnus Dei* postmodum pro Cerei magni particula et pro parvis cereis populo distribui caeperunt; et praecipuo fini qui fuit in illorum institutione, ut Deus ab illis utentibus mala averteret et bona conferret, secundarius successit, ut reliquis etiam fidelibus, praeter recenter baptizatos, distribuerentur in octava Paschae, quemadmodum Cerei Paschalis particulae distribuebantur: ut liquet ex Ordin. Romano tit. *De benedictione Cerei,* ubi sic legitur: « In octava vero Paschae dantur ipsi Agni (Cerei infra Civitatem Romanam) ab ipso Archidiacono in ipsa Ecclesia post Missam et Communionem, et ex eis faciunt incensum accendi ad suffumigandum in domibus suis, pro quacumque tribulatione eis evenerit necessitas. Similiter et in Forensibus civitatibus de Cereo Paschali faciunt ». Multa addi possent de cereis *Agnus Dei,* si res de qua hic praecipue agitur, postularet; sed haec sint obiter adnotata licet non inopportune, res enim ipsa haec pauca innuere deposcebat. Ne itaque finem nobis propositum praetergrediamur, ad Paschalem Cereum redeamus. Cereus itaque nubis ignisque columnam significat, qui Hebraeos in deserto itinerantes per diem noctemque praecedebat, et Christum a morte ad vitam gloriose resurgentem, ut Rupertus et cum eo Auctores Liturgici pene omnes; et ideo Cereus ipse prius extinctus apparet, et dum adhuc extinctus est, in eo quinque incensi grana infiguntur, quae quinque Christi plagas repraesentant: deinde accenditur post verba Praeconii *Rutilans ignis accendit.* Item Cereus in significatione columnae ignis et nubis Hebraeos praecedentis, illorum demonstrat defensionem a solis aestu, et illuminationem nocturno tempore: in significatione vero Christi, nubis columna potest repraesentare Christum fideles a vitiorum aestu defendentem. Ignis vero Christum ipsum, qui fideles in huius saeculi nocte, ac in ignorantia et peccatorum tenebris sedentes illuminat.

Ne quis autem putet, cum dicitur Cereum Paschalem nubis et ignis columnam significare, ita haec esse accipienda, ut Ecclesia id absolute recolat, quod Hebraico populo olim evenit; sed id tantum, quod illis quidem evenit, tamquam tamen in figura nostri: omnia, quae illis eveniebant, *figura et umbra futurorum erant;* omnia enim figura facta sunt nostri, *omnia in figura contingebant illis,* ut scribit Apostolus Paulus ad Corinth. ep. 1, v. 10, et alibi: « Vetera namque transierunt, facta sunt omnia nova ». Hinc Ecclesia suos non instituit ritus ad ritus hebraeorum ac gesta recolenda, sed in suis quibusdam mysteriis recolendis veterum hebraici populi rituum quandoque meminit, quae figura olim fuerunt eorum, quae postmodum adveniente temporum plenitudine erant eventura, et reapse evenerunt: et sic ostendit quomodo umbris et figuris lux et veritas respondeat. Ecclesia eadem, quae ritus et caeremonias instituit, non inepte, non inconsulto, non sine aliquo sapientissimo fine eos instituit (ut vellet Sacrorum Rituum perpetuus irrisor Vertus, qui cum Religione ritus etiam voluisset evertere); sed sapientissime eos instituit, et ut Sancto est Spiritu edocta et directa, in illis mysteria quaedam includit, aut ad illa non revocat, et quidquid in suis divinis Officiis recolit, quidquid celebrat, quidquid Fidelibus celebrandum offert ac proponit, ad spirituales intelligentias eos vocat, et per mysticam ipsas figuras ad mysterium aliquod contemplandum filios suos excitat; et quandoque in mysterio mysterium latet, ut observat S. Petrus Damiani, et ipsae res sensibiles tamquam humanae infirmitatis adiumenta ad spiritualia et coelestia cogitanda contemplandaque inducunt, ut ipsum Concilium Tridentinum loquitur Sess. 22, de Sacrificio Missae, cap. 5: « Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, quaedam altiori pronunciarentur, instituit. Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus plura ex Apostolica traditione recepta, quo et maiestas sacrificii commendaretur, et fidelium mentes per haec vi-

sibilia Religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur ».

Quod sensibilia signa quoad Sacrificium, quod mysticae figurae, quod aenigmata praestant, idem et in aliis Ecclesiasticis Officiis obtinent. Hinc nihil de illis, quae Ecclesia statuit, despiciendum est, nihil negligendum, licet parva, licet minima videantur, quae ipsa fidelibus repraesentat. Nam ut scribit citatus Petrus Damiani in lib. *Dominus vobiscum* inscripto: « Nonnulla in Ecclesiasticis observationibus fiunt, quae in superficie quidem frivola videntur et levia, considerata vero subtilius magnae virtutis videntur veritate subnixa ». In confirmatione huius sententiae plurima deinde affert exempla. Huic consonat Alcuinus, cuius haec sunt verba in ep. ad Carolum Magnum: « Nihil sine caussa in Ecclesiasticis consuetudinibus a Doctoribus constitutum percipimus »; caussam vero, ob quam Ecclesia symbola filiis suis proponit, reddit S. Ivo Carnotensis his verbis, quae habet in Sermone de Purificatione Sanctae Mariae Virginis: « Consuetudo Ecclesiastica multas ex rebus gestis retinet consuetudines, quibus et rerum gestarum repraesentat veritatem et simplicium corda excitat ad pietatem, ut per ea, quae foris venerantur, ad internorum amorem rapiantur. Hinc est quod ad recordationem Dominicae passionis in Ecclesia Cruces erigimus; quod tempore Ascensionis vexilla triumphum Christi significantia in eminentiori loco Ecclesiae tamquam in arcu triumphali sublimamus.

Post haec quis unquam audeat Auctores reprehendere cum Paschalem Cereum significare dicunt columnam ignis et nubis? quis Ecclesiae ipsi contradicere, quae mysticae huius columnae ut figurae quae olim de futuris praecessit, meminit in Praeconio? Solus Vertus, et qui cum eo aeque impie sentiunt, hoc auderent, et tantae essent capaces temeritatis, mysticas pariter figuras et aenigmata reiiciendo.

In Cerei demum benedictione non semel sed saepius mentio fit noctis, licet de die haec benedictio peragatur. Id autem, ut nemo non ignorat, evenit, quia per anticipationem hoc Officium ab Ecclesia peragendum statutum est. Olim enim, quemadmodum plura alia Officia, noctu hoc quoque peragebatur, ut Ecclesia tempori se accommodaret quo Dominus resurrexit, in nocte scilicet, seu prope auroram. Et licet de die iam a multis saeculis hoc Ecclesia peragat Officium, noctis tamen mentionem facit in Praeconio, ut tum tempus indicet, quod verum horae Resurrectionis Domini respondeat, tum ut veteris disciplinae vestigium aliquod eo, quo potest, modo retineat, et eiusdem disciplinae praebeat in ipso Officio testimonium.

Ad Dubium XI. Responsio ad Dubium nulla prorsus indigeret adnotatione; clarissima enim per se res est. Ipsa enim Missalis Rubrica et Caeremonialis Episcoporum praescriptio regulam suppeditant, quae servari debet in aspersione Cleri facienda diebus Dominicis; sed quoniam usus in medium adducitur, qui viget in Metropolitana Ecclesia Pisana, ut nempe non a Celebrante, sed a Cappellano Chori Pluviali induto aspersio cum Aqua benedicta peragatur, haud quidem inopportunum erit quaedam subiicere, ut abusus hac in re appareat, pariterque de medio servatus huc usque usus tollatur, ac Rubrica Missalis et Caeremonialis Episcoporum, ut in responsione sancitum est, servetur. Missalis siquidem Rubrica in ordine ad faciendam Aquam benedictam haec habet: « Finita benedictione (aquae) Sacerdos celebraturus, indutus Pluviali coloris Officio convenientis, accedit ad Altare, et ibi ad gradus cum Ministris genuflexus, accipit a Diacono Aspersorium. . . Interim Celebrans aspergit Clerum, deinde Populum ». His similia habet Caeremoniale Episcoporum cap. 15, § 14: « Dominicis vero diebus... quia Clerus, et Populus ante Missam Aqua benedicta per Celebrantem est aspergendus, oportet illum incedere Pluviali indutum inter Diaconum a dextris et Subdiaconum a sinistris de more paratos, qui postea facta Aquae benedictae aspersione, et dicta Oratione, et deposito Pluviali accipiet Manipulum, et Planetam, et incipiet Missam ». Cuinam dubium poterit oriri, sit ne ipse Celebrans, qui Clerum Aqua benedicta aspergere debeat? aut quis potius contrariam praxim abusum redolere non existimet, Rubricae Missalis, et Caeremonialis adversantem praescripto? Nihil huic tam clarae praescriptioni addere oporteret; nihilominus aliquid adnotatur quod ipsa verba Rubricae Missalis et Caeremonialis offerunt adnotandum ad clarius rem ipsam ostendendam, et extra omnem dubitationem aut ambiguitatem adducendam. Quod ipse Celebrans debeat Clerum aspergere, non modo ex his verbis Rubricae: « Interim Celebrans aspergit Clerum, deinde Populum »; vel aliis Caeremonialis:

« Quia Clerus et Populus ante Missam Aqua benedicta per Celebrantem est aspergendus »; verum etiam ex toto contextu eruitur, ut quisque per se videt, et percipit ex aliis, quae post illa, verbis sequuntur. Nam in Caeremoniali Episcoporum haec leguntur: « Oportet illum (Celebrantem) incedere Pluviali indutum inter Diaconum a dextris et Subdiaconum a sinistris de more paratos; qui postea... accipiet Manipulum, et Planetam, et incipiet Missam ». Nulla hic interponitur mora inter aspersionem et Missae initium, nullus alius a Celebrante diversus Sacerdos nominatur, qui aspergat, et nullus alius ab eo, qui aspersit, ad incipiendam Missam parandus indigitatur; sed unus idemque, nempe qui aspersit, dicitur celebraturus; unus igitur idemque debet esse et qui celebrat, et qui aspergit. Idem omnino iterum legitur in eodem Caeremoniali lib. 2, cap. 30: « Absente Episcopo in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, aliquis Canonicus seu Dignitas, vel is, ad quem de consuetudine spectat hac die celebrare in absentia Episcopi, paretur in Sacristia more solito cum Pluviali albo, et accedat ad Altare medius inter Diaconum et Subdiaconum paratos omnibus paramentis ipsis convenientibus... accepto de manu Diaconi Aspersorio cum Aqua benedicta.... asperget primo Altare, deinde seipsum, mox Diaconum et Subdiaconum.... quo facto, deposito Pluviali capiet Planetam, et.... inchoabit Missam ». Quod si haec postrema verba non leguntur in Missali, non ex eo sequitur Sacerdotem, qui aspersit, non debere celebrare Missam, quod manifeste praescribitur a Caeremoniali; sed dicendum Missalis Rubricam omisisse, quia in eo solum est, ut indicet Ritum, quo debet Clerus et Populus aspergi, et satis esse existimat ab initio innuisse eum debere Missam celebrare qui aspersit, per ea tantum verba, quibus Rubrica incipit, nempe « Sacerdos celebraturus indutus Pluviali.... aspergit Clerum ». Quid plura? Observat apposite ad rem nostram Merati: Sacerdotem Missam solemniter celebraturum ita paratum egredi cum suis Ministris a Choro ad Altare ad faciendam Aquae aspersionem; quod sane probat unum eumdemque esse debere, qui aspergit et qui celebrat; quod si alius a Celebrante esset, hoc utique indicasset. Hanc aliquorum quoad hunc ritum servandum renuentiam iamdiu cavit Sacrorum Rituum Congregatio, quae clarissimis innixa Rubricae verbis alias decrevit ab ipso Celebrante fieri debere aspersionem cum Aqua benedicta diebus Dominicis; Anno scilicet 1632 sub die 27 Novembris in Perusina. Quum enim Eminentissimus Cardinalis de Torres tunc Episcopus Perusinus mandaverit ut Dominicis diebus per ipsum celebrantem fieret aspersio iuxta Missalis praescriptum, et Archipresbyter Perusinae eiusdem Cathedralis Dignitas id aegre ferret, et peragere recusaret, asserens numquam a Dignitatibus factam fuisse hanc aspersionem; Sacra Congregatio, supplicante dicto Archipresbytero de non innovatione, respondit: « Aquae benedictae aspersionem in diebus Dominicis fieri debere per ipsum Celebrantem »; et nulla facta distinctione inter Dignitatem et simplicem Canonicum vel Presbyterum, ut ostenderet hoc munus esse cuiusque celebrantis, adiunxit: « etiam quod sit prima vel alia Dignitas »: nihil faciens, immo excludens contrariam consuetudinem, addidit: « non obstante contraria consuetudine, (immo improbans conclusit) quae potius corruptela quam consuetudo dici potest, quum sit contra Rubricam Missalis et Caeremonialis ». Et haec verba, quibus includitur etiam Dignitas, si ad eam celebrare spectat, consonant cum aliis, quae superius allata sunt ex lib. 2, cap. 30, Caeremonialis Episcoporum desumpta.

Neque quis dicat posse quemcumque Sacerdotem a Celebrante diversum hanc actionem peragere, quemadmodum et quicumque Sacerdos, qui non sit celebraturus, potest Aquam eo die benedicere. Ex hoc sane illud non sequitur; nam praeterquam quod, ut vidimus ex Rubrica Missalis et ex Caeremoniali, Sacerdos celebraturus Clerum et Populum debet aspergere, ipsa Rubrica innuit Aquam, qua aspersio fit, a quocumque Sacerdote a Celebrante distincto posse benedici: quod de eo, qui aspergit non innuit, neque innuere potuit semel ac statuerit ab ipso Celebrante faciendam esse aspersionem. Siquidem haec de facienda tantummodo aqua benedicta habet: « Die Dominica in Sacristia praeparato Sale et Aqua benedicenda Sacerdos celebraturus Missam vel alius ad id deputatus »: quae verba, quum agitur de aspergendo cum hac Aqua Clero et Populo, non habet. Liberum itaque non est quemadmodum in benedicenda Aqua, sic et ad Clerum et Populum aspergendum alium a Celebrante distinctum Sacerdotem deputare,

sed Celebrantis, quicumque ipse sit, proprium est munus. Qui aliter vel sentit, vel agit, contra Rubricam agit. Hinc nisi quis velit inobedientis notam consulto incurrere, Missalis et Caeremonialis praescripto debet conformari, et a contraria, si qua alicubi est, consuetudine recedere; quae a Sacra Rituum Congregatione corruptela declarata iamdiu fuit, et novitatem in Sacris Ritibus induceret.

Unum hic addendum non abs re erit, ut huius ritus antiquitas innotescat. Haec Aquae cum Sale mixtae benedictio, et Populi Christiani cum ea aspersio iuxta Auctores non paucos ab ipso Apostolorum tempore erat in usu; praecepta autem fuit Ecclesiae Saeculo secundo vix inito ab Alexandro Primo, ut constat ex Libro Pontificali, et ex multis Auctoribus de Ecclesiae Ritibus pertractantibus, Rhabano Mauro, Walfrido Strabone, Micrologo: hinc Rubrica Missalis hanc praecipiendo aspersionem, vetustissimum, immo priscum ritum servandum praecipit, et de hoc ritu extat antiquus Canon Concilii Nannetensis, apud Burchardum Wormaciensem lib. II, cap. XII, in quo legitur: « Omnibus diebus Dominicis unusquisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solemnia aquam benedictam faciat in vase nitido tanto mysterio convenienti, de qua Populus intrans Ecclesiam aspergatur ». De antiquitate huius ritus semper ab Ecclesia retenti, ut nempe Presbyter ipse die quolibet Dominico per Ecclesiam procederet et Populum Aqua benedicta aspergeret, edocent vetusta Caroli Magni Capitularia, ubi lib. V, cap. 220 praecipitur: « Ut omnis Presbyter die Dominico cum psallentia circumeat Ecclesiam suam cum Populo, et Aquam benedictam ferat ».

Nonnulla hic examinanda superessent de *Presbytero* et de *Ecclesia sua,* quibus probari posset quemque Parochum olim ad hoc implendum munus fuisse adstrictum, sed extra rem essent: idcirco omittenda putavimus ne a proposito aliena pertractare videamur.

Ad Dubium XIV. Non alia dari poterat ad hoc dubium responsio, quam ea, quae data est, quaque ad servandam caeremonialis dispositionem quisque tenetur: tam enim clara, tam absoluta est haec dispositio, ut nullum prorsus dubium super ea possit excitari. Hinc mirum est quomodo hoc dubium Sacrorum Rituum Congregationi proponi potuerit. Quod fuerit semper omissum, omissioni non favet; neque idcirco in posterum omittendum, quia huc usque fuit omissum: aliter per omissiones, leges omnes inutiles essent, et brevi deperirent, quod absurdum omnino est. Omitti autem in posterum non posse, satis ostendunt verba Caeremonialis, quae leguntur lib. 2, cap. 36, et quisque, si attente consideret, id sibi facile persuadebit. Quod autem in dubio additur, ad hanc aliquo modo protuendam omissionem, quod nempe sic factum omni tempore fuerit, et a quibusdam putetur congruos census ad hoc Anniversarium celebrandum ab Episcopis relinqui oportere, si hoc post mortem vellent Anniversarium celebrari, eo quod illorum aliqui dictos census reliquerunt, haud sane omissioni potest suffragari. Si loquamur de Anniversario perpetuo, facile concedimus; quia Caeremoniale non de omnibus Episcopis disponit, et tunc si celebranda sint perpetuo Anniversaria, census pro perpetua celebratione sunt relinquendi. Ast hic non est de his sermo, seu de Anniversario ultimi Episcopi defuncti. Quando de hoc agitur, Caeremoniale Episcoporum nihil de censu relinquendo innuit, sed absolute celebrandum Anniversarium edicit; quod quidem praeceptum importat, et ab omnibus ubique et semper servari debet, et revera servatur. Plura hic addere supervacaneum est: et legi poterunt, quae in Tiburtina apposite ad rem adnotata sunt.

Ad Dubium XXII. Haec praxis, quae in Primatiali Ecclesia Pisana in administrando Fidelibus Sacram Eucharistiam servatur, contraria est Rubricae Ritualis Romani, quae *Superpelliceum* et *Stolam* in administratione Sacramentorum adhibendam praecipit, quod pariter singulari modo praescribit dum Sacra Eucharistia est administranda: sic enim praecipit in ordine administrandi Sacram Communionem: « Sacerdos lotis prius manibus, et Superpelliceo indutus, et desuper Stola coloris Officio illius diei convenientis ». Iam omnia ordine fieri debent, quemadmodum monet Apostolus, et in Litteris Apostolicis sub plumbo Paulus V fel. rec. repetit, confirmatque immortalis memoriae Benedictus XIV, et ea praecipue quae pertinent ad Ecclesiae Dei Sacramentorum administrationem. Insuper, qui in Rituali Romano comprehenduntur ritus, monet ut inviolate ab omnibus tamquam Ecclesiae filiis serventur, quia eiusdem Ecclesiae Matris et Magistrae auctoritate constituti sunt. Qui, quaeso, ordo esset in ad-

ministranda Sacra Eucharistia, quomodo inviolabiliter servarentur quod de habitu, quo hoc Sacramentum debet administrari, praescribitur, si Superpelliceum, quod praecipitur, non adhiberetur? Sane hoc contra Rubricae praescriptum esset, ideoque improbandum foret. Esse abusum non denegatur in dubio, sed affirmatur aeque difficile esse illum evellere. Profiteri abusum sufficiens est ratio ad illum tollendum: evelli autem facili potest negotio, si res ad ordinem redigatur, si religiose et inviolabiliter, ut par est, quae praescripta sunt observentur, ut revera ab omnibus servari absque ullo dubio debent. Neque Rubricae servandae sunt aut negligendae pro uniuscuiusque commoditate, quia in promptu ex. gr. non est Superpelliceum super Rocchettum imponendum. Non agitur sane hic de administranda Sacra Eucharistia per modum Viatici infirmo proxime morituro, sed bene valentibus; adeoque nihil officit, aut potest officere communicandis, si parumper expectent: expectent utique donec Sacerdos habitu praescripto induatur et, ut debet, hoc Sacramentum administret.

Quod vero ad Ecclesiam sancti Stephani Papae et Martyris spectat, quae ab Ordinarii iurisdictione non pendet, pro qua tamquam exempta difficilis et pene impossibilis asseritur animadversio in consuetudinem non adhibendi Superpelliceum, velim dicerent num Ritualis Rubricae hos illosve respiciunt, hanc ab illa Ecclesiam secernunt, hanc vel illam eximunt? An non potius omnes aeque Sacerdotes Sacramentorum Ministros respiciunt et obligant? Quid exemptio Ecclesiae ab Ordinarii iurisdictione cum exemptione ab observandis Rubricis? Magnum quidem est inter utrumque discrimen. Apostolicae autem Litterae Summorum Pontificum neminem ab observandis Ritibus et eo, quo praecipiuntur modo, excipiunt, nullam Ecclesiam, quaecumque ea sit, eximunt. « Quapropter, *sic habetur in Apostolicis Litteris Bened. XIV, qui aliorum Pontificum mandata refert,* hortamur in Domino Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, et dilectos Filios eorum Vicarios, nec non Abbates, Parochos universos ubique locorum existentes et alios, ad quos spectat, ut in posterum tamquam Ecclesiae Romanae filii... inviolabiliter observent ». Sane quae exemptio in his verbis apparet? quae exceptio? Quis inter Ecclesiae Filios per inobedientiam adnumerari recusaverit? Aut hoc nomine per inobservantiam Rituum, quos servare debet, noluerit gloriari? Nemo sane, ut arbitramur, reperietur, qui tantam gloriam negligat. Atque hinc quisque intelliget rationem ab exemptione Ecclesiae desumptam nihili omnino esse faciendum, ut pariter a servandis Ecclesiae Ritibus exemptus quis putetur, et Rubricarum praeceptis renuat obtemperare.

Haec autem responsio haud recens est, nec unica, ita ut quid novi sit modo decretum. Conferantur quae alias ipsa Sacra Rituum Congregatio edixit, et eadem semper decrevisse apparebit; quippe quae ad tuendos servandosque legitimos et antiquos Ecclesiae Ritus fuit instituta. Sic in una Dubiorum Urbis sub die 12 Iulii 1628, sic in Syracusana die 2 Augusti 1698, in Pisaurensi die 12 Decembris 1750 et in una Urbis Sanctae Mariae in Cosmedin 19 Iulii 1753; in quibus omnibus Decretis, ut alia multa et similia omittantur, praescriptum semper fuit *Superpelliceum cum Stola* in administratione Sacrae Eucharistiae, additumque semper aeque fuit *iuxta Rituale Romanum.* Nulla itaque est ratio cur aliter responderi posset, adeoque servari debet, quod Rituale Romanum praescribit; contra quod nulla admittenda est contraria consuetudo, nulla vel Personarum, vel Ecclesiarum exemptio, nihil habendae sunt in contrarium sentientium querimoniae. Omnes enim Ecclesiae praescriptis obtemperare tenentur, eaque inviolate ac religiose servare.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2686. TARENTINA. (4676)

Multa hic aeque praeclara tum de antiquitate, tum de praestantia benedictionis et consecrationis Virginum adnotanda se offerunt; sed ne videamur in medium proferre, quae inutilia quis posset reputare, quaedam tantum adducemus, cetera videri poterunt in Tertulliani Libro de velandis Virginibus. Quoad antiquitatem, si audiatur Baronius ad Annum Christi LVII, is quibusdam nixus testimoniis Sanctorum Patrum Ignatii Martyris, Clementis Romani Pont. et Hieronymi libro 1 adversus Iovinianum, in quatuor Filialibus Philippi Diaconi agnoscit primas, quae inter Mulieres post Christi mortem Virginitatem Deo singulari modo voverunt; hinc Apostolorum aevo Virginum consecratio adscribenda videtur, et idcirco ab Ivone Carnotensi in

Epistola 41 ad Gotfredum Vindocinensis Monasterii Abbatem scriptum reperitur: « Consecratio Virginum ex Apostolica auctoritate Episcoporum privilegio reservatur ». Si alios Ecclesiae Patres, Ambrosium praesertim et Augustinum audiamus, altius est repetenda haec de Virginitate devotio; uterque enim a Beatissima Virgine eam receptam volunt. Ille enim de institutione Virginis disserens cap. 5: « Egregia, inquit, Maria, quae signum Sacrae Virginitatis extulerat, et intemeratae integritatis pium Christo vexillum levavit ». Hic vero in Libro de Sacra Virginitate cap. 4 id probans ex Mariae responsione ad Archangelum Gabrielem in haec scribit verba : « Ipsa quoque Virginitas eius *(Mariae)* ideo gratior et acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conservaret, ipse praeripuit ; sed priusquam conciperetur, iam Deo dicatam, de qua nasceretur elegit. *Quomodo,* inquit, *fiet istud, quoniam Virum non cognosco?* quod profecto non diceret, nisi Deo Virginem se ante vovisset ». Legantur Baronius, Christianus Lupus, Tertullianus, Sandinus, si plura quoad hoc desiderantur. Omissis hic omnibus quae a nonnullis relate ad Virgines, quae Deo se voverunt, producuntur, quaeque novitatem sapiunt, et ab eruditis doctisque Viris suis in operibus refutantur, atque ab Apostolica Sede semel et iterum proscripta sunt, his inquam omissis, adnotandum putamus duplicem Ordinem Sacrarum Dei Virginum distingui. Aliae enim quae paterna in domo manebant ; aliae, quae commune habentes domicilium monasticum, quoddam quasi institutum amplectebantur. Inter has ab aliquibus adnumerantur plusquam ducentae Virgines illae, quae se se Eugeniae Regis Ethiopum Filiae adiunxerunt, quibusque praefecta Ipsa fuit, quum Sanctus Matthaeus eam ad Virginitatem profitendam servandamque induxit, et quibus ipse sacrum velamen dedit, et super quas sacram fudit Orationem, quae adhuc in quibusdam manuscriptis Pontificalibus legitur. Quemadmodum duplex erat Virginum ordo, ut dictum est, ita duplex erat earum consecratio, sive vovendi modus. Harum altera in una habitus immutatione sita erat, simulque in virginitatis proposito Deo sponte promisso: altera in manuum velique impositione Pontificali, et solemni benedictione aeque ac cum Virginitatis servandae proposito.

Haec consecratio ex vetustissimis usque temporibus maximi semper ponderis fuit ; et vehementer sunt reprehensi qui contra hanc, vel quoad minimum, tentare quandoque praesumpserunt. Tanti autem semper habita fuit ea consecratio, ut quidam etiam inter haereticos, puta Donatistae, suas quoque Virgines habuisse ostentarint, eaeque solemniter quoque ab ipsorum pseudo-Episcopis mitra cooperiendo velarentur. Mitra quippe haec apud Afros sacri veluti veli species erat, quod solemnibus quibusdam precibus adiunctis solebat ab Episcopis imponi, et per illius impositionem ipsa Virginis consecratio reputabatur. Adeo hoc verum est, ut Sanctus Hieronymus ad Demetriadem scribens: « Scio, *inquiebat,* quod ad imprecationem Pontificis, flammeum virginale sanctum operuit caput » ; utque hinc Sanctus Ambrosius in exhortatione ad Virgines ita scribat : « Venit Paschae dies, in toto Orbe Baptismi Sacramenta celebrantur, velantur Sacrae Virgines ». Vetusta adeo est haec sacri Veli solemnis impositio et Virginum consecratio, et adeo praeclara utraque caeremonia semper habita fuit, ut Tertullianus inter Scriptores vetustissimus sacrilegos vocet, qui velum hoc detraxerint: « Oh sacrilegae, *nquit libro de velandis Virginibus,* manus, quae dicatum Deo habitum detrahere potuerunt ! »

Sacer hic non minus, quam vetustus Virgines consecrandi ritus summo studio olim servatus est ; et iuxta Auctores usque ad saeculum XV fuit pene universaliter retentus : postmodum vero vel penitus omissus, vel a perpaucis servatus. Quocirca inquit Barbosa lib. 1 Iuris Ecclesiastici, cap. 64, num. 21 : « et advertas quod consuetudo benedicendi Virgines non amplius ést in usu ». Si de hac desuetudine rationem quis quaerat, vel ideo desuevisse hunc ritum responderi potest, quia fortasse Episcopi minus de consecrandis Monialibus sese faciles exhibuerunt, vel quia Sanctimonialium numerus mirum in modum miserantis Dei beneficio succrevit, vel quia satis tum Professione, tum Clausura obstrictae et protectae Virgines minus novo consecrationis ritu, quasi novo quodam munimento, opus haberent, vel quia immutata veteri disciplina illi solemni pompae, quae uti solemnia vota tunc habebatur, per novum ius novumque aeque legitimum validumque ritum ipsa solemnia Vota successerunt, quae a Monialibus emittuntur in Religione, cui nomen dederunt ; quae quidem vota satis superque ad Virginitatem vinculo servandam esse putantur.

At licet ritus hic desuetus universaliter sit, manet tamen aliquo modo in Ecclesia iuxta praesentem etiam disciplinam, quum et ipse describatur in Pontificali Romano, et ab aliquibus Monialium Ordinibus servetur. Servatum fuisse etiam ritum hunc tempore Sancti Caroli Borromaei, ex ipsa eius Synodo Mediolanensi IV apparet, quum ipse de loco illum peragendi sic praecipiendo loquitur: « Ut ubi religiosus ipse et vetus Moniales solemniter velandi mos his temporibus antiquatus est, ad pristinum usum ex veteri instituto et ritu revocetur ; dummodo intra Monasterium id fiat ». Ex quibus verbis duo eruuntur: primo fortasse aliis etiam in locis extitisse hunc ritum ; secundo non esse proscriptum, ut falso quidam putant Auctores, sed ad pristinam formam, quae fortasse immutata erat, esse revocatum.

Ut autem ad propositum iterum veniamus, omissis aliis quam plurimis, quae hic afferri possent, quaeque ea respiciunt quae ab aliquibus Auctoribus de desuetudine non solum, sed de abolitione huius ritus, dubiis saltem, si non falsis auctoritatibus innixis, in medio proferuntur, advertere praestat neminem sibi facile persuadere posse quod Sacra Congregatio negociis Episcoporum et Regularium praeposita, nulla habita ratione ad ritus huius antiquitatem et solemnitatem, neque ad Conciliorum et Sanctorum Patrum sanctiones, hunc ipsum ritum, ut a quibusdam asseritur, voluisset proscriptum ; facta enim huiusmodi assertionibus non respondent. Nam, ut refert Catalanus in suis ad Pontificale Romanum Commentariis, quum non multis a sua aetate annis (anno scilicet 1778) quidam Episcopus, cuius reticet nomen, ab eadem Sacra Congregatione petiisset dari sibi facultatem consecrandi Virgines suae Dioecesis, Sacra Congregatio sapienter respondit, ut suo uteretur iure. Per Sacram itaque Congregationem hic consecrandarum Virginum ritus inter Episcopalia munia adnumeratur; nec aliter dici hoc etiam tempore potest, quum ritus iste in Romano Pontificali appareat insertus in apposito titulo : *De benedictione et consecratione Virginum.* Nam neque ritum insertum, neque titulum appositum videremus, si Ritus ipse fuisset proscriptus, immo uterque fuisset delendus ; inseritur autem et apponitur, quia revera alicubi adhuc extat, ut ex ipso Dubio liquet, et non multis ab hinc annis peractus est. Sane iure suo usus fuit, et pervetustum ritum servavit, ut alios omittam, sa. me. Benedictus XIII ; qui quum esset Episcopus, non semel Virgines solemni ritu consecravit ; quod et peregit etiam dum esset Summus Pontifex, complures Moniales Benedictinas in Asceterio Sancti Ambrosii Romae benedicendo.

Ut autem singulari modo de Dubio et de data responsione agatur, quum quaestio quodammodo excitata videatur, an solae Moniales Ordinis Sancti Benedicti hunc ritum servent, sive an solum super his exclusive Monialibus servari hic ritus debeat, pauca advertenda occurrunt, eaque non despicienda. Non obscure Benedictus XIV felicis recordationis in sua octogesimaquinta Institutione videtur indigitare alias etiam Moniales, quae Ordini Sancti Benedicti nomen non dederunt, consecrationis Ritum, ut in Pontificali Romano reperitur et praescribitur, servare posse ; siquidem in illa Institutione haec habet § 11 : « Statim ac Nos suscepimus huius Ecclesiae (*Bononiensis*) administrationem, cogitare coepimus, an reliquas quoque Moniales ritus huiusmodi participes facere teneremur, si necessariis conditionibus praeditae essent, ut velum Consecrationis reciperent. Id vero Institutum ceteris Monialibus convenire duximus ob sacram ipsius vetustatem, et ob consilium Sancti Caroli Borromaei, qui in quarta Mediolanensi Synodo sic decrevit : « Ubi religiosus iste et vetus Moniales solemniter velandi mos his temporibus antiquatus est, ad pristinum usum ex veteri instituto et ritu revocetur ; dummodo intra Monasterium fiat ».

Aliquam fortasse difficultatem promovere quis posset ex illis verbis Bened. XIV *an reliquas quoque Moniales,* utrum scilicet haec verba accipi ita debeant, ut sub illis intelligatur Moniales Ordinis Sancti Benedicti, quae nondum consecratae fuerunt, adeoque illae, conditionibus requisitis non deficientibus, ab Eo consecrari deberent ; an vero de aliis quibuscumque Monialibus, quae diversam a Sancti Benedicti regulam sequuntur. Ast obvius verborum sensus suadet de his verba accipi debere, nec ratio apparet cur de solis Monialibus Benedictinis intelligi debeant ; nam neque Benedictus XIV, neque Sanctus Carolus taxative et exclusive de Monialibus Ordinis Sancti Benedicti mentionem faciunt, sed simpliciter Moniales dicunt. Idem constat ex iis, quae in praecedenti paragrapho ipsius Institutionis habentur ; in quo, ut quisque

videt, non agitur nisi de modo servando, de quo Cardinalis Boncompagni Sacram Rituum Congr. bis consuluit, ann. scilicet 1698 et 1699.

Insuper § VIII inquit Benedictus XIV: « Et quamvis consecratio huiusmodi superiori tempore fere in desuetudinem abierit, ritus tamen ipsius retentus est, praesertim ab iis Monialibus, quae Sancti Benedicti disciplinam sequuntur ». Iam quisque videt per vocem *praesertim* clare innui ab aliis etiam diversi Ordinis Monialibus servatum fuisse hunc ritum, licet ab initio forsan fuerit proprius Monialium Sancti Benedicti, et pro iis adprobatus et institutus primario fuerit. Si secus diceretur, inutile prorsus videretur hanc vocem *praesertim* additam fuisse, quae quidem vox non est exclusiva aliarum diversi Ordinis Monialium, sed potius et istarum comprehensiva. Quapropter ea verba his aequivalere videntur enunciationibus: « Et quamvis consecratio eiusmodi superiori tempore fere in desuetudinem abierit quoad reliquas Moniales, quae Sancti Benedicti Regulam non sequuntur, ritus tamen hic retentus est, *praesertim*, hoc est principaliter et prae aliis, ab iis Monialibus, quae Sancti Benedicti disciplinam sequuntur ».

Demum hic ritus in Romano Pontificali praescribitur, et apposito singulari titulo legitur, ut supra notatum est: *De Benedictione et Consecratione Virginum.* Iam Pontificale Romanum ea continet, quae universim servantur, et servari debent vel possunt; et si sunt singularia, sunt propria, et privativa aut iurisdictionis, aut Ordinis: et tunc vel in Codicibus Liturgicis quibuscumque tamquam propria ac singularia indicantur, vel totidem separatim vel exarantur, vel typis mandantur Libri, quot proprii sunt exclusive ritus. Iam Titulus hic generalis est pro Monialibus, non pro quibusdam Monialium Ordinibus, taxative confectus et appositus; non hanc vel illam Monialium Regulam comprehendit, hanc vel illam excludit. Moniales igitur omnes, cuiuscumque instituti hae sint, in eo generico Titulo comprehensae censeri debent, omnesque pariter ritum hunc, *necessariis* ut loquitur Benedictus XIV *conditionibus existentibus*, ubi adhuc viget, sequi possunt.

Vigebat siquidem in Civitate Tarentina mos, ut Moniales Asceterii Clarissarum, expleto vigesimo quinto aetatis anno, solemni emissa Professione, velum benedictionis ab Archiepiscopo reciperent, et ritus iuxta Pontificale Romanum servabatur. Reverendissimus modernus Archiepiscopus ratus hunc ritum solis Sanctimonialibus Ordinis Sancti Benedicti competere, pro iisque tantum vel institutum, vel servatum fuisse, de privilegio Clarissarum Monialium suae Civitatis moneri voluit, antequam ritum ipsum perageret. Et optime quidem; quum enim de privilegio agitur, constare de hoc debet, ne universali Legi et Iuri communi sine ratione derogetur per exercitium privilegii suppositi, et non obtenti. Moniales, ut ex facto apparet, de hoc ab ipsis constantissime servato Episcopum docuerunt, illumque ritum pariter vel ab ipsa Asceterii illius origine ex constanti traditione acceperunt, retentum hucusque fuisse affirmarunt, et ab aliis praedecessoribus Archiepiscopis perfectum observarunt. Sacra Rituum Congregatio, omnibus perpensis, satis constare putavit de asserta traditione, et de vetustissima hunc ritum servandi consuetudine et privilegio, quo Moniales Clarissae Tarentinae Civitatis fruebantur; nihil tamen certi decernere volens, et difficultatibus ex parte Reverendissimi Archiepiscopi allatis fortasse permota, quamvis pro gratia confirmationis asserti privilegii pronunciaverit, ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo rescripsit, qui pro sua sapientia, per eundem Secretarium Sacrorum Rituum Congregationis, pro privilegii confirmatione benigne annuit, et Velum benedictionis, emissa solemni Professione post annum vigesimum quintum, iuxta Pontificale Romanum Monialibus praedictis Clarissis Tarentinae Civitatis concessit. Quae sane concessio, si ea perpendantur, quae superius sunt adnotata (non enim solis Monialibus Benedictinis iste ritus exclusive est reservatus), quaeque a Monialibus pro conservando vetustissimo privilegio allata sunt, non novum quid stricte loquendo tribuit, sed potius obtenti iamdiu privilegii et vetustissimae revera servatae consuetudinis confirmatio habenda est. Ad quod confirmandum satis superque esse poterunt, quae praemissa fuerunt.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2688. ORDINIS (4680) EXCALCEATORUM REFORMATORUM SANCTISSIMAE TRINITATIS REGNI HISPANIARUM.

Indultum, quod concessum fuit Ordini Reformatorum Excalceatorum Sanctissimae

Trinitatis Regni Hispaniarum peragendi Festum Sanctissimae Trinitatis eiusdem Ordinis Titularis cum Octava privilegiata concessum utique fuit intuitu praecellentis Tituli, quo dictus Ordo insignitur, et a quo nomen sumit. Quia tamen non est per se eiusmodi, ut omnia alia Festa excludat, quemadmodum sunt quaedam Octavae, quae vel omnia alia excludunt Festa, vel solum ex Rubricis admittunt Festum de Patrono vel Titulari Ecclesiae et de propriae Ecclesiae Dedicatione; idcirco in memorato indulto vetatur fieri de Octava, occurrente altero Festo ritus duplicis primae Classis, eoque etiam translato. In concessione enim Indulti S. R. C. sartam tectamque quodammodo Rubricarum dispositionem et quorundam Festorum dignitatem voluit haberi. Privilegium alterum, de quo in supplici Libello Anno 1802 porrecto pro obtinenda Octava privilegiata Sanctissimae Trinitatis, de quo supra mentio facta fuit, opponebatur primo; quia Octava Sanctissimi Corporis Christi ita privilegiata ipsi Ordini Excalceatorum Sanctissimae Trinitatis erat, ut Festa tantummodo Sancti Ioannis Baptistae et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli omnibus aliis exclusis admitteret; hinc de Octava Sanctissimae Trinitatis fieri non poterat vi maioris indulti; hoc enim aliud destruebat, quod posterius fuit concessum Indultum. Quapropter supplicatum fuit, ut retineri posset et peragi Octava privilegiata Sanctissimae Trinitatis, uti enunciatum est, dummodo non occurreret Festum secundae Classis, aut etiam translatum quod ritu primae Classis gauderet. Sacra Congregatio, perpensis rationibus et tam veteri attento privilegio celebrandi Octavam Tituli ipsius Ordinis cum huius Octava, rescripsit ut supra in Decreto; ita tamen ut de Festo primae aut secundae Classis vel occurrente, vel translato, fieret: quemadmodum etiam de aliquo die octavo, de quo faciendum esset Officium.

Ut aliquid in re adnotetur, Indulta quae de Octavis concessa huc usque sunt ab Ecclesia, quaeque nunc conceduntur, si res per se consideretur, eo sunt pluries habenda, quo minores antiquitus erant Octavae, et quo magis quam ante sunt privilegiatae, et privilegiatarum Octavarum numerus, novis accedentibus concessionibus, succrevit; hinc qui eas obtinet, gloriari iure potest, et a praesenti Ecclesiae disciplina gratum acceptumque referre. Siquidem si veteres recentioresque auctores audiamus, et diversa consulamus Sacramentaria vel Gelasianum, vel Gregorianum, una vel altera Octava celebrabatur; nam iuxta Grancolasium Octavae celebrabantur Paschatis, Pentecostes et Nativitatis Domini. Sanctis autem nullae per aliquot saecula tributae fuerunt Octavae; et octavo tantum saeculo Sanctis Octavae fuerunt assignatae: ita tamen ut in veteribus Codicibus non reperiantur, nisi Octavae Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Sancti Laurentii Martyris.

Insuper in Octavarum celebratione, diebus, quae Festum inter et diem octavam intercedebant, de octava nec recitabatur Officium, nec commemoratio ulla fiebat. Veteris huius moris quoddam vestigium reperitur in Festo Sanctae Agnetis, in cuius Octava Breviarium Romanum sic indicat: *Sanctae Agnetis secundo.* Temporis progressu diebus etiam inter Festum et octavum ab eo diem, de Sancto cuius Octava celebrabatur fieri Officium coepit. Adeo verum hoc est, ut referente Micrologo, si excipiantur hebdomadae Paschatis et Pentecostes, Psalmi de Feria recitabantur in omnibus etiam Domini Nostri Octavis, licet Invitatoria et Responsoria essent de Festo. Alia possent hic notari, quae praetermittenda putantur, quaeque apud Grancolasium, Micrologum, Bedam, ac inter recentiores Auctores apud Gavantum, praesertim in sua ad Octavarium Romanum praefatione, et apud Meratum in suis ad Gavantum observationibus reperiuntur.

Nunc Octavae omnes, in quibus, diebus non impeditis ab alio Festo, de iis fit Officium, considerari possunt tamquam prorogatio solemnis Festorum per dies octo iuxta Rodulphum. Haec solemnitas dierum octo etiam in Levitico praecepta reperitur cap. 23, v. 35 et 36: « Dies primus vocabitur celeberrimus....... et septem diebus offeretis holocausta Domino: dies quoque octavus erit celeberrimus atque sanctissimus, et offeretis holocaustum Domino: est enim coetus atque collectae ». Et in Libro Paralipomenon: « Fecit ergo Salomon solemnitatem in tempore illo septem diebus, et omnis Israel cum eo...... Fecitque die octavo collectam eo quod dedicasset Altare septem diebus, et solemnitatem celebrasset diebus septem ». Psalmista in multis Psalmis titulum apposuit *pro Octava,* quod iuxta Rabbinorum expositionem musicum instrumentum octo chordarum erat, ut Genebrardus testatur; sive Psalmus, qui octo notis canitur, ut alii autumant. Sed Ianse-

nius ait quod illis Psalmis, in quibus praefatus titulus habetur, semper de universali iudicio fit mentio, post quod sequi debet mystica octava, id est aeterna Beatorum quies, et illorum in anima et corpore beatificatio; quo sensu facile verba Sancti Ambrosii lib. 1, in cap. 6 Lucae intelliguntur. Haec itaque vox *octava,* sive obvio et litterali sensu accipiatur, sive mystico, gaudium et solemnitatem importat.

Unum hic quaeri potest; unde nam suam sumpserint originem Octavae generice sumptae, quae ab Ecclesia nunc celebrantur? Non est hic sermo de origine eo sensu accepta, ut requiratur ad cuius exemplum hae fuerint in Ecclesia inductae: volunt enim has a Iudaeorum exemplo trahere originem, quemadmodum et solemnitas in Ecclesiarum Dedicatione celebranda a dedicatione Templi per Salomonem peracta ab auctoribus putatur desumpta, veluti et alia huiusmodi ab aliis Iudaeorum caeremoniis desumpta existimantur. Neque hoc in casu mirari quis vel ad minimum debet: quum enim inter ritus, et caeremonias hebraeorum quaedam essent, quae licet a Deo ipsis praeceptae, ut habetur in Levitico et Deuteronomio, tamen utpote figurae tantum, futurorum temporum plenitudine et Christo adveniente abrogandae erant, et abrogatae revera fuerunt, quia utpote figurae non amplius servandae erant post veritatis manifestationem et Christi adventum, cuius umbrae erant et figurae, et ad eum tantummodo significandum et praenunciandum praescriptae; novae proinde, veteribus illis abrogatis, institutae sunt Caeremoniae tempori conformes, veritati iam manifestatae respondentes, ad eam gratiam significandam, quae conferri hominibus deberet in Sacramentis, et praesertim in Sacrosancto Missae Sacrificio, ad quod significandum praenunciandumque vetera illa, et inter se diversa Sacrificia erant instituta, quae in hoc uno in sua plena significatione continentur. Aliae autem erant Caeremoniae, quas neque Christus, neque Apostoli abrogarunt, utpote non eiusmodi erant quae novae adversarentur Legi, aut Religioni opponerentur, aut superstitionem redolerent, aut ab Evangelicis praeceptis essent alienae. Nil ergo mirum si Apostoli ex iis quasdam, praesertim nascente Ecclesia, retinuerint, vel ab illarum imitationem, quasdam etiam de novo instituerint, quas Ecclesia adhuc retinet.

De hac, inquam, origine sic accepta quoad Octavas, non est hic sermo; sed tantum de origine eo sensu accepta, ut solemnitatis ideam excitet ac importet, et plures dies ad eam indicandam et celebrandam aliquibus Festis addicantur. Hoc, si quid video, duobus ex capitibus ortum est. Primo ut solemniora Festa maiori non solum solemnitate celebrarentur, sed ad indicandam ipsorum prae caeteris excellentiam, praeter solemniorem ritum, maior dierum numerus statueretur; ut Religionis nostrae praecipua Mysteria, quorum memoria recolitur, altius in Fidelium mentibus figerentur; ut quo sunt maiora beneficia accepta, eo magis illa sentiamus, et maiores de iis gratias ad nostram ipsam animae salutem agamus, per longius tempus ea considerantes, mente volventes et corde retinentes; ut dona et charismata aliquibus Sanctis prae aliis a Deo collata memoria repetentes, et Divinam Bonitatem et peculiarem Dei in illis amorem agnoscentes, Deum ipsum intensius laudemus, qui illis magna et mirabilia fecit, et admirabilem se in illis ostendit: ut nostra excitarentur corda ad illorum auxilium diutius implorandum, et ipsi nostrum apud Deum patrocinium suscipiant; ut Sanctorum virtutes ad imitationem nos provocent atque delectent. Haec et similia fortasse sunt, quae prae oculis Mater Ecclesia habuit dum pro aliquibus Mysteriis, Festivitatibus et Sanctis Octavas instituit celebrandas.

Diversa sive prae aliis solemnior fit aliquorum Sanctorum memoria, seu solemnium eorum Festa celebrantur, quia maiori, ut creditur, in coelis fruuntur gloria, sicuti adversa fueruut in illis merita. Ait enim Apostolus ad imparem Iustorum gloriam indicandam: « Alia claritas solis, alia claritas lunae et alia claritas stellarum: stella enim a stella differt in claritate »; et hinc sane oritur multimoda Officiorum in Ecclesia ratio, et diversitas rituum in Sanctorum Festis celebrandis, quam idcirco coelesti Hierarchiae ex Sancti Dionysii doctrina comparat Durandus in suo Rationali lib. 7, cap. 1, n. 33, sic scribens: « Quum ergo secundum Beatum Dionysium Ecclesiastica Hierarchia repraesentet aequaliter in suis actionibus seu ordinationibus Coelestem Hierarchiam, in qua Sancti secundum diversitatem meritorum suorum disponuntur; ideo ad hoc repraesentandum, varietas Officiorum in nostra Ecclesia reperitur ». Immo ex Augustino Epist. 86: « Hic decor est, qui Reginam a dextris

sponsi adstantem quamplurimum exornat, ut si in fimbriis suis aureis circumdata varietatibus ». Hanc porro varietatem generaliter adhibet Ecclesia in Sanctis omnibus celebrandis, seu eorum Festivitatibus instituendis, eam dimetiendo quodammodo, eo quo regitur Spiritu, ex cuiusque meritis, quantum haec vel per vitae actus nota sunt, vel per beneficia eorum vel laboribus, vel intercessione toti Ecclesiae impensa.

Haec, quae Festa nunc dicuntur et celebrantur, adductis nuper rationibus fortasse Sanctorum *memoriae* olim dicta sunt, quae vox variis accipitur sensibus: modo enim suscipitur pro sepulchrali monumento, ut ab Augustino accipitur: *Deo cura pro mortuis gerenda:* modo pro Oratoriis, in quibus Sanctorum Corpora vel Reliquiae reconduntur, quemadmodum hanc vocem accipit ipse Augustinus contra Faustum Manichaeum *cap. 2.* Hic autem accipitur haec vox de mortuis, sed ita ut mentio de vivis fiat, revocando scilicet in memoriam acta et passiones Sanctorum; vel ut Eusebius habet lib. 4, cap. 5: « In memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, et ad posteros eorum exemplo erudiendos et confirmandos ». Antiquitus Martyrum memoria in Ecclesia observabatur, quando eorum nomina inter solemnes preces ante Eucharistiae sumptionem recitabantur ex *Dypticis.* Quaecumque tamen fuerit huius rei origo, hoc certe spectavit, ut Christiani Deum in Sanctis honorarent, quod revera ipsi semper agere crediderunt.

Altera Octavarum institutionis ratio, ni fallor, haec fuit. Neminem latet initio tot non fuisse numero ritus, seu horum diversos gradus, sub quibus nunc Ecclesia varia celebrat Festa; proinde hunc maiorem rituum numerum maiora numero Festa, quae celebrantur, augendi occasionem dederunt: et etiam ex hoc originem habere potuit haec Octavarum pro aliquibus Festis praesertim Sanctorum institutio. Per plura saecula non nisi Martyrum Festa celebrata sunt, aut eorum saltem qui Martyrium passi putabantur; et quamvis unius vel alterius Martyris memoria celebrata fuerit primis Ecclesiae Saeculis in Ecclesia universa, tamen, ut notat Sanctus Hieronymus, non omnium indiscriminatim Martyrum seu Sanctorum aeque in Ecclesia universa et ubique memoriae celebres erant, scilicet non aequali solemnitate celebratae fuerunt; sed pro diversitate Ecclesiarum, vel horum, vel istorum Sanctorum dies fuerunt sacri, idque constat ex diversis Martyrologiis, si haec inter se conferantur. Nihilominus praecipue et universaliter Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli memoria celebrata est, qui ut sunt omnium celeberrimi, ita et inter omnes diem sibi sacrum potissimum habuerunt; et hinc est quod in Missae Canone primi nominati sunt, quem morem Ecclesia in omnibus semper retinuit et retinet. Martyrum Festis alia etiam posterioribus temporibus Festa addita sunt, et temporis maiori progressu his etiam alia; atque ita factum est, ut nullus fere dies deinceps fuerit, in quo alicuius Sancti Festum non celebraretur.

Haud quidem est hic locus omnia, ut vellem, persequendi, omnia numerandi ac in medium proferendi, quae hanc respiciunt materiam: quare ea consulto omittam, et quod sequitur tantum ad propositum adnotabo. Ecclesia ut varietate circumdata videretur, quemadmodum supra ex Dionysio et Augustino didicimus, et illum repraesentaret in terris hierarchiae ordinem, qui in Coelesti secundum meritorum diversitatem observatur, in qua stellarum claritas a claritate differt, Officiorum diversitatem instituit, ut per hanc vel minus vel magis celebris Sanctorum memoria recoleretur. Aucto Festorum numero, auctus quoque fuit numerus rituum, seu modus celebrandi Festa, sive designatus solemnitatis diversae gradus, quo diversa Sanctorum Festa celebrari deberent: hinc ut disparitas inter eos ex ipso ritu appareret, illorum Festa alia sub uno ritu, alia sub altero celebranda statutum est. Dum quibusdam fuit adsignatus hic vel ille ritus pro Festo celebrando, atque etiam ut de solemnioribus eorum Festis, quae vel antiquiora erant vel maiori cum solemnitate celebrari consueverant, celebritas quaedam prae aliis postea adiunctis maneret, auctus fuit numerus dierum, quibus eorum memoria fieret; et sic, si in solemnitate, sive in gradu solemnioris ritus paria illa forent, celebriora prae aliis essent quoad dierum numerum, quibus celebritas erat perduratura peragendo de iis Officia. En itaque altera Octavarum origo, illasque instituendi altera causa; quae, retenta pro aliquibus iamdiu instituta solemnitate, ex diversis rituum gradibus, qui aucti fuerunt, necessario repetenda videtur.

Haec, quae adducta sunt, quispiam fortasse tamquam a proposito aliena putabit,

et ut inutiliter allata reprehendet; sed nec aliena, nec inutilia haec aliaque in adnotationibus reperiet: non aliena, quia de Octavis agunt, ad quas dubium ipsum vocavit: non inutilia, quia non multi reperiuntur, quibus cura sit omnia cognoscendi, quae ad Sacram Liturgiam pertinent, quamvis ex ministerio ad hoc teneantur. Hinc si non omnibus, aliquibus tamen quibus vel desunt libri, vel tempus eos adeundi, certe erunt utilitati; et hoc satis, ut quamcumque molestam aut minus urbanam notam effugiam, in quam possem apud aliquos incurrere.

ADNOTATIO SUPER DECRETO

2690. MASSAE (4685)
ET
POPULONIAE

Ex rescripto ipso Sacrae Congregationis erui facile potest stricte servandam fuisse Missalis et Ritualis Romani dispositionem in utroque, quod in dubiis proponitur: ex speciali autem gratia, ut dicitur, servari potest consuetudo; est itaque permissa responsio, quae regulam universalem et praescriptionem non destruit aut infirmat. Ideo autem data est haec responsio, quia unum idemque esse Sacra Congregatio putavit prius Aquam in Fontis benedictione, quae Sabbato Sancto peragitur, in aliquo vase separato benedici, eamque postea ex hoc extractam in fontem mitti; aut eam in Fonte ipso iam paratam benedici: benedictio enim non a loco, sed a precibus pendet. Mittitur in Fontem, ut in dubio, postquam omnes preces pro benedictione perficienda assignatae, prolatae sunt, et antequam Oleum et Chrisma infundantur: salva itaque est Rubrica, nec ulla in hoc substantialis mutatio dignoscitur, quae ritum pro fontis benedictione praescriptum immutet. Sicuti enim in Rubrica Missalis legitur de hac aquae benedictione « prius quam Sacra Olea in eam infundantur, per Sacerdotes assistentes spargitur super Populum, et interim unus ex Ministris Ecclesiae accipit in vase aliquo de eadem aqua ad aspergendum in domibus, et in aliis locis »; ita non officit praescripti ritus substantiae, quod quae remanet Aqua in vase, recitatis iam pro partiali benedictione precibus assignatis, antequam Sacra Olea infundantur et tota Fontis benedictio peragenda perficiatur, in Fontem sive in Fontis baptismalis concham mittatur. Responsio itaque permissiva de servanda hac consuetudine ideo data fuit, quia hoc etiam modo Rubrica servatur. Unum tamen adnotabo, quod quidem attentionem aliquam exposcit, quodque in responsione Sacra Congregatio negligendum putavit, pro certo habens materialem quemdam errorem in dubio proponendo irrepsisse, quod ex dubii ipsius non satis accurata enunciatione deducitur. Siquidem quaeritur in secunda dubii parte.... « An potius standum sit consuetudini, nimirum prius Aquam in aliquo vase separato benedicere, et antequam infundatur Chrisma, ex illo Aquam ipsam extrahere et mittere in Fontem? » Collata responsione cum dubii verbis ita forte accipi posset, ut Sacra Congregatio permiserit extrahi posse Aquam post infusionem Olei Catechumenorum; dubium enim silet de huius Olei infusione, et Chrisma solum nominat. At hoc neque esse potuit, neque intellexit concedere Sacra Congregatio, quae ne suspicari quidem poterat hanc revera fuisse consuetudinem, quae servanda in precibus postulabatur, eoque minus pro ea servanda etiam ex speciali gratia Eam rescripsisse putandum est; sed uti revera est, sensit errorem in enunciatione irrepsisse, et Sacrum Chrisma nominatum fuisse *pro Sacris Oleis in genere,* quae infundi debent, et id in responsione haud adnotandum censuit. Quapropter stando Rubricae dispositioni, et minus accurata enunciatione sublata, quemadmodum Aqua pro adstante populo aspergendo extrahenda est ante Olei Catechumenorum infusionem, ita antequam hoc ipsum Oleum in aqua infundatur, eadem aqua, quae est benedicta in vase separato, de quo est sermo in dubio, mitti debet in Fontem. Haec adnotata sunt ad omnem, si quae oriri posset, aequivocationem et ambiguitatem vitandam, et Sacrae Congregationis mentem explicandam; quae certe nunquam fuit ut permitteret post infusionem Sacri Chrismatis tantum, Aquam, quae Sabbato Sancto in Fontis baptismalis solemni benedictione in separato vase benedicitur, in Fontem mitti.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2712. BOSANEN. (4720)

Emi et Rmi Patres.

Ab ipsis Ecclesiae incunabulis sanctissime cautum est, ne par esset omnibus vel locis vel personis honor, sed pro vario uniuscuiusque munere ac dignitate diver-

sa quoque insignia et honores singulis haberentur. Quae sane agendi ratio fovendae fidelium pietati, peculiari Templi alicuius sanctitati verendae, externi denique cultus, concinna quadam ipsius varietate, pulchritudini amplificandae mirifice consulit. Dolendum vero est sapientissimum hocce Ecclesiae consilium saepius frustrari homines qui de suo potius, quam de Religionis honore solliciti, statutum invertunt ordinem, aliena sibi vindicant iura, usurpant privilegia; ex quo dissensiones ac iurgia inter Sacros Ecclesiae Ministros miserrime oriri quotidiana experientia docemur.

Huiusce rei exemplo sit, quod in sua Dioecesi contigisse scribit Bosanensis Episcopus, a Vobis, Eminentissimi Patres, expostulans, ut quaestio per se non adeo extricatu difficilis irrefragabili huius Sacrae Congregationis iudicio penitus dirimatur.

Est in Sardiniae Regno, Bosanensis Dioeceseos pars exigua, oppidum vulgo *Cuglieri*, Ecclesia Parochiali et Collegiata recens insignitum. Illuc scilicet anno 1810 s. r. Pius VII Bosae Episcopum misit, ut Apostolici Delegati munere honestatus Ecclesiam ipsammet Parochialem in Collegiatam erigeret. Ibi cum forte Episcopus Sacris daret operam, factum est ut a Capitulo sedes illi Pontificalis et Solium de more attolleretur. Rebus ad exitum deductis Bosam remeavit, quin ob eius discessum Cathedram Episcopalem ab Ecclesia Collegiata Capitulum amoveret. In cuius rei notitiam ubi post aliquot annos ventum est, nunquam destitit Episcopus Canonicos Collegiales hortari, imo etiam iussu cogere, ne diutius sinerent sedem Episcopalem et Solium in illorum Ecclesia conspici; at frustra. Imperanti siquidem Episcopo acriter restitere, dictitantes paucorum annorum consuetudinem sibi liquido suffragari. Quare cum nulla iam spes Episcopo superesset futurum ut aliquando reluctantes suae parerent auctoritati, Regni Vice-Regem in opem imploravit, qui invitos Canonicos ad obediendum adegit. Interim Episcopus iudicium Vestrum expectat, ut quid sibi in posterum agendum sit innotescat.

Quoniam vero R. P. D. huius S. C. Secretarius mihi munus commisit hac super re nonnulla disserere, dicam breviter quid sentio; neque enim pertractatio isthaec, si quid modo video, eius naturae est, ut possit in longum sermonem me revocare. Tota siquidem quaestio in eo sita videtur, utrum:

Dubium I. Num Cathedram et Solium ob Episcopi adventum in Ecclesia Collegiata suae dioecesis erectum, illo quoque absente, et in suam residentiam reverso, in eadem Collegiata Ecclesia retinere liceat?

Dubium II. Num in adductis rerum circumstantiis lex generalis alicui exceptioni subiiciatur?

Non est autem cur in prioris dubii solutione diutius immoremur. Si quis enim paullisper vel ad Cathedrae Episcopalis institutionem, vel ad praxim in Ecclesia nullo non unquam tempore servatam, mentem advertat, facere quidem non poterit, quin deprehendat memoratos nuper Canonicos longo in errore versari. Quid enim, quaeso, causae est, quamobrem Sedes Episcopalis vel ab ipsis Ecclesiae primordiis Cathedra nuncuparetur, nisi quod illam ascendat Episcopus, ut populum doceat, oves sibi concreditas ex eminentiori loco despectet, et rursus ab iisdem suspiciatur? Nec certe aliter sibi voluit Antiquitas, dum Sedem Episcopalem multis gradibus elevandam iussit; ita quidem ut modo illam *sublimem thronum* appellet S. Gregorius Nazianzenus, modo in *altissimo loco posita* describatur ab Eusebio Hist. Eccl. Lib. VII; quibus apprime concinit Prudentius Hymno, quem in Sancti Hippolyti Martyris laudes conscripsit, ubi Cathedrae eminentiam ex eo repetit, quod inde Episcopus populum alloquatur:

« Fronte sub adversa gradibus sublime Tribunal
» Tollitur, Antistes praedicat unde Deum ».

Atqui nemo unus inficias iverit haec omnia praesentem supponere Episcopum. Quomodo enim absens Populum alloquatur, Deumque praedicet? Cum igitur hisce de causis Cathedra Episcopalis invecta fuerit, cumque haec necessario Pastoris praesentiam efflagitent, ratio ipsa vult, ubi desit Episcopus, nil prorsus esse, quamobrem in qualibet demum Ecclesia, Cathedrali seclusa, fixa ac permanens illi Sedes collocetur.

At enim: in Parochiali Collegiata Ecclesia elata olim Sedes Pontificalis fuit. Quid ergo? num inde ius Capitulum acquisivit eamdem perpetuo retinendi? Adveniente nimirum Episcopo, merito extructa est; ast eodem alio abeunte, inique retinetur. Omnes enim norunt reliquis Episcoporum privilegiis illud quoque adcenseri, quod in omni Dioeceseos parte, praesertim

vero in Collegiatis Ecclesiis, dum solemniter vel Sacra peragunt, vel Sacris intersunt, iure suo queunt sub solio Pontificali sedere. Hoc tamen privilegium ita Episcopo personaliter adhaeret, ut simul ac alio se conferat, nefas omnino sit Cathedram in Ecclesia, licet Collegiata, fixam immotamque persistere. Utriusque rei indubia proferam documenta. In Authentica Collectione Decretorum S. R. C. legere est Episcopum Grossetanum consuevisse certis anni temporibus, ut aeris beneficio frueretur, in Oppido suae Dioeceseos commorari, unde a Plebano illius Ecclesiae praeter alia obsequia, hoc insuper sibi ab eo praestandum S. R. C. supplicaverit: *erigendi in eadem Ecclesia Sedem Pontificalem cum Baldacchino.* Et S. C. die 10 Maii 1642 respondit: *Episcopo competere. Episcopo,* inquam: privilegium siquidem est, quod illum indivisim, ut ita dicam, comitatur, quin unquam in Ecclesiam dimanet, in quam fortuito vel etiam integrae Dioeceseos visitandae ergo, semel advenerit.

Hinc intelligitur cur Matrix Civitatis Ecclesia, ubi residet Episcopus, *Cathedralis* dicatur. Id enim obtinuit ob singulare privilegium, quo ab reliquis totius Dioeceseos Ecclesiis discriminatur. Cum enim in istis Sedes Episcopalis tamdiu perduret, quamdiu apud eas Episcopus degit, illa ex adverso perpetuo Cathedrae Pontificali honore cumulatur. Hinc apud vetustissimos Ecclesiae Scriptores nullibi *fixa* Sedes occurrit, nisi ubi Episcopus resideret. Pro omnibus sufficiat Eusebius Hist. Eccles. lib. VII, qui refert Thronum seu Cathedram S. Iacobi Apostoli, primi Hierosolymorum Episcopi, adhuc suis temporibus Hierosolymis extasse — quam Episcopi, qui illic ordine successerunt, permagno aestimant. — Quoniam vero Sedes numquam auferebatur, hinc in hemicyclo absidis Templi erat parieti affixa, lapidea, gradibus elata; quemadmodum cum in aliis, tum praesertim in Basilica S. Clementis in praesentiarum quoque videre est, quae Summorum Pontificum venerationem et curas sibi perpetuo vindicavit. Illic enim ex Cathedra, quae conspicitur, bis Homiliam habuisse dicitur S. Gregorius Magnus, et memoriae proditum est frequentissime illuc Romanos Pontifices ad sacra peragenda convenisse; ut ex pluribus constat Antiquitatum monumentis, quae penes Mabillonium aliosque in unum congesta reperiuntur. Aliquid simile de minoribus Dioecesium Ecclesiis afferri nequaquam poterit. Scio hoc monumentum negativum esse; at cum in alienae sententiae patrocinium positiva desint argumenta, ad rem demonstrandam non parum inservit.

Neque ullum profecto negotium facessit aequum Episcopo ius esse, sive in Cathedrali, sive in Collegiata Ecclesia Solio Pontificali uti. Perperam enim inde concluderetur eidem, Sacris non interessenti, in Ecclesia Collegiata fixam sedem Episcopalem collocandam fore. Cum enim istud Antistitum privilegium non in Collegiatas modo, sed et in reliquas totius Dioeceseos minores Ecclesias extendatur, unaquaeque pro lubito posset Cathedram Pontificalem attollere, eamque perpetuo apud se retinere; quod nemo sanus dixerit.

Quid vero si huiusce Sacrae Congregationis Decreta in hisce negotiis alias edita in memoriam revocemus? Legatur, quaeso, Ugentina die 23 Iulii 1861. Ex ea constat, defunctum Episcopum, Lanfrancum nomine, in Collegiata Ecclesia Terrae vulgo *Specchie,* in qua residebat, Sedem Episcopalem erexisse; Capitulum insuper et Canonicos, ubi Episcopus e vivis discessit, a S. R. C. petiisse Cathedram a Canonicis eiusdem Collegiatae removeri, ne duae Cathedrae in una tantum Dioecesi erectae reperirentur. Et S. Congregatio Vicario iniungi mandavit, ut praedictam Sedem amoveri et in loco abdito servari praeciperet. Quod si S. R. C., deficiente Episcopo, Collegiatam *Specchie* Ecclesiam Cathedrae privilegio spoliatam declaravit, quamvis Terram illam Episcopus in suam Residentiam elegisset; quanto magis id pronuntiasset de Ecclesia Collegiata Bosanensis Dioeceseos, ad quam Episcopus Pii VII iussu convolavit, cum mente ex ea discedendi, simul ac missionis scopum adimplevisset!

Neque minus id evincit quod in eadem Collectione occurrit. Quaesitum enim fuit: an Episcopus Naulen. posset in qualibet suae Dioecesis Ecclesia Cathedram Episcopalem erigere cum Baldacchino, etiam tempore, quo *Episcopus non residet,* et functiones Episcopales in dicta Ecclesia non exercet, maxime si parum distet, nempe per milliarium circiter ab Ecclesia Cathedrali. Et S. R. C. censuit respondendum iuxta votum, nempe *negative,* et ita declaravit, et decrevit die 11 Iulii 1711.

Quae sane eiusmodi sunt, ut rem omnino conficiant, viamque sternant ad prioris dubii responsionem. Cum enim Cathedrae institutio unicam in universa Dioecesi Episco-

palem Sedem admittat; cum singulari hoc privilegio tantummodo Cattedrales Ecclesiae potiantur; cum Sacra haec eadem Congregatio minoribus Ecclesiis idem sibi ius postulantibus se adversam ostenderit, priori dubio reponendum videtur: *Negative.*

In altero, quod expendendum mihimetipsi proposui, brevius quoque me expediam. Canonici siquidem Oppidi vulgo *Cuglieri* consuetudinem quamdam obtrudunt. At quamnam, rogo? Quae scilicet paucorum annorum ambitu continetur. Utcumque tamen hoc sit, ut nunc non in magno ponam discrimine, illud certum exploratumque est nullam prorsus consuetudinem, licet diuturnam, privilegii vim habere, et ius inducere, nisi quae sit *rationabilis*. Atqui consuetudo, qua memorati saepius Canonici innituntur, praecipua hac dote destituitur. Et vero, quomodo rationabilis habenda erit consuetudo illa, ex qua plura, eademque maximi momenti in Ecclesiarum privilegia, in Episcopi auctoritatem, in Ecclesiae praxim damna atque incommoda proficiscuntur? Ut enim praetermittam istam Canonicos Collegiales, Ecclesiae cui inserviunt decori plus nimio consulentes, iniuria invexisse, haec Cathedralibus Ecclesiis peculiare ius adimit; hinc exortae reliquorum querimoniae, hinc iubentis Episcopi auctoritas spreta, neglecti denique ritus et Ecclesiae Ministri vi saecularis brachii ad obsequendum coacti. Nemo tamen unus, inquiet fortasse quispiam, per longum temporis spatium reclamavit. At quomodo, quaeso, poterat, cum huiusce ausus ignoratione premeretur? Caeterum ex illis, quae postmodum contigere, facile unusquisque valet coniectura assequi Episcopum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis id aequo animo passuros non fuisse, si rem ab initio compertam habuissent.

Quare videtur posse rescribi: *legem generalem in casu nulli subiici exceptioni.*

Paucis sententiam meam, Eminentissimi PP., aperui, quae iudicio Vestro libens subiicio, apud animum mihi proponens ea, qua par est, veneratione prosequi quidquid a sapientia Vestra declarari decernique contigerit.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2719. TARVISINA. (4735)

Ad Dubium I. Dies ipse, quisquis is sit, quo Ecclesia quaevis consecratur, verus est et proprius dedicationis dies, et ipse dies, qui ab illius dedicatione primitus peracta singulis quibusque annis recurrit, proprius est et verus pariter dies anniversarius eiusdem dedicationis, eodem plane modo, quo dies Sancti alicuius natalis ille dicitur, qui ab illius ex hac vita in Coelum transitu in Calendario censetur: unde sicut dies natalis Sancti alicuius *ordinarie* non mutatur, ita dedicationis Ecclesiae proprius et verus recurrens dies in alium mutari nequit, nisi ab ipso Consecrante, iusta de causa, sed actu ipsius consecrationis; (verum hoc, vere loquendo, non esset vera et stricta et quomodo in dubio exponitur, mutatio, sed potius assignatio diei ab illo, quo Ecclesia consecratur, diversi).

Itaque, extra ipsam consecrationem, mutari dies dictus non potest, inconsulta Sede Apostolica; quae quidem difficillime et nonnisi gravissimis mota rationibus ad id concedendum inducitur, de quo unum vel alterum reperiri poterit exemplum. Si Decretorum S. R. C. seriem pervolvamus, inveniemus S. hanc Congregationem hanc mutationem pene semper improbasse; et si quandoque concesserit ob peculiares rationes, semper etiam aliam mutationem prohibuisse, omnemqne praecavisse, quae dari fortasse posset, Episcoporum nimiam libertatem, speciali apposita clausula. Ut res exemplis pateat, Sacra Rit. Congregatio facultatem quidem fecit Episcopo Recanatensi assignandi certum diem pro anniversario consecrationis Ecclesiae Cathedralis; at in casu particulari, a quo non infringitur universalis regula. Hanc enim ei facultatem dedit, quia constabat quidem de Consecratione peracta, sed dies in ipsa consecratione assignatus pro illius anniversario ignorabatur: hac tamen apposita lege, quod certus dies electus amplius mutari nequiret. Sic respondit sub die 21 Augusti anni 1640. In una pariter Recanatensi simili ferme in casu supplicantibus PP. Societatis Iesu pro assignatione alterius diei ad celebrandum Consecrationis propriae Ecclesiae anniversarium, per aliquot annos celebratum in die Pentecostes et postmodum intermissum, S. R. C. respondit (die 11 Novembr. 1641) diem certum per Episcopum statuendum esse, sed addidit, *qui semel* electus amplius non possit mutari. Hic autem est advertendum quod pro concessione, de qua hic agitur, peculiaris etiam occurrebat ratio. Nam per aliquot retroactos annos consecrationis anniversarium in die Pentecostes celebratum fuerat, qui dies ex

iis est, quibus ex Rubricis interdicitur omnis celebratio alterius Festi, atque adeo etiam celebratio anniversarii dedicationis Ecclesiarum; et per hoc ipsum est, quod hic aliique huiusmodi dies pro Ecclesiarum consecratione minime sunt eligendi. Item in Bituntina reperitur Sacram Rituum Congregationem similiter respondisse; nam cum Capitulum exposuerit quod antiquitus ab immemorabili celebratum fuerit Officium Consecrationis Ecclesiae sub die 4 mensis Maii, et anno postmodum (circiter 1679) Episcopus ad alterum diem, consecrato Altari maiore eiusdem Ecclesiae, praefatum dedicationis Officium transtulerit, nempe ad diem primam Septembris *contra Decreta* S. R. C.; et supplicarit (Capitulum) declarari an dicta translatio deberet sustineri vel potius remitti in praedictam diem 4 Maii; S. R. C. die 1 Oct. 1707 respondit: « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». Ex quibus omnibus responsionibus, ut cetera omittantur quae adduci adhuc possent, eruitur diem semel assignatam pro anniversario dedicationis Ecclesiarum celebrando mutari non posse, nec in facultate Episcoporum esse, inconsulta S. Sede, hanc mutationem inducere; ac proinde Sacram Congregationem, data ut supra responsione, leges et ritus sapienter statutos, et certis validisque principiis et regulis innixos voluisse tectos sartosque manere, pro quibus tuendis ipsa est constituta.

Ad Dubium II. Dari quidem possunt plures Titulares unius Ecclesiae, licet ut plurimum unus esse soleat, sub cuius nomine primitus aedificatur et dedicatur Ecclesia. Hi autem si plures sint, vel sunt simul, nempe si sub eorum simul nomine dedicatur Ecclesia, vel successive dati. Communis tamen usus is est omnium fere Ecclesiarum ut unicum habeant Titularem, et si plures sint, nonnisi sub unius ratione agnoscantur, exceptis quibusdam, iisque raris exemplis, quae semper eas respiciunt Ecclesias, quae pluribus simul Sanctis fuerunt initio ab ipsa consecratione peculiari modo dicatae. Cum vero Ecclesiae dedicatio nonnisi vel in unius Sancti honorem, vel plurium sub ratione unius fieri consueverit, unaquaeque Ecclesia suam propriam appellationem ab ipsa sui dedicatione desumit. Plures dictum est supra dari posse Titulares successive; ita ut Ecclesiae uni Sancto dicatae et ab illius nomine appellatae alter Titularis addatur, a quo ipsa aliud nomen, sive relicto sive etiam retento priore, accipiat. Id tamen non ita frequenter, immo rarissime occurrit, et ob hanc causam solet evenire, quod nempe antiquiores illae primariae locorum Ecclesiae, iam inde a priscis temporibus opera et studio primorum cuiusque sedis Antistitum erectae, iuxta veterem Ecclesiae morem ab ipsis Apostolis eorumque discipulis traditum, Sancto cuidam dicatae fuerunt; at postmodum contigit, ut ii ipsi Antistites, qui eas rexerunt, e vivis excessi in iisdem Ecclesiis quiescentes sanctitatis fama et miraculorum gloria floruerint; et ita factum est ut populi, eorum ope implorata, subsidium in suis vel spiritualibus vel temporalibus necessitatibus experti, frequentissimo concursu eos sint venerati, eosque per hoc ipsum in Patronos etiam agnoverint talesque communi omnium consensu revera evaserint. Quandoque etiam factum est ut ipsae Ecclesiae, obliterato apud ignarum saltem vulgum priori titulo, communi deinceps nomine ab his sint appellatae. Plura adduci de hoc exempla possunt, quae qui desiderat, adire auctores poterit, qui fuse de hac materia pertractant.

At quocumque modo sint Ecclesiarum Titulares, vel ab ipsa Ecclesiarum dedicatione selecti et constituti, vel successive ut supra adsciti, ac ut tales ab immemorabili tempore et universali populorum consensu et veneratione recepti, haud quidem licet, nisi accedat novae Ecclesiae dedicatio, Titularem mutare, et alium illi subrogare. Nam, ut supra notatum est, unaquaeque Ecclesia ab illius Sancti nomine, cui dedicata fuit, suam accipit appellationem; et sicuti nova Ecclesiae dedicatio, stante integra priore Consecratione, inanis omnino est, quia inaniter consecratur quod execratum non evasit, ita inanis Titularis mutatio esset, relictis vel unico vel pluribus quovis modo constitutis, et alio illis subrogato: simul autem iniuriosa nimis esset haec Titularis mutatio cum nulla sit ratio alium prae illo inducere. Hinc est, quod si eveniat Ecclesiam aliquam dirutam iterum aedificari iterumque consecrari, non alio quam priori titulo dedicatur; aequum enim quam maxime est ut eodem nomine deinceps nuncupetur, quo alias ab ipsa prima sui erectione insignita fuit, illudque in nova consecratione iure retineat. Hisce positis quisque per se videt non aliter S. R. C. huic dubio nisi negative respondere potuisse; haec enim responsio prin-

cipiis, praxi et exemplis est maxime conformis, a quibus noluit declinare: nam vel in ipsa consecratione Ecclesia non unum sed duos vel plures habuit Titulares, vel etiam successive iuxta modum expositum habuit; quocumque eos habuerit modo, is vel ii sunt vere et proprie Titulares, et iure retinendi sunt: ac proinde Episcopo non est facultas vel uno retento, alium subrogandi, vel ex duobus unum excludendi; scilicet iure ordinario nequit prohibere ne Ecclesia duos habeat Titulares, et duplici etiam appelletur titulo vel in solemni illius consecratione usurpato, vel etiam successive addito: hoc enim esset limites auctoritatis praetergredi et iniuriam Sancto in Titularem recepto inferre, quod nefas esset. Si autem quaestiones et iurgia excitantur, Episcopi est ea tollere, animos componere et fideles de Ecclesiae legibus instruendo in officio retinere.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2721. AQUAEPENDEN. (4738)

Licet Titulus et Patronus inter se differant, non semel tamen unus cum alio confunditur; ex quo fit ut ex Rubricarum verborum vel nimis libera vel parum accurata interpretatione errores enascantur; quare breviter aliqua advertuntur ut inde pateat datae responsionis fundamentum. A tuendo Titulus suam ducit originem iuxta Varronem, et ad aliquid indicandum accipitur eo sensu, quo rem quamcumque cui inscribitur indicet quodammodo et tueatur.

Vox haec plura significat, sive ad plura significanda usurpatur. Titulus ex. gr. in Sacris Scripturis monumentum quodcumque significat ad perpetuam rei alicuius memoriam servandam erectum; quemadmodum Genesis cap. 28. dicitur de Iacob, qui ad perennem memoriam, ubi celeberrimam habuit visionem, servandam, mane surgens lapidem tulit, quem capiti suo supposuerat, et infuso desuper oleo *illum in titulum erexit*. In iure accipitur pro causa, quo quis sibi rem aliquam vindicat, et iura sua contra quemcumque illa impugnantem defendit, unde dicitur *titulus causae*. Item hoc sensu, nempe causae, accipitur in Evangelio *Ioan. cap. 19*. titulus quem Pilatus scriptum affigi iussit Christi Domini Cruci, quem titulum Matthaeus cap. 19. *causam* adpellat; et Marcus, utramque simul vocem usurpans, scribit *erat titulus causae eius inscriptus*, causae nempe ob quam Iesus Christus supplicio damnatus fuit. In ipso Iure pariter pro tabulis quibusdam accipi solet vox *titulus*, quae praediis affigi consueverant, descripto in eis palam possessoris nomine, ut sic ab aliena invasione ea tuerentur; eo plane modo, quo nostra etiam aetate gentilitia insignia vel picta vel insculpta ponuntur ad proprias cuiusque ditiones tuendas, qua super re scribit Augustinus, Exposit. 2 in Psalm. 21: « Ne domus ipsius invadat aliquis, Potens ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces: ipse vult esse possessor, et frontem domus suae de titulo alieno muniri, ut cum titulus fuerit lectus, conterritus quis potentia nominis abstineat ab invasione »: nonnulla alia hac voce comprehenduntur, quae omittenda censentur.

Quoad praesens dubium et Liturgico sensu, olim Ecclesiae Tituli nomine appellari consueverant; quapropter Titulus et Ecclesia pro eodem sumebantur: sic de Sancto Evaristo legitur Ecclesiarum titulos Urbis Presbyteris divisisse, et de S. Marcello pariter, qui vigintiquinque Titulos divisit super sepulturas martyrum. Haec denominatio ex eo orta est, quod cum Christiani domum aliquam divino cultui consecrarent Crucis vexillum in ea ponebant; unde a Titulo Crucis Dominicae, titulus nuncupabatur; atque hinc Theodosius Imperator praecepit, ut Gentilium delubra in Christianae Religionis cultum immutarentur, *collocato in eis*, inquit, *venerandae christianae Religionis signo*.

Ecclesiae item Tituli dicti sunt a nomine illius Sancti, in cuius honorem erigebantur, ut essent tamquam sanctitatis illius monumenta. Saepe etiam Ecclesiae Tituli dictae fuerunt, desumpta denominatione a titulo seu fundo illis attributo, quemadmodum quoque a titulo non semel et nomine fundatoris appellatae sunt; unde veteres Christiani domos suas in Ecclesiam consecrantes eas postmodum a suo nomine nuncupabant. Ut reliqua omittantur huius rei exempla, unum adducitur omnibus notissimum, quod duas simul comprehendit super expositas rationes huius appellationis, et Fundatoris et Sancti, cui Ecclesia dicata est: illud nempe quod in recitatione divini Officii legitur in Breviario die prima Augusti in lectione quinta: « Tantus honor sacris illis vinculis haberi coepit, ut propterea hoc nomine S. Petri ad vincula Ecclesia titulo Eudoxiae dedicata sit in Ex-

quiliis ». His, ut alia omittantur quae in medium proferri possent, de Titulo adnotatis, prout dicitur de Ecclesia, advertendum est hanc vocem tripliciter accipi posse. Vel enim late sumitur, et tunc facile est Titulum cum Patrono confundere; vel stricte, et tunc de eo tantum Sancto seu mysterio dicitur, a quo nomen ei imponitur; vel demum nec adeo stricte nec adeo late accipitur, ut accipi eo sensu debeat, qui hic expositus est, sed propriissime tamen, quantum ad Rubricas earumque intelligentiam attinet, et dicitur de Mysterio seu re quacumque sacra, a qua suam nuncupationem aliqua Ecclesia desumit.

In hoc autem maxime differt Titulus a Patrono, quod hic cum illo confundi queat, et dici titulus idem qui est Patronus, at non item ille. Ex titulo enim nequit inferri eumdem esse etiam et Patronum iuxta doctrinam tum Guieti, tum Gavanti.

Differt revera Patronus a Titulo. Vox haec Patronus (quidquid sit de illius etymologia) a profano seu civili sensu ad res Ecclesiasticas translata dupliciter accipitur : primo iis aptatur, qui ob fundatam seu aedificatam Ecclesiam propriis sumptibus ius sibi Patronatus reservant, de quo agit Titulus 37 lib. 3 Decretalium, et idcirco qui hoc iure potiuntur Patroni appellantur ; secundo, hoc nomen convenit Sanctis, qui in coelo regnant, suisque nos apud Deum precibus iuvant iuxta germanam catholicae Ecclesiae fidem, innumeris sanctorum Patrum testimoniis confirmatam ; quos inter seligitur S. Ioannes Damascenus, qui lib. 4, Orthodoxae fidei, ita scribit : « Quid non laboris suscipias ut Patronum quemdam nanciscaris, qui te mortali Regi offerat, ac tuo nomine ad eum verba faciat? Annon igitur ii honorandi sunt, qui totius humani generis patronos se profitentur, ac Deo nostri causa supplicant? » Quemadmodum differt Patronus a Patrono, quoad vocis vim et significationem nuper allatam, ita inter se differunt Patronus Ecclesiae et Patronus loci : siquidem praeter singulares Ecclesiae Patronum seu titulum (quem cum Patrono aliquoties, ut dictum est, confunditur) datur etiam loci alicuius Patronus communis et generalis.

In hoc autem differunt Loci et Ecclesiae Patroni, quod hic circumscribitur quodammodo et ad unam tantum Ecclesiam proprie pertinet, ille magis extenditur, ad plures enim Ecclesias attinet ; locus enim accipitur pro multitudine Cleri et populi, seu potius, iuxta Guieti et Gavanti opinionem, pro multis cleris et populis in uno eodemque loco constitutis. Aliis etiam rationibus loci Patronus a Patrono Ecclesiae differt, quas hic afferre, utpote a proposito alienas, supervacaneum putatur.

Diversi dantur Locorum Patroni ; scilicet datur Patronus Regni, Provinciae, Dioecesis, Civitatis. Datur etiam Patronus Oppidi ; sicuti datur in Oppido vulgo *di Farnese* intra Dioecesis Aquipendiensis limites, ut in Dubio, isque est S. Isidorus Agricola. Iam loci alicuius Patronus Sanctus vere et proprie ille talis est, qui sive perpetuo usu ac maiorum traditione, sive legitima electione ac legibus in hac electione servatis, uti peculiaris apud Deum intercessor propriusque suffragator ab universo loci illius clero et populo colitur et observatur ; quae Patroni definitio ab omnibus communiter admittitur Liturgicis auctoribus; aliquid si excipiatur, quod illius substantiae non officit. S. Isidorus Agricola memorati oppidi, iuxta leges statutas et iuxta Decretum Urbani VIII super electione Sanctorum in Patronos editum, peculiaris Patronus electus est, et ab Apostolica Sede confirmatus. Cum talis sit, illius Festum ab oppidanis celebrari debet; convenit enim ipsi uti praecipuo Patrono illius Festi celebratio prae festo Sanctissimi Salvatoris, sub cuius titulo erecta est Ecclesia Matrix ; tum quia plus habendus est loci quam Ecclesiae Patronus, plus enim habendus est totus loci alicuius Clerus et Populus, quam peculiaris Ecclesia ; tum quia Festum Patroni loci ex praecipuis est et primariis loci eiusdem Festivitatibus , adeoque illius Festum retinendum est, et cum ea praecedentia et maiori solemnitate quae ei debetur. Hoc quidem consonum est Decreto alias dato in Calaguritana diei 28 Septembris an. 1658, in quo dicitur Festum Patroni principalis Civitatis... at ubi colitur festum peculiaris Patroni, nihil de Patrono Civitatis, ex quo eruitur, nihil etiam de Patrono Ecclesiae Matricis. Certis itaque innixa rationibus S. R. C. per negativam responsionem ad primum dubium ab obligatione solvit oppidanos vulgo *di Farnese* celebrandi sub praecepto Festum Dedicationis Sanctissimi Salvatoris, quod occurrit die nona Novembris.

His accedit, quod, ut ex responsione ad secundum patet, (per quam etiam ipsum secundum dubium solutum manet) Festum Titularis memoratae Ecclesiae Matricis haud quidem illud est verum et proprium quod

praedicta die 9 Novembris celebratur, scilicet Dedicationis Ecclesiae Sanctissimi Salvatoris (cum hac die, prima peracta fuerit Ecclesiae consecratio, et haec ipsa in nova illius consecratione *pro illius* anniversario assignata); sed illud quo celebratur die 6 Augusti, Transfigurationis nempe D. N. I. C.; quemadmodum decretum fuit in una Varmien. die 29 Novembris 1755. Hoc idem declaratum confirmatumque fuit per Decretum Urbis datum die 6 Augusti 1831, quo dicitur quod Festum Transfigurationis D. N. I. C. in Archibasilica Lateranensi occurrens octavo Idus Augusti ceu *Titularis* fuerit hactenus celebratum; quo quidem die idcirco sa. me. Gregorius Papa XVI idem Festum Transfigurationis celebrandum aliis etiam in locis concessit, et eo ritu qui Titularibus convenit, et iuxta Constitutionem sa. me. Urbani VIII super observantia Festorum. Sive igitur attendatur ius praecipui loci Patroni, sive verus Ecclesiae matricis titulus, non tenentur oppidani vulgo *di Farnese* festivum sub praecepto celebrare diem nonam Novembris, seu Festum Dedicationis Sanctissimi Salvatoris; adeoque servandum est Decretum S. R. C.

SUFFRAGIA SUPER DECRETO

2743. REDONEN. (4780)

Ad Dubium I. Varii semper in Ecclesia Christi fuerunt ritus, sive rituum varietas semper in Ecclesia viguit; et si illius inspicimus exordium, tanta in ritibus fuit diversitas, ut, si ea excipiamus quae ad Fidei substantiam spectabant, si ea demamus quae vel divinam habebant institutionem, vel quae constitutiva rerum efformabant, ut in Sacramentis, vel divinum habebant praeceptum, vel Apostolicae institutionis aut vetustissimae traditionis notam praeseferebant (in quibus omnes conveniebant Ecclesiae, quaeque ab omnibus aeque Ecclesiis servabantur); si haec, inquam, excipiamus, tot erant in accidentalibus ritus et Liturgiae, quot Ecclesiae diversae erant, quin unitas fidei tolleretur, aut religio aliquid pateretur detrimenti. Ecclesia autem hanc utique, primis praesertim saeculis, libertatem reliquit, unde ipsa rituum varietas exorta est. Haec una ex praecipuis fuit causis; alias hic meminisse supervacaneum foret. Haec autem quae olim fuit in unaquaque Ecclesia rituum ac caeremoniarum varietas (de accidentalibus semper intelligo), haec, quae fuit Liturgiarum diversitas, admirabilis habenda est, et necessaria agnoscenda: admirabilis quidem, dum haec ipsa ex multis nationibus, gentibus, populis et linguis Christi Ecclesiam conflatam esse demonstrat: necessaria (saltem initio), quia cum diversae indolis, diversi ingenii essent gentes, quae Christi fidem amplectabantur, ea ipsas retinere et Apostoli et Apostolorum successores passi sunt, quae substantialia non attingebant; idque sapientissimo ab ipsis factum est consilio, ne scilicet, si omnia statim improbari ac reiici vidissent, quae usque ad illud tempus retinuerant, quaeque nec Fidei suhstantiam, neque unitatem respicerent, a nova et vera Christi fide ac religione amplectenda deterrerentur. Sapientibus loquor, qui haud certe mirari possunt vel suspicari me novum aliquid in medium proferre. Satis est de veteri Ecclesiae disciplina pertractantes auctores perlegere, ac diversa Ritualia invisere in quibus varii describuntur ritus, variae caeremoniae observantur, quibus diversae per orbem Ecclesiae, sive in Occidente, sive in Oriente, usae sunt, et adhuc utuntur.

His praemissis videamus si forte aliquid sit, quod diversimode possit a quibusdam agi, quam alii in ritibus et caeremoniis agant, vel ipsum Rituale praescribat; praesertim si hoc in quibusdam, aut diversimode agi permittat, aut quaedam non ita clare aut praeceptive praescribat. Sane Rituale Romanum ita appellatur, quia ritus continet, quibus Ecclesia Romana seu universalis utitur, quique Romae servantur tamquam Ecclesiae Apostolicae proprii, in qua, ut inquit Augustinus Epistola 157, *semper viget Apostolicae Cathedrae Principatus:* et ut longe ante ipsum docuit s. Irenaeus Libro 3 Capite 8: *ad hanc Ecclesiam* (nempe Romanam) *propter principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.* Periculosum itaque esset a ritibus Romanae Ecclesiae omnium matri et Magistrae praescriptis recedere, atque hinc omnia ut praescribuntur, servanda sunt. Ecclesia enim Sancto directa Spiritu nihil sine ratione, nihil frustraneum praescripsit, et ad finem aliquem religiosum, ad divini cultus maiestatem, ad spirituale filiorum bonum omnia pia Mater instituit. Idcirco scribit s. Ioannes Chrysostomus, Homilia prima in Matthaeum: « Magistri nostri (hoc est Apostoli) Ecclesiarum institutores usque ad homilia et minuta praecepta deduxerunt

diligentiam disciplinae ». Ordo igitur ab omnibus servandus est, et de hoc ordine ab omnibus servando in ritibus et caeremoniis, cum Chrysostomo et alii Patres intelligunt ea verba, quae Paulus Apostolus habet prima ad Corinthios; *omnia honeste et secundum ordinem fiat in vobis.* Hinc est quod prisci fideles sedulo caeremoniis studuerunt, et ut omnia ordine et accurate fierent, eligere quemdam consueverunt sacris ritibus praefectum qui *Monitor* appellabatur, ut observat s. Isidorus Abbas, et ut probat exemplo Sacerdotis Nepotiani, quem laudat s. Hieronymus in sua ad eum epistola his verbis : *quod cernitur eius in omnes caeremonias sollicitudo.* Quamvis haec in dubium nequeant revocari, nihilominus ex ipso Rituali Romano quaedam esse possunt quae aliquantulum diversae in ipsa Sacramentorum administratione peragi possunt, quin illicite aut administrentur, aut suscipiantur. Patet ex ipsis Ritualis verbis: Hoc enim, postquam titulo *De iis quae in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt,* haec dixerit : « Ut ea quae ex antiquis Catholicae Ecclesiae institutis et Sacrorum Canonum Summorumque Pontificum Decretis, de Sacramentorum ritibus et caeremoniis hoc libro praescribuntur, qua par est diligentia ac religione custodiantur et ubique fideliter serventur, illud ante omnia scire et observare convenit, quod Sacrosancta Tridentina Synodus Sess. 7, Can. 13, de iis ritibus decrevit in haec verba: *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse: anathema sit* » : postquam, inquam, haec dixerit, et retulerit Tridentini Concilii auctoritatem, haec habet verba, titulo *de Sacramento Baptismi rite administrando :* « Dum autem ad hoc Sacramentum conferendum alia sint de iure divino absolute necessaria, ut materia, forma, minister, alia ad illius solemnitatem pertineant, ut ritus et caeremoniae, quas ex Apostolica, et antiquissima traditione acceptas et approbatas, nisi necessitatis causa omittere non licet ».

Iam si, in casu quidem necessitatis, omittere quaedam licet, non omnia quae praescribuntur, quamvis extra hunc casum sint servanda, eiusdem aeque sunt generis, ea ratione, quia non sunt substantialia, sed ad maiestatem et solemnitatem Sacramentorum sunt instituta ; et ea sunt, de quibus Sanctus Thomas part. 3, quaest. 64, art. 4, ad primum, scribit : « Non sunt de necessitate Sacramenti, sed pertinent ad quamdam solemnitatem, quae adhibetur in Sacramentis ad excitandam devotionem et reverentiam in iis qui suscipiunt »; et est finis quem habet Ecclesia iuxta Concilium Tridentinum. Idem concilium Sess. 24, de reformatione, Capite 1, haec habet : « Si quae provinciae, (quoad matrimonii Sacramentum) aliis ultra praedictas laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat ». Similia habet Rituale Romanum Titulo 7, Cap. 3, § Caeterum : « Si quae provinciae aliis ultra praedictas laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando matrimonii Sacramento utuntur, eas Sancta Tridentina Synodus optat retineri ». Quod dictum est generice de diversis Ecclesiae ritibus et caeremoniis, quae per diversa Ecclesiae tempora servatae sunt, quaeque approbante ipsa Ecclesia, viguerunt et vigent adhuc, id ipsum de extremae unctionis Sacramento, quoad modum et locum ungendi infirmos dici potest. Rituale Romanum de ungendis infirmis haec habet : « Quinque vero corporis partes praecipue ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempe oculi, aures et nares, os et manus. Attamen pedes etiam et renes ungendi sunt : sed renum unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur ; atque etiam in viris quando infirmus commode moveri non potest. Sed sive in mulieribus sive in viris alia corporis pars pro renibus ungi non debet ». At aliquibus in Ecclesiis diversimode per diversa saecula infirmorum unctio peracta est. Cum divus Iacobus Apostolus solum unctionem memoret, et nihil de partibus ungendis innuat dicens: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae... orent super eum ungentes oleo ;* factum est ut non parum differrent Ecclesiae in hoc ritu, et diversimode in unctione conficienda sese gesserint. Graeci, si Arcadium audiamus libro 5, capite 7, unctionem adhibent ad frontem, mentum, ambas genas, ut fieri videatur unctio a capite admodum Crucis, deinde ad pectus, tum ad manus idque in utraque parte, postremo ad pedes. Ecclesia latina non eodem modo per diversa tempora sese pariter gessit, et varia quoad

partes inungendas fuit eius consuetudo; ut apud Martenium *de antiquis Ecclesiae ritibus* ostendit Sambovius. Id ex variis ritualibus diversarum Ecclesiarum desumitur, quae ab eodem Martenio proferuntur, quaeque brevitatis gratia omittenda censeo. Ex his nonnulli existimant usum varias inungendi corporis partes invaluisse post s. Gregorii aetatem; sed pariter sentiunt non easdem, omnibus aeque in Ecclesiis, corporis partes fuisse inunctas, imo in aliquibus quasdam debuisse partes inungi, quas inungere in aliis quibusdam vetitum erat. Saeculo Christi sexto apud quasdam Ecclesias una tantum corporis pars inungebatur, et haec pectus erat. Habetur hic ritus in vita s. Augendi sive Eugendi, ex qua discimus eum in pectore tantum fuisse inunctum. « Cum ultra sexagenariam aetatem sex fere mensibus praedictus pater inaequalitate corporea laboraret, vocato uno ad se de fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus iniunxerat, secretissime quoque sibi pectusculum petiit, ut moris est, inungi ». Ubi advertenda sunt ea verba *ut moris est*. Non noviter ergo, non contra ritum tunc vigentem, sed iuxta consuetudinem pectus solummodo inungebatur. Idem observat Mabillonius ad saeculum primum Benedictinum. In Ritualibus libris autem, quos refert Martenius, de quibus supra, iuxta quos plures corporis partes inungebantur, pene in omnibus praescribebatur, ut ea pars corporis inungeretur, ubi dolor plus imminebat. Quae praescriptio, qui usus verbis fortasse Apostoli Iacobi nitebatur, nimirum *Et alleviabit eum Dominus:* qui tamen usus desiit omnino et vetitus postmodum fuit, ne videretur unctio Sacri Olei ad medicinam potius corporis, quam ad animae spirituale remedium adhiberi.

En varia quoad unctiones in extremae Unctionis Sacramento administrando praxis, quae vel ad veterem Ecclesiae disciplinam spectat, vel diversos respicit sive Orientis sive Occidentis Ecclesiae mores. Quod vero pertinet ad hodiernam praxim et praescriptum Ritualis Romani sive universalis Ecclesiae, omnibus patet: in hoc enim statuitur quomodo fieri debeat unctio, et quae sint partes inungendae, quaeque ex his debeant praecipue inungi, et quae inungi quandoque non debeant. Superius a me iam sunt allata Ritualis verba, quibus consonat Concilii Tridentini Catechismus part. 2, *De extremae Unctionis Sacramento. Oculi, aures, nares, os et manus* praecipue debent inungi; de *pedibus* et *renibus* vero dicitur, quod in quibusdam semper *omittitur* unctio, nempe in *mulieribus*, et omittitur *honestatis gratia:* in viris autem non semper, sed tunc solum quando *infirmus commode moveri non potest. Oculi itaque, aures, nares, os et manus* sunt inungendae praecipue; et has corporis partes nominat, et ideo praecipue eas praescribit inungendas, quia veluti *sensuum instrumenta* considerat. Omissis hic quibusdam quaestionibus, quae ad Theologos spectant, quaeque rei, de qua agimus, nihil prorsus vel officere possunt, vel prodesse, unum breviter adnoto: fuisse, nempe, olim a Theologis investigatum disceptatumque an quinque sensuum unctio sit de substantia Sacramenti. Iam in hac disquisitione non de omnibus taxative unctionibus agebatur, sed de illis quinque, quibus sensus liniuntur; sed cum de quinque his sensibus loquuntur, pedes et renes omittendo, renum ac pedum unctionem omitti posse eos putasse non est credendum; ex quo coniicere quis posset parvi apud eos momenti fuisse *renum* ac *pedum* unctionem, adeoque omitti omnino posse vel debere, eos existimasse. Sed male admodum quis ex ea quaestione id colligeret: clare enim nimis Ritualis rubrica praecipit, ut *renes* et *pedes* ungantur; nempe ex eo quod Rubrica prius quinque tantum humani corporis partes memorat (eas aliquomodo a renibus et pedibus seiungendo) quas solum, quemadmodum et Concilii Tridentini Catechismus, sensuum instrumenta in homine vocat ei a natura tributa, non ex hoc, inquam, et *pedum* et *renum* unctionem vel excludit, vel omnimodam libertatem eos ungendi huius Sacramenti Ministro relinquit; sed ideo Rubrica, quin sibi contradicat (ut videri primo intuitu posset) quinque partes prius inungendas assignando, septem postea enumerando, abstrahit quodammodo *pedes* et *renes* ab *oculis, auribus, naribus, ore, manibus:* nonquia sensum ab illis, qui in quinque assignatis prius partibus, diversum aliae duae partes efforment, sed quia hae, quas postea adiicit partes, relationem habent ad aliquem illorum sensuum, quos iam in quinque aliis partibus memoravit. Non per *oculos, nares, aures, os* et *manus* intelliguntur sensus *visus, odoratus, auditus, gustus* et *tactus;* cum quibus potest homo delinquere et peccatum perpetrare. Cum autem relationem ad

aliquem ex his quinque sensibus aliae duae postmodum adiectae partes habeant, hinc per has, nempe per *renes* et *pedes* non de novis, aut diversis sensibus intelligit loqui, sed de duobus ex quinque iam memoratis sensibus. *Pedes* enim sub sensu *tactus, renes* autem sub sensu *delectationis* possunt comprehendi; *pes* namque *gressu* potest delinquere, et *renes* per lumborum delectationem: atque idcirco in forma unctionis pedum dicitur: *Quidquid per gressum deliquisti;* et in alera renum, *quidquid per lumborum delectationem deliquisti.* Pia hinc Mater Ecclesia instituit ut septem hae singulae partes inungerentur, ut medela cuique sensui plene completeque aptaretur. Quinque igitur, si Auctores audiamus, et ex toto Rubricae contextu eruitur, essentiales esse unctiones in hoc Sacramento dici potest, et duas integrales, *pedum* nempe et *renum,* quarum postrema plerumque in viris *omittitur,* semper vero in foeminis: quaecumque sit omissionis ratio, sive *impossibilitas* in viris, sive *honestas* in foeminis; quod non diceretur a Rubrica (quae quidem in foeminis renum unctionem omittendam praecipit) si harum partium unctio aeque essentialis esset ac aliarum quinque. Confirmatur hoc ex aliis quae immediate habet Rubrica verbis: *sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet;* ex quo fluit integralem tantum esse hanc unctionem: quod quidem de aliis quinque sensibus non dicitur, imo si unctio fieri in aliqua ex aliis quinque partibus nequit, aliquo suppleri modo debere ipsa innuit Rubrica per haec verba: « Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur eadem verborum forma »; recta igitur distinctio haec inter *integralem* et *substantialem palem* dignoscitur, et in ipso Ritualis Rubricae contextu fundata.

Omnibus hisce positis, sive quae ad veterem pertinent disciplinam, sive quae diversam respiciunt praxim, sive quae ipsa habet Rubrica quoad partium liniendarum distinctionem, differentia legitime infertur unctionem inter et unctionem, inter partem et partem inungendam, et hinc quoad alicuius etiam partis locum diversum inungendum, quin haec diversitas (loquor de duabus partibus integralibus, quas distinguendo memoravit) aut Sacramenti validitati aliquid detrahat, aut ipsi licitudini officiat; quod habet relate ad pedum unctionem Rubrica: *attamen pedes etiam et renes ungendi sunt.* Hic Rubrica non innuit an in inferiori parte seu planta, vel in superiori pes sit ungendus, sed solum praescribit pedum unctionem. Fateor quidem, si pedum untionem cum unctione manuum conferamus, colligi quodammodo posse inferiorem pedum partem sive plantam esse liniendam. Nam cum de unctione manuum Rubrica loquitur, clare innuit manus interius esse ungendas exceptis Presbyteris, de quibus ait: *Manus vero, quae reliquis infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur.* Idem dici deberet de pedibus, licet Rubrica non innuat, sicut de manibus; nam tum **Tit. XXXII** de Sacramento extremae Unctionis, tum **XXVIII** de ordine ministrandi Sacramentum extremae Unctionis, pedes simpliciter nominat. In illo legitur: *attamen pedes etiam . . . . ungendi sunt;* in hoc legitur: *ad pedes.* Nihilominus facta comparatione unctionis pedum cum alia manuum, colligi posse dixi etiam pedes inferius esse inungendos, quemadmodum et manus interius, quia in hac parte, sicut in manibus, tactus praecipue situs est. Ad sensum autem tactus vidimus pedes pertinere, et unctio tactum respicit, per quam orat Minister Dominum, ut infirmo indulgeat quidquid per tactum deliquit; quia licet gressus (cuius culpas Minister Deum precatur ut remittat infirmo) totius pedis sit actus, tamen inferiori parti praecipue tribuitur, in qua tactum dici potest praecipue et sensibilius inesse, et qua terram immediate premit. Haec, non inficior, sponte fluere videntur; hoc ex instituta comparatione cernitur. Advertendum tamen est nihil a Rubrica quoad pedes dici, quemadmodum de manibus, an in inferiori vel in superiori parte pedes inungendi sint. Ex hoc factum fortasse est, ut diversi diverso in loco pedes inungant, quidam nempe iuxta diversam praxim ad plantam, quidam ad *tarsum,* sive partem superiorem, quidam ad *metatarsum,* ad eam scilicet pedis partem, quae vulgo *collo del piede* dicitur: ut ex Baruffaldo colligitur, qui etiam haec habet: « Si vero infirmus non valeat moveri prae lassitudine ex morbo proveniente, ungatur ea pars, quae commode magis prostat ».

Hoc admisso, silente Rubrica quoad pedis locum in pedum unctione, praxis varietate inspecta, necessitate ob infirmi ex morbo lassitudinem admissa, pedes ungendi in ea parte *quae magis commode prostat* (quod aequivalet alteri unctioni

-faciendae in mutilatis in loco proximiori parti quae deest) unum accedit quod despiciendum non foret: nempe quod sicut pes ex inferiori parte et superiori constat, et pedes ideo haec omnia comprehendit, quaecumque ex his partibus ungatur, verum semper erit pedem inungi; et nihil fortasse referet an inferior vel superior illius pars ungatur. Neque dici stricte poterit contra Rubricam agere, qui superiorem potius quam inferiorem partem inunxerit, vel vicissim, aut ab uno potius quam ab altero ministro Rubricae praeceptum servari vel violari. Quisque enim se Rubricam servasse dicet, statim ac pedem, quacumque in parte inunxerit; et quisque pro se Rubricam proferet, quae *pedes* ac *pedem* simpliciter nominat. Quae hucusque dixi, quaeque ex diversa praxi desumpsi, ex auctoribus deprompsi, et ex generica Rubricae locutione protuli, unctionem hanc, de qua sermo est, liberam fortasse possent relinquere quoad locum; cum praxis contra praxim, usus contra usum posset afferri; non vero clarum et taxativum Rubricae praescriptum, nisi genericum de pedibus ungendis. Hinc nec Ecclesia unum fortasse prae altero reprehenderet, cum omnes aeque unctionis praeceptum servasse, ac neminem aut Sacramenti validitati detraxisse, aut contra licitam administrationem peregisse, posset aliquo modo contendi. Quot, quaeso, sunt, quae in disciplinari oeconomia Ecclesia diversimode peragi permittit? Quot in praxi de aliquibus discrepantiae, in accidentalibus quidem, admissae, quae non prohibentur? Quot rituum varietates, quas Ecclesia ipsa conservat? Quot consuetudines, quae dummodo rerum substantiam non attingant, retinentur, observantur, ut scandalum vitetur, ut dissidia removeantur, ut contentiones et iurgia praecaveantur? Hoc semper servavit Ecclesia; hoc Patres sese ad prudentiam componentes sequuti sunt. Narrat apposite ad rem nostram Augustinus Divum Ambrosium sibi de variis ritibus dubitanti et sciscitanti, ita respondendo scripsisse: « Ad quam forte Ecclesiam veneris, eius mores serva, si cuiquam non vis esse scandalo aut quemquam tibi ». Id autem cum agebatur de non substantialibus, aut de iis quae fidem non respiciebant. Hinc ipse Augustinus scribit (Epistola 86): « In his rebus, de quibus nihil certe statuit Scriptura, mos populi Dei vel instituta maiorum tenenda sunt; de quibus si disputare voluerimus, et ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio ». Addam his quod apposite pariter habet Tertullianus initio libri *De virginibus:* « Regula fidei una omnino est, sola, immobilis, irreformabilis: caeterae iam disciplinae conversationis admittunt novitatem ».

Omnibus his positis, quae quidem non parvi momenti facienda videntur, quid de Parochis Rhedonensis Dioecesis erit dicendum? Quid de diversa, quae inter eos servatur, praxi decernendum? Sane exponit Illustrissimus Episcopus diversimode in sua Dioecesi sese Parochos gerere in administratione Sacramenti extremae Unctionis, et ab aliis pedum plantam, ab aliis, superiorem partem inungi; sed haec duo aeque fatetur: nempe, et utrosque usui inhaerere, et ideo inhaerere, tum quia de hac re sileat Rituale Romanum, tum quia diversa praescribunt Ritualia, quae pro quibusdam Galliarum Dioecesibus edita fuere. En itaque rationes diversitatis quae inter praefatos Parochos advertitur in extrema Unctione administranda; quae diversitas apud eos in usum transiit, et in consuetudinem, cui unusquisque, ipso fatente Episcopo, adhaeret. Quod verbum *adhaeret* demonstrat quodammodo ita eorum quemque suum in hac re usum moremque retinere velle, ut fieri fortasse posset neminem ab hoc, quem hucusque servavit, esse recessurum; praesertim cum unusquisque, nulla disciplinari universali existente lege, silente Rituale Romano, diversimode praescribentibus variis Galliarum Ritualibus, respondere aliter praecipientibus fortasse posset sese, sive in inferiori sive in superiori parte pedem ungat, pedem revera inungere. Ritualium suorum praescripta servare, nec inobedientiae notam ullo pacto mereri. Hac supposita, paulisper proprio usui huc usque retento adhaesione, hac ad novam praescriptionem responsione admissa, nonne scandalum aliquod posset oriri? Nonne irreverentiae in Episcopum locus daretur? Quod quidem scandalum vitandum est multoque magis non est excitandum, iuxta Ambrosii verba super relata: « morem eius serva, si cuiquam non vis esse scandalo nec quemquam tibi? »; praesertim cum de re agatur quae accidentalia respicit, in quibus iuxta Tertulllianum varietas esse potest sive discrepantia: « Caeterae iam disciplinae . . . . admittunt novitatem »; non vero fides et fidei substantia, quia *sola fidei regula* per eumdem Tertullianum *una omnino*

est immobilis, irreformabilis. Quid insuper si quisque pro suo usu stare vellet? Si suum quisque morem defendere? Si suam quisque consuetudinem diversis Ritualium praescriptionibus innixam tueri? « Orietur interminata luctatio », ut inquit S. Augustinus; quam luctationem vitare debemus, quaeque ex aliorum consuetudinum improbatione excitatur.

Quare, ut scandalum vitetur, ut oppositio, ut luctatio isthaec praecaveatur in hoc accidentali ritu, cum varia fuerit ex ritibus Ecclesiae disciplina, cum varia haec fuerit diversarum Ecclesiarum praxis quoad numerum partium inungendarum, et istarum aeque partium locum inungendum mos et praescriptio, cum nihil Rituale *saltem praeceptive* innuat, cum varia Galliarum Ritualia diversimode praescribant, cum denique vere ab utrisque dici posset aeque pedem inungi, quacumque in parte inungatur; ad scandalum vitandum quod forte posset oriri, ad luctationes praecavendas quae possent excitari, S. Congregatio sapienter aeque ac apposite respondendum putavit: « Scribendum Episcopo esse, ut prudentia adhibita hac in re nihil innovet ».

Ad Dubium II. Datur sponsae annulus in signum mutuae dilectionis eam inter et sponsum, et est tamquam pignus iunctionis cordis utriusque; idque ex ipsa eruitur Oratione, quam in dicti annuli benedictione adhibendam praescribit Ecclesia; in hac enim, et de fidelitate integra, et de mutua charitate fit mentio, in qua vivere uterque semper debet. Hinc S. Isidorus, de Eccl. Off., scribit capite 19: « Illud vero quod in primis annulus a sponso sponsae datur, fit nimirum, vel propter fidei signum, vel propter id magis ut eodem pignore eorum corda iungantur ». Ideoque non sacerdos huius Sacramenti minister, non alius quisque, sed ipse sponsus sponsae digitum annulo ornat. Benedicitur vero annulus, ut omnis fascinatio a connubio amoveatur; et idcirco, cum signum Crucis, benedictio Sacerdotalis et aqua benedicta valeant (quemadmodum innuitur in ordine ad faciendam aquam benedictam) ad « effugandos daemones, et ut effugiat (legitur in exorcismo salis) omnis phantasia et nequitia vel versutia diabolicae fraudis ..... Ut fias aqua exorcizata (legitur in exorcismo aquae) ad effugandam omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas cum Angelis suis apostaticis »; et in oratione sequenti . . . « elemento huic (aquae) virtutem tuae benedictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens ad abigendos daemones . . . . divinae gratiae sumat effectum »: cum, inquam, signum Crucis, benedictio Sacerdotalis et aqua benedicta ad effugandos daemones valeant, optime sapienterque statuit Ecclesia, Sancto edocta Spiritu, ad pacem in connubiis servandam hanc annuli benedictionem (quae inter Sacramentalia recensetur) instituere et praescribere, et peculiarem orationem assignare, per quam annulus ab omni diabolica fraude, nequitia, versutia; malignitate purificetur. Iam, quaeso, cur haec annuli benedictio erit in secundis nuptiis omittenda? Numquid, qui secundo nubunt, pacem non tenentur inter sese conservare? Numquid non amari invicem debent, ut hoc mutui amoris signo debeant carere? Numquid mutuae fidei debito liberantur, (ad quam servandam aeque per secundum coniugium adstringuntur, ac si uterque primo nuberet) ita ut huius fidei inter se servandae symbolico pignore non indigeant? Numquid diversa sunt sui status officia, aut matrimonii Sacramentum, quod secundo nubendo suscipiunt, ab aliorum matrimonii Sacramento differt, qui primo illud suscipiunt? Haec quisnam dixerit unquam, aut quamnam inter primas et secundas nuptias differentiam quis unquam poterit afferre, ut hanc annuli benedictionem, quae ad allatos et ab Ecclesia intentos fines instituta est et peragitur, ab Ecclesiae ritibus excludat, aut omitti debere contendat, tamquam sine fine, sine significatione, sine ad aliquid relatione adhibeatur? Arbitrarie ergo nimis, hanc omittens benedictionem, Rubricae verba interpretatur, ab Ecclesia intentione recedit, et finem non agnoscit, quem Ipsa, hanc instituendo praescribendoque benedictionem, habuit. Allata itaque verba Rubricae: *sed viduae nuptias non benedicat:* quae non recte interpretando, quidam Parochi, de quibus agitur, prohibitioni benedictionis annuli aptant, alio respiciunt. Siquidem non de omittenda quacumque benedictione in nuptiis illic sermo est, sed de secundis nuptiis non benedicendis, sive de vidua quae secundum contrahit matrimonium: nimis clara per se sunt ea verba, et nescio quomodo aliter possit quis ea interpretari.

Hae quidem nuptiae benedicendae non sunt: quae prohibitio nova in Christi Ecclesia non est. Nimis fortasse longus in scribendo essem, si illius originem vellem

investigare, si rationes, quibus Ecclesia ad hoc statuendum permota fuit, perscrutari, si praxis huius, quae nostra adhuc aetate servatur, fundamentum inspicere. Omnibus omissis quae tandem supervacanea ad rem nostram forent et quae apud Martenium aliosque veterum rituum scriptores inveniuntur, quaedam indicabo, ex quibus non recta Rubricae verbis data interpretatio patebit; cum ea ex dicendis appareat differentia, quae inter annuli et nuptiarum benedictionem intercedit, per quam istam, non vero illam omittendam indigitatur et praescribitur. Ut res clarior reddatur et origo benedicendi secundas nuptias appareat: apud Paganos, ut testatur Valerius Maximus lib. 2, cap. 1, secundae nuptiae intemperantiae argumentum et indicium habebantur, et quasi nefastae considerabantur. Hinc Plutarchus in problematibus (problem. 99) ait: « Felices et faustae sunt primae nuptiae, secundae vero tristes et detestandae ». Martialis aliique alia et his maiora addunt. At in christiana Ecclesia alteras nuptias Patres numquam damnaverunt, et Ecclesia ipsa semper tamquam vera et indubia Sacramenta retinuit et recepit; matrimonii enim Sacramentum inter liberas personas non prohibuit, et licet ob significatum, ut infra videbimus, virginem cum virgine nubere optasset, non, inquam, secundas nuptias prohibuit; ut contra Montanum et Novatum hac in re definivit Concilium Nicaenum I can. 8. Hinc est quod secundas nuptias iuxta tunc vigentem disciplinam dumtaxat passa est Ecclesia; cuius mentem explicans Hieronymus contra eumdem Novatum scripsit ep. ad Marcell.: « Nos secundas nuptias non tam appetimus, quam concedimus ». Quod clarius alibi explicat ep. nempe ad Gerontiam ita scribens: « Aliud est, quod vult Apostolus, aliud quod cogitur velle. Ut concedat secunda matrimonia, meae est incontinentiae non illius voluntatis . . . . . Duae sunt Apostoli voluntates, una quae praecipit, et altera quae indulget . . . . vult nos permanere post nuptias sicut seipsum . . . . sin autem nos viderit nolle quod ipse vult; incontinentiae nostrae tribuit indulgentiam ». Quare ipsamet Ecclesia viduas, quae ad secundas non transierunt nuptias, maximi fecit, easque velut Cleri partem habuit, ut loquitur Tertullianus lib. 1 de Uxore; quem, et cum eo alios, quos praetereo, adire quis commode poterit. Hinc iuxta veterem disciplinam, certis aliquibus legibus secundae nuptiae inter Christianos, medio praesertim aevo, intra certos limites arctatae erant et nemini fas erat viduis nubere *absque suorum Sacerdotum,* idest *Parochorum consensu, et conniventia populi,* ut decretum est in Capitularibus Regum Francorum. Insuper nonnisi integro anno a mariti obitu relictae nubere permissum erat quod praesertim legimus in codice Theodosiano lib. 3, tit. 8, de secund. Nupt.: « Si quae ex foeminis perdito marito, intra anni spatium alteri festinavit innubere . . . . probrosis inusta notis, honestioris nobilisque personae et decore et iure privetur, atque omnia quae de prioris mariti bonis, vel iure sponsalium, vel iudicio defuncti coniugis consequuta fuerat, amittat. Et sciat nec de nostro beneficio vel adnotatione sperandum sibi esse subsidium ». Hanc antiquam legem confirmavit Decretalium iure de foeminis Innocentius III Decretal. lib. 4, tit. 21, capite ultimo. Uti autem imperiali edicto viduis *subsidia* denegata erant, ita eamdem tenuit disciplinam Ecclesia quae ab eleemosyna eas excludebat, « sed et ab eleemosyna Ecclesiae; dum indigna putabatur stipe, quae ad secunda coniugia devoluta erat ». Tandem Ecclesia, etsi secundas pateretur nuptias, secundo nubentibus poenitentiam canonicam imponebat; quam dum illi exsolvebant, sacra carebant communione. Ea fuit antiquitus Ecclesiae disciplina, ut docent vetustiora Concilia Ancyranum, Laodicenum et Neocaesareense. Tempus autem huius poenitentiae, Saeculo 4, quandoque ad annum, quandoque etiam ad biennium protendebatur. Cum autem secundo nupti huic adiicerentur poenitentiae, neque Presbytero licitum erat interesse eorum convivio.

Ad liturgica etiam officia quod attinet, aliqua adnotanda sunt: et primo quidem, etsi sponsus viduae, cui spondebat, annulum traderet, tamen (medio potissimum aevo) vidua manum chirotheca quadam tectam habebat, ut Martenius refert: secundo, nulla aderat sacerdotalis benedictio. « Homini enim, ait Hilarius comment. in Cap. 4, epist. 1, ad Timoth., unam uxorem decrevit Deus, neque enim secunda benedicitur ». Quare S. Caesarius sic Christianos sui aevi hortabatur sermone 289: « Qui uxorem optat accipere, sicut illa virginem invenire desiderat, ita ipse usque ad nuptias virgo sit; quia si non fuerit, benedictionem accipere cum sponsa non merebitur ». Similia his habentur in Constitutionibus Summorum Pontificum relatis Titulo XXI Decretalium;

Vir autem. Urbanus Papa III, Vigiliensi Episcopo rescribens, rationem affert cur secundae coniugum nuptiae non benedicantur: « Quia inquit, alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet ». Audiendus hac in re etiam Durandus in Rationali, lib. 1, cap. 9 : « Nuptiae benedicendae sunt a Sacerdote cum precibus et oblationibus; verumtamen vir et mulier ad bigamiam transiens matrimonium contrahendo non debet a Presbyteris benedici; quia cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio non debet iterari . . . . Non ergo debent nuptiae benedici, nisi ubi virgo cum virgine contrahit ». Aliam de hac non impertienda in secundis nuptiis benedictione rationem affert S. Thomas in VI Sententiarum, Dist. 42, quaest. 3, art. 2, ad 2, nempe: « quamvis secundum matrimonium in se consideratum, sit perfectum Sacramentum; tamen in ordine ad primum consideratum, habet aliquid de defectu Sacramenti, eo quod non habet plenam significationem, cum non sit una unius, sicut est in matrimonio Christi et Ecclesiae; iuxta Paulum Apostolum dicentem : Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico Christi et Ecclesiae ». Hinc ratione huius defectus (plenae significationis) benedictio in secundis nuptiis non datur. At idem S. Doctor hoc vult esse intelligendum, si secundae nuptiae tales sint ex parte viri et ex parte mulieris vel ex parte mulieris tantum; si enim virgo cum illo nubat, qui aliam habuit uxorem, nuptiae nihilominus benedicuntur; quod habet etiam Durandus citato superius loco. Tali enim in casu sarta quodammodo tectaque significatio in ordine etiam ad primas nuptias manet, ut idem S. Thomas fusius clariusque explicat; cuius doctrina conformis est et favet quamplurimum his quae habentur in Rituali § *Caveat etiam;* in quo haec leguntur : « Ubi ea viget consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, benedicantur, servanda est ». Quam quidem consuetudinem sua aetate aliquibus in locis extitisse Durandus testatur: « Secundum quorumdam locorum consuetudinem, siquis contrahat cum secunda virgine, benedictio iteratur, et hoc si Dominus Papa sciat et toleret ».

Priusquam concludam, aliquid addam quoad liturgiam in secundis nuptiis. Bigami Missae dumtaxat sacro aderant, neque velamine, iuxta Isidorum de div. Off. lib. 2, cap. 19, seu *flammeo* ornabantur ; ad cuius finem neque coronis (quemadmodum apud Graecos olim) ut cum univiris fiebat, a Presbytero donabantur: qui sane mos apud Graecos servatus est usque ad Copronymi Imperatoris aetatem. Cum enim hic Eudoxiam in tertiam uxorem sibi adsciverit, eique corona fuerit elargita, iam tum et bigami coronari coeperunt, quod in Constantinopolitana Ecclesia, et paucis aliis Orientis locis peragebatur. Allatius enim nos docet de Consen. Orien. lib. 3, cap. 13, in reliqua Graecia ad suum usque tempus, secundum exactam disciplinam et antiquam consuetudinem, bigamos non coronari. Ubi autem coronabantur, aliquod etiam erat discrimen in corona ferenda. Qui enim virgo esset, in capite ; vidua vel viduus in humero coronabatur : atque illa in capite, alter in humero coronam ferebat ut docet Theodorus Studita epist. ad Maucrat. En in ipsa liturgia differentia inter nuptias viduarum, et nuptias quas virgines contrahebant.

His omnibus de omissione benedictionis, de qua in dubio agitur, expositis, et ex disciplina Ecclesiae et sua origine desumptis, differentia apparet, quae benedictionem inter et benedictionem reperitur. Benedictio in viduae nuptiis omittitur, quia iuxta veterem disciplinam omittebatur, quia Ecclesia, licet inter personas liberas inita Matrimonia tamquam vera matrimonia ac tamquam vera Sacramenta habuerit, tamen virginem cum virgine nubere optasset ; neque per hoc secundas nuptias damnavit, aut damnat, quin imo contra Montanistas et Novatianos, qui iure damnati sunt, docet secundas nuptias, et ulteriores quoque, vere esse nuptias, ac per se licitas atque honestas, et in Montanistarum incideret errorem, si quis forte secundas et ulteriores nuptias illicitas, aut damnandas esse putaret. Omittitur item benedictio haec, quia in secundis nuptiis, iuxta D. Thomam, non plena habetur significatio matrimonii cum Christo et Ecclesia. Omittitur denique, quia olim Ecclesia, quae secundas non improbando nuptias, eas nonnisi certis legibus et conditionibus permisit, iis omnibus iuxta praesentem disciplinam sublatis, hoc solum statuit, ut nempe viduarum nuptiae non benedicantur. Iam quaenam comparatio nuptiarum benedictionis, cum benedictione annuli, ut ex omissione illarum, huius etiam benedictionis omissio debeat inferri ? ut quod Ecclesia de nuptiis dicit, de annuli etiam benedictione id dixisse putandum sit? immo reapse debeat omitti, sicut et illa omitti-

tur? Quae sit caussa benedictionis annuli, quid ipsa significet, quid in nubentium memoriam revocet, ad quae illa amoris, pacis, fidelitatis obeunda munera nubentes provocet, iam vidimus; quae toto coelo ab iis distant, quae de nuptiarum secundarum benedictione omittenda retulimus. Quare cum benedictiones istae inter se comparatae, summopere, quoad omnia etiam differant; cum rationes quas habuit et habet Ecclesia in omittenda viduarum benedictione, annuli benedictioni aptari prorsus nequeant; cum denique huius benedictio peculiares habeat ad coniugum respective spirituale bonum procurandum rationes et finem, numquam sive in primis, sive in secundis, sive in ulterioribus etiam nuptiis omittenda erit.

Ad Dubium III. Duo haec sunt Dubia, quibus iisdem fere rationum momentis potuit occurri, ac simul consideratis unica responsione satisfieri. Duo sunt in Rituali Romano Tituli, in quibus agitur de Baptismo: Titulus septimus, qui agit de Baptismo parvulorum; Titulus duodecimus, qui de Baptismo adultis conferendo pertractat. Duo pariter sunt Baptismi Ordines, qui diversas respective caeremonias, exorcismos, preces praescribunt, et Baptismo, vel infantibus, vel adultis conferendo respondent. Titulus denique decimus quartus modum praescribit ea supplendi, quae in Baptismi collatione sunt omissa, cum hoc Sacramentum, ob imminentis mortis periculum vel alia urgente necessitate collatum est, et inscribitur: Ordo supplendi omissa super baptizatum.

Novum non est quod cap. V statuit Rituale de caeremoniis in Baptismo omissis, postea supplendis. Consuevit Ecclesia vel a primis saeculis aliqua, quae in conferendo Baptismo omissa erant, supplere. Nam ii, qui in lecto decumbentes (clinici idcirco vocati) baptizabantur; si convaluissent, Episcopum adire tenebantur, ut ea omnia supplerentur, quae, urgente necessitate, omissa fuerunt in Baptismo. Id constat, ex antiquis ac probatissimis monumentis; ita ut vetus Ecclesiae disciplina super hoc in dubium nequeat revocari. Omnia hic persequi longa nimis res esset: quaedam afferam. Liquet ex lib. IV historiae Ecclesiasticae Eusebii, Cornelium Papam in Epist. ad Fabium Antiochum, Novatem redarguisse, quod postquam liberatus a morbo est, reliqua non perceperit, quae iuxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus sit. Ex his eruitur Cornelium Papam docere male se gessisse Novatem, quod suscepto in lecto baptismati addi deinde non curaverit ritus alios, quos Ecclesia in conferendo baptismate adhibebat, sive qui praecedebant, sive qui subsequebantur: quorum quidam diversam catechesim continebant, quidam varias abrenuntiationes et Fidei professionem, quae omnia non inutiliter, sed ad finem aliquem ab Ecclesia statuta erant. Item Auctor de Rebaptismo inter Cypriani opera haec generatim habet col. 637: « Siquidem per nos Baptisma tradetur integre et solemniter, et per omnia, quae scripta sunt assignetur, atque sine ullius rei separatione tradetur: aut si a Minore Clero per necessitatem traditum fuerit, eventum expectemus, ut, aut suppleatur a nobis, aut a Domino supplendum reservetur ». Censet itaque hic scriptor sane antiquissimus et Cypriano coaevus suppleri posse post Baptismum ritum aliquem, qui antea omissus fuisset. In Concilio Laodiceno, can. 47, legitur: « Quod oportet eos, qui in morbo Baptismum accipiunt, et deinde resurgunt, fidem ediscere et nosse quo Divino munere digni habiti sunt ». Ex his patet, praeter confirmationem, quae olim per Episcopum simul tradi consueverat, etiam catechesim adiungi consuevisse, et alia quae defuerant. Omnia, quae ad rem hanc apposite faciunt, persequi, nec tempus sinit, nec res ipsa stricte postulare videtur, et haec sufficiunt pro instituto suscepto. Quaenam autem Ecclesiae super hoc fuerit disciplina omnibus compertum est; atque hinc plura referre praetermitto, quae apud D. Augustinum, Zenonem, Cyrillum Hierosolymitanum, Ambrosium reperiuntur, quos refert Martenius lib. 1, cap. 1, art. 15, n. 2, de antiquis Ecclesiae Ritibus.

Fuerunt qui putarunt, post collationem Baptismi, quosdam ritus non convenire, ut illos, per quos indicatur catechumenum adhuc sub Daemonis esse potestate nempe « Exorcizo te, spiritus immunde . . . ut discedas ab hoc plasmate Dei, quod Dominus noster ad Templum sanctum suum vocare dignatus est, ut fiat Templum Dei vivi »: ab eo enim qui baptizatus iam est, expulsus est Daemon, atque Dei vivi templum factus ipse est. At male; nam ad omnem inconvenientiae ideam tollendam, sapienter Ecclesia statuit mutationes aliquas faciendas in hoc exorcismo, in quo pro *fiat fieret* poni constituit, quae muta-

tio respicit statum catechumeni baptizati ante Baptismi susceptionem, non vero post susceptum Baptisma in necessitate collatum. Idem dicendum de catechismo ad Fidei instructionem, quam exclusam vellent, quia in Patrini Fide firmi sunt, qui spoponderunt, atque ita ea suppleri tantum vellent, quae Baptisma sequuntur; sed male item, quia Ecclesia quidquid omissum est, suppleri statuit: quod satis superque esset, ne quis diverse sentiret, sed et haec est supplendi ratio, nec inutiliter peraguntur, iuxta Theologos, quae supplentur. Audiatur prae omnibus S. Thomas parte III de Sacramentis quaest. 71, art. 3, ad 3, qui haec tradit : « Non tamen sunt praetermittenda ea, quae aguntur in exorcismo, nisi in necessitatis articulo, et tunc cessante periculo, debent suppleri, ut servetur uniformitas in Baptismo: nec frustra supplentur post Baptismum, quia sicut impeditur effectus antequam percipiatur, ita potest impediri postquam fuerit susceptus ».

Haec quae supplenda dicuntur, scilicet ritus et caeremoniae, quae praecedunt vel subsequuntur, licet non sint ad Sacramenti substantiam necessaria, nihilominus cum sint Sacramentalia quae Ecclesia instituit et quae aliquam habent significationem, habent finem aliquem, et effectum aliquem producunt, et idcirco omitti non debent; et consequenter supplenda sunt in iis, qui vel urgente necessitate, vel apud haereticos, aut quocumque errore sine ipsis sacro sunt regenerati lavacro. Hinc fuit et est vetus et recens Ecclesiae mos, qui *praxis* ab Estio nuncupatur, quam variis rationibus confirmat in IV Sent. dist. 6, § 5 easque ibi adducit; quarum prima est, ne Sacramentum careat solemnitate, tunc enim caeremoniae referuntur ad Baptismum praecedentem, atque idcirco non est absurdum etiam illas adhibere, quae solent Baptismo praemitti, veluti catechismus: secunda exorcismus, etiam post Baptismum, aliquid agit atque per hoc utilis est, ut patet ex nuper allatis D. Thomae verbis : « Quia sicut impeditur effectus Baptismi antequam percipiatur, ita potest impediri postquam fuerit perceptus »; quemadmodum et Cyprianus monet lib. IV, ep. 7 : « Sicut Diabolus in Baptismo fide credentis excluditur, ita potest, fide postmodum deficiente, regredi »: tertia, ut servetur Baptismi uniformitas iuxta D. Thomam, sicut enim unum est Baptisma, ita easdem caeremonias servari convenit: quarta ut publico hoc ritu Ecclesia Baptismum a quocumque collatum, ratum se habere declaret: quinta ut baptizatus publice habeat susceptorem sive Patrinum, cui sit cura illum christiane et catholice instituere: sexta demum, ut baptizatus, expressa per susceptorem sponsione, obligationem suam agnoscat, quidque Deo quidque Ecclesiae debeat, intelligat.

His omnibus positis, quid Rituale dicit Titulo qui inscribitur *Ordo* supplendi omissa super baptizatum? Postquam § 1 dixerit: « omnia suppleantur etc. » sic sequitur: « Idemque ordo ac ritus servetur, qui in Baptismo parvulorum (si fuerit parvulus) seu adultorum (si fuerit adultus) praescriptus servetur ». Ex his verbis videri aliquibus fortasse posset, super adultum quemlibet, nulla facta distinctione, eumdem omnino in supplendis omissis caeremoniis ordinem esse servandum, qui pro adultis generice praescriptus est. At distinguendum, hoc in casu, adultum inter et adultum: adultus in catholica Religione ortus ab adulto qui in infidelitate vel haeresi ortus fuit et vixit, est distinguendus; atque hinc non omnibus indiscriminatim adultis eumdem ordinem servandum esse patebit. Siquidem adultus, de quo sermo est in primo Dubio, super quem omissae caeremoniae servandae sunt, *valide baptizatus* dicitur post nativitatem, *et catholicus* eodem tempore dicitur: cum itaque duo sint ordines Baptismi, infantium nempe et adultorum, et ritus et caeremoniae in ordine Baptismi adultorum diversi sint ab illis pro Infantium Baptismo praescriptis, non omnibus aeque adultis (inspecta ordinis diversitate) idem ordo pro adultis adsignatus servandus est. Ordo enim unus supponit adultum non in Fide natum, sed ab *Infidelitate ad Fidem venientem, vel ab haeresi etc.;* alter autem in Catholica Fide et ex Catholicis natum Parentibus supponit. Ille instructionem in Fide praescribit quemadmodum de Eunucho Candacis Reginae dicitur, qui postquam in Fide de Messiae Adventu, Morte, Resurrectione a Philippo instructus fuit, ab eo baptizatus est; ille insuper continet ritus, exorcismos, preces, quae aptari nequeunt illis, qui in Catholica Religione orti sunt, ut omnibus patet: hic nihil de his habet. Hinc sicut ordo pro Adultis praescriptus servari non debet pro Infantibus ex catholicis parentibus natis, ita nec ordo idem supplendi omissa pro dictis infantibus aeque pro adultis debet adhiberi. Siquidem si in infante Catholico omissae

caeremoniae fuissent, quaenam, quaeso, fuissent servatae si post dies aliquos tantum debuissent suppleri? Non aliae sane, nisi quae omissae fuerunt; sed quae fuerunt omissae, illae fuerunt, quae pro infantibus praescriptae sunt, non pro adultis; igitur caeremoniae non adultorum sed infantium suppletae fuissent. Iam in adulto, de quo in primo Dubio sermo occurrit, cum is ex catholicis parentibus ortus sit, ac post nativitatem sit baptizatus, non aliae sunt omissae caeremoniae, nisi illae quae fuissent tunc post nativitatem servatae, quaeque una cum Baptismo fuissent adhibitae, sed hae fuissent quae pro infantibus praescribuntur: igitur quae pro infantibus praescribuntur, fuissent suppletae; sed in supplendis caeremoniis illae servari debent quae omissae sunt. Infantium ergo caeremoniae in adulto nostro, qui Catholicus natus est, suppleri et servari debent: secus ritus, caeremoniae, preces servarentur, quae illius statui ac Religioni non respondent, nec Ecclesiae intentioni et fini conformes sunt: quibus rationibus attentis S. Congregatio ad hoc dubium respondendum censuit: « Caeremoniae et preces serventur, quae in Rituali adsignantur pro Baptismo Infantium ».

Ad Dubium IV. Quod attinet ad dubium alterum, diversa adultorum qui ab haeresi veniunt, et adultorum qui in Catholica Religione sunt orti, conditio est. Illorum praecipue conditionem respicit ordo Baptismi, qui pro adultis inscribitur; quia autem catholicus natus est, nihil habet quod instructione in fide indigeat, nihil quod errorum detestationem exposcat, nihil quod contra Fidem senserit ac debeat revocare. Qui vero ex infidelitate vel ab haeresi ad Fidem veniunt, aliqua habent peculiaria, quae peculiariter detestentur, revocent, profiteantur. Hinc Rituale Romanum apposite sub Titulo De Baptismo adultorum § 16, haec habet: « Ubi vero debita forma et materia servata est, omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur ».

Iam quod spectat ad catechismum et exorcismos, diversi sunt hi in adultis ab illis, qui in parvulis adhibentur, et licet caeremoniae sint eaedem, verba tamen eadem non sunt; quia in adultis respectum habent vel ad Idololatriam vel falsam Religionem vel superstitionem vel perfidiam in erroribus (ut in Hebraeis Messiae adventum denegantibus) vel haeresim; ac propterea haeresim, cui adhaeserunt, necesse est ut agnoscat Minister dum vel in Fide illum instruit vel exorcizat, ut apta verba et in catechesi et in exorcismis adhibeat: et quemadmodum infideles debent de peccatis suis poenitentiam agere, ita et haeretici de suis erroribus, quos detestari singulariter tenentur. Potest enim fieri *ut quis*, dicente Augustino lib. de Babtismo, *integrum habeat Sacramentum, sed perversam Fidem*. Hinc haec fuit vetus Ecclesiae disciplina ut haereticis haereticam pravitatem horrescere indixerit, antequam aqua salutari ablueret. Quin immo grassante aliqua haeresi, Fidei articulos pravis illius haeresis erroribus oppositos olim peculiari modo haereticis baptizandis, vel etiam aliis, credendos profitendosque proponebat, quibus illos singulariter detestarentur. Locum proferam ex epistola Nicetii ad Iustinianum Imperatorem, desumptum apud Chesnium Som. I Historiae Francorum, ex quo id patet. « Dulcis, legitur ibi, et dulcis Noster Iustiniane, memorare quae promisisti cum baptizatus es, quid per singula te credere dixisti, cum unum Filium manentem in duabus substantiis cum Patre et Spiritu Sancto, non duos Christos testatus es »: quae quidem Fidei professio impio Nestorii opponebatur errori, qui duas in Christo personas asserebat, duosque docebat esse Christos, unum Filium Dei, alterum Filium hominis, ac proinde Mariam Matrem non Dei, sed hominis esse, et Christotocon, non Theotocon esse appellandam.

Haec quidem est vetus Ecclesiae disciplina, ut baptizati apud haereticos, cum dubium non leve, sed prudens de Baptismi validitate oritur, rite et sub conditione baptizentur. Rubrica Ritualis Romani in ordine supplendi omissa super baptizatum § 1, inquit: « omissa omnia suppleantur ». Iam (redit hic eadem ratiocinatio, qua in superiori usus sum dubio) ea supplenda sunt, quae fuerunt omissa, sed in casu omissa sunt, quae respiciunt haereticum, nempe peculiaris catechesis, peculiares exorcismi, peculiares abiurationes errorum et sectae cui adhaesit; haec igitur omnia supplenda essent in haeretico nostro adulto, qui ab haereticis baptizatus, quia de illius Baptismi validitate dubitatur, sub conditione baptizandus esse dicitur. Rubrica absolute inquit, *omnia suppleantur;* sed supplenda sunt, quae sunt omissa, haec autem sunt quae haereticum respiciunt; omnia ergo, quae illum respiciunt suppleri debent.

Nec inutiliter hoc Rubrica praecipit: in adultis enim huiusmodi patet etiam utilitas

horum Sacramentalium, quae omissa supplenda dicuntur, quia undequaque infirmitatibus sunt circumdati, et valido ad eas repellendas scuto indigent; atque hinc est, quod Rubrica omissiones supplendas praescribit.

At eadem Rubrica (aliquid adnotandum censeo) Ritualis Tit. De Baptismo adultorum, quem supra attuli, § XVI haec habet: «Omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur». Haec non inutiliter habet Rubrica. Postrema haec verba cum aliis *in ordine supplendi omissa* relatis conferenda sunt, in quibus absolute dicitur *omissa omnia suppleantur :* ex illis liquet non ita stricte servandam esse hanc Rubricam, ut quae supplenda essent, omitti numquam possint. Datur enim casus quod Episcopi (statim ac ipsi illorum prudentiae res committatur) possint dispensare a supplendo omissas caeremonias, si quae sunt rationabiles causae, quae illos ad haec ipsa omittenda moveant; ne forte innumerae oriantur dissensiones de Baptismo ipso, de necessitate earumdem caeremoniarum, praecipue in civitatibus, in quibus magnus Haereticorum numerus reperitur; cum praesertim validum sit Baptisma sine his caeremoniis collatum. Addam postremo quod habet Trombellius Disset. XVIII, in cuius secunda parte agit de caeremoniis in Baptismo privatim administrato omissis, et postea suppletis. Multos ipse auctores refert, qui de Rituali agunt, et ipsa Ritualia diversa depromit: Ambrosianum a Martenio integrum relatum; Rituale Cardinalis Sanctae Severinae, seu, ut alii volunt, Gregorii XIII ac Clementis VIII, quod Rituale maxime commendat Paulus V, in praefatione Rituali Romano praeposita, affirmans fuisse a Viro singularis pietatis et doctrinae b. m. Iulio Antonio S. R. E. Cardinali S. Severinae nuncupato longo studio, multaque industria et labore plenissimum, compositum; Rituale ipsum Romanum Pauli V iussu editum; et hoc Rituali, quod reliquis omnibus est usitatius, usus praesertim fuit praestantissimus Ioseph de Armstat Episcopus Augustanus. Hoc idem Rituale sive nostrum Romanum consuluit pariter praeclarissimus Cardinalis Armandus Rohan Episcopus Argentinensis, dum in Rituale Argentinensi edidit ordinem supplendi caeremonias tam super infantes qui sine ullis caeremoniis sunt baptizati, quam super adultos pag. 60, 61. Multa quidem adiecit ad utilitatem dignitatemque Baptismi, et caeremoniarum quae in eo adhibentur copiosius explicandam, ex quibus constat ita Ecclesiam preces et ritus in Baptismo administrando praescriptos accommodasse, ut iis rectissime utatur, dum ab Ecclesiastico Ministro in sacro templo et in publico fidelium coetu suppleri iubet quod in privata Baptismi collatione omissum fuerit. Multa inquam adiecit; sed sic ordinem praedictum supplendi caeremonias Baptismi super adultos concludit: « Haeretici ad Ecclesiam Catholicam venientes, in quorum Baptismo debita materia debitaque forma servata fuit, moneri quidem possunt post factam a se haeresis abiurationem ad suscipiendas hasce Baptismi caeremonias; sed cogi non debet. Iis solum conferantur, sive infantibus sive adultis, qui vel quorum parentes ea ex pia devotione expetierint ». Haec conformia maxime sunt iis quae Rituale Romanum habet, quaeque supra retuli; nempe « omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur »: et fortasse hanc omissionem vel prudentiam in omissione exposcit, vel contentionum vitatio, vel iurgiorum occasio aliqua, vel aliqua alia non improbanda ratio. Quibus omnibus animadversis, et cum his quae superius sunt adnotata collatis, ad propositum dubium rescriptum est: « Quatenus supplendae sint, et supplendae esse credantur caeremoniae, ut in dubio, illae supplendae sunt quae pro adultorum Baptismo sunt praescriptae ».

Ad Dubium V. Exponit Illmus ac Rmus Episcopus Rhedonensis Praedecessorem suum Barreau de Girac anno 1785, cum novam Missalis editionem in usum Rhedonensis Dioecesis typis mandavit, hanc de Missis Votivis defunctorum privatim celebratis apposuisse clausulam: « In diebus, quibus Missa repetenda foret de Dominica, infra hebdomadam, Missa votiva aut pro Defunctis dici potest; quod tamen passim non fiat, nec sine rationabili caussa, quae gravior esse debet aliis diebus, in quibus habetur Missa de Festo etiam simplici, aut propria de Feria et in Feriis Adventus: tunc enim rectius dicitur Missa occurrens, nisi aliter exigat fundationis alicuius tenor expressus ». Haec itaque clausula superiori Dubio facilis admodum solutionis occasionem praebuit; quod propterea paucis solutum videtur.

Praetermitto hic super praedicta clausula aliquid adnotare, quod adnotari certe posset. Dici enim posset communibus Indultorum de Altaribus sive localiter sive

personaliter privilegiatis legibus et conditionibus adversari; per se enim hoc patebit, quin aliquid singulariter adnotem; mitto etiam rationes in clausula ipsa adductas ad examen vocare, cum in ea dicatur graviorem rationem requiri celebrandi Missas et votivas et pro defunctis diebus quibus occurrit Missa de Dominica repetenda, quam diebus, in quibus habetur Missa de Festo simplici, aut propria de Feria in Feriis Adventus: haec ratio sponte omnino corruit. At etsi adducta valeat ratio, in oppositum valet; tunc enim maior est Missae cum Officio concordatio, quod quidem attendendum est quodque in altero casu ut plurimum non occurrit.

Mitto haec omnia, et directius respondeo. Missae in Altari privilegiato celebrandae, ex ipsis conditionibus appositis in concessione, debent esse *de Requie,* nisi cum aliud Festum duplex, vel Dominicus dies occurrat; tunc enim acquiritur indulgentia, etiamsi Missa de Festo celebretur. Perinde est autem sive altare illud privilegium habeat perpetuum, sive ad septennium, sive certis tantummodo infra hebdomadam diebus, sive privilegium sit personale... Si igitur Testator, vel eleemosynam pro altari privilegiato Fidelis praebens, iusserit celebrari Missas certis statutisque hebdomadae diebus ad altare privilegiatum, et in dies istos incidat aliquod Festum etiam duplex, satisfiet Testatoris et Fidelis eleemosynam offerentis voluntati Missam de Festo celebrando. Idem dicendum de diebus, in quibus duplex non occurrit, sed Missae pro Defunctis dici nequeunt, ut in Octiduis Epiphaniae, Paschatis et Pentecostes. Licet autem in Octiduis Corporis Christi ac Natalis Domini de Festo duplici celebritas agatur; Sacra tamen Rituum Congregatio annis 1670 et 1700 vetuit ne solemnia pro defunctis eo tempore indicerentur. Idem omnino praecipitur cum Sacrosancta Mysteria palam exposita adorantur. Haec omnia ex Decretis variorum Summorum Pontificum liquet; quorum postremus est Innocentius XI, qui Decretum super hac re edidit: quod et confirmavit Clemens XI; et haec apud Benedictum XIV indicata reperiuntur Institutionum XXXIV, § 26, 27, in quorum primo ait Pontifex: « Iuxta Missalis Rubricas Missae privatae pro defunctis quocumque die dici possunt, praeterquam in Festis duplicibus et Dominicis diebus, item quibus diebus de Festo duplici nullum Officium institui potest »: et iure, nam si dies excludunt Officium duplex, eo magis excludunt *Missas Votivas et de Requie.*

Itaque Missae Altaris privilegiati debent esse *de Requie,* nisi hae nequeant celebrari vel ratione Festi duplicis, vel quia vetantur. Ex his omnibus inferendum est Missas ad lucrandam Indulgentiam pro Defunctis in Altari privilegiato sive *locali* sive *personali* non solum posse, sed etiam debere esse *de Requie,* nec ullam caussam requiri ut celebrentur in diebus non vetitis, sive occurrat de Sancto simplici, sive de Feriis Adventus. Dixi *debere,* et de iure; nam eo ipso, quo quis diebus istis non celebret *de Requie,* privilegio vel locali vel personali facto renunciat; cum ex lege, ex conditionibus memoratis, hisce diebus, ut privilegio gaudeat, Missam *de Requie* celebrare tenetur. Quare clare evincitur diebus in Dubio memoratis, et a clausula Episcopi Rhedonensis, hodierni Episcopi praedecessoris, exclusis, non modo posse, sed et debere Missam *de Requie* celebrari, ne frustraneum Altaris privilegium reddatur.

Quid plura? (et hoc ad omnem removendam praecavendamque dubitationem aliis adductis adiungam) Episcopus Rhedonensis, rationem inquirens clausulae a suo Praedecessore, Missali adiectae pro celebratione Missarum (quod quidem nescio qui fieri posset) advertit, ideo fortasse fuisse adiectam, quia dari poterat Sacerdotes raro de feria aut de Sancto celebrare, quia in Dioecesi Rhedonensi multo plures dicuntur Missae pro Defunctis, quam pro quacumque alia causa; *ita ut ex centum stipendiis* nonaginta, *ad minus,* dentur in gratiam defunctorum. Si ita est, iam ratio celebrandi memoratis diebus etiam iis, quos clausula praedicta exclusos vellet, maiorem vim accipit. Est igitur ratio potior cur defunctorum animae suffragio peculiari non priventur, et est potior et gravior ratio, ob quam, cum possit, debeat in altari privilegiato vel personali vel locali celebrari Missa *de Requie.* Et si lex generalis Rubricarum, quas Gallia recepit (recepit autem, et eas servandas ostendit, nam et Pontificum et S. R. C. super Rubricis edita appellat); si, inquam, lex generalis talis est, ut memoratis diebus, in quos vel Festum de simplici, vel feriale Officium, vel Adventus cadit, non solum permittit celebrationem Missae *de Requie,* sed et ad eam obligat, statim ac nullus privilegio gaudet nisi huiusmodi Missas celebret iis diebus; cum insuper particularis cuiusdam Episcopi dispositio huic

universali praescriptioni opponatur, non illi sed huic standum est; atque idcirco his diebus Missa *de Requie* dicenda est, ut et lex servetur, et ne purgantium animae peculiari piaculo priventur, neve ex hac particulari Episcopi Rhedonensis dispositione et clausula patiantur detrimentum.

Si haec non sufficiant, addam et alia, ut hodierno Illmo Episcopo satisfiat, illiusque animus acquiescat. Ecclesia animarum suffragio consuluit, et fidelium viventium voluntati. Ne enim illae suffragiis privarentur, voluit, quod si ex benefactorum praescripto Missae *de Requie* celebrandae incidant in Festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, sed dicantur de Festo currenti cum applicatione Sacrificii iuxta mentem eorumdem benefactorum. Patet id ex Decreto generali sub die 5 Augusti 1662 in authentica Collectione Decretorum. Idem confirmavit S. R. C. in Elboren., in quo servandum esse hoc generale Decretum statutum fuit. Idem sancitum reperitur sub Alexandro VII die 20 Iulii 1669. Idem denique in Tirasonen. die 15 Septembris 1714. Quare non video cur de hoc possit dubitari. Sive igitur dies inspiciamus, de quibus in dubio, cum hi dies sint feriales, vel eos in quos incidit Festum de simplici, tales sunt ut in his non solum possit sed debeat celebrari Missa *de Requie*, sive S. C. R. decreta investigemus, quae permittunt, ut in duplicibus etiam de Festo occurrente Missa celebretur cum applicatione Sacrificii, iuxta benefactorum mentem, et in utroque casu provisum sit animarum suffragiis: in primo, servando regulas statutas quoad privilegium Altaris vel locale vel personale, et celebrando Missam *de Requie;* in secundo autem permittendo Missam de festo cum applicatione Sacrificii; si inquam, haec omnia consideremus, clausula praedicta nihil officit. Quare patet: « Non comprehendi incitato Decreto diei 15 Septembris 1714, dies vel feriales, vel de Festo simplici, itemque opus non esse nova concessione pro applicatione aliis diebus; et dari posse Decretum generale iam datum, quod nuper relatum est ».

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2744. LUCERINA. (4781)

Ad Dubium I. Quibus honoribus, quibus privilegiis quibusve praerogativis honestatae sint Basilicae sive maiores sive minores incertum sane est; et quod sciam, et quod legerim apud Liturgicos nullus fortasse inter scriptores reperitur, qui de hoc fuse saltem appositeque pertractet. Scriptores enim qui de Basilicis agunt, toti in eo plerumque sunt ut vel vocis etymologiam inquirant, vel ex profano sacrum illarum usum memorent, vel internam externamque illarum formam, structuram, ornatum, magnificentiam, splendorem describant; atque hinc nihil ab illis decerpi aut sumi potest, quod nostro huic proposito possit accommodari.

Dixi initio incertum omnino esse quibus privilegiis, gratiis etc. Basilicae gaudeant; nam, ut plurimum, non gaudent privilegiis et praerogativis quae intrinsece et absolute iis debeantur, sed iis, quae ipsis per varia tempora concessa fuerunt, ac proinde non omnia omnibus communia sunt; unde reipsa videmus quasdam privilegiis et honorificentiae insignibus gaudere, quibus aliae prorsus carent. Id autem ex eo evenit, vel quia Ecclesiis quibusdam ob earum antiquitatem et celebritatem aliquid prae aliis concessum fuit, vel quia Summi Pontifices alias prae aliis honestatas voluerunt ob aliquod singulare et praeclarum in Christi Ecclesiam facinus, vel in ipsos Romanos Pontifices benefacta, vel quia Clerus ipse optime de Ecclesia et Pontificibus meritus decorari singulariter dignus habitus fuit. Hinc est quod ipsae Episcopales Ecclesiae nunnullae hoc illove privilegio gaudeant, et Episcopi ipsi, dum Sacrum solemniter agunt, aliquo in Altari ipso insigni utuntur, quo anteacti temporis, vel civitatis vel Episcopi praeclare gesta in memoriam revocentur.

In tanta rerum obscuritate, in tanto auctorum silentio, si quid statui hac in re poterit, id totum vel ex praecellentia Basilicarum super aliis Ecclesiis, vel ex aliarum minorum Basilicarum exemplo poterit desumi, et quae concedenda sunt Ecclesiae Lucerinae ad aliarum minorum Basilicarum exemplum componi; ut quod ipsi non debetur intrinsece et absolute quoad honorificentiae insignia, ex iis, quae aliis concessa sunt, et ipsi concedatur, ne Literarum Apostolicarum verba inutilia ipsi reddantur, et specie tantum data concessio habeatur: quod suspicari nefas esset.

Ut de excellentia Basilicarum prae aliis Ecclesiis aliquid dicam, Basilica, si eius perquiremus etymologiam, regiam sive regis domum significat. Apud gentiles ad publica

peragenda negotia quasi diversorium erat; de quo Seneca lib. 3, de ira, Cap. 33: « Fremitu iudiciorum Basilicae resonant ». Erat locus ad ius dicendum; sic apud Plinium accipitur lib. 6, epist. 33: « Sedebant iudices centum et octoginta . . . . ingens utrinque advocatorum et numerosa subsellia, adstantium corona latissimum iudicium multiplici circulo ambibat. Ad hoc stipatum tribunal, atque etiam ex superiore Basilicae parte, qua foeminae, qua viri, et audiendi, quod erat difficile, et visendi studio imminebat ».

Has postmodum Christiani Basilicas in Ecclesias et ex profano ad sacrum usum, et in locum ad Divina peragenda Officia converterunt. Unde apposite scribit Isidorus lib. 5 Originum: « Basilicae prius vocabantur regum habitacula; unde et nomen habent. Nunc autem ideo Basilicae divina templa nominantur, quia ibi regi omnium Deo cultus et Sacrificia offeruntur ». Hinc Antonius in gratiarum actione pro suo Consulatu: « Basilicae olim, inquit, negotiis plenae, nunc votis pro tua salute susceptis ». Dicitur etiam Basilica, quae templum etiam gentilium prius erat et sic vocata, et postea Deo vero consecrata. Hinc Ennodius in consecratione Basilicae Apostolorum, ubi templum fuit idolorum, scribit: « Veni ergo, piissime Domine, et ad consecrationem operis tui plenus illabere vice humani: per baptisma pectoris purgentur haec templa turpi hactenus dedicata patrocinio »; et Sanctus Augustinus, De civitate Dei, templum Vaticanum *Basilicam amplissimam* appellavit. Differentia erat inter templa et Basilicas; in templis enim columnae, quibus illa ornabantur, in externa parte, in Basilicis vero in interna positae erant. Basilicae apud Christianos, initio, quoad religiosum cultum aliqua ratione a Templis differebant. Nam illae plerumque, singulariter ad Sanctos, praesertim Martyres colendos statutae erant; Templa vero ad sacra celebranda mysteria erant destinata. Ex quo autem Ecclesiarum numerus crevit, tunc Templa sive Basilicae indiscriminatim Ecclesiae sunt appellatae, et tam Sanctorum cultus in utrisque agebatur, quam divina mysteria, nulla facta inter utrumque distinctione, in utrisque pariter sunt celebrata. Basilicae nomen non aliae Ecclesiae retinuerunt, sive non aliis Ecclesiis hoc nomen Basilicae datum fuit, quasi antonomastice, nisi iis Ecclesiis quae per totum orbem magis essent insignes, vel ob antiquitatem, vel ob magnitudinem, aut celebritatem quae ipsis inerat, quaeque per hoc ipsum maiori veneratione, ut ita dicam, dignae habebantur. Haec fuit temporis progressu celebrioribus Ecclesiis data denominatio. Ast cum ob aliquam peculiarem rationem Basilicae nomen a Summis Pontificibus aliis etiam Ecclesiis concessum fuit, quae iis per se non gaudebant antiquitatis aut celebritatis, aut, si dici potest, maioris cultus notis; tunc, facta inter vetustiores et novas Basilicas distinctione, illae *Maiores* hae *Minores* Basilicae nuncupari coeperunt, quemadmodum Basilicae minoris nomen Lucerinae Ecclesiae nostrae concessum nuper est. Et haec maioris vel minoris appellatio alteri aequivalet *primi aut secundi ordinis.* Quatuor tantum primariae Ecclesiae Romae Basilicae maiores dicuntur, seu Patriarchales Ecclesiae, in memoriam primarum quatuor Patriarchalium Cathedralium: Lateranensis, Vaticana, Sancti Pauli via Ostiensi et Liberiana; quarum prima, iuxta Macrium aliosque, Sedem Romanam, in qua novus Pontifex instituitur, praesignat; secunda Constantinopolitanam repraesentat; tertia Alexandrinam designat, quarta Antiochenam Sedem exhibet.

Differentia patet inter Basilicas *Maiores* et *Minores;* quae vero sint utrarumque privilegia, honores et caetera quae ipsis tribui debeant, silentibus Auctoribus ignorare penitus fateri cogor; nec me pudet, cum deficientibus monumentis, nullis extantibus super hoc legibus, certi aliquid statui a nemine possit, et ipsis Basilicis Maioribus diversa a Summis Pontificibus, nec omnibus aeque communia, tributa et concessa sint. Quid igitur? Rem imperfectam relinquam? Haud quidem decet; et ab ipsis Apostolicis Litteris, ab aliarum Basilicarum exemplo desumenda responsio erit.

Iam dubitari nequit Ecclesiae Lucerinae *Minoris* Basilicae titulo decoratae aliquid concedi voluisse; et ea sane, quibus Basilicae Minores gaudent et utuntur. Legitur enim in Litteris Apostolicis: « Regale et Cathedrale Templum Luceriae Neapolitani Regni in Basilicam Minorem cum omnibus et singulis privilegiis . . . . quibus Basilicae Minores utuntur, vel uti et frui possunt et poterunt, erigimus et constituimus ». Ne igitur frustranea sit concessio, cum aliquid debeat concedi, et ea concedenda dicantur quibus Basilicae Minores utuntur, videndum quae sint ea, quibus utuntur Basilicae memoratae. Sequetur enim haec esse, de quibus

Apostolicae Litterae loquuntur. Siquidem, quaedam, ut Romae videmus, sunt omnibus communia, quaedam vero aliquibus concessa. Communia sunt Conopaei (sive italice *Padiglione*) usus, et usus Tintinnabuli, quod illud praecedit in sua cuiusque Ecclesia, et in supplicationibus toti Clero communibus: in vestibus vero Choralibus Cappa Magna pellibus armellinis ornata in anteriori parte per hyemem, et Cotta super Rocchettum, cum Cappa deponitur, per aestivum tempus. Quae vero aliquibus concessa sunt singulariter, pauca sunt, quod sciam, et fortasse sola Palmatoria, et haec quidem, aliquibus in Missis tantum solemnibus, aliquibus in Missis etiam lectis, sed infra Ecclesiae suae taxative limites; ut non multis ab hinc annis Basilicis S. Laurentii in Damaso concessum non ignoramus, et S. Mariae in Transtyberina Regione. Haec sunt, quae si non intrinsece et absolute Minoribus Basilicis conveniunt, reapse tamen concessa ipsis sunt, et his ipsae utuntur, vel ex communi usu, vel ex singulari concessione. Iam cum Litterae Apostolicae concedant Ecclesiae Lucerinae ea, quibus Minores Basilicae uti et frui possunt, non quae intrinsece et absolute conveniunt; licet Conopoeum et Tintinnabulum non memorent, hoc tamen privilegium, hoc honorificentiae saltem signum concedere eas voluisse dicendum est; quemadmodum et Cappam supradictam in hyeme, et cottam supra Rocchettum aestivo tempore, nisi forte iam ante postrema haec, quod nescio, peculiariter sint concessa. Generalia quidem sunt Litterarum Apostolicarum verba, attamen eiusmodi ut de concessione nequeat dubitari.

Tota difficultas quoad Palmatoriae usum poterit moveri, cum haec non omnibus aeque minoribus Basilicis, sed aliquibus tantum, Romae, concessa sit. Dubitari hinc de hac potest, cum non communis sit aliis omnibus; quod enim universaliter omnibus est commune, id solum dicendum est voluisse concedi. At cum eodem tempore Ecclesia Lucerina sit etiam Ecclesia Cathedralis, posset aliquo modo dici id etiam voluisse concedi, quod habent aliquae Basilicae Minores, quae Cathedrales non sunt.

Quod spectat ad Conopaei et Tintinnabuli usum et horum concessionem exemplum non deest, et reperitur in una Calathaieronensi Syracusanae Dioecesis sub die 22 Martii 1817. Distractis enim quindecim Terris ab extensa nimis Syracusana Dioecesi, unam ex duabus in *Calathaieronensi* Civitate existentibus Collegiatis, nempe Ecclesiam S. Iuliani ad Cathedralitatis honorem tamquam alia aptiorem S. C. erigi voluit, erectaque reapse fuit. Altera vero Collegiata, nempe S. Iacobi ob eius insignitatem Basilicae Minoris titulo fuit condecorata. Supplicantibus huius Ecclesiae Canonicis, Conopoeum et Tintinnabulum gestandi facultas facta fuit. Verumtamen (ne quid me reticuisse incuser) quidam appositi sunt quoad horum usum limites, nempe: « in iis tantum solitis et consuetis Functionibus Ecclesiasticis, in quibus non concurrit cum altero Cathedralis Ecclesiae Capitulo; idque in Ecclesiae ambitu, vel inter limites tantum eiusdem Paroeciae: excepta dumtaxat ab hac limitatione solemni Supplicatione, ab eadem Collegiata fieri quotannis solita per vias Civitatis in die S. Iacobi eiusdem Titularis ». Hic, ut liquet, agebatur de Ecclesia Collegiata ad Basilicae Minoris gradum evecta, et in concursu cum Ecclesia Cathedrali, et idcirco iure merito prudenterque limites concessae facultati fuerunt praescripti. Hoc evenire nequit in Ecclesia Lucerina, quae simul est Cathedralis, atque idcirco nullam fortasse meretur exceptionem; cum aliquid semper ut Ecclesia Cathedralis in se honorificentius prae aliis omnibus Ecclesiis habeat. Unum tamen quoad Conopaeum adverterem, illius nempe materiam talem esse debere, a qua *auri argentive texturam* aut ornatum prorsus excluderem.

His omnibus positis, attenta dignitate Cathedralis Ecclesiae, attentis litteris Apostolicis, quae eidem Cathedrali Ecclesiae Minoris titulo honestatae privilegia, praeeminentias concedunt, quibus aliae Basilicae Minores gaudent, attentis aliarum Minorum Basilicarum exemplis, ne concessio frustranea et specie tantum data videatur, respondendum putarem: « per privilegia, praeeminentias, gratias intelligi Conopaeum omni tamen auri et argenti ornatu excluso, et Tintinnabulum, usum Cappae, ut supra dictum est »: quibus, Eminentissimi Patres, si ad exemplum nonnullarum Minorum Basilicarum Urbis *Palmatoriam* propria tantum in Ecclesia addere velitis, haud quidem repugnarem cum aliquo modo Apostolicas Litteras favorabiliter interpretando posset includi, et ad *R. D. Secretarium cum Sanctissimo.*

Aliae *Exemptionum, Indultorum etc.* voces verba sunt generalia, quae quidem cum

nihil honorificentiae, ut videtur, singulare includant, nihil etiam huius generis concedunt, ac nullam dari ab hac S. Congregatione declarationem exposcunt; quaenam sit nimirum illorum vis, quid significent, quove modo Cathedrali Lucerinae debeant aptari: atque proinde non erat huius S. Congregationis haec omnia inquirere.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2745. VERONEN. (4782)

Ad Dubium IV. Peropportunum valde videtur nonnulla hoc in loco in medium proferre tam de benedictionibus Ecclesiasticis in genere, earumque origine et antiquitate, quam de benedictione, quae datur in fine Missae; priusquam de ea benedictione agatur, de qua sermo est in dubio, quae fortasse ad illarum similitudinem dari coepit. Itaque Benedictio Ecclesiastica est precatio quaedam, qua aliqua sanctitas confertur, et illa proprie dicitur quae fit nomine Ecclesiae, et ex auctoritate a Deo ei concessa, quando nempe quis ratione sui muneris, quo fungitur, petit a Deo ut vel personis vel rebus bona convenientia tribuat. Deus enim posuit Sacerdotes et Ministros Ecclesiasticos dispensatores benedictionum suarum, uti docet eruditissimus Iacobus Eveillon Canonicus Andegavensis Ecclesiae in lib. De processionibus Ecclesiasticis, et probat ex cap. 6 Numerorum; ubi per Moisen locutus est Aaron et filiis eius: « Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis: benedicat tibi Dominus, et custodiat et ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui: convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. Invocabuntque nomen meum propter filios Israel, et ego benedicam eis ». Hinc ipsum Numerorum locum inter alios interpetratus est S. Doctor Petrus Damiani ad cives Florentinos scribens his verbis: « Dominus in lib. Numerorum de Sacerdotibus ait: Invocabuntque nomen meum super filios Israel. Ego benedicam eis. Sacerdos quippe Dominum super hominem verbis invocat, sed ipse super eum Dominus benedictionem efficaciter format. Effectus itaque benedictionis non ex merito Sacerdotis constat, sed hanc invocatio divini Nominis administrat, ut quod ex ore sonat hominis, intus impleat Creator, et per indigni saepe hominis ministerium Divinae virtus suum veraciter efficit Sacramentum ». Deo itaque operante in ministerio Sacerdotali benedictio Ecclesiastica suum sortitur effectum; non quidem ex opere operato ad instar Sacramentorum, sed ex vi precum Ecclesiae, quae cum Christi sit sponsa, non potest non exaudiri ab eo pro merito et dignitate sua, quando aliquid pro filiis petit. Tota itaque benedictionum Ecclesiasticarum vis posita est in oratione et invocatione Ecclesiae, quae fit per suos Ministros; hinc est, quod non aliis formulis, non aliis verbis uti quisque benedicendo debeat, quam iis, quae ab Ecclesia sunt constituta. « Ita, inquit memoratus Eveillon, Ecclesia divino Spiritu edocta omnium rerum benedicendarum formulas conceptis verbis definivit in libris Ritualibus, ut sciant Sacerdotes quid in singulis et quomodo petendum sit, ne scilicet temere et pro arbitrio loquendo ab eius institutione, proposito et fine excedant, et sic optatis decidant ». Haec in genere de Benedictionibus advertuntur; sed aliud aliquid hic addere iuvat, quod non inopportunum videtur. Ex communi Theologorum sententia benedictiones duplicis sunt generis. Aliae *invocativae* dicuntur, aliae *constitutivae* appellantur. Invocativae benedictiones illae sunt, quibus Dei benignitas invocatur, ut vel personis vel rebus pro benedictionis diversitate et vario rerum benedicendarum usu aliquid boni tribuat, easque a malo vindicet, non tamen immutato earum statu. Huiusmodi sunt benedictio Episcopalis, ea quae datur post Confirmationem, ea quae datur a Celebrante Diacono Evangelium lecturo, et quae ab ipso Celebrante nunc datur populo in fine Missae, aliaeque huius generis multiplices benedictiones, ut vinearum, frugum, esculentorum, aliaeque innumerae, quarum formulae habentur in libro Sacramentorum S. Gregorii, in Ordinibus Romanis et in recentioribus Ritualibus; quae omnes sunt boni alicuius adprecatio. Harum benedictionum virtute, licet aliquod vel temporale vel spirituale bonum divinitus ex Ecclesiae intentione tribuatur, vel rebus, vel personis, super quibus nomen Domini invocatur, tamen hae in suo naturali statu remanent, nec in sacrarun rerum ordine possunt adnumerari. *Constitutivae* vero benedictiones illae dicuntur, per quas personae vel res benedictae ad divinum cultum destinantur, et in statu permanenti rei sacrae constituuntur: ita ut receptum per benedictionem hunc statum amplius non immutent, neque ad profanum statum aut usum re-

dire possint, aut profanae ullo modo considerari vel effici valeant.

Hae autem multiplices sunt; quaedam enim spectant ad aliquid simpliciter sacrum significandum; quaedam destinantur ad Dei cultum, et certa nostrae Religionis officia et ministeria, uti Episcopi, Sacerdotes et reliquorum Ordinum Sacri Ministri, vasa sacra etc.; quaedam vero ita benedicuntur ut ad aliarum rerum benedictionem praeparentur, uti sunt sacrum Chrisma, Oleum catechumenorum, quibus in consecratione vel ordinatione iuxta diversum Pontificalis praescriptum inunguntur Episcopi, Sacerdotes, et Fontis baptismalis benedictio peragitur. Haec omnia cum per benedictionem seu consecrationem in ius Domini transierint, et sacra sint facta, nequeunt in usum hominis adhiberi, aut ad profanum usum transferri iuxta celebrem iuris Canonici regulam in cap. 51, de Regulis Iuris in VI: « Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum ». Hinc quae sunt constitutiva benedictione consecrata in suo semper manent consecrationis statu; quae autem sunt benedictione tantum invocativa benedicta, licet statum possint immutare et aliquo modo ad humanos usus adhiberi, ad profanos tamen numquam possunt, quemadmodum plerique et magni nominis auctores sentiunt; sed haec investigare alienum prorsus esset a proposito.

His generice de benedictionibus adnotatis, nullum dubium est benedicendi ritum vetustissimum esse; hic enim reperitur in veteri Testamento, et ex eo eruitur quod elevatis manibus perficiebatur, ut legitur Esdrae cap. 8, num. 6: « Et benedixit Esdras Domino Deo magno, et respondit omnis populus Amen, Amen, elevatis manibus suis, et incurvati sunt et adoraverunt Deum proni in terra ». Hoc autem fiebat in signum invocandi Altissimum. Sic etiam in iuramentis peragebatur; quemadmodum legitur Danielis cap. 12, 27: « Cum elevasset dexteram et sinistram suam in coelum et iurasset per viventem in aeternum ». In Sacris litteris de huiusmodi actibus saepe fit mentio. Et ideo Christus Dominus dum in coelum ascendit, elevatis manibus, benedixit Apostolis, sicuti in Evangelio Lucae notatum reperitur; quae fuit vera super eos benedictio, sive super illos bonorum adprecatio. Apostoli super fidelibus per manuum pariter elevationem quasi a Deo susciperent benedictionem, quam impertiebant, fidelibus bona adprecabantur. Deinde ex ipsa apostolica traditione inter Christianos, manibus in coelum prius elevatis, et facto Crucis signo, per quam mundo salus facta est, ex qua bona omnia dimanant et in qua per Christi mortem humani generis redemptio perfecta est, facto, ut supra, Crucis signo, dari cepit benedictio; quem ritum haud errare putandus esset qui assereret a Christo Domino in praefato Ascensionis die ortum suum habuisse, ad cuius similitudinem, peracta Missa, benedictio populo confertur. « Etenim, scribit Amalarius lib. 2, de offic., cap. 26, Dominus ante Ascensionem in coelos duxit Apostolos in Bethaniam, ibique benedixit eis, et ascendit in coelum. Hunc morem tenet Sacerdos ut post omnia Sacramenta benedicat populo atque salutet, deinde revertitur ad orientem, ut se commendet Domino ».

Ecclesia itaque ex veteri Testamento et ex Christi Domini exemplo sumpsit benedictionum ritum, quem semper retinuit: « quemadmodum enim, scribit Rhabanus Maurus, in Numeris Deus certam formam populo benedicendi Aaroni et Sacerdotibus veteris legis praescripsit, ita quoque usus Ecclesiae, quae multiplices benedictiones in diversis rebus habet ».

Priusquam autem directe et specialiter de benedictione agatur, de qua in dubio sermo est, haec benedictio dabatur olim a Sacerdote immediate post communionem, ut ex adducta auctoritate patet, et ex quamplurimis auctoribus colligitur; soli autem Romano Pontifici licitum erat in fine Missae populo benedicere, iuxta Rodulphum propositione 23. Itaque reliqui Celebrantes Sacrum divinum absolvebant per illam orationem *Placeat:* quod ex sequentibus verbis patet: « Finitis omnibus, osculato Presbyter altare dicet: Placeat tibi Sancta Trinitas: deinde sacris vestibus se exuat; ita ord. Romanus ». Haec autem oratio *Placeat* in pluribus reperitur Sacramentariis post saeculum nonum scriptis. Eam Sacerdos secreto recitat; « est enim, ut observat Benedictus XIV in suo Opere de sacrosancto Sacrificio Missae lib. 2, cap. 24, § 5, pro ipso peculiaris oratio, eamque dicit inclinatus, ut aequum est, ad altare, siquidem ad Sanctissimam Trinitatem dirigit ». Idem ut supra legitur in quodam antiquo Caeremoniali Mileti anno 1609 exarati. Sic etiam observant Carthusiani qui benedictionem non dant in fine Missae, nec Evangelium S. Ioannis in fine recitant, ut notat Puget

tom. 2, Institutionum catholicarum p. 890, cum quo concordat Ritus olim Cisterciensium: rationem eius Ritus affert Ioannes Bacossen in Expositione Missae Basileae exarata anno 1419, *cum scilicet qui populum non habet, nec benedicere.* Hodie tamen Carthusiani, si in Templis celebrent, quae non sunt sui Ordinis, populo benedicunt; ut colligitur ex eorum recentioribus Constitutionibus stat. 3, cap. 1, n. 58. In veteri Dominicanorum Ordinario lib. 2, ut refert Marcellus de Cavaleriis, Statera sacra, tit. 29, n. 50 ita legitur: « Et si consuetudo patriae fuerit et extranei fuerint hoc expectantes, dent benedictionem iuxta morem patriae ». Ideo autem benedictio, ut supra notatum est, post communionem dabatur, ut qui Eucharistiam non susciperent, saltem cum illa benedictione discederent, quemadmodum sentit Micrologus; sicut hodie Sacerdotes qui post Missam vel extra eam solent communicare, dant benedictionis signum in fine illius communionis pro non communicatis.

Diversa quoad benedictionem, quae datur in fine Missae, fuit Ecclesiae disciplina. Siquidem simplex Sacerdos nequibat olim benedictionem populo impertiri iuxta can. *Ministrare* 26, q. 6: « Benedictionem quoque super populum in Ecclesia fundere Presbytero penitus non licere ». Hoc autem Sacerdoti nunc permittitur postquam divinum Sacrificium peregit. Dictum est *permittitur;* si enim totam dictam antiquitatem perscrutemur, neque id Presbytero simplici licitum olim erat, ut notat Benedictus XIV, tum in Constitutione XLVIII in cuius initio agit de solemni benedictione, quae ab Episcopis datur, quod ad praesens dubium nullimode pertinet, tum in Opere de Sacrificio Missae. Etsi enim, ut ipse in utroque loco observat, in usu semper fuerit, ut re divina peracta populus cum benedictione ab Ecclesia dimitteretur, id tamen non a Sacerdote celebrante, sed vel ab Episcopo si praesens aderat, vel eo absente ab Archipresbytero iussu ipsius praestabatur; et hoc in sensu explicari iuxta ipsum debet Decretalis in cap. Officium, de officio Archipresbyteri, ubi inter archipresbyteralia munera recensentur Benedictiones Presbyterales in Ecclesia dare: prout advertit etiam Gonzales in idem caput Officium, n. 2, quod ante plane comprobaverat Sausses in Panoplia Sacerdotali p. 558. Haec tum ex iure, tum ex antiquitate et monumentis eruuntur; et hinc est, quod de hac benedictione silent omnino Amalarius, Floras, Walfridius et Renisius saeculi IX Scriptores: eius tamen mentionem facit Micrologus, ut supra relatum est. Ast ex multis saeculis contraria nunc viget disciplina, ex qua facultas Sacerdoti celebranti facta est benedictionem super populum impertiendi absoluta Missa: immo nunc praescribitur a Rubrica, ut Sacerdos populo benedicat. Sic enim legitur in Rit. celebrandi Missam, tit. XII, de benedictione in fine Missae et Evangelio Sancti Ioannis: « Extensa manu dextera, iunctisque digitis, et manu sinistra infra pectus posita, semel benedicit populo dicens etc. ». Mittuntur hic quae a Rubrica iuxta diversos casus adduntur; inopportunum enim esset ea in medium proferre. Rationem autem benedicendi populo multis ab hinc saeculis sic affert Bellotus in Ritibus Laudunensis Ecclesiae, parte 1, pag. 136, n. 9: « At cum benedictio ad Missae perfectionem pertineat, nec hodie ab incepto Sacro recedere iure queat populus ante benedictionem egredi, ex praecitata Agatensi Synodo, quatenus integrae Missae non interesset quisquis praemature recederet; sequitur facultatem cuilibet Celebranti concessam esse privatam illam benedictionem ad finem Missae ubique locorum impertire »: quod quidem commemorat Quartus ad Rubricas Missalis p. 386, in dubiis conscientiae. Iuvat hic addere quod habetur in can. *Ecce ego D.* 11, 93: « Nemo Episcoporum invidia diabolicae tentationis inflatus irascatur in Templo si Presbyteri interdum exhortentur plebem, in Ecclesiis praedicent, si plebibus, ut dictum est, benedicant »: quae verba probant simul et olim Episcoporum tantum fuisse benedictionem impertiri, et nunc simplicibus etiam Sacerdotibus inesse facultatem.

Quod vero et simplices Sacerdotes benedicere possint in Missa, et quod hic ritus a multis saeculis invaluerit, liquido constat, aliis silentibus auctoribus praeter supra allatum Micrologum, etiam ex iis, quae habet Guido Abbas, qui saeculo decimo circiter vel undecimo vixit: loquitur enim ipse de consuetudine, quae aetate sua invaluit ut Presbyteri sub finem Missae populo benedicerent. Ita enim scribit: « Hinc et illa consuetudo apud modernos, quae non fuit apud antiquos, inolevisse videtur, ut in aliis temporibus etiam Presbyteri post finem Missae benedicant, ne populum ita benedictione et communione privatum discedere permittant»; et alibi: « Adeo in usum

iam usquequaque venit benedictio, ut nequaquam absque gravi scandalo a Presbyteris in populo praetermitti possit, nisi forte Apostolica Sedes generaliter et synodaliter prohibere voluerit ». Iam ex his verbis eruitur benedicendi ritum praefati auctoris aetate in consuetudinem transiisse, et grave scandalum in populo suscitasse huius benedictionis in fine Missae praetermissionem. Iam si haec consuetudo ea aetate inolevit, ob argumentum desumptum ab aliorum auctorum pene coaevorum silentio, nihil erui potest in contrarium.

Aliquando, placet et hoc addere, sive per abusum datae facultatis Presbyteris benedicendi populo post Missam, sive alia quacumque ratione, Sacerdotes item populo benedicebant ac nunc Episcopi ternis Crucis signis. Hic autem ritus sublatus fuit a sa. me. Pio V qui in solemnibus Missis dumtaxat eum voluit adhiberi. At postmodum Clemens VIII statuit ut Presbyteri in Missis etiam solemnibus unico Crucis signo populo benedicant; uti videri potest apud Martenium Tom. 1, pag. 243.

Ex allatis superius verbis, quae in canone *Ecce ego* leguntur, licet plerique cum Glossa sentiant illud *benedicere* generaliter declarare benedictionem, quae populo traditur a Sacerdote, qui divinum Sacrum perfecit tantum; ita eodem tempore interpretantur ut intelligi possit de quacumque benedictione, quam Sacerdotes manu impertiuntur post aliquam Ecclesiasticam actionem, puta post preces in novendialibus aliasque huiusmodi, post Litanias, ut in dubio. Nam cum haec sit ex benedictionibus quae invocativae appellantur, per quas Dei benignitas invocatur, ut vel personis, vel rebus benedicendis aliquid boni tribuatur, et eaedem a malo liberentur; quis prohibeat ut recitatis precibus Sacerdos populum cum hac benedictione sive adprecatione dimittat ut domum suam ab Ecclesia discedat? Fatendum quidem est auctores omnes loqui semper de benedictione a simplici Sacerdote danda in fine Missae, de qua supra sermo fuit, quamque impertiri populo antiquis temporibus ei non licebat. Sed cum nulla super hoc benedicendi ritu extra Missam extet prohibitio, cum bonum aliquod spirituale vel etiam temporale per hanc benedictionem ex divina benignitate Sacerdos adprecetur, cum denique haec consuetudo quasi undique invaluerit; hinc iure putandum est aut expresse aut saltem tacite factam esse vel fieri Sacerdotibus ab Episcopis Dioecesanis hanc populo extra Missam benedictionem impertiendi facultatem. His innixa rationibus S. R. C. affirmative respondendum huic dubio censuit, *si adsit consuetudo.* Consuetudo enim haec nec ulli adversatur prohibitivae legi, et bonum semper aliquod a Deo per eam populus sperare potest, quod ei Sacerdos a Deo quem invocat, adprecatur.

Ad Dubium VI. Non est hic inquirendum quo tempore Oratio Quadraginta Horarum inceperit, quis fuerit huius Orationis primus Auctor, et ubi ea fuerit instituta: haec qui desiderat adeat Summos Pontifices Pium IV in sua Constitutione: *Divina disponente Clementia,* Benedictum XIV in Instit. Eccl. trigesima latinae editionis; adeat insuper Ughellium, Ital. Sacr. Tom. 4, Thiersium, Cavalerium aliosque: hoc investigare alienum esset a proposito, et parum interesse videtur. Aliud est hic inquirendum, quod cum praesenti dubio est aliquo modo connexum. Sane licet Quadraginta Horarum spatio haec Oratio duraret, certum tamen non est hanc Orationem ubique, saltem initio, ante Sanctissimum Sacramentum fuisse peractam, et Hoc ea solemnitate fuisse expositum, qua hisce nostris temporibus solet exponi, cum vere dici possit aliquem ante Sanctissimum Sacramentum orare, quamvis Illud in Ciborio sit inclusum. Ipsa Clementina Instructio de sola loquitur Oratione, non de expositione; et ipsa fel. rec. Clementis VIII (a cuius aetate perpetuae adorationis in Urbe initium est repetendum) verba, nempe: *Orationis incensum in conspectu Domini dirigatur,* de publicis precibus possunt intelligi, quae semper, sive exposito, sive non exposito Sacramento in conspectu Domini fiunt. Non eadem in exordio fuit ubique praxis. Mediolani ex. gr. vel in ipsa huius Orationis institutione aevo S. Caroli Borromaei, non modo statutae et distributae successive sunt Ecclesiae, in quibus haec Oratio fieri deberet, sed in unaquaque Ecclesia expositum solemniter erat sacrum vas cum Eucharistia super altari, et Oratio fiebat diu noctuque sine ulla intermissione, ut clare colligitur ex Instructione eiusdem Sancti Antistitis. Aliis in locis quibusdam, et in nostra Urbe ipsa asseri certo nequit tempore huius Orationis Sacram Eucharistiam ab initio usque ad finem Orationis exponi consuevisse; quin immo valde de hoc dubitandum est.

Praeterea Romae in ipsa Orationis huius institutione, quae nonnullorum privato-

rum initio fuit, qui statis temporibus aliquam in Ecclesiam ad Religionis opera exercenda conveniebant, Oratio non ita erat perennis et continua, quemadmodum hac nostra aetate servatur, ut numquam per totum anni circulum in hac illave Ecclesia per quadraginta illas horas cessaret, et licet aliquibus in Ecclesiis Oratio per illas quadraginta horas non intermitteretur, et Sodales coram Sanctissimo Sacramento orarent, et invicem sibi ad orandum succederent, tamen non in omnibus aeque Ecclesiis Sacramentum expositum erat.

Dictum supra est ex Clementina Constitutione erui praeceptam fuisse continuam ante Sanctissimum Sacramentum Orationem, non vero continuam aeque expositionem; et hanc in arbitrio et facultate fuisse. At si hoc ab initio fuit, tamen non ita post; et tempore ipsius Clementis VIII consuetudo fuit inducta exponendi Augustissimam Eucharistiam in singulis Ecclesiis per integras quadraginta horas praescriptae Orationis. Auctor nobis de hoc est fel. rec. Benedictus XIV, qui in allata superius Constitutione, quamvis dicat expositionem Sanctissimi Sacramenti non fuisse a Clem. VIII aliqua lege praeceptam, eius tamen tempore merito statuit fuisse inductam. Haec enim habet: « Licet de exponenda publice Eucharistia nullum (Pontifex Clemens VIII) verbum faciat, coniici tamen potest tunc primum morem fuisse inductum, vel paulo ante, ut Sacra Eucharistia exponeretur, cum quadraginta horarum Oratio indicebatur »: quo in testimonio adnotandum apposite est, Benedictum XIV non dixisse paullo post, sed paullo ante: quae enunciatio omne tollit dubium circa praescriptionem latam et consuetudinem aetate Clementis VIII. Haec autem consuetudo, quae quodammodo Clementi ipsi coaeva dici potest, universalis est, diuturna, non interrupta, eam nunc vim habet quam praescriptae leges habent, nec alicui liberum est ab ea recedere.

Haec insuper consuetudo quam maxime laudabilis Orationi coniungendi expositionem Sanctissimi Sacramenti ex ipsa Clementina Instructione eruitur non obscure: leguntur enim in exordio haec verba: « Della Introduzione dell' Esposizione del Santissimo Sacramento per l'Orazione continua delle quarant'ore ». Neque obstat quod supra dictum est, quodque contradictionem quamdam offerre primo intuitu videtur; nam utrumque stare potest; haec enim verba ita sunt intelligenda ut demonstrent primum inductam fuisse perennem et perpetuam Orationem ante Sanctissimum Sacramentum (fortasse Romae), et postea usum invaluisse exponendi Sanctissimam Eucharistiam tempore continuae Orationis, initio quammaxime laudatum, postea praeceptum. Insuper addendum aliquid videtur per quod ostendatur, sicut continua et non interrupta est Oratio, continuam et non interruptam esse debere Sanctissimi Sacramenti expositionem; adeoque eos, qui a laudabili non modo, sed a praescripta consuetudine recedunt, Illud per aliquas horas in tabernaculo includendo, contra legem agere, quae continuam et non interruptam Illius expositionem praecepit. Id ex dictis patet; et ipsa S. R. Congregatio in Illerden. die 28 Aprilis 1607 iussit: « ne Concionatores caput tegant ante Sanctissimum Sacramentum expositum infra Octavam Corporis Christi, et quando per annum Oratio continua quadraginta horarum indicitur ».

Quidquid anteacto tempore factum fuerit, quidquid diversi sentiant auctores, inquirendo fueritne Orationi huic in institutione simultanea Sanctissimi Sacramenti continua expositio, vel posterioribus temporibus haec fuerit inducta; certum est morem nunc vetustissimum esse, et nunc legis vim habere, licet, ut iam observatum est, id initio in arbitrio fuerit; et Orationem 40 horarum sine simultanea Sanctissimi Sacramenti expositione haud nunc indicere licere.

Clementina Instructio non de institutione agit huius Orationis, sed ea continet, quae ordinem, et ea quae in expositione sunt servanda, respiciunt. Multa sane haec sunt quae afferre inutile esset, et praesens disquisitio non postulat; unum dumtaxat quod huic proposito opportunum videtur notare iuvat. Siquidem titulus Instructionis hic est: « Istruzioni ed ordini da osservarsi nell' Orazione continua delle quarant'ore »; primus autem paragraphus sic incipit: « Essendo state fatte sin dal tempo dell'Istituzione dell'Esposizione del Santissimo Sagramento per l' Orazione continua delle quarant'ore diverse provisioni ecc. ». In utroque loco usurpatur vox *continua;* et haec vox afficit *Orationem,* non vero *expositionem.* Hinc dicere quis posset praecipi Orationem continuam, non autem continuam expositionem, ita ut haec non illa possit interrumpi; sed hoc non sequitur semel ac, ut supra adnotatum est, Clementis VIII mens fuerit ut continua pariter et

Oratio et expositio esset; et hanc fuisse illius mentem clare patet ex eo quod ille Summus Pontifex voluerit ut Oratio Romae fieret ad exemplum Ecclesiae Mediolanensis. At Mediolani toto Orationis continuae tempore vas cum S. Eucharistia super Altari *diu noctuque* erat solemniter expositum; quis ergo non videt Clementis mentem fuisse ut cum continua et non interrupta Oratione, continua item et non interrupta Sanctissimi Sacramenti expositio simul coniungeretur? Dicendum itaque est nihil erui posse ex voce *continua* apposita Orationi, et non expositioni, neque posse expositionem interrumpi. Generice tamen et iuxta praescriptionem hoc dictum intelligatur; potest enim quandoque evenire ut aliqua in Ecclesia, rationabili aliqua interveniente causa, debeat Expositio interrumpi, sed hac deficiente, haud eam interrumpi fas est.

His adductis, quae proposito dubio opportuna visa sunt, quamplurima praescribit Clementina Instructio. Inter alia praecipit, ut in Missis dicatur Collecta de Sanctissimo Sacramento, cum iis exceptionibus quae videri possunt in ipsa Instructione. Iam si hoc Clementina Instructio praecipit, per hoc praecipit, quod supponit Sanctissimum Sacramentum eo tempore publice esse expositum, non vero in Tabernaculo inclusum; secus quicumque Sacerdos et quovis tempore in Missae celebratione posset Collectam addere de Sanctissimo Sacramento: quod non est ex Rubricis, quodque neminem qui asserat inveniri posse putandum est. Hinc sequitur Collectam de Sanctissimo Sacramento dicendam esse (cum exceptionibus supra citatis) tempore tantum quo Illud publice patet per expositionem. Ex his eruitur quod Collecta in Missis dicenda relationem habet ad expositionem, non vero ad Orationem, quae licet sit continua Collectam non exposcit. Duo autem haec, Oratio nempe et Expositio, valde in se differunt. Cum insuper continua debeat esse non solum Oratio per quadraginta horarum spatium, sed etiam per hoc idem spatium Expositio, sequitur quod si alicubi quis Missam celebret, et nondum ea in Ecclesia Sanctissimum Sacramentum, quavis ratione nocturnis horis in ciborio inclusum, nondum fuerit iterum publice expositum, Collectam, de qua agitur, addi omnino non debere. Si quis contra ageret et Collectam adderet eo tempore, contra finem ageret, per quem ea addenda praecipitur. Finis autem est, ut memoria fiat de Sanctissimo Sacramento, quando dici nequit Missa de eo, sed dicitur de aliquo Sancto; ut eo quo licet modo aliquid in Missis addatur quod referri possit ad ipsius Sacramenti expositionem, quodam particulari modo eam memorando, et in illius gloriam et Fidelium adstantium bonum redundet. Haec autem omnia supponunt veram, realem et patentem Sanctissimi Sacramenti expositionem; quae ut supra probatum est, continua et non interrupta esse debet. Cum itaque realis intermittitur Expositio, toto intermissionis tempore Collecta erit iure omittenda, deficiente principali fine, contra quem eam addendo ageretur. Demum contra S. R. C. Decreta adderetur Collecta; ex quibus clare patet eam esse addendam durante expositione. Sic in una Varsavien. die 7 Maii 1746 dicitur *durante Expositione;* quae enunciatio supponit veram et realem Expositionem. Sic pariter in una Canonicorum Reg. Lateran. die 2 Dec. 1684 dicitur posse (nempe addi Collectam praedictam) exceptis Festis primae et secundae Classis, ratione Sanctissimi Sacramenti actu et realiter expositi. Ex his omnibus quae adducta sunt clare descendit omittendam omnino esse Collectam de Sanctissimo Sacramento in omnibus Ecclesiis, quoties in illis Missae celebrantur, et nondum Sanctissimum Sacramentum, quod aliquibus horis in Tabernaculo inclusum fuit, iterum fuerit publice expositum; quemadmodum S. C. ad propositum dubium respondit.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2752. CONGREGATIONIS (4793) MISSIONIS

Ad Dubium III. Sacrosancta Tridentina Synodus ad varios tollendos abusus qui circa Sanctorum Imagines irrepserant, sive quoad habitum sive quoad formam, quae pictae aut sculptae in Ecclesiis aliisque locis ponebantur, multa censuit decernere. Inter haec non modo sunt quae prohibent imagines aliquid profani, eoque magis inhonesti, oculis Fidelium exhibentes, sed eas quoque quae novitatem redolent, et quae diverso modo pictae videntur ab eo, quo antiquo tempore pingi aut sculpi, et sic exponi in Ecclesia consueverant. « Postremo (verba sunt Sacrosanctae Tridentinae Synodi de Sacris Imaginibus) tanta circa haec diligentia et cura ab Episcopis adhi-

beatur, ut nihil inordinatum, nihil profanum nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat sanctitudo. Haec ut fidelius observentur, statuit Sancta Synodus nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit ». « Sanctorum quidem imagines iuxta S. Synodum oculis Fidelium subiiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum et diligendum Deum et ad pietatem colendam ».

Item Summus Pontifex Urbanus VIII peculiari edito Decreto ad eosdem abusus eliminandos, qui ut Ipse ait, ex Decreti eiusdem S. Synodi inobedientia pariter irrepserant, eadem quasi verba referendo eadem renovat; et pariter iterum praecipit ut Imagines aliter pictae vel sculptae ab Ecclesiis aliisque locis quibuslibet amoveantur et deleantur, vel reducantur et reformentur quoad habitum et formam in Catholica Ecclesia et Apostolica ab antiquo tempore consuetam; et quae oculis Fidelium subiiciuntur non inordinata et insolita appareant. Iam Imago Beatissimae Virginis Mariae sub titulo Conceptionis, quam Orator postulat collocari in Ara principe Ecclesiae, non ea sane est, quae inter eas possit adnumerari, quae aliquid profani aut aliud huiusmodi Fidelibus repraesentet, quin immo habet quid quod eos revocet ad quamdam visionem licet non satis probatam. Non ideo per hoc S. R. Congregatio respondit *non expedire;* sed quia imago haec, eo quo picta est modo, et eo quo repraesentatur in numismate Parisiis cuso, differt quamplurimum ab ea Imagine, qua a vetustissimis temporibus Beatissimae Virginis Conceptio pingi consuevit; atque hinc cum huiusmodi Imago nova et insolita sit in Ecclesia, ut talis adnumerari inter eas debet, de quibus et Sanctae Tridentinae Synodi Patres, et Urbanus VIII decreverunt non licere ullo in loco vel in Ecclesia ponere, nisi putandum sit per ea verba *nova* et *insolita* voluisse praecaveri ne pictores externa quadam libertate in pingendis imaginibus uterentur contra usitatum Ecclesiae morem. At S. C. omnimodam varietatem hoc Decreto reiecit.

Dicet fortasse aliquis Romae Imaginem hanc et modo supradicto repraesentatam alicubi positam esse in Altari, ex. gr. in Ecclesia S. Andreae de Fractis et alibi. Nemo certe hoc inficiabitur, sed nihil ab hoc desumi poterit pro licitudine. Nova enim et insolita semper erit habenda. Insuper de hac Imagine dici potest eam ibi positam fuisse ad memoriam quamdam servandam assertae apparitionis, in hac Ecclesia sub tali repraesentatione non multis ab hinc annis habitae ab Israelita Ratisbonne, ex qua factum est ut eo ipso momento ex acerrimo Christianae Religionis hoste huic ipsi nomen dederit. Potest etiam dari ut haec imago tali modo picta etiam in alia aliqua Ecclesia sit collocata de Ordinarii licentia, per ea verba quae in Tridentini Concilii et Urbani VIII decretis leguntur: nisi ab Episcopo approbata fuerit; quae similibus in casibus Ordinariorum consensum et approbationem exposcunt. At nihilominus Imago, de qua hic est sermo, nova semper est et insolita; et diverso modo repraesentata ab eo, quo Imago Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae ab antiquo tempore repraesentari consueverat, sed et a S. R. Congregatione numquam approbata fuit, et numquam facultas data illam exponendi: hinc ne haec S. Congregatio secum ipsa pugnaret, nulla interveniente ratione pro facultate hac in re concedenda, *non expedire* merito respondere censuit.

Quid vero de huiusmodi Imaginis appositione in Ara Maxima Ecclesiae dicendum? Ex dictis sponte descendit negativa responsio; quae enim Imago non approbatur, ea nec exponi potest. Sed alia etiam ratio est, eaque magni momenti. Sane S. Nicolaus Tolentinus erat Ecclesiae Titularis. Iam semel ac Ecclesia Deo in honorem Sancti alicuius in Consecratione dicata est, Sanctus hic est Ecclesiae Titularis. Hic autem, ut observat Guyetus, est relate ad Ecclesiam, quod est in homine baptizato nomen quod imponitur; ita ut a Sancti titulo quo nuncupatur, Ecclesia illa ab aliis Ecclesiis veluti proprio nomine dignoscatur. Iuxta eumdem Guyetum, si Ecclesia Deo in alicuius Sancti honorem dicata est, mutari nequit Ecclesiae titulus, nisi accedente nova Ecclesiae dedicatione; et hoc etiam in casu aequum est ut non alio sub titulo ea dedicetur nisi eo quo prius erat dedicata, et ab eodem nomine nuncupetur. Iam iuxta hoc principium cum, ut exponitur, nulla extet Imago in Ara principe, Ecclesia autem in ipsa consecratione fuerit Deo in honorem Sancti Nicolai Tolentinatis dicata, et hic proinde sit antiquus Ecclesiae eiusdem Titularis, ratio postulat ut non alia Imago in Ara praedicta, quam S. Nicolai, appona-

tur, quemadmodum S. R. Congregatio apponi iussit.

Ad Dubium VI. Aequum est ut Religiosa Familia, quaecumque ea sit, cui Ecclesia aliqua uti propria concessa est, et cuius curae est concredita, imagines illius Sancti in Altari apponat qui Religiosam familiam instituit: hinc est quod S. R. Congregatio Oratoris precibus annuit per affirmativam responsionem. In hac tamen responsione aliquid eodem tempore addidit, per quod Oratori non reliquit libertatem apponendi quamcumque imaginem: coarctavit enim illius voluntatem per ea verba *iuxta modum*. Quis autem esse deberet modus postea praescripsit. Permisit quidem S. Congregatio ut tam Imago Conceptionis Beatissimae Mariae Virginis apponatur, tam Imago S. Vincentii a Paulo in Altaribus lateralibus, (nec enim censuit S. C. precibus abnuere cum agatur de Beatissima Virgine et de Fundatore) hac tamen lege, ut Imago Beatissimae Virginis Conceptionis eo repraesentetur modo quo iuxta vetustissimum morem solet repraesentari. Conditio haec necessario erat ponenda, semel ac in responsione ad *tertiam* eam Imaginem, rationibus super adductis excluserat, ea forma repraesentatam quam refert numisma Parisiis cusum.

Concessit quoque S. C. ut aequam, appositionem in Altari altero laterali Imaginis S. Vincentii a Paulo uti fundatoris Congregationis Missionis, cum praecepto tamen ponendi etiam Imaginem Sancti, cui Altare dicatum est, et optime quidem et apposite; cum enim Altare hoc alteri Sancto fuerit iam dicatum, ratio postulat, ut et huius Imago ponatur, ne illius memoria penitus depereat, a quo tamquam peculiari titulo nuncupabatur. Iam sublata picta tabula in quo ipse repraesentabatur, non eidem pariter sublatum fuit ius, quo in Altaris consecratione super eo accepit, quo non amisso, debet et illius Imago iterum in Altari apponi. Dici et hic potest quod de Ecclesiarum nova consecratione dictum est; et cum aequum sit ut in nova Ecclesiae consecratione non sub alio titulo ea consecretur, et non ab alio nomen accipiat, nisi a veteri, a quo appellabatur, ita et Altare a Sancto nuncupetur, cui olim fuit dicatum. Hoc sane in responsione non praecepit S. R. Congregatio eo stricto modo ut maior picta tabula, quae muro adhaeret, Imaginem exhibeat Sancti illius cui olim Altare dicatum erat; liquet id ex ipsa expressione, quam addit, *iuxta modum*, et huius enunciationis explicatione: concessit enim S. Congregatio ut in uno ex Altaribus maiori collateralibus poneretur Imago Conceptionis Beatae Mariae Virginis, veteri modo repraesentatae, in altero S. Vincentii a Paulo; at optime noscens S. C. Sanctum illum, cui olim Altare dicatum erat, ius adhuc habere ut aliqua de eo memoria in eo extet, ad sartum tectumque illius ius servandum imaginem illius in picta tabula ovalis figurae super gradus candelabrorum, ut Sanctorum Imagines apponi solent, apponendam esse praecepit. Responsio itaque S. Congregationis et additio *iuxta modum* consona quammaxime est rationi, praxi, Liturgicorum sententiis et auctoritatibus, a quibus discedere non licet.

ADNOTATIONES SUPER DECRETO

2753. PRAENESTINA. (4794)

Responsa quae dedit S. Congregatio dubiis a Capitulo Ecclesiae Cathedralis Praenestinae propositis, tum Caeremoniali Episcoporum, tum sensui ipsius S. Congregationis, tum etiam probatae consuetudini innituntur. Etenim in primo dubio, an scilicet conveniat Magistratum excipi in ingressu Ecclesiae ab altero ex Canonicis vel Capitularibus, quamquam nihil statuat Caeremoniale Episcoporum, nihilque haec S. Congregatio umquam edixerit, affirmativum tamen protulit responsum; quia laudabilis Ecclesiae illius consuetudo, scilicet, excipiendi Magistratum, minime Ecclesiasticis legibus opponitur, et est iuxta omnes urbanitatis regulas: aequum enim est, ut iis, qui civitatem seu populum repraesentant, huiusmodi honor deferatur.

Ad secundum dubium respondit non debere ornari tapete vel strato sedilia Magistratus, quia opponeretur antiquissimo Ecclesiae mori, iuxta quem sola Episcopi sedes panno seu strato contegitur. Quoad reverentias a Clero, sive sacris vestibus, sive chorali habitu induto, pro diversitate exhibendas, nonnulla extant Decreta; ex quibus afferemus illud in Firmana diei 3 Aprilis 1677: nempe « S. Congregatio censuit teneri, ex urbanitate et iuxta solitum suppositum, Sacerdotes in ingressu et regressu Altaris post venerationem Sanctissimi salutare Magistratum terrae Montis Causaris, Firmanae Dioecesis ». Quod si conferatur cum altero in responsione dubii exhibito, apparebit iuxta probatam consuetudinem cuiusque loci di-

versa responsa S. Congregationem dedisse. Nihil superest adnotandum circa alia dubia, quorum solutionis ratio a legibus in Caeremoniali Episcoporum contentis omnino pendet.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2756. CIVITATIS CASTELLANAE. (4797)

Post quamplurima Decreta edita a S. R. Congregatione, et post evulgationem Constitutionis fel. rec. Pii Papae VII, quoad Protonotarios Titulares, haud intelligi potest quomodo nonnulli ex his quaedam sibi sumant quae ipsis sunt vetita, contendantque sibi esse facultatem iis utendi honorificentiis, praerogativis et distinctionibus, quae Protonotariis sive participantibus sive supranumerariis exclusive competunt, et eos renovent abusus, ad quos tollendos qui irrepserant et praecavendos futuros, tam Constitutio quam Decreta edita sunt et evulgata. At ea est idea quam nonnulli de muneribus Summorum Pontificum indulgentia sibi collatis falso efformant; ea pariter eorumdem cupiditas pluris quam collatum munus postulet ab omnibus habendi; illud omnibus coaequalibus praecellendi immodicum desiderium; ut omni quo possunt modo finem sibi propositum attingere curent, et ita fit ut quod ipsis ad maiorem rerum sacrarum splendorem concessum est, per illius abusum in rerum ipsarum detrimentum convertatur, et sic a concedentium mente ac voluntate discedendo rerum ordo perturbetur, aliorumque iura laedantur, et statutae sapientissimo consilio leges perfringantur. Hic non raro etiam querelae et contentiones oriuntur, quae maxime dedecent Ecclesiasticos viros, quaeque eam animorum concordiam adimunt, quae inter eos debet intercedere. Sed haec de medio facile tolluntur et praecaventur, quoties potissimum quisque eos non excedat limites, inter quos privilegia et honores sibi tributi contineri debent.

At hodiernus Vicarius Generalis, de quo in dubio sermo est, limites huiusmodi est praetergressus, fortasse ex ignorantia Decretorum et Constitutionis, si vero haec agnoverit, ex falsa vel nimis libera utriusque interpretatione et applicatione; ideoque sibi ea sumpsit privilegia, quae sumere nequibat. At si aliquod dubium circa eadem habuerit, male prorsus se gessit; hoc enim in casu si nempe aliquid dubium aut ambiguum in iis esse suspicabatur, media adhibere debuisset ut verum a falso seiungeret, et ideo S. Rituum Congregationem pro recta interpretatione adire, in dubiis enim Legislatoris mens ab iis est exquirenda qui sunt veri et immediati legis eiusdem interpretes, quemadmodum in huiusmodi rebus est Sacra Rit. Congregatio. Hoc ille omisit; idcirco multa sibi arrogavit, quae nullimode poterat. Locum ex. gr. in Processionibus occupavit prae Canonico stola induto actu functionem peragente, caudam sive fimbrias talaris vestis solutas gestavit, Missam seu lectam seu cum cantu celebrare extra Cathedralem fimbriis pariter solutis praesumpsit; quas et a Clerico voluit esse sustinendas, quae nec ipsis Eminentissimis S. R. E. Cardinalibus sustinentur. Duos Canonicos in Missis lectis sibi sumpsit et plures quam duas candelas voluit accensas super Altari, ad quod calicem auteferri iussit. Quot et quantae statutae legis violationes! Ut iterum contra legem non agat, et iis non utatur privilegiis, quae ipsi uti Protonotario Titulari aliisque hac dignitate honestatis non competunt, discat quae sibi sunt vetita ab ipsa Pii VII fel. rec. Constitutione. En itaque huius verba: « Nequit praeterea tam in solemni quam in Missa privata sacras vestes sumere ex Altari, uti Canone, Palmatoria, Presbytero assistente, salutare Populum cum ℣. Pax vobis etc. In Missis privatis quoad indumenta, caeremonias, ministros, Altaris ornatum a simplicibus Sacerdotibus non differant; sumant proinde sacras vestes in Sacrario... unico ministro contenti sint, non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et urceolo, et duo tantum candelae luceant in Altari ». Quod si dubia ipsi, circa haec, res erat, et quae sibi privilegia competerent nesciebat, debuisset (ut supra adnotatum est) veritatem diligenter investigare, et viros in hac materia doctos interrogare et Sacr. Rit. Congregationem consulere. Haec omnia omisit: imputet ipsi sibi si errores perpetravit, si Canonicos habuit adversantes, si S. Congregatio declaravit omnia quae praedictus Vicarius sibi convenire praesumpsit, admitti non posse. Id sane significatur in Responsione: *Serventur Decreta, ac novissima Constitutio quoad Protonotarios sa. me. Pii Papae VII.* Idem dicendum quoad locum, quem in Processionibus occupavit, scilicet male se gessisse; debebat enim locum occupare propriae receptionis, quod non semel a Sac. Rit. Congregatione sancitum fuit, et poena ipsa, quae sibi non debitum locum occupantibus infligitur, a-

missio nempe distributionis, hoc clare demonstrat. Nihil addendum est de fimbriis talaris vestis extensis; quisque enim per se videt extensionem hanc novitatem redolere, cum nonnisi Functionariis ea competat. Sacra itaque Congregatio haec omnia quae sibi sumpsit memoratus Vicarius Generalis improbavit atque tamquam abusus et Decretis aeque ac Constitutioni contraria reiecit. At S. eadem Congregatio ea qua uti solet sapientia, Illustrissimo et Reverendissimo Episcopo sanctionis exequutionem demandavit; ut ea qua decet prudentia quaestio omnis tollatur, omnia in pace disponantur et ordinentur, ne scandalum ullum exoriatur, et Ritus recte serventur. Episcoporum est enim munus, iuxta Decreta eiusdem Congregationis, advigilare ut omnia recte peragantur, quae ad sacros ritus pertinent, et si quid dubii in his oriatur, S. Congregationem consulere.

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

2758. MASSEN. (4799)

Ex facti expositione et dubiis ipsis apparet quaedam esse patrata contra leges, contra statuta, contra ipsam praxim; quaedam fuisse impetrata, ea reticendo quae manifestari debebant; quaedam vero non eo accepta fuisse sensu quo accipi debuissent; atque idcirco exorta fuit confusio Titularem pro Patrono, Patronum pro Titulari accipiendo, quasi uterque unus idemque esset: quae omnia paullulum rem consideranti facile patebunt. Sane Titularis Ecclesiae communiter ille est sub cuius nomine seu titulo Ecclesia fundata est, et a quo appellatur. Haec definitio sive descriptio praxi respondet, et Rubricae consona est. Ecclesiae Patronus nomen Ecclesiae cuius est Patronus imponit; ac ab eius nomine et plurimum appellatur et dicitur Ecclesia Sancti N.: unde ab eius intitulatione Titulus quoque Ecclesiae dici potest, neque tamen confundendus est cum Patrono loci. Loci enim Patronus loco ipsi nomen non dat, sicut Patronus, sive melius Titularis Ecclesiae nomen tribuit: nunquam enim a Patrono locus, ex. gr. Civitas aut Dioecesis solet denominari, adeoque nec Titulus pariter loci dici potest. Et si quandoque inscriptio reperitur de Titulo loci, ad alium refertur non communem, sed singularem sensum: tunc enim ad ea refertur loca, ad eas regiones, quae recenter Fidem amplexae sunt ut in Indiis, in quibus a mysterio aliquo, ab aliquo Sancto, a Conceptione, nimirum B. Mariae Virginis, a Sancta Cruce, Provinciae et Insulae nuncupantur; et quia ab his nomen fuit in conversione impositum, sic etiam huiusmodi Provinciae illum Sanctum pro Titulo habent, seu pro festo praecipuo, et ob singularitatem singulariter quodammodo a Patrono differt, sed hoc est prorsus non commune. Patronum a Titulari differre ex ipsa Rubricarum enunciatione eruitur: nam passim legitur *Patronus loci vel Ecclesiae*, et sub Ecclesiae Patrono Titularis intelligitur. Differt insuper unus ab altero, quod Loci Patronus magis extenditur quam Patronus sive Titularis Ecclesiae: hic enim ad unam dumtaxat Ecclesiam pertinet, ille ad plures. « Locus enim, inquit Gavantus, in Comm. ad Rub. Brev. Sect. 13, cap. 12. num. 2. accipitur pro multitudine cleri et populi, sive pro multis cleris et populis in uno loco, puta civitate, Dioecesi, per diversas Ecclesias constitutis, ita ut si in eo multae adsint Ecclesiae vel Provinciae, unus idemque sit principalis Patronus ». Perspecta hac differentia inter Loci Patronum et Ecclesiae Titularem, omissis omnibus iis, quae hac in re adduci possent, quaeque reperiuntur apud Baronium, Anastasium, Holstenium, Blanchinium aliosque non paucos, qui fuse de hac re pertractarunt, ea tantum in medium proferuntur, quae praesentem rem singulariter et taxative afficiunt.

Iuxta doctrinam a Guyeto et Gavanto traditam Titulus, sub cuius nomine Ecclesia est aedificata et primitus dedicata, quemadmodum plerumque unicus est, ita etiam exclusive proprius Ecclesiae Titulus est, et ab hoc suam Ecclesia illa accipit denominationem. Iam Ecclesiae Titulus mutari per se nequit, ita ut primo penitus relicto, nulla interveniente legitima causa vel nova Ecclesiae aedificatione et consecratione, alius illi substituatur. Esset id contra ius, quod sine sufficienti ratione laedi nequit, sed potius veris accedentibus iisque legitimis causis novus veteri adiici solet; et tunc fit, ut siqua Ecclesia diruta iterum aedificetur iterumque consecretur, aequum maxime sit ut nova non sub alio quam sub priori Titulo quo prius, deinceps etiam appelletur. Iterum accessio novi Tituli, si ut supra veteri adiici vellet, non importat Titularem cui consecrata est Ecclesia, et a quo haec nomen accipit, quique vetustissimus fuit huius Titulus, abrogari vel abrogatum esse censendum; nisi in nova Ecclesiae aedificatione

et consecratione per litteras Apostolicas constet veterem esse abrogatum, et non esse cum novo retinendum. Evenit quandoque ut neque per novam aedificationem et consecrationem, neque per aliam quamcumque ex praecipuis accedentem causam, alio sub nomine seu Titulo Ecclesia aliqua nuncupetur, sed ex unanimi Populi in Sanctum aliquem devotione, novum quasi illi nomen et appellatio tribuatur. Sed quid hoc efficit? Si paullatim percrescente in alium Sanctum populi devotione novus Ecclesiae Titulus accedit, si de primo nulla aeque paullatim fit mentio, hoc accidentaliter, non substantialiter ac realiter sumendum est: id enim evenit non quia abrogatus putandus sit vetus Titularis, sed quia ferventiori Populus devotione in aliquem Sanctum, ut non raro solet, inflammatus, illius opem sive in publicis sive in privatis necessitatibus non inutiliter imploratam expertus sit, factumque ita est ut sensim veteris illius apud ignarum vulgum obliterata sit memoria, et a novo, communiter quidem et accidentaliter sed contra regulam, nomine appelletur. Quis unquam dicet, hoc in casu, et vetustissimum et legitimum Titularem esse abrogatum, aut Populi ferventiorem in Sanctum aliquem devotionem alterius Sancti iura laedere potuisse? Quod de Titularibus, id ipsum de particularibus locorum Patronis, si adsint, dicendum est: aequale enim in his, quemadmodum in illis, ius est agnoscendum.

Iam omnibus his ex Doctorum doctrina, ex liturgicis principiis, ex praxi desumptis, quanam ratione Titulus S. Andreae Apostoli, quem ab immemorabili Ecclesia Collegiata Carrariensis retinuit, abrogatus censeri debet, et S. Franciscus Assisiensis illi suffectus est censendus? Quia nempe illius temporis, quo substitutio haec facta fuit, Episcopus (qui ut videbitur, Sanctum hunc in Dioecesis Patronum petiit et obtinuit) reticuit titulum Ecclesiae, quae ab hoc Sancto appellabatur; quia insuper Calendarii uniformitas ab eo requirebatur in tota Dioecesi, et exceptio omnis exclusa. At rationes istae ad veterem excludendum Titularem, suoque iure privandum, nullius prorsus habendae sunt momenti. Si hae valerent rationes, unaquaeque Ecclesia, novo accedente ad Dioecesim Episcopo, novum quoque, veteri relicto, Titularem recipere deberet iuxta Episcopi singularem devotionem; et hoc in casu tot essent successive Titulares quot Episcopi Episcopis succederent, et tot abrogati Titulares quot prius erant ante novi Titularis substitutionem. Quae effraenata libertas! quae confusio! quae iuris laesio! quae sanctissimarum legum eversio! Si ratio valeret ex Kalendarii uniformitate desumpta, tunc Dioecesis Patroni universales necessario essent Ecclesiarum Titulares; voluit enim Episcopus S. Franciscum Assisiensem Titularem Ecclesiae Collegiatae Carrariensis, quia eum in totius Dioecesis Patronum obtinuit. Actum igitur esset, hoc in casu, de singularibus et propriis Ecclesiarum Titularibus, actum de immemorabili Patronorum iure, actum de legitima eorum electione, actum de singularibus locorum Patronis, de Rubricarum dispositione et regulis, de Summorum Pontificum statutis, de S. R. Congregationis Decretis, de praxi: quae omnia unum ab alio distinguunt. At quis unquam hoc evenire patietur?

Sed reponet fortasse aliquis 1. Episcopum pro hac novi Titularis et Patroni concessione fel. rec. Pontifici Leoni XII preces porrexisse ab eoque Sanctum Franciscum fuisse concessum. 2. Episcopum obtinuisse a S. R. Congregatione Decretum, quo concessio haec fuit adprobata. Quid petiit Episcopus? quid a Pontifice concessum fuit? Mox videbitur. Interim (quod de concessione et Decreto dicendum) si Episcopus nimia usus libertate S. Franciscum, sublato veteri Titulari, sublato particulari civitatis Patrono, utriusque loco sufficit: nutaret concessio, nutaret et Decretum quia obreptionis vitio penitus laboraret; laboraret autem, quia reticuit in supplici libello S. Andream fuisse et esse Titularem memoratae Ecclesiae Collegiatae, et Sanctum Ceccardum peculiarem Civitatis Patronum. Fuisse Sanctum Andream illius Ecclesiae Titularem constat ex ipsa eiusdem Episcopi prohibitione, qua S. Franciscum substituendo vetuit ne in posterum ob uniformitatem Kalendarii Clerus S. Andreae Apostoli Officium et Octavam celebraret eiusdem Titularis. Fuisse autem S. Ceccardum Civitatis Carrariensis Patronum particularem, eruitur ex edicto *de Reductione Festorum* ab Episcopo Lomellino praedecessore (Episcopo tunc Dioecesis Sarzanen. cui Dioecesis Carrariensis erat unita) die 27 Octobris anni 1787 evulgato. In hoc enim § 4 haec leguntur: *Rimarranno Feste d'intero precetto,* coll'astinenza cioè dalle opere servili e coll'obbligo di ascoltare la S. Messa, tutte le Domeniche del-

l'anno, ed il giorno susseguente alle Domeniche di Pasqua, della Pentecoste . . . . e nella Città e Principato di Carrara per grazia speciale di Nostro S. la Festa *eziandio di S. Ceccardo Protettore della stessa Città* Si itaque Ecclesia Collegiata Titulari non carebat, si non carebat suo particulari Patrono Civitas Carrariensis; quomodo Episcopus utriusque Festum abrogando S. Franciscum illis suffecit? et cur ut S. Franciscum illis subrogaret utriusque ius reticuit? Fortasse, ut hanc substitutionem, quam vehementer exoptabat, facilius obtineret: at haec reticentia dolosa forsan nimis omnibus videri poterat, et nullam facultatem, quam expetebat, ei futuram pertimescebat. Sed neque ex Decreta ulla facta fuit facultas veterem abrogandi Titularem: non alia enim ipsi facultas facta fuit nisi ea quam postulabat. Atqui haec non respiciebat nisi Patronum Dioecesis; quidquid igitur hanc praetergreditur facultatem, quidquid ultra hanc egit Episcopus nimiae est adscribendum libertati. Sane Decretum non loquitur nisi de Patrono Dioecesis; nulla alia itaque Episcopo facta fuit facultas nisi eligendi, et quidem iuxta regulas in huiusmodi electionibus servandas, S. Franciscum Assisiensem in Patronum Civitatis Carrariensis: nihil pariter ex memorato Decreto eruitur nisi approbatio electionis. Cum itaque de solo Dioecesis Patrono in eo sermo sit, cum iam ex concessione et vi Decreti praeexistentes et Ecclesiae Titularis et particularis Civitatis Patronus ibi non abrogentur, nec S. Franciscus uni, vel alteri, aut utrique subrogetur, cum neuter ex allata superius doctrina per se abrogatus censeri possit; sequitur nullum ex his fuisse sublatum nullumque illis fuisse suffectum, adeoque S. Andreas Apostolus Titularis est, ut prius, Collegiatae Carrariensis, et talis est habendus. Quare ne hac in re Episcopi libertas attenderetur, qui late nimis facultatem sibi concessam et Decretum interpretando Titularem assignavit Sanctum Franciscum, eo quod hunc ut Dioecesis Patronum obtinuit; ne Cleri et Populi eodemque tempore praeiudicata et falsa opinio adprobaretur, qua Titularem cum Patrono, et vicissim hunc cum illo confundendo, unum eumdemque eos hucusque habuisse visum est: S. Congregatio opportune censuit rescribendum, nimirum, ut clerus Civitatis Carrariensis teneretur 1. celebrare Officium Sancti Andreae Apostoli sub ritu duplicis primae classis cum Octava, sicut Titularibus Ecclesiarum convenit, sed sine festo de praecepto: 2. ut servetur festum S. Francisci Assisiensis Patroni Dioecesis universae principalis, et S. Ceccardi Patroni Civitatis sub utroque praecepto. Responsio quidem accuratissima, et iuxta statutas leges et sanctiones; quae simul ostendunt libellum a clero Carrariensi porrectum haud caruisse fundamento, ut in sua ad S. Congregationem epistola Episcopus asserebat.

Aliquid est etiam notandum quoad ritum, de quo sermo est in secundo dubio, cui unica responsione in duas partes divisa S. Congregatio satisfecit. Iamvero Festum tum Sancti qui est Ecclesiae Titularis, tum aliorum qui sunt vel Dioecesis vel Civitatis Patroni, inter solemniora festa adnumeratur.

Id ex omnibus Liturgicis constat, id a Rubricis statuitur. In Rubrica enim Breviarii Tit. VII, de Octavis, num. I, legitur: « Item... in Festo principalis Patroni et Titularis Loci vel Ecclesiae ».

Iam supra observatum est *generice* qui sint Titulares, qui sint Patroni. Notatum specialiter est qui sit Titularis Ecclesiae Collegiatae Carrariensis, qui particularis eiusdem Civitatis Patronus, qui denique Patronus universalis Dioecesis Carrariensis. Cum hi principaliores sint in suo cuiusque genere, tales omnino sunt, ut eorum festa celebrari debeant cum Octava; et cum hoc per se et primario non conveniat nisi festis habentibus ritum duplicis primae classis, et hic ritus per se non aptetur nisi iis festis quae inter solemniora recensentur, sponte sequitur et S. Andreae Apostolo veteri Collegiatae Carrariensis Titulari, et S. Francisco Assisiensi universali nunc Dioecesis Carrariensis Patrono, et S. Ceccardo adhuc particulari eiusdem Civitatis Patrono ritum duplicis primae classis cum Octava deberi. Nullam putandum est ex ipsa Rubrica moveri quaestionem posse; quod enim ait Rubrica *in Festo*, singularem numerum adhibendo, *Loci* vel *Ecclesiae* sub disiunctione nihil officit. Nam per hoc non innuitur unius tantum vel alterius faciendam esse Octavam, ut si de una fiat, de altero fieri nequeat: sed illorum qui principales sunt sive Patroni, sive Titulares, scilicet, uti quisque eorum in suo respective est genere, Octava fiat: adeo ut tum Patrono sive Titulari Ecclesiae sua tribuatur Octava, tum Patrono principali Loci sive Dioecesis, sive Civitatis sua quoque Octava debeatur: utpote qui eorum unusquisque est in suo genere principalis. Quod si, ut nunquam fere evenit, idem

sit et Ecclesiae Titularis et Loci Patronus, unica tunc erit celebranda Octava: idcirco fortasse in Rubrica apposita est disiunctio illa *Loci* vel *Ecclesiae*.

Si agatur de S. Francisco Assisiensi, patet etiam ex Decreto; hoc enim Ei, uti totius Dioecesis Patrono, omnes attribuit praerogativas, quae locorum Patronis debentur. *S. Francisco Assisiensi,* in eo legitur, sic in praecipuum Patronum Dioecesis Massen. electo, praerogativas omnes attribuit locorum Patronis convenientes: excludit autem ieiunii obligationem in praecedente vigilia, quod tamen pietati et arbitrio fidelium relinquit: *quod,* sequitur Decretum, *arbitrio et fidelium pietati relinquendum edixit.* Quod spectat ad S. Andream Apostolum: ex Decreto (quod certe nec regulas evertit, nec Rubricae generalis dispositiones invertit aut tollit) per illa verba, quae alia nuper relata immediate subsequuntur, nempe *dummodo vero haec ipsa solemnitas non servetur in festo S. Andreae Apostoli sicut in Reformatione Kalendarii.* Ei non adimitur qualitas Titularis saepius memoratae Ecclesiae Collegiatae, nec ritus eidem conveniens, cum iam a multis saeculis talis sit, nec ratio extiterit illum abrogandi, alium subrogando Sanctum; sed quodammodo hic qualitas admittitur in suo genere, et solum ab ea excluditur solemnitas quae talis sit ex omni parte, et ea solemnitas seu praerogativae S. Francisco uti Patrono universalis Dioecesis attributae et locorum Patronis praecipuis convenientes; ita ut eas cum S. Francisco communes non habeat. Et fortasse haec fuit apposita clausula, quia Titularem Ecclesiae cum Patrono loci confundendo, ut apparet, S. Andreae praerogativae huc usque tribuebantur, quae solis locorum Patronis praecipuis conveniunt. Ceterum exclusis quae praecipue universalis totius Dioecesis Patroni sunt propria, nec ritus duplicis primae classis neque Octava S. Andreae adhuc, ut ostensum est, Ecclesiae Titulari potest denegari: nisi dicere quis vellet S. Franciscum quia Patronus est Dioecesis, necessario esse Ecclesiae Titularem, aut abrogatum esse S. Andream, aut abrogatum censeri debere veterem Ecclesiae Titularem per concessionem Patroni universalis totius Dioecesis: quae quidem admitti nequeunt ex Doctorum allatis sententiis, Liturgicorum auctoritatibus, Rubricae dispositionibus, quaeque et praxi et facto ipsi adversantur. Nihil itaque est, per quod S. Andreas uti Titularis Ecclesiae possit excludi, sed nihil aliud ipsi debetur nisi quod stricte Titularibus convenit; in quo huc usque Clerus limites est praetergressus.

Quod spectat ad S. Ceccardum eadem ferme dici possunt: cum enim ipse vere Civitatis Carrariensis Patronus sit particularis, cum per concessionem principalis Patroni Dioecesis non sit abrogatus, nulla est ratio per quam debeat expungi; et hinc pariter Ei sunt tribuenda quae Civitatis Patronis principalibus conveniunt.

Amota tali modo per auctorum doctrinam, per Liturgicas regulas, per Concessionis et Decreti investigationem rectamque utriusque interpretationem omni aequivocatione, omni, quae huc usque facta est, Patronum inter et Titularem confusione sublata, unicuique quod convenit tribuendo; liquet quam prudenter sapienterque S. Congregatio propositis dubiis responderit atque decreverit. Mirabitur fortasse aliquis haec disserendo statutos brevitatis limites qui adnotationibus prescribi solent, haud esse servatos; sed cum de materia ageretur, quae non raro usui esse potest, ideo rem latius exponere non supervacaneum visum fuit.



ELENCHUS DECRETORUM

quae in superioribus Suffragiis sive Adnotationibus adlegata, a nova tamen authentica Collectione variis de caussis exsularunt.

Pag. 251 – URBIS 22 Iunii 1630 – PISTORIEN. 27 Martii 1628 – BAREN. 28 Martii (lege 1 Iunii) 1647 – NEAPOLITANA 19 Aprilis 1687 – PANORMITANA 10 (lege 16) Septembris 1741.

» 261 – PACEN. 30 Ianuarii 1610 – HISPALEN. 9 IANUARII (lege 9 Iulii) 1633 – GRANATEN. 16 Ianuar. (lege 26 Ianuar.) 1664 – CARTHAGINIEN. 15 Martii 1732.

» 265 – MARIANEN. 16 Martii 1658 et 15 Februarii 1659 – BARCINONEN. 20 Decembris 1659 – PANORMITANA 1 Februarii 1744.

» 268 – CAPUANA 1 Septembris 1607.

» 269 – PENNEN. 1 Martii 1636 – CAPUANA 14 Ianuarii 1640 – NUCERINA PAGANORUM 26 Aprilis 1704.

» 274 – ANGELOPOLITANA 13 Iunii 1671 ad 3.

» 277 – NULLIUS ALTAMURAE 23 Septembris 1713.

» 280 – CONCHEN. 3 Septemb. 1762. (lege 1672).

» 290 – NEAPOLITANA 25 (lege 5) Octobris 1697.

» 292 – SUESSAE 28 Ianuarii 1606 – PACEN. 10 Ianuarii 1609.

» 297 – URBIS ET ORBIS DUBIORUM 12 Iulii 1704 – GADICEN. 26 Augusti 1752.

» 317 – DUBIORUM URBIS 12 Iulii 1628 – URBIS S. M. IN COSMEDIN 19 Iunii 1773.

» 330 – DUBIORUM URBIS 12 Iulii 1628 – SYRACUSANA 2 Augusti 1698 – PISAUREN. 12 Decembris 1750 – URBIS SANCTAE MARIAE IN COSMEDIN 19 Iulii 1753 (lege 19 Iunii 1773).

» 340 – RECINETEN. 21 Augusti 1640 et 11 Novembris 1641.

» 344 – URBIS 6 Augusti 1831 (neque in veteri Collectione reperitur).

» 357 – ELBOREN. 14 Iunii 1692 – TIRASONEN. 15 Septembris 1714.

» 364 – ILLERDEN. 28 Aprilis 1607.

» 367 – FIRMANA 3 Aprilis 1677.

VARIANDA

circa titulos aut dies Decretorum quae Suffragiis et Adnotationibus veteris Collectionis inserta exhibentur.

Pag. 161 – die 23 Aprilis 1690.	*lege:* die 22 Aprilis 1690.
» » – sub die 27 Septembris 1669.	» sub die 27 Septembris 1659.
» 162 – in METROPOLITANA 17 Iulii 1734.	» in MONOPOLITANA die 17 Iulii 1734.
» 181 – ex DECRETO 7 Martii 1779.	» ex DECRETO 27 Martii 1779, nunc ad 2.
» 191 – in AQUEN. 3 Martii 1661.	» in AQUEN. 3 Martii 1761, nunc ad 3.
» 196 – PROVINCIAE TREVIREN. 6 Aprilis 1646.	» PROVINCIAE TREVIREN. 6 Aprilis 1647.
» 209 – 15 Martii an. 1608 in TRULLEN. seu NULLIUS.	» 10 Maii 1608 in MONTIS SERRATI, NULLIUS PROVINCIAE TARRACONEN.
» 220 – in ASSISIEN. die 25 Maii 1849.	» in ASSISIEN. die 15 Maii 1819.
» » – in CAESARAUGUSTANA 22 Novembris 1692.	» in CAESARAUGUSTANA 13 Septembris 1692.
» » – et in altera RUBRICARUM 15 Septembris 1836.	» et in altera RUBRICARUM, 15 Septembris 1736.
» 223 – Vide DECRETUM GENERALE diei 24 Iunii 1670.	» Vide DECRETUM GENERALE diei 21 Iunii 1670.
» 228 – in ASCULANA IN APULIA 3 Martii 1774.	» in ASCULANA IN APULIA 3 Martii 1674.
» 231 – in una MONTIS ALTI sub die 26 Martii 1657.	» in una MONTIS ALTI sub die 26 Martii 1757.
» » – in PAPIEN.... sub die 23 Februarii 1804.	» in PAPIEN.... sub die 23 Februarii 1704.
» 241 – in BURGEN. 26 Maii 1626.	» in BURGEN. 16 Maii 1626.
» » – in POLICASTREN. 16 Novembris 1649.	» in BELLICASTREN. 16 Nov. 1649.
» 250 – in CALAGURITANA 28 Septembris 1558.	» in CALAGURITANA 28 Septembris 1658.
» 265 – in HIPPOREGIEN. 19 Novembris 1650.	» in EPOREDIEN. 19 Novembr. 1650.
» 270 – in VICÈN. 2644.	» in VICEN. 2643.
» 290 et 291 – in NÈAPOLITANA decr. 5 Ianuarii 1698.	» in NEAPOLITANA, decr. 25 Ianuarii 1698 ad 4.
» 293 – in PERNAMBUCEN. 4 Septembris 1775.	» in PERNAMBUCEN. 4 Septembris 1745.
» 339 – in UGENTINA 23 Iulii 1861.	» in UGENTINA 23 Iulii 1661.



SUFFRAGIA

ad praecipua quaedam recentiora decreta Sacrorum Rituum Congregationis.

SUFFRAGIUM

SUPER

3808. DECRETO GENERALI

de Festis primariis vel secundariis.

Il celebre P. Carlo Guyeto nel Capo III del Libro II *De constituendo die Festis secundariis, seu minus principalibus Sanctorum,* domanda nella Quest. IV: « An Festa eiusmodi addici possint certae Dominicae, aut Feriae more Festorum mobilium »; e risponde, che in quelle Chiese nelle quali « usus ille pridem receptus invaluit, retineatur vi consuetudinis; ad ipsum vero de novo inducendum, ne tu meum expectes suffragium » (Heortologia seu de Festis Propriis loc. cit.). — Prevedeva certo il grand'uomo gl'imbarazzi e le controversie che sarebbero sorte pel necessario spostamento delle Feste già fisse in quei dati giorni. Ciò appunto avvenne sulla prima metà del secolo decorso, ed il P. Gaetano Merati nelle sue *Nuove Osservazioni ed Addizioni* al Gavanto se ne dovette occupare ex professo. Egli ne avverte, che a suo tempo la questione fu trattata da uomini dottissimi in fatto di sacra liturgia, i quali presero a base dei loro studii *l'aureo Compendio* (così egli lo chiama) *Caeremoniarum* di Giovanni Iacobs Canonico della Chiesa Cattedrale di Bruges nel 1621. « Multa ex his, quae hoc loco adnotavimus, desumpta sunt ex allegato Opusculo Ioannis Iacobs: omnia vero diligenter discussa et approbata fuerunt a viris in hac scientia Rubricarum peritissimis; unde crederem posse ab omnibus ad praxim deduci ». (Thesaurus etc. Tom. II, Sect. III, Cap. X, N. XIII vers. fin.). Il Merati non fa menzione che del solo Mons. G. B. Gambarucci Arciv. Amaseno, e Prefetto delle Cerimonie Pontificie (ivi Cap. VIII, N. III): ma è certo che vi ebbe gran parte il Card. Lambertini, poi Benedetto XIV, il quale spinse e persuase lo stesso P. Merati a pubblicare la nuova edizione del Gavanto colle Nuove Osservazioni ed Addizioni, che poi lesse ed approvò pienamente. Quindi nel Breve del 20 Marzo 1745, dopo lodata la santità e dottrina liturgica del Cardinale Giuseppe M. Tomasi, soggiunge: « Alter vero Caietanus Merati non ita pridem eiusdem vestigia attingere alacriter studuit, et egregia suae eruditionis specimina, quae omnium iudicio probantur et manibus teruntur, scriptis etiam mandavit ». E nel Trattato *de Sacrificio Missae,* loda l'Indice dei Decreti fatto dal Merati: « Indice molto esatto e composto sui registri della S. C. dei Riti ».

E fu appunto sotto il Pontificato di Benedetto XIV che per la prima volta si propose finalmente nella Sacra Congregaaione de' Riti la questione di precedenza di una di queste Feste Mobili, occorrente con altra propria del giorno, ed ambedue di rito eguale. Con decreto del 20 Gennaio 1741 era stata concessa la celebrazione della Festa del Patrocinio di S. Giuseppe con rito di seconda classe, alla qual Festa era già assegnata come sede propria la terza Domenica dopo Pasqua. Il Padre Sisto da S. Cipriano, Procuratore dei Padri Carmelitani Scalzi della Provincia di Wilna propose a questa S. Congregazione, fra gli altri, anche i seguenti dubbii: Come dovesse regolarsi l'Officio, e a chi dare la preferenza, quando occorra nel giorno predetto la Festa di S. Adalberto o di S. Stanislao Martiri celebri nella Polonia, e di seconda classe con ottava, ovvero di S. Marco Evangelista, o dei Santi Apostoli Filippo e Giacomo; cioè se la preferenza si dovesse a questi ultimi, o al Patrocinio di S. Giuseppe, « non obstantibus in contrarium Rubricis, et decreto S. R. C. emanato 20 Martii 1683 ». E la S. Congregazione il giorno 22 Aprile, a Relazione del dottissimo Cardinal Gotti, e col voto di un Ceremoniere Apostolico, dichiarò, che la precedenza nel caso apparteneva ai Santi Martiri, a S. Marco ed ai SS. Apostoli (Wilnen. 22 Aprilis 1741 ad dubium 1 et 2) (1). Si ebbe bensì una risposta contraria nel 1743, ma fu revocata poco dopo, cioè il 4 Luglio 1745 « praevio recessu a decisis », e così pure si confermò nel 1779. A partire da questo punto la

(1) Omessi i Dubbi 1 e 2. Vedi Decreto Generale n. 3808.

S. Congregazione « fere constanter docuit in occursu et concursu in paritate Ritus, seu Classis, tam Festa Apostolorum..., quam Festa aliorum Sanctorum... Patrocinio S. Ioseph esse praeferenda, quamvis etiam alia decreta existant, quae in concursu cum Festis Apostolorum Patrocinio S. Ioseph praeferentiam praebent ».

Da questo semplice accenno bene si comprende la somma gravità ed importanza della questione, e quindi male si apporrebbe chi volesse attribuire a leggerezza, ed a spirito di novità una opinione sostenuta da tanti uomini dotti, e consecrata pure da tanti decreti e decisioni emanate da questo Augusto Consesso.

È ben vero che un Decreto Generale, il quale regoli la Precedenza delle Feste *Primarie* e *Secondarie* non è stato ancora emanato, e che la S. Congregazione già da circa venti anni si è astenuta da ulteriori particolari dichiarazioni, aspettando sempre la compilazione di un *Voto d'Officio,* per venire ad un assetto definitivo. Ma questo Voto, affidato successivamente a diversi, qualunque ne sia stata la causa, non era venuto mai a luce. Finalmente un *Voto ex Officio* venne redatto in proposito, e poi un altro, contrarii ambedue alla precedenza delle Feste *Primarie* sulle *Secondarie*, che sieno di egual rito, ma di maggior dignità. Ne fu presentato un terzo quantunque non richiesto dalla S. Congregazione, nel quale si propugna la opposta sentenza. Prima però di portare la cosa in piena Congregazione Ordinaria, fummi ingiunto di stendere un altro Voto, nel quale si tenesse conto delle ragioni recate *pro* e *contra,* e si esponessero pure le altre che sembrassero poter dare un qualche lume in proposito: e, senz'altro, mi accingo al lavoro.

I. Le Feste del Signore, della B. Vergine e dei Santi possono considerarsi sotto due aspetti: o cioè in sè stesse, o nei loro mutui rapporti o complicazioni. Nel primo caso, come scrive il citato Guyeto (Heortologia lib. IV in Prologo), se ne considera l'indole, la dignità intrinseca, il rito e l'officio che meritano; nel secondo la preferenza dell'una sull'altra quando *occorrano* nel giorno stesso, o *concorrano* in due immediatamente successivi, o debbano trasferirsi ad altro giorno libero. Le due questioni sono bensì tra loro distinte, però dalla soluzione della prima dipende in gran parte quella dell'altra: poichè quella Festa che per sè stessa apparisca maggiore, con ciò solo presenta un titolo alla precedenza sulle altre nei casi di *occorrenza,* di *concorrenza* o di *traslazione.*

E primieramente trattando della *intrinseca* dignità delle Feste, non può negarsi, che prime di tutte per la loro dignità sieno quelle fin da principio istituite nella Chiesa. Di queste Feste primitivamente introdotte nella Chiesa Romana, abbiamo due antichissimi documenti, e perciò preziosissimi. Questi sono il Catalogo *Filocaliano,* ed il *Martirologio* detto *Geronimiano.* Il primo chiamato *Filocaliano* perchè l'ultima edizione, dirò così, fu fatta da Furio Dionisio Filocalo il celebre calligrafo di Papa Damaso, è del secolo quarto (354); però i cataloghi ed i calendarii in esso contenuti sono di qualche anno più antichi (336 circa). Questo documento, che il De-Rossi giustamente chiama l'*antico feriale della Chiesa Romana,* contiene, oltre altre cose che non ci riguardano, la *depositio Episcoporum,* che va dal 254 in giù, e la *depositio martyrum,* dove sono notate le feste solenni non mobili, che sotto il Papa Milziade erano celebrate in Roma e nelle principali Sedi suburbicarie Ostia, Porto ed Albano. Il secondo documento cioè *martirologio Geronimiano,* che fu in gran voga tra il settimo ed il nono secolo, si ritiene come una miscela di antichi martirologii di varie Chiese, però in esso è certamente il più vetusto martirologio della Chiesa Romana trascritto da due codici, con manifesti indizii di annotazioni contemporanee a Bonifacio I, a Milziade e perfino ad Anteroto (236).

Ora i giorni delle feste degli Apostoli e dei Martiri più insigni, celebrate nei secoli posteriori, sono gli stessi ricordati in questi documenti antichissimi.

Ad esempio nella *depositio Episcoporum* del Filocaliano si legge, per indicarne alcune:

prid. kal. Ianuar. Silvestri in Priscillae.

. . . .

non. Octob. Marci in Balbinae.

E nella *depositio martyrum* del documento istesso:

XIII. Kal. Feb. Fabiani in Calisti et Sebastiani in Catacumbas.

XII. Kal. Feb. Agnetis in Nomentana.

VIII. Kal. Mart. natale Petri de cathedra. . . .

III. Kal. Iul. Petri in Catacumbas et Pauli Ostiense, Tusco et Basso cons.

. . . .

III. id Aug. Laurenti in Tiburtina.
e così di seguito.

Nel Martirologio poi Geronimiano, si trova nel Codice di Berna recentemente pubblicato dai Bollandisti, codice meno antico degli altri perchè del secolo VIII o IX, però più prezioso per le indicazioni topografiche, si legge:

Incipiunt festivitates omnium (?) Apostolorum.

III. Kal. Iul. natale Apostolorum Petri et Pauli. Romae.

Pridie Kl. Deceb. natale Andreae Apostoli, in civitate Patras provinciae Acaiae.

Kl. Mai. depositio Philippi Apostoli in civitate Hierapoli provincia Asia.

XII. Kal. Ian. natale Thomae apostole (sic), qui passus est in India.

VI. Kal. Ianuar. ordinatio episcopatus sancti Iacobi Apostoli fratris Domini, qui ab apostolis primus ex Iudaeis Hierosolimis est episcopus ordinatus, et adsumptio sancti Iohannis evangelistae apud Efesum civitate, cuius corpus translatum est apud Efesum civitate.

VIII. Kl. Ags. natale Apostoli Iacobi fratris Iohannis evangelistae.

VIII. (o VIIIj.) Kl. Septembr. natale Bartholomaei Apostoli, qui decollatus est in India interiore pro Christo.

VIII. Kl. Ian. In Bethlem nativitas Salvatoris Domini nostri Iesu Christi secundum carnem. . . .

VII. Kl. Ianuar. In oppido Hierosolimitano villa Cafargamala passio sancti Stephani primi martyris diaconus (sic) et apostoli, qui lapidatus est a Iudaeis. . . . . .

VI. Kl. Ianuar. Adsumptio sancti Iohannis evangelistae apud Efesum . . . .

V. Kl. Ianuar. Bethlem natale sanctorum infantium et lactantium, qui sub Herode pro Christo passi sunt . . . .

Pridie Kl. Ian. Cartagine Donati. . . . et Rom. . . . . depositio sancti Silvestri episcopi.

Da questi due Cataloghi apparisce non solo l'antichità delle Feste quivi registrate, ma altresì la loro stabilità ed *inamovibilità*, poichè giammai per volgere di secoli furono rimosse dai giorni loro primieramente assegnati.

E questa loro *inamovibilità* è pure compresa nell'istesso concetto di *Solennità*, attribuita alle medesime, a partire dalla Festa di Pasqua detta fin dai primi secoli « *Solemnitas Solemnitatum* ». (Durando Rationale divini officii lib. VII, Cap. I, n. 25). E lo stesso autore al luogo citato n. 17 dà il concetto dei giorni, o Feste *Solenni*. Giovanni Beleth nel suo celeberrimo trattato *Divinorum officiorum ac eorumdem rationum brevis explicatio*, scritto verso la metà del secolo XII, cioè circa cent'anni prima del Durando, al Capo III scrive: « Dies Festi porro sunt dies solemnes, qui ut soli servarentur quasi praescripto, et quodam instituto recepti sunt. A solo enim vel solito solemne dictum est. Unde solemnia Festa vocat Ecclesia, quae certa sunt observatione constituta. Atque hinc etiam venit solemnitas, quae quadripartita esse potest, Festivitatum, Stationum, Litaniarum, et Ieiuniorum ». Brevemente il Gavanto: « Festa Sanctorum natalitia dicuntur... solemnitates, quia fieri solent in anno. Beleth. c. 37 ». Ma più eruditamente e diffusamente il Guyeto tratta la stessa cosa nell'Heortologia Lib. I, C. XIII, q. 3.

Dalle autorità qui citate, apparisce primieramente, che qualità essenziale delle solennità è l'essere immobili nei giorni loro assegnati; anzi la tessera della maggiore o minore solennità *intrinseca* esser la maggiore o minore inamovibilità. Inoltre è pur manifesto, che questa maggiore solennità è stata il fondamento sul quale si è stabilita la diversità delle Classi di egual rito. Vale a dire, che la intrinseca solennità riconosciuta maggiore o minore determinò la Chiesa ad attribuire alle medesime un maggiore o minor Rito, ossia Classe che voglia dirsi. Sarebbe quindi un errore il sostenere che viceversa il rito stesso sia stato la causa della maggiore o minore solennità. Ciò è tanto vero, che già si trattava dal Beleth della maggiore o minore solennità delle Feste, quando ancora nella Rubrica non si era inserita la distinzione delle Classi. Queste appaiono bensì circa un secolo dopo il Beleth, nell'Opera citata del Durando, ma, a dir vero, con una gradazione molto semplice: cioè si distinguono « Festa in totum duplicia, quaedam simpliciter duplicia, quaedam semiduplicia » (loc. cit. n. 31). *Maiora duplicia Festa* sono in tutto 16, cioè il Natale di N. S., la Circoncisione, l'Epifania, la Pasqua di R., l'Ascensione, la Pentecoste, le quattro Feste della B. V., la Purificazione, Annunziazione, Assunzione e Natività, e quelle dei SS. Giovanni Battista ed Evangelista, Pietro e Paolo, Stefano, Lorenzo, e la *Dedicatio Basilicae*. *Minora duplicia* non sono che la Feria I e II di Pasqua e di Pentecoste, Commem. di San

Paolo, Ottava dei SS. Apost. Pietro e Paolo, e dell'Assunzione. Le altre feste (comprese quelle degli Apostoli) sono tutte di rito semidoppio (l. c. n. 32, 33). Però Bonifacio VIII colla sua memorabile Costituzione *Gloriosus Deus,* inserita *in Sexto Decr. l. III, t. XXII,* innalzò a rito doppio le Feste degli Apostoli ed Evangelisti, e dei quattro dottori principali della Chiesa latina, SS. Girolamo, Agostino, Ambrogio e Gregorio: come fece poi S. Pio V con S. Tommaso d'Aquino e coi quattro dottori della Chiesa greca San Gio. Crisostomo, S. Atanasio, S. Gregorio Nazianzeno e S. Basilio; e quindi Sisto V con S. Bonaventura, e così dicasi di altri dottori da altri Pontefici. Nella correzione poi della Rubrica fatta da Clemente VIII le Feste degli Apostoli furono innalzate a Rito di seconda Classe. Aggiunge il Gavanto (l. c. n. 3): « Dividit ibidem Durandus in duplex in totum et in duplex simpliciter: illud maius et hoc minus ibidem appellat; quod nos hodie dicimus duplex Primae et Secundae Classis ex una parte, et duplex per annum de altera parte. Sed in recognitione Clementina Breviarii, ad maiorem distinctionem, instituta sunt quatuor genera duplicium Festorum: primum quod dicitur primae Classis, alterum secundae Classis, tertium quod appellatur maius per annum, quartum minus per annum ».

Una più esatta ed estesa classificazione di queste Feste ne ha fatto poi il Guyeto, ed è opportuno il qui riferirla. Scrive egli adunque al Lib. I, c. I: « De natura Festorum propriorum – Quaest. 12 – Quae sint festa omnibus locis et Ecclesiis communia?

« Sicut non sunt omnia paris inter se dignitatis, nec vero etiam antiquitatis, ita nec pari sunt ordine recensenda. Quare in tres classes commode distribui posse visa sunt.

« Prima classis est festorum Christi Domini, et Beatissimae Virginis Matris ipsius...

« Secunda classis est Apostolorum, et aliorum quorumdam eximiorum Sanctorum, quorum memoria in praecipua veneratione universae fuit Ecclesiae....

« Primo duodecim Apostoli, additis Paulo Petri Coapostolo et Barnaba, duobus item Evangelistis, qui Apostoli non fuerunt, Luca et Marco; quorum omnium natalitia tam Latina quam Graeca Ecclesia anniversaria festivitate recolit, licet non omnium iisdem diebus. Recolit item Latina Ecclesia secundaria aliquot eorumdem festa, videlicet S. Petri ad Vincula, utramque ipsius Cathedram, tam Antiochenam quam Romanam, licet hanc a Paulo IV restitutam multae adhuc nostrates Ecclesiae omittant; Conversionem S. Pauli et S. Ioannis ante Portam latinam.

« Secundo ob Evangelii aliusve Libri Canonici commendationem, insignes fuere semper et annua solemnitate per omnem Ecclesiam donati S. Io. Baptista Christi Domini Praecursor utroque Festo, et Nativitatis, (quod singulare est unique ipsi concessum) et Decollationis; SS. Innocentes infantes... S. Maria Magdalena. Hisque non dubitem annumerare castissimum B. V. Sponsum S. Iosephum....

« Tertio denique ob illustris Martyrii, aut singularis gratiae excellentiam festum generale habent inter Martyres S. Laurentius, S. Sebastianus, S. Vincentius: inter Confessores S. Martinus et S. Nicolaus, item quatuor Ecclesiae Doctores S. Gregorius, S. Ambrosius, S. Augustinus et S. Hieronymus. Item S. Silvester, S. Antonius, S. Franciscus: inter Virgines denique S. Catharina: cui addenda S. Anna novo Gregorii XIII decreto iam ubique recepto...

« In tertiam classem refero Sanctos reliquos Calendarii Romani alibi prope communiter receptos.... Cum illi omnes relati hactenus ad quascumque Ecclesias communi aeque iure atque ad romanam spectare videantur; qui supersunt reliqui censentur magis ab Romanae Ecclesiae proprio ac speciali instituto, et, ut loquitur Radulphus, ex Romana auctoritate ad alias deinceps imitatione seu pia aemulatione dimanasse Ecclesias ».

Stabilite così le varie Classi delle Feste, principalmente si è presa la norma per determinarne la *dignità.* È frequentissima nelle Rubriche la menzione di *dignità,* e viene sempre attribuita *alle Feste,* ossia ai loro Officii: di guisa che alla parola *dignum* o *dignius* nella Rubrica corrisponde sempre l'altra di *Festum* aut *Officium.* Però il Gavanto nel suo Commentario alla Rubrica Cap. VII *De Octavis* (Sect. III, Cap. VIII, n. 6) scrive: « At undenam maior Octavae dignitas attendi debet, praesertim si duae occurrant simul celabrandae? Certe penes Classem Festorum: nam prima Classis dignior est secunda; in eadem vero classe attende Personas hoc Ordine; Christum, B. Virginem, Angelos, S. Io. Baptistam, Apostolos, et alios iuxta ordinem Litaniarum et Rubricam de Concurrentia Officii n. 2 etc. ».

Dunque la *dignità* delle feste è doppia, secondo il Gavanto, cioè dipende primieramente dal rito più elevato, poi dall'intrinseco pregio delle persone di cui si celebra la festa, sempre a norma della Rubrica *de Translatione Festorum* n. 2. Il Guyeto è della medesima opinione (Op. cit. lib. IV, Cap. VI, Quaest. 6), e così pure il Merati nelle note al Gavanto. Ma rimane pur vero che nella Rubrica al *dignum* corrisponde sempre il *Festum, Officium* o *Ritum,* e per esso s'intende un titolo che sia atto a far preferire una festa ad un'altra. Il P. Cavalieri, commentando il decreto in Ariminen. 16 Octobr. 1604 (1): « Si in Ecclesia dedicatio accidat in Festo Maternitatis B. M. V., Officium fieri debet de dedicatione; infra octavam vero fiat de digniori », scrive al C. I, Decr. XV « difficilius profecto est stabilire quaenam ex praedictis Octavis censenda sit dignior. Si dignitas ritus attendatur, nullum discrimen intervenit.... ; si dignitas personae, dignior videtur Octava B. Mariae ; si vero dignitas Festi, cuius Octavae non sunt nisi prorogationes, in dignitate Octavam dedicationis, cuius festum primae classis est, dicebamus praestare ». Che più? Secondo lo stesso Cavalieri, « in Rubricis dignius stat etiam pro solemniori, et e contra ». (Op. cit. Cap. XXVI *de Rep. Fest.*). Il che ne deve render ben cauti a non attribuire un valore troppo assoluto a questi termini, se non quando le circostanze in particolare ed il mutuo rapporto che abbiano nel contesto ne determinino esattamente il significato.

Abbiamo testè udito dal Guyeto, che la veneranda antichità, oltre le Feste *primarie* dei Santi, ne ha istituite pure delle *secondarie,* e fa menzione da quella di San Pietro in Vincoli, delle sue due Cattedre, della Conversione di S. Paolo e di S. Giovanni *ad portam latinam.* Ma egli torna sull'argomento più volte, e ne tratta *ex professo.* « Praeter primarium Patronorum Festum, (così egli), quod quidem in Martyribus dies natalis censetur, quo videlicet die Martyrii vita et gloriae fides (ut ait Eusebius Emessenus, seu potius Eucherius Lugdunensis, Hom. 50 in Gen.), dum eos ingerit morti, genuit aeternitati, et perpetua iis gaudia brevi dolore parturiit, in Confessoribus vero Transitus aut Depositio..., contingit non raro alia item Festa de iisdem Sanctis sub diversis titulis ac nominibus celebrari..., quaestiones de festis illis secundariis ac minus principalibus moveri possunt ». (Heortol. Lib. I, C. VIII. De festis secundariis Patronorum). Qui il Guyeto, oltre alla esistenza delle Feste *Secondarie,* indica pure ad evidenza in che consista la differenza fra esse e le *Primarie.* Secondo il Guyeto, una è pei Santi la Festa *Primaria,* ma molte possono essere le *Secondarie:* la prima si celebra con un rito più elevato, le altre con un rito più modesto. Donde si pare che non il rito più modesto rende una Festa *secondaria;* ma perchè, meno importante nel suo oggetto, le si addice un rito minore della *primaria.*

Scrive l'autore del primo voto che gli antichi col Gavanto intesero per festa *secondaria* una festa del medesimo soggetto, che, seppure in sè racchiuda un mistero, sia di rito inferiore. Ma questa opinione dell'erudito scrittore non è quella del Gavanto, il quale invece trattando del Rito semidoppio, ed a quali feste si debba applicare, scrive: « de Sanctis locorum consuevit Sancta Sedes Apostolica, in iis locis ubi neque reliquiae insignes extant, concedere officium semiduplex »; e poi aggiunge: « Inventiones, Translationes hac eadem lege colendae forent, ad differentiam Festorum *principalium;* quod observat Ecclesia in inventione S. Stephani Protomartyris » (loc. cit. C. III, n. 4). Dunque dalla *secondarietà* egli deduce il rito che compete alla Festa, e non viceversa. Così pure al C. VIII, n. 23, scrive: « Optassem et ego cum aliis diem Octavam Festi B. Virginis habentis Octavam esse duplex maius, sicuti sunt eiusdem *minora festa per annum;* at eadem fere ratio militaret in Angelis et Apostolis, ut patet.... urgetque rursus exemplum diei Octavae omnium Sanctorum, quod est praecipue B. V. ex martyrologio, et non habet integras Vesperas ».

Inoltre alla Sezione VII, C. VIII sotto il giorno 30 Giugno, della Commemorazione di S. Paolo scrive: « non est duplex minus, quia Apostoli Festum est *secundarium* ». Ed ivi pure al Cap. X sotto il giorno 29 Agosto « decollationis S. Ioannis (allora doppio minore): Optarunt aliqui hoc Festum fieri duplex maius, *sicuti sunt alia minora Festa Apostolorum;* sed neque dies haec martyrii illius est..., neque demeretur Sanctus Augustinus ut amittere debeat secundas Vesperas, quas dividit cum S. Ioanne; quibus etiam de causis longe maius est Fe-

(1) Espunto.

stum Nativitatis, quam decollationis S. Ioannis ».

Finalmente al 17 Settembre circa il rito da attribuirsi alla *Festa* delle Stimmate di San Francesco, scrive, che per tutta la Chiesa fu concesso il rito semidoppio, « et ratio favet: quia in Breviario *secundaria Sanctorum Festa longe sunt inferiora primariis;* ut videre est in duplicibus maioribus per annum : non ergo debet esse Festum Stygmatum aequale Festo *primario* S. Francisci, quod est duplex minus. Congruit autem esse duplex in Ordine Minorum, ubi Festum *Primarium* S. Francisci est duplex Primae Classis ».

Un parlare così esplicito per parte del Gavanto è molto da rilevarsi per le cose da dirsi in seguito. Rimane dunque provato che il concetto da lui espresso sulle Feste *Secondarie* è il medesimo del Guyeto, cioè di Feste *minori,* perchè *di minore importanza* delle rispettive loro principali, e perciò da celebrarsi pure con rito *minore.*

Due cose intanto si rilevano da queste autorità sulle Feste *secondarie :* la prima si è che la loro istituzione è antichissima: la seconda che il loro concetto ne è ben chiaro e determinato. Aggiunge poi il Guyeto avvenire talvolta che una festa *secondaria* divenga *primaria,* e ne reca diverse cause (Lib. I, c. VIII, quaest. 10), e specialmente se una Chiesa sia stata dedicata sotto questi titoli, come *S. Pietro in Vincoli,* o S. Giovanni *ad Portam Latinam.* Però conchiude : « servari semper debet diei Natali seu Transitus suum ius, suaque praerogativa, ut nimirum pro praecipuo habeatur, quantumcumque perinde celebres recolantur Inventionis, Translationis, aliique similes dies ».

Il Guyeto nel luogo citato dichiara *secondarie* alcune feste già citate. Ma molte di più ne enumera l'autore del secondo voto. « Quod originem Festorum primariorum et secundariorum attinet (scrive egli), dicendum est haec Festa eamdem aetatem habere ac Breviarium ipsum ». Cita poi a questo proposito il Calendario Romano (dal 714 al 741) pubblicato da Frontone, dove sono indicate molte feste *secondarie.* Cita pure Giovanni Beleth, che nella sua Opera scritta « certe ante annum 1165 » novera più feste secondarie. E conclude : « Ex dictis patet omni tempore fuisse in Kalendario Romano aliisque singularum Ecclesiarum Festa secundaria ». Sarebbe perciò opera assurda il volere oggi eliminare dalla nomenclatura liturgica le Feste *primarie* e *secondarie,* ammesse da tutti gli autori di sagra liturgia, e consagrate pure dall'uso della S. Congregazione dei Riti.

Si oppone che nella Rubrica non vi è cenno di questa distinzione di Feste *Primarie* e *Secondarie,* sebbene all'epoca della sua ultima correzione, cioè del Gavanto, già esistessero sotto il nome di Festa *maiora* et *minora.* Ma non era nato ancora il *conflitto* di queste Feste, come lo chiama il Guyeto, e quindi niuna necessità di una particolare menzione. Istituite però, e moltiplicate quelle Feste *minori* o *secondarie,* ed assegnate *ad instar* delle Feste Mobili a certe Domeniche o Ferie, si vide la necessità di stabilire, o meglio riconoscere quella distinzione, la quale già di fatto esisteva. Il concetto poi di Festa *solemniore* a preferenza di Festa *meno solenne* è generico, racchiudendo in sè stesso diverse ragioni di questa maggiore o minore solennità. Ora una di queste ragioni è certamente la qualità di *primaria* o *secondaria,* poichè lo stesso concetto di Festa *Primaria* include in sè l'idea di una solennità maggiore delle sue Feste *secondarie,* e non esclude quella di preferenza pure sulle secondarie, sebbene di maggior dignità personale.

II. — Premesse queste osservazioni sulla assoluta *dignità, solennità* e *grado* delle Feste, ci è dato con tutta sicurezza passare all'altra parte, che forma il precipuo oggetto di questa disquisizione, cioè ai diversi incontri, e varii conflitti ai quali sono queste Feste soggette. Questi possono essere di due specie, cioè per *concorrenza* nei primi o secondi Vesperi, e per *occorrenza* nel giorno medesimo. Le *concorrenze,* come è chiaro, non si potevano evitare, essendo impossibile lo stabilire le Feste in giorni alternativi, tanto da avere liberi i primi e i secondi Vesperi per ciascuna, senza verun incontro. Le *occorrenze* poi ebbero origine da due cause, una necessaria, l'altra libera. La causa necessaria è lo spostamento che ogni anno porta nel Calendario il variare del Ciclo Pasquale, spostamento che dura per cinque mesi. Lo stesso dicasi del periodo relativamente più breve delle Domeniche di Avvento. L'altra causa libera sono le Feste, che, ad imitazione delle *Mobili,* sono state assegnate ad una Domenica o Feria determinata, sia nel Calendario della Chiesa Universale, sia nel Particolare di qualche Diocesi, o Chiesa o Religiosa Famiglia.

Veramente nei tempi antichi, e fino al Gavanto non era molto sensibile lo spostamento recato dal variare del Ciclo Pasquale; poichè, allora non si conoscevano che le Feste mobili ammesse dalle Rubriche, e come osservava lo stesso Gavanto : « Sunt Festa in Ecclesia Universali N. 18 primae Classis duplicia. Secundae Classis.... Festa N. 22.... Duplicia Maiora N. 16 – Duplicia minora N. 98 – Semiduplicia cum Dominicis excedunt n. 130 ». In tutto circa 284, lasciando libere 81 sedi.

Si aggiunga che in Quaresima, così il Guyeto : « Concilii Laodicensis Decreto, nulla olim Natalitia Martyrum celebrarentur; quem ritum Ecclesia Ambrosiana etiamnum strictissime observat : Romana vero aliaeque omnes nonnulla quidem Festa, sed pauca admittant eo tempore... Tempore item Adventus, quod Reductionis tempus est, rariora sunt indicta Festa, quo bene affectus erga proximum Redemptorem animum minus interrumpatur » (Op. cit. lib. 1, c. 1, Quaest. 19). E siccome la Festa di S. Andrea Apostolo può occorrere colla Prima Domenica di Avvento, il Durando avvertiva doversi in tal caso trasferire la Festa suddetta alla prossima Feria II, come in sede propria (Op. et l. c. n. 35). Circa l'altra specie di Feste Mobili vi è appena traccia nel Gavanto, essendo state o introdotte od estese in tempo posteriore ; se si eccettui, oltre i Dolori della B. V., la Festa del Ssmo Rosario, quale Gregorio XIII dal giorno 7 di Ottobre, nel quale celebravasi già in alcuni luoghi particolari, trasferì alla prima Domenica del detto mese (Gavanto Sect. VII, c. XII).

Deve inoltre osservarsi, che, a seconda della primitiva istituzione, queste Feste Mobili non impedivano la celebrazione di quelle fisse. Poichè, siccome scrive Benedetto XIV (De Beat. et Canoniz. Lib. IV, p. II, c. II): « quando fit concessio celebrandi Festum certa die, si aliud non explicetur, concessio est intelligenda iuxta communes rubricas, ut tali die celebretur, nisi adsit impedimentum, et si adsit, ut ad aliam diem transferatur ». E ne arreca uno splendido esempio nel Decreto fatto dal Concilio Universale di Colonia del 1413, « in quo Concilio ad Hussitarum haereticorum comprimendam audaciam, qui Ss. D. N. Iesu Christi, et B. Virginis dolore confossae imagines sacrilego furore foedabant, constitutum est, ut festum commemorationis praefatae Angustiae et Doloris B. M. Virginis deinceps singulis annis Feria Sexta post Dominicam – Iubilate –, nisi aliquod Festum eadem die intervenerit, et ex tunc prima feria sexta proxima subsequenti... solemniter celebretur ».

Ma questa non poteva essere la norma costante, per coordinare la celebrazione di tali Feste, massime allorchè crebbero molto di numero. Le precipue sono la Festa del Ssmo Nome di Gesù ; gli Officii degli Istrumenti della Passione in quaresima ; il Patrocinio di S. Giuseppe nella III Domenica dopo Pasqua ; i Dolori della B. V. nella III Domenica di Settembre, il Ssmo Nome di Maria, il Rosario, la Maternità, Purità, Patrocinio della stessa B. V. oltre le altre molte stabilite nelle varie Diocesi particolari, o Religiose Famiglie.

Fu pertanto in seguito della istituzione di tali Feste assegnate a giorni mobili, che si suscitò la questione sulla precedenza da darsi alle medesime in parità di Rito e di Classe con altre già fisse. La occasione di trattarne si presentò al Merati, quando il nome di S. Giuseppe fu da Benedetto XIII inserito nelle Litanie dopo di quello di S. G. Battista, e perciò venne preferito agli Apostoli nella dignità. Ammessa, cioè, la preferenza che compete alle Feste del Signore su quelle della B. V., e di queste su quelle degli Apostoli, circa le Feste di S. Giov. Battista e di S. Giuseppe, stabilisce la massima : « Eorum Festa primaria, si sint aequalis ritus, in quocumque casu concurrentiae, vel etiam occurrentiae, semper praeferenda sunt Festis Apostolorum. Si vero sermo sit de eorum festis secundariis concurrentibus vel occurrentibus cum Festis primariis Apostolorum eiusdem ritus, tunc non sunt praeferenda, nisi celebrentur cum maiori solemnitate et apparatu, quam Festa Apostolorum » (Part. I, c. IX, n. III). Ed aggiunge : « Haec omnia tuto assero, accedente etiam maturo consilio et approbatione peritissimi ac illustrissimi Domini Io. Bapt. Gambarucci Amaseni Archiepiscopi, et Apostolicarum Caeremoniarum Praefecti ».

Se ciò avesse meglio considerato il Cavalieri, come pure la dichiarazione del Merati stesso, circa le approvazioni date da uomini dottissimi alla sua sentenza, tra i quali certo deve annoverarsi Benedetto XIV, sarebbe stato, io credo, più moderato nel riprendere il Merati stesso, quasichè egli abbia nella Sacra Liturgia introdotto una riprovevole novità. Si è detto e scritto, che il Cavalieri abbia annientato la nuova

teoria; ma basta leggere il testo del Cavalieri, per assicurarsi che la cosa è andata ben altrimenti.

Di questo per altro verrà più innanzi la opportunità di parlare. È ora tempo di esaminare più da vicino la proposta questione. Quelli che non ammettono la preferenza delle Feste primarie sulle secondarie di maggior dignità in parità di Classe, sostengono che una tale preferenza è primieramente contraria alle Rubriche circa la *occorrenza* delle Feste, e loro *concorrenza;* poichè, siccome essi dicono, le Rubriche predette non ammettono nelle occorrenze delle Feste, che due sole preeminenze; cioè o *superiorità di rito,* o *superiorità di persona.* Dicono di più che è contraria questa preferenza alle leggi dichiarative della S. Congregazione dei Riti, nonchè alla Rubrica della Traslazione delle Feste e della Concorrenza degli Officii. Riprendono di novità quelli che sostengono la contraria opinione; deplorano infine i grandi inconvenienti, ai quali darebbe luogo la conferma di quella massima, che asseriscono contraria pure alla ragione naturale. È dunque mestieri esaminare partitamente questi argomenti, e rilevarne il valore.

III. — Incominciamo dalle Rubriche. Il luogo classico a cui ricorrono tutti quelli, che riprovano la predetta opinione, è il n. 6 del c. X *De Translatione Festorum,* vale a dire: « Si duo vel plura Festa Novem Lectionum simul eadem die veniant, fiat Officium de Maiori, idest de duplici, et semiduplicia transferantur. At si omnia fuerint duplicia, vel semiduplicia, fiat de digniori, seu solemniori, et quae minoris solemnitatis sunt, transferantur ».

Avendo sott'occhi i tre voti, con sorpresa veggo che ciascuno interpreta in modo diverso questo testo. Nel primo si sostiene che le citate parole della Rubrica *fiat de digniori, seu solemniori* esprimono due particolari norme di preferenza: cioè *maggioranza di rito,* (ma come, se dice: *si omnia fuerint duplicia, vel semiduplicia?*), e *maggioranza di dignità personale.* Nel secondo invece s'interpretano quelle stesse parole « quasi unum idemque signent, et *utrumque verbum dignitas et solemnitas sit quasi synonimon* ». Finalmente l'autore del terzo scrive: « Nos duabus illis locutionibus – fiat de digniori, seu solemniori – duas distinctas festorum qualitates intelligere voluisse putamus (nempe rubricas) ad fundamentum praeferentiae super illas ponendum ».

Mi sembra che la vera interpretazione della Rubrica sia quest'ultima, e che le espressioni *dignior,* seu *solemnior* indichino due distinte, sebbene equivalenti ragioni di preferenza, cioe o *dignità* o *solennità* di Feste, in parità di rito e di Classe.

Ciò primieramente dimostra la ragione filologica e grammaticale: poichè la particella *seu* non è stata giammai adoprata dai latini per significare *sinonimia* o *identità* di due termini uniti da quella particella, ma bensì in senso *disgiuntivo,* per significare la differenza di due termini, sebbene *equivalenti* nel caso. Il *seu* vuole significare *ossia, oppure;* infatti come scrive il Tursellino « *seu* ex *sive* contractum est ». Ed il Forcellini « *seu,* coniunctio disiunctiva, qua iungimus ea quorum alterum, non utrumque affirmamus ». Così Cicerone pro Quint. c. 8. « Quemadmodum solent homines nobiles, seu recte seu perperam facere ceperint, in utraque excellunt ». E Plauto Stich. A. 3, sc. 1 « *Sive* ego taceam, seu loquar, scio scire te ». Paolo leg. 8 ff. *Quoad metus causa,* « si dederit (actionem) vir, seu mulier, hoc edictum locum habet ». Cesare Lib. 5 de Bello Gall., c. 30 « Facilem esse rem, seu maneant, seu proficiscantur ». Orazio l. 1, Od. 3 « tollere seu ponere vult freta » Tac. Ann. 15, c. 45. « Proditione liberti, seu propria formidine ».

Niuno dirà al certo essere sinonimi *recte* e *perperam, taceam* e *loquar, vir* e *mulier, manere* e *proficisci, tollere* e *ponere,* e così gli altri. Per non moltiplicare le citazioni, mi basti aggiungere l'autorità di un esimio latinista, e ben cognito nel nostro Foro, il ch. Avv. Alibrandi, il quale da me appositamente interpellato, mi ha risposto come segue: « Relativamente alla domanda che Ella mi fece, se io credo che la particella latina *seu* possa tenersi come equivalente a *scilicet,* posso dirle che non è a mia notizia essere stata quella voce usata in questo senso da scrittori latini. Che se qualche greco di tarda età, o italiano dei secoli vicini a noi, l'ha talvolta usata come particola esplicativa, ciò non può far difficoltà. Perchè, dovendosi interpretare qualche testo autorevole, conviene usare il Canone di ermeneutica legale, che insegna doversi ritenere, finchè non vi sono gravi prove in contrario, che l'autore dello scritto abbia inteso le parole che usa nel loro proprio e vero significato. Così i nostri dottori intendono il detto di Celso – *in ambigua voce legis, ea potius accipienda est signi-*

ficatio, quae vitio caret – L. 19, ff. de legibus ».

Il quale Canone di ermeneutica tanto più a ragione deve ritenersi nel caso nostro, in quanto che nello stesso linguaggio liturgico il *seu* è preso appunto nel senso suddetto disgiuntivo, di *equivalenza,* e non mai di *identità.* Nella Rubrica del Breviario si legge « in die obitus, *seu* depositionis defuncti »; « Commemorationes Communes, *seu* suffragia de Sanctis »; « nisi illud fuerit primae vel secundae classis, *seu* Patronus, vel Titulus, aut Dedicatio Ecclesiae ». Nelle Orazioni della Messa si dice: « Pontificali *seu* Sacerdotali fecisti dignitate vigere – Pontificum *seu* Sacerdotum ». E così potrebbero moltiplicarsi le citazioni. Certo che il *dies obitus* non è lo stesso che quello di *depositionis ;* il *Pontifex* non è sinonimo di *Sacerdos;* le *Commemorazioni communi* comprendono pure quelle della Croce, che non è un Santo ; il *duplex primae vel secundae classis,* non è lo stesso che il *Patrono.* Può pure la cosa confermarsi coll'uso della stessa Congregazione nelle sue formule, ove occorra il *seu.* Così, a tacere di altri esempi, nel decorso anno circa i VV. Martiri Domenicani e Gesuiti si propose il Dubbio, « an constet de miraculis seu signis » ; e la S. C. rispose solo : « Constare de signis », sopprimendo *miraculis.* Deve perciò concludersi, che la Rubrica al N. 6 ha voluto indicare *due,* e non un solo titolo alla preferenza in parità di rito, cioè la *dignità,* o la *solennità delle Feste.*

Ma oltre alla interpretazione dedotta dalla filologia e liturgia, vi è l'altra ben più autorevole di sommi Rubricisti, e della S. Congregazione. Tra i Rubricisti, primo di tutti il Guyeto nel libro IV, cap. IX, Quaest. 5, fa questa domanda: « Duplici proprio occurrente eadem die cum altero paris Ordinis (nempe Classis) in Calendario descripto, utrum retinendum, translato altero? » È questo precisamente il nostro quesito. Quindi se l'Autore fosse dell'opinione, che in parità di rito e di Classe dovesse prevalere sempre la dignità della Persona, sarebbe ora il caso di dichiararlo. Invece il Guyeto risponde : « Tria sunt rationum capita, ex quibus peti debet quaestionis huius resolutio. Primum est maior alterutrius celebritas, puta si unum est de praecepto quoad Forum, non vero alterum, aut fiat cum maiori apparatu Chori, frequentiorive populi concursu. Est enim eiusmodi solemnitas, ob quam alterum alteri praeferendum edicit Rub. X de Translatione Festorum, n. 6 etc. » ; cioè la nostra Rubrica. Dunque *in parità di classe* prima ragione di preferenza è la Solennità della Festa, e ciò secondo la Rubrica che stiamo esaminando. E la seconda?

Prosegue il Guyeto : « Secundum, maior personae dignitas, puta si alterum illorum est Christi Domini, aut B. Mariae, aut Angeli, aut Apostoli, aut Patroni minus principalis, aut secundarium Patroni Principalis, erit haud dubie praeferendum ex eadem Rubrica, interprete Gavanto Sect. 3, c. 10, n. 5. Sic indicavi iam natalitia Apostolorum aliis eiusdem Ordinis esse praeferenda etc.

« Tertium est antiquitas. Qui enim prior est tempore potior est iure ex Regul. iuris 34, num. 6. Antiquitatem vero intellige non temporis, quo Sanctus unus prae alio extitit, sed Festi; prout videlicet festum unum institutum fuit ac receptum ante festum alterius ». Ma di questo terzo titolo non dobbiamo qui occuparci.

Dopo questa autorità così insigne, ne arrecherò un'altra non meno riguardevole in sè stessa, anzi più grave per la sua antichità, e perchè riconosciuta ed approvata da Rubricisti di sommo valore. Questa autorità è contemporanea alla Riforma della Rubrica fatta da Clemente VIII, ed è di quel Giovanni Iacobs Canonico di Bruges già menzionato, nel suo *Aureo* Opuscolo intitolato « Compendium Caeremoniarum etc.» stampato in Anversa nel 1621. In fine del detto Opuscolo questi aggiunse otto considerazioni per celebrare le Feste; considerazioni che il Merati fece poi sue, ed inserì nelle Osservazioni e Note al Gavanto; e lo confessò egli stesso (Sect. III, cap. X, n. XIII) con quelle parole : « Multa ex his quae hoc loco adnotavimus, desumpta sunt ex allegato Opusculo Ioannis Iacobs. Omnia vero diligenter discussa et approbata fuerunt a viris in hac scientia Rubricarum peritissimis ; unde crederem posse ab omnibus ad praxim deduci ». Donde si rileva doversi tenere in gran conto l'autorità di questo Rubricista, non meno di quella del Durando, del Beleth e dello stesso Guyeto, attesa l'approvazione ricevuta da uomini competenti in tali materie. Ora il predetto scrittore nella sua quarta Considerazione enuncia generalmente : « In praeferentia Festorum in primis habenda ratio solemnitatis : dignitatis autem nonnisi in aequalitate

solemnitatis ». E nella Ottava Considerazione: « Et duplex per annum maius ibidem (cioè nelle Rubriche) sic extendendum et accommodandum, ut sub eo comprehendatur tam maius dignitate, quam maius solemnitate, idest tam dignius, quam solemnius. Licet enim inter Festa eiusdem Ordinis seu generis, in concurrentia et occurrentia, dignius absolute dicitur praeferendum, quia videlicet eiusmodi per se sunt aequalis solemnitatis, ut indicatur in Rubrica de concurrentia Officii num. 2; ubi tamen ex consuetudine unum eorum solemnius celebratur, quam alterum, ibidem in concurrentia et occurrentia potius habenda est ratio maioris solemnitatis, quam dignitatis, prout supra explicatum est ».

Potrebbe forse su questo punto allegarsi come contraria l'autorità del Gavanto, il quale applica al caso di *occorrenza* e non di *traslazione*, la detta Rubrica: « Occurrentibus pluribus Festis novem Lectionum transferatur illud quod est minus nobile vel ratione ritus, puta quia semiduplex, vel ratione Personae, quae sit inferioris Ordinis, si in ritu sint aequales. Hic est sensus Rubricae n. 6 ». Ma dobbiamo osservare che la nostra interpretazione è conforme a quella data sulla Rubrica de Translatione Festor. n. 6 dal Guyeto, dal Iacobs, dal Merati e da altri.

Il senso dunque della Rubrica X, n. 6, si è, che in parità di rito, deve preferirsi primieramente la Festa *più solenne,* e la dignità *personale* deve preferirsi, quando le Feste sieno egualmente solenni. Il che viene confermato dalla primitiva Rubrica compilata sotto S. Pio V, che in questo punto era assai più breve e semplice, vale a dire « si duo festa novem lectionum simul eodem die veniant, fiat officium de digniori, seu de maiori, et quod minus est transferatur ». Non può ammettersi, che in questo passo la parola *digniori* possa riferirsi a dignità personale; poichè il tratto della Rubrica XI *de Concurrentia Officii, n. 2* « Inter festa », nel quale si dà la preferenza alle Feste del Signore su quelle della B. V. etc., fu aggiunta da Clemente VIII. Perciò il *dignior* equivale al *maior,* ed indica in genere qualunque titolo di preferenza, venga questo da maggiore solennità intrinseca o estrinseca, da dignità personale, o da qualunque altro titolo che renda la festa degna di maggior considerazione. La Rubrica adunque X, n. 6, sebbene ampliata da Clemente VIII, non può avere altro senso dell'altra, e non ne è che una autentica interpretazione, nel modo testè indicato; molto più avendovi aggiunto le Feste semidoppie, le quali, a confessione dello stesso Cavalieri, non rendono le Feste solenni, e perciò in esse non deve attendersi la dignità personale.

Ammessa pertanto non la *identità,* ma la *equivalenza* delle due espressioni *digniori seu solemniori* nelle Feste di rito eguale, ben si comprende perchè la stessa Rubrica nella sua seconda parte ha creduto superfluo il ripetere la parola *dignitatis,* contentandosi di dire: « et quae minoris sunt solemnitatis transferantur », comprendendo sotto la dizione *solemnitatis* anche quella di *dignitatis.* Nondimeno il comma così concepito serve a confermare la priorità che devesi alla Festa *solenniore,* sopra la *digniore* in quanto alle persone; ossia, come scrive il Merati, « in praeferentia Festorum, in primis habenda est ratio maioris solemnitatis; dignitatis autem maioris solum est habenda ratio in aequalitate solemnitatis ». Perciò lo stesso Merati consiglia la seguente regola, che risponde alle apprensioni dell'Autore del secondo voto: « Animadvertendum ex dictis: illud, quod dicitur in Regula Tabulae Generalis pro occursu Festorum eiusdem Ordinis, seu ad Numerum 8. – *Officium de digniori, Translatio de minus digno* –, accipiendum esse accommodate ad Rubricam sub N. 6 et ad supra dicta a Nobis, videlicet hoc modo: – *Officium faciendum de digniori, seu solemniori, et quod minoris solemnitatis vel dignitatis transferendum* –. Et similiter quod dicitur in Regula Tabulae de Concurrentia n. 6, nimirum – *totum de digniori. Commemoratio de minus digno* –, accipiendum est accommodate ad Rubricam de Concurrentia Officii n. 2, et ad dicta a Nobis supra, videlicet hoc modo: Totum Officium faciendum de digniori, vel solemniori, cum Commemoratione eius, quod est minus dignum, vel minus solemne. Et duplex per annum maius, sic extendendum et accommodandum sit, ut sub eo comprehendatur tam maius dignitate, quam maius solemnitate, idest tam dignius, quam solemnius. Licet enim inter Festa eiusdem Ordinis, seu generis v. g. primae Classis vel secundae Classis, in Concurrentia et Occurrentia dignius absolute dicitur praeferendum, (quia scilicet eiusmodi per se sunt aequalis solemnitatis ut indicatur in Rubrica de Concurrentia Officii n. 2); ubi tamen ex consuetudine

unum eorum solemnius celebratur quam alterum, ibi in Concurrentia et Occurrentia potius habenda est ratio maioris solemnitatis, quam maioris dignitatis ut supra explicatum est » (ibid.). Da questo saggio e temperatissimo parere ben si vede che le Rubriche tanto della Occorrenza, quanto della Concorrenza degli Officii, se bene interpretate, anzichè contrarie, sono favorevoli non ad un solo titolo di preferenza, cioè alla *dignità personale* come si sostiene nel secondo voto, ma altresì a quello di *solennità intrinseca;* non potendo essere questo il *Rito,* come vorrebbe l'Autore del primo voto, contro le parole esplicite della Rubrica « *At si omnia* (Festa) *fuerint duplicia, vel semiduplicia* ».

IV. — Rimane a dire qualche cosa della Reposizione delle Feste Translate, sulla quale così scrive il Guyeto: « Tria hic occurrunt dubia. Primum : an in transferendis festis aequalibus, habenda sit ratio dignitatis personarum, ut videlicet quae sunt Domini transferantur ante omnia alia ; quae Beatae Mariae, ante Festa Sanctorum ; quae Angelorum et Apostolorum, ante cetera alia, iuxta ordinem praescriptum in Rubr. de Concurrentia Officii n. 2? » Respondeo, videri id mihi quidem valde consonum, quia et Gavantus Sect. III, c. X, n. 5, asserit hunc esse sensum Rubricae citatae. Vix tamen apparet ; imo contrarium aeque facile est colligere. Valeat nihilominus tanti viri authoritas, cum ratione congruenti coniuncta » (Lib. IV, c. VII, q. III).

Però deve notarsi che la Rubrica non è su tal punto molto esplicita, anzi la stessa Rubrica prescrive al num. 7, Tit. X « quod est magis solemne semper prius transferatur, et prius celebretur ». E il P. Cavalieri, nel Tom. II, c. XXVI, n. 2 scrive: « Equidem nulla est Rubrica, quae huic exceptioni diserte suffragetur ; communiter tamen producuntur ea verba eiusdem Rubricae de transl. n. 7 – *inter plura duplicia, quod est magis solemne semper prius transferatur et prius celebretur* –, in quibus το *magis solemne* creditur stare pro magis dignum, vel per illud etiam magis dignum venire. Equidem Tabella concurr. n. 6 notat : – *Totum de digniori, commemoratio de minus digno* –, et certum est per το *digniori* venire etiam – *solemniori* –; alias diminuta foret, nec concordaret cum Rubrica de Transl. n. 2, quae quidem prius praeferentiae privilegio donat Festa digniora, scilicet Christi, B. Mariae etc., sed idipsum postea praestat etiam erga festa solemniora: – *et festa illorum Sanctorum, qui in propriis locis vel Ecclesiis solemniter celebrantur, aliis Kalendario descriptis* –... Patens est itaque, quod in Rubricis – *dignius* – stat etiam pro – *solemniori* – et e contra, ac consequenter, quod Rubrica de Transl. n. 7, dum – *magis solemne* – priori repositione donat, est etiam favorabilis – *magis digno* –; quin imo huic magis, utpote quod a Rubrica – *Inter Festa* – praefertur solemni ». Il Cavalieri, a sciogliere la difficoltà nel senso suo, ricorre al Decreto del 13 Giugno 1682, il quale però ha bisogno esso stesso di spiegazione nelle parole « nisi attendenda sit maior dignitas » (1); le quali dopo quello che abbiamo riferito dallo stesso Cavalieri, non si sa se indichino maggiore *dignità di persona,* o solennità *di Festa.*

Del resto lo stesso Cavalieri, pur non volendo, ne somministra un'altra soluzione molto bella di questa difficoltà, riconoscendo, che nelle stesse Feste privilegiate, non sempre si ha riguardo alla dignità personale. La cosa è ben degna di osservazione, ed è opportuno recare le sue stesse parole. Egli al Lib. I, Cap. I, Decr. XVI, n. XVII, § 4, si propone questa difficoltà : « Festum decollationis S. Io. Baptistae suas primas dimidiat Vesperas cum secundis S. Augustini; ergo S. Io. Baptista non est ceteris praeferendus, nec ex implicite comprehensis in adducta Rubrica *inter Festa* ». Convien dire che così fosse al suo tempo, poichè da tale obiezione si libera con tale risposta, N. XXII: « Ad 4 respondet Gavantus Sect. VII, cap. X, ad 29 Augusti, quatuor afferendo causas, ob quas decollatio S. Ioannis Baptistae duplex maius effecta non est, eique concessae non fuerunt integrae Vesperae. Videlicet quia neque dies Martyrii illius est, neque Martyrium pro fide Christi et Evangelio ; neque statim in caelum ivit ; neque demeretur S. Augustinus, ut amittere debeat secundas Vesperas, quas dividit cum S. Ioanne. Nulla ex his causis Guyeto satisfacit (e bene a ragione), qui propterea Lib. IV, c. XIII, quaest. 5 probabiliora suggerit, nimirum singularia S. Ioannis dona in Festo Nativitatis ipsius eoque singulari prae Sanctis omnibus ab Ecclesia praecipue recoli, quod ideo inter duplicia primae classis annumeratur, aeque ac festum Apostolorum Petri et Pauli : in festo vero decollationis, uti Officio, sic nonnisi Matyris cultu ipsum coli : adeoque

(1) Questo decreto è riportato dal Merati in Serie decretorum Tom. II. num. 127.

in concurrentia aequalem tantummodo cum quocumque alio ad instar cuiuslibet Martyris haberi. Haec, quam affert Guyetus, est vera ratio divisionis vesperae, ut alibi a nobis dicetur ».

Ma dunque il Guyeto ed il Cavalieri sono di perfetto accordo col Merati, in questo che nelle Feste *Secondarie* non si attende (almeno sempre) la dignità della persona, allo scopo di preferirle ad altre, ma bensì il titolo speciale per cui furono istituite, contro il sentire dell'Autore del primo voto.

Dottrina che il P. Cavalieri riproduce ed amplia in molti altri luoghi della sua Opera, e particolarmente al Lib. II, c. XXVII de Reposit. Festorum Decret. IV Capitis in Ord. 228, n. II. « De iis Sanctis quaestio succedit (an secent Vesperas in paritate ritus) qui cum habeant plura Festa de se instituta, in natalitio et primario coluntur Officio eorumdem dignitati conveniente, non in secundariis, cuiusmodi est utraque Cathedra S. Petri, in qua officium agitur de Communi Confessoris Pontificis; decollatio S. Ioannis Baptistae, in qua de eodem fit tamquam Martyre, et festa Ordinationis aliquorum Sanctorum Episcoporum, in quibus de iisdem fit Officium Confessoris Pontificis... et quaeritur: Num etiam haec festa secundaria gaudeant praeferentia, quae eorum dignitati respective debetur, et in festo primario adhibetur? » E risponde N. III: « Negative, et decollatio S. Io. Baptistae, qui in dignitate par est, vel Apostolis praestat, rem extra dubium collocat, dum, quia in ea uti martyr inspicitur et colitur Officio martyris, cum praecedenti festo S. Augustini et sequenti S. Rosae in Breviario Vesperas dividit; non cadit siquidem (si noti bene) in considerationem dignitas praecipua Sancti, dum sub particulari ratione alia festum instituitur. Idem dicito de aliis ». E poco prima al Decreto 225, n. VI: « Festa quae in concursu praeferentiam habent, illam habent etiam in repositione. In decr. 16, c. 1 diximus in eadem Rubrica subintelligi S. Ioannem Baptistam, et de S. Ioseph tradetur alibi. Ex Festis tamen S. Io. Baptistae et SS. Apostolorum non gaudent praeferentia, nisi ea in quibus exprimitur eorum dignitas, non in quibus colitur ratio altera, ut est decollatio, in qua celebratur martyrium S. Ioannis, et Cathedra S. Petri, in qua inspicitur eiusdem Pontificium, ut non semel ponderavimus ».

Ora ciò è appunto quello che dicono i sostenitori delle Feste *Primarie* circa la loro preferenza sulle *Secondarie;* cioè la dignità esser bensì in causa allorchè si tratta delle Feste primarie, come nel caso della Natività di S. Giovanni Battista; non già, almeno direttamente, allorchè si tsatta delle Feste *secondarie.* Potrebbe poi domandarsi dove il Guyeto ed il Cavalieri nella Rubrica abbiano trovato questa distinzione da loro propugnata; si dirà averla dedotta con retta interpretazione dalla medesima. Bene; ma allora perchè negare al Merati e agli altri suoi seguaci di fare lo stesso circa la distinzione di preferenza nelle Feste *primarie* e *secondarie?*

Le Rubriche adunque citate di sopra non sono opposte alla opinione del Merati: anzi quella del Cap. X n. 6 *de Translatione Festorum,* giusta la interpretazione filologica, liturgica ed autoritativa, le è del tutto favorevole. Che se da qualcuno si sarebbe desiderato, che la Rubrica fosse stata in questo punto più esplicita, questi deve pure riflettere che la odierna Rubrica è ancor quella corretta da Clemente VIII al tempo del Gavanto; quando cioè di quelle Feste mobili non vi era quasi traccia nei Calendarii, e quindi niuna necessità di dare un più minuto assetto alla stessa Rubrica. Quando però questo bisogno realmente si scorse, la S. Congregazione non mancò di regolare il tutto colle sue autentiche dichiarazioni, a partire dall'anno 1741 22 Aprile in Wilnen. (1); alle quali dichiarazioni peritissimi Rubricisti cooperarono colla loro autorità e coi loro scritti, donde risultò la massima, che può dirsi ormai riconosciuta, circa la precedenza, in parità di rito, delle Feste *primarie* sulle *secondarie* di maggior dignità personale.

V. È certo cosa degna di speciale osservazione, che nella Wilnen. siasi fatta menzione della Rubrica e del decreto del 1683 (2) come favorevoli alla precedenza delle Feste dei Santi, su quella del Patrocinio di S. Giuseppe. Ed in vero il primo dubbio fu così proposto: « Quando Dominica tertia post Pascha, cui est affixum Festum Patrocinii S. Ioseph secundae classis, occurrit Festum altioris ritus, ut in Regno Poloniae S. Adalberti Martyris et S. Stanislai Martyris, utrumque ad populum celebre secundae classis cum octava, vel maioris dignitatis, ut Festum Inventionis S. Cru-

(1) Vedi pag. 376 in nota (1).
(2) Omesso. Vedi decreto generale n. 3808.

cis; debeantne praedicta Festa altioris ritus vel maioris dignitatis cedere Patrocinio S. Ioseph, *non obstantibus in contrarium Rubricis, et decreto S. R. C. emanato 20 Martii 1683;* an potius in tali occurrentia Patrocinium dictum, iuxta praefatum decretum, debeat omitti, vel, ex novo indulto benignissime concedendo, transferri (quod magis optatur) in Dominicam sequentem, vel ubi fuerit impedita, in aliam Dominicam, vel aliam diem non impeditam? »

La risposta fu ad 1. « Faciendum est Officium de S. Adalberto Martyre, vel de S. Stanislao pariter Martyre in Regno Poloniae aliquando occurrens in Dominicam tertiam post Pascha, cum facultate transferendi Festum Patrocinii S. Ioseph in primam diem non impeditam, quae tamen non sit Dominica ».

Sarebbe stato utilissimo potere avere il voto del Ceremoniere, a seconda del quale fu dal Card. Gotti riferito questo dubbio, e risoluto nella S. C. Ma per quante diligenze abbia fatte, non mi è stato dato il rintracciarlo; dalla risoluzione però fatta in piena Congregazione Ordinaria si rileva, che fu invocata in favore di S. Adalberto e di S. Stanislao la Rubrica, cioè quella da noi sopra riferita de Translatione Fest. N. 6. Il che apparisce dal tenore del decreto Ord. Minorum 20 Marzo 1683 pure citato- ad 4: « Praeferendum Officium quod cum maiori solemnitate et Populi concursu celebratur, ad formam Rubricae de Translatione Festorum n. 6 ». È qui a notarsi, che il quesito quarto sembrava non corrispondente al caso proposto nella Wilnen., cioè: « Si vero (Festa seu Officia Regni, Provinciarum, Ditionum etc.) sint eiusdem ritus et dignitatis (cum propriis nostri Calendarii), an praeferendum Officium loci Officio in proprio Religionis Calendario descripto? » Conviene perciò ritenere, che la parola *dignitatis* non sia stata interpretata nel 1741 per dignità *personale,* poichè in tal caso la precedenza si sarebbe dovuta a S. Giuseppe, ma bensì per *dignità di Festa* o *Solennità,* sotto il quale aspetto l'Officio di S. Adalberto e di S. Stanislao era preferibile a quello del Patrocinio di S. Giuseppe; della Invenzione della Croce poi non si fece nella risposta neppur menzione, perchè di rito inferiore.

Il secondo quesito proposto nella medesima Wilnen. è il seguente: « Quando eadem Dominica tertia occurrit Festum S. Marci Evangelistae, vel SS. Apostolorum Philippi et Iacobi, debeatne S. Ioseph censeri dignior praedictis, ex quo positus est in Litaniis ante omnes Apostolos post S. Ioannem Baptistam, et decretum extat S. R. C. 22 Augusti 1711 (1), quod dignitas personae etiam attendi debeat iuxta Ordinem Litaniarum, ita ut praedictum patrocinium non cedat praefatis Festis, vel debeat cedere, vel omitti hoc anno, vel transferri saltem, ut supra dictum est?

Si rispose ad 2: « Negative quoad primam partem propositae difficultatis; pro gratia vero quoad secundam partem etc. ».

Cioè si stabilì che S. Giuseppe (nel suo patrocinio) *non debeat censeri dignior,* sebbene preposto agli Apostoli nelle Litanie, e quindi doversi la precedenza all'Officio di S. Marco, o dei SS. Filippo e Giacomo.

Non deve tacersi, che due anni dopo, nel 1743, in Senen. (2) proposto il dubio: « An de Patrocinio S. Iosephi, quod Senis et pluribus in locis celebratur Dominica tertia post Pascha sub ritu duplici secundae classis, possit recitari Officium, quando in dicta Dominica occurrunt Festa divi Marci Evangelistae, aut SS. Philippi et Iacobi ». La S. C. col voto di un Ceremoniere il dì 11 Maggio rescrisse ad primum: « Attenta dignitate personae, licet aequalis sit ritus inter Festa S. Marci et Sanctorum Apostolorum Philippi et Iacobi, Officium de Patrocinio S. Iosephi est recitandum, si cum praedictis solemnitatibus occurrit »; e lo stesso stabilì circa la concorrenza dei primi o secondi Vesperi coi medesimi Santi. Ibid. ad secundum. Però sembra che la cosa non fosse discussa in piena Congregazione, non facendosi nel decreto alcuna menzione della relazione del Card. Ponente. Ma inoltre il 4 Luglio 1745 (3) la stessa S. C. « re mature discussa, et praevio recessu a decisis, declaravit praelationem esse dandam SS. Apostolis et Evangelistis ». Questa massima si confermò poco appresso, cioè il 18 Decembre 1779, in una Ord. Min. S. Francisci ad 11 (4), quando, a relazione del Card. Boschi Ponente, proposto il dubbio: « An Vesperae Patrocinii S. Ioseph tam in occursu, quam in concursu, dimidian-

(1) Omesso. Vedi decr. n. 3808.
(2) Espunto.
(3) Omesso nell'Antica Collezione per il decreto 18 decembre 1779. ad 11:
(4) Omesso. Vedi decr. n. 3808.

dae sint cum Festis Apostolorum et Evangelistarum, seu potius integrae persolvendae sint de Patrocinio S. Ioseph »; la S. C. rispose « Integras Vesperas tribuendas esse Apostolis et Evangelistis, non vero dividendas cum Patrocinio S. Ioseph ».

Non erano decorsi che due anni soli, cioè il 16 Febbraio del 1781 (1), quando di nuovo fu formalmente proposta la questione medesima alla S. C. dei Riti, Ponente il Cardinal Corsini, in *una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Hispaniae*. E questa volta uscì la formale risoluzione, che quindi innanzi ha costituito la norma, e come la massima; poichè alla domanda di concedere la preferenza alla Festa del Patrocinio di S. Giuseppe su quella degli Apostoli ed Evangelisti la S. C. rispose: « Negative, cum agatur de Festo secundario ». Fortunatamente mi è riuscito di avere tanto il voto del Ceremoniere Mons. Luigi Bruni, quanto un altro, sebbene anonimo, presentato dai PP. Carmelitani Scalzi della Provincia di Genova. È prezzo dell'opera il riferirne le parti essenziali, poichè questo risponde precisamente al dubbio proposto dalla S. C. all'autore del secondo voto: « quae momenta movere S. Rituum Congregationem potuerunt ad plura edenda, licet particularia, decreta, pro festis primariis et secundariis ». Dalla lettura del voto si vedrà con quanta maturità la stessa S. C. ha agito nell'emettere questi decreti, poichè non approvò tutte le ragioni del Ceremoniere, ma solo quella che ora trattiamo, cioè che la Festa dei SS. Apostoli è *primaria*, e quella del Patrocinio *secondaria*.

I Quesiti XVII e XVIII compresi nel voto del Ceremoniere Bruni sono i seguenti:

XVII. Ob impedimentum perpetuum Quadragesimae, Festum principale S. Ioseph Protectoris Congregationis Hispaniae Carmelitarum Discalceatorum celebratur sine Octava; et ideo provisum est a Sacra Rituum Congregatione, ut Octava adiudicaretur Secundario eius Festo Patrocinii; sed cum hoc festum licet ritum Secundae Classis non excedat, pompa tamen extrinseca, maximaque interna animi commotione Religiosorum celebratur, imo et pluries maxime in statutis Provinciis, concursus Populi conveniat; quaeritur num in concursu et occursu cum Festis Apostolorum et Evangelistarum praeferentiam obtineat?

Et quatenus Negative,

XVIII. Supplicatur pro gratia, ut praeferatur Festum Patrocinii Festis Apostolorum et Evangelistarum, attenta Solemnitate maxima, quam sortitur inter Carmelitas Discalceatos, et maxime attenta dignitate personae S. Ioseph super Apostolos.

Ed ecco la risposta adottata qual massima dalla Sacra Congregazione: « Esse celebrandum Officium Apostolorum, et transferendum Officium Patrocinii S. Iosephi ».

Quamvis autem Sacra Rituum Congregatio sub die 11 Maii 1743 (2) decreverit, praeferendum esse Festum Patrocinii S. Ioseph Festis Apostolorum et Evangelistarum *tam* in concurrentia, *quam* in occurrentia, nihilominus sub die 4 Iulii 1745 (3) re mature discussa censuit: Ius praecedentiae in occurrentia et concurrentia tribuendum esse Festis Apostolorum et Evangelistarum, idemque pariter confirmavit sub die 18 Decembris anni 1779 (4), dum ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Boschi Ponentis proposito sequenti Dubio: « An Vesperae Patrocinii S. Ioseph tam in concursu, quam in occursu dimidiandae sint cum Festis Apostolorum et Evangelistarum, seu potius integrae persolvendae sint de Patrocinio S. Ioseph »; Sacra Congregatio respondit: « Integras Vesperas tribuendas esse Apostolis et Evangelistis, non vero dividendas cum Patrocinio S. Ioseph ».

Si vero inquiratur ratio, qua Sacra Rituum Congregatio ad id decernendum mota fuerit in relatis decretis, eam in primis fuisse comperitur, *quia Festum Apostolorum est Primarium, et Universale in toto Orbe, et de praecepto,* et S. Ioseph est Officium peculiare, et ex Indulto concessum. Ulterius Ecclesia eumdem in Confessorum Classe semper habuit, et tamquam Confessorem et Confessorum Officio est venerata, ut ex Martyrologiis, Missalibus et Breviariis etiam antiquis aperte eruitur, et, quod maioris momenti est, etiam nunc, etsi Ritu altiori, Officio proprio et descriptione in Litaniis ante Apostolos honoretur, Confessoris titulo in Breviario describitur, eaque de causa postponi Apostolis debet. Quatenus autem praelatio Sancti Ioseph super Apostolos peti velit ex

(1) Omesso. Vedi decr. n. 3808.
(2) Vedi pag. 388 in nota (2).
(3) Vedi pag 388 in nota (3).
(4) Vedi pag. 388 in nota (4).

descriptione priori eiusdem in Litaniis, quantum ad praesentem quaestionem attinet, utique obesse non potest; liquido enim constat, in Litaniis, Ordinem temporis (quod est maxime notandum) attentum fuisse. Discipuli enim Domini, quorum plurimi non fuerunt Martyres, praeferuntur Martyribus, Innocentes ante caeteros Martyres, et Maria Magdalena ante Virgines et Martyres invocantur, cum tamen Martyres ratione dignitatis prius discipulis Domini et SS. Innocentibus causa excellentioris Martyrii invocari debuissent, sicut et Virgines et Martyres tum ratione Virginitatis, cum Martyrii ante S. Mariam Magdalenam; Patriarchae ibidem et Prophetae ante Apostolos describuntur, et tamen quantum spectat ad Breviarium, non supra Apostolos, sed infra existimantur, et tamquam de Classe Martyrum vel Confessorum inspiciuntur et moderantur, ut ponderat Guyet. lib. 3, cap. 16, quaest. 4, § 5, et cap. 23, quaest. 3, et observat Ecclesiarum praxis.

Et tandem Sanct. Mem. Benedictus XIV lib. 4 de Canon. part. 2, cap. 20, num. 52, expresse fatetur a priori descriptione S. Ioseph in Litaniis erui non posse eiusdem praelationem super Apostolos, nec valere argumentum a Litaniis ad Breviarium, nec a Breviario ad Litanias, saltem quantum attinet ad Sanctos Veteris Testamenti, in quorum Classe S. Ioseph connumeratur; atque hinc procul dubio argumentum ex priori S. Ioseph descriptione in Litaniis undique ruit. Hae rationes in hac praelaudata Sacra Rituum Congregatione propositae, ac mature discussae ita validiores reputatae fuerunt, ut posthabitis argumentis in oppositum allatis, sub die 4 Iulii 1745 (1), praevio recessu a decisis, censuerit praelationem esse dandam Apostolis et Evangelistis supra S. Ioseph: idemque sub die 18 Decembris 1779 (2) etiam confirmaverit. Ita ut si Dominica 3ª post Pascha, cui pro aliquibus locis concessum est Officium Patrocinii S. Ioseph, occurrat Festum S. Marci Evangelistae, vel SS. Apostolorum Philippi et Iacobi, Officium Patrocinii laudati S. Ioseph transferri debet iuxta Rubricas ad primam diem non impeditam. Ex quibus omnibus plane consequitur Carmelitarum Ordinem, ubi contingat Dom. III post Pascha Festum Patrocinii S. Ioseph occurrere vel concurrere cum Festo SS. Apostolorum et Evangelistarum, teneri et obligatum esse illud remittere ad primam diem non impeditam, etiamsi a praelaudato Ordine celebretur cum solemnitate sub Ritu duplici Secundae Classis, et cum Octava, stante semper inconcusso illo principio, quod Festum Apostolorum et Evangelistarum *est primarium, et universale in toto Orbe, ac etiam de praecepto;* e contra Officium Patrocinii saepe laudati S. Ioseph est peculiare, et ex Indulto concessum; propterea quod praefata S. R. C. praevio recessu a decisis sub die 4 Iulii 1745 (3) declaravit praelationem esse dandam SS. Apostolis et Evangelistis, et Officium Patrocinii S. Ioseph transferendum esse ad primam diem impeditam iuxta Rubricas; ut superius evidentissime ostensum fuit.

Da questo voto apparisce, che le precipue ragioni di prelazione erano pel Ceremoniere « quod Festum Apostolorum et Evangelistarum est primarium, et universale in toto orbe, ac etiam de praecepto: e contra Officium Patrocinii S. Ioseph est peculiare, et ex indulto concessum »; ragioni gravissime, delle quali almeno la precipua, nulla ha perduto del suo valore anche dopo che S. Giuseppe è stato dichiarato Patrono della Chiesa Universale; al modo stesso che il Patrocinio della B. Vergine (ove pure sia di egual rito), non può prevalere alla Festa degli Apostoli, sebbene dopo Dio Le si presti il massimo culto nella Chiesa. La detta prelazione poi si deve tanto nella occorrenza quanto nella concorrenza, per le ragioni che aggiunge il Ceremoniere:

Quae tamen sanctio etsi loquatur tantum de praelatione Apostolorum et Evangelistarum supra S. Ioseph, quando eadem die simul occurrit eorum Festivitas, servanda erit etiam in Vesperis in eorum concursu. Etenim ut supra observavimus, eadem die, qua haec Sacra Rituum Congregatio decrevit officium fieri debere de Patrocinio S. Ioseph, et translationem vero S. Marci Evangelistae, et SS. Philippi et Iacobi Apostolorum, decrevit etiam deberi illi praelationem in concursu, scilicet, integras Vesperas non vero dimidias cum Apostolis et Evangelistis; ita similiter statim ac eadem Sacra Rituum Congregatio cum posteriori decreto aliter statuit, tribuendo scilicet in occursu praelationem Apostolis

(1) Vedi pag. 388 in nota (3).
(2) Vedi pag. 388 in nota (4).
(3) Vedi pag. 380 in nota (3).

et Evangelistis non vero S. Ioseph, dici oportet integras Vesperas non vero dimidias Apostolis et Evangelistis esse tribuendas.

Hoc enim est discrimen, quod reperitur inter Festa Domini, B. M. V., Angelorum et Apostolorum ac Evangelistarum et Festa aliorum, nempe Martyrum, Confessorum, Virginum, et non Virginum, quod illa *iuxta Rubricam XI de concurrentia Officii* num. 2, inter *Festa etc.* numquam in aequalitate dividunt Vesperas, sed semper habent integras, posteriora vero dimidias; ita ut Festa Domini praeferantur Festis B. Mariae, haec Festis Angelorum, et haec reliquis aliis, scilicet Martyribus, Confessoribus etc. Cum itaque Festa Apostolorum, si demantur SS. Apostoli Petrus et Paulus, sint duplicis Secundae Classis, et Patrocinium S. Iosephi pro Privilegiatis sit eiusdem Ritus sicut in dubio asseritur, et quantum ad Officium attinet, uti Confessor habendus sit; cum non detur in Breviario Romano aliud commune sibi proprium, Vesperae idcirco integrae tribuendae sunt Apostolis et Evangelistis, non vero dividendae cum Patrocinio S. Ioseph. Et facto Sacra haec Rituum Congregatio id novissime probe novit in una Ordinis S. Francisci Provinciae Conceptionis in Regno Lusitaniae, ubi sub die 18 Decembris praeterlapsi anni 1779 (1) proposito sequenti dubio ibi: « Ex decreto 11 Maii 1743 praeferri debet Festum Patrocinii S. Ioseph Festis Apostolorum et Evangelistarum tam in concurrentia, quam in occurrentia; sed cum per decretum 4 Iulii 1745 denuo expositum ius praecedentiae in occurrentia iterum tribuatur Festis Apostolorum et Evangelistarum, dubitatur quid faciendum in concurrentia: an vesperae dimidiandae sint, vel integrae persolvendae de Festis Apoostolorum? » Sacra Rituum Congregatio omnibus mature perpensis, quae videri possunt in Voto Typis impresso admodum R. D. Petri Mangili Apostolicarum Coeremoniarum Magistri Viri Cl., censuit ad expositum dubium rescribere: « Vesperae integrae debeantur Apostolis et Evangelistis ». Quae quidem omnia profecto talia sunt ac tanta, ut praesens dubium nonnisi sequenti ratione sit resolvendum, videlicet: « In concursu et occursu Sanctorum Apostolorum et Evangelistarum cum Festo Patrocinii S. Ioseph praelationem esse dandam Apostolis et Evangelistis, non vero Sancto Ioseph ».

Come si è detto, la S. C. aderì solamente a questo parere per la prima delle addotte ragioni, rispondendo: « negative, cum agatur de Festo secundario », ed al XVIII semplicemente *negative.* E la ragione è compresa nel voto del predetto Ceremoniere, cioè: « Ad decimum octavum: « Negative ». Huiusmodi enim gratia expresse opponeretur Rubricis et decretis Sacrae Congregationis, quae hanc materiam mature perpendit, ac pluries rigidiori examini subiecit: et si PP. Carmelitae Festum S. Ioseph celebrant maxima cum Solemnitate ac peculiari devotione sunt laudandi, at non ex hoc sequitur sub praetextu devotionis violandas esse Rubricas, et detorquendos Ecclesiae Ritus, ut sapienter decrevit haec Sacra Rituum Congregatio die 29 Ianuarii anni 1732 ibi: (2) « Non sunt violandae Rubricae piorum hominum causa ». Et consenat doctissimus Pontifex Benedictus XIV tom. 1, instit. 30, num. 23, inquiens: « Nemini fas est novos inducere Ritus sub praetextu pietatis ».

E quindi innanzi la S. C. tenne *sempre* ferma questa prassi della preferenza delle Feste *primarie* sopra la *secondaria* del Patrocinio di S. Giuseppe nella *occorrenza,* siccome apparisce tra le altre, dalla decisione presa nella Congregazione 14 Maggio 1803 (3), in una Ordinis Carm. Exc. Congr. Lusitanae ad 4um, Ponente il Card. Antonio Doria. L'autore del secondo voto, (come si è notato fin da principio) ammette che, a partire da quell'epoca del 1781 « S. R. Congregatio fere constanter docuit in occursu et concursu in paritate ritus seu classis tam Festa SS. Apostolorum..., quam Festa aliorum Sanctorum.... Patrocinio S. Ioseph esse praeferenda »; cioè si costituì su tal proposito una massima oltre secolare. Due sole volte nella concorrenza, e per particolari motivi, si diede la preferenza nei Vesperi al Patrocinio di S. Giuseppe, cioè in Santanderien. 26 Gennaio 1793 (4) ad 19; allorchè *concorreva* con Festa primaria bensì, ma di rito *doppio minore;* ed in una Carthaginien., seu Ord. Min. de Observ. ad 14, nella quale però circa la preferenza da darsi nella *concorrenza* al Patrocinio di S. Giuseppe di seconda classe, si trattava d'interpretare la speciale rubrica 127 del Bre-

(1) Vedi nota, pag. 388.
(2) Non si trova nell'Antica Collezione quindi neppure nell'Autentica e Nuova.
(3) (4) Omessi. Vedi decr. gen. n. 3808.

viario Romano-Serafico allora proprio riformato. Però nelle altre decisioni tutte, si pospose il detto Patrocinio alle Feste *primarie* di egual rito tanto nella *occorrenza,* quanto nella *concorrenza.* Lo scrittore del secondo voto reca molti di questi decreti. Ma è sopratutto da fare riflessione su quello dell'11 Settembre 1847 in Neapolitana (1), non solo perchè è di data più recente, ma principalmente perchè fu provocato a fine di togliere ogni controversia. Si espone in fatti nel detto decreto, che l'Emo Card. Arcivescovo Riario Sforza « non unam deprehendit sententiam in designatione Officii divini, quando Dominica tertia post Pascha, cui sub ritu duplicis secundae classis affixum est Officium Patrocinii S. Iosephi Sponsi B. M. V. incidit, sicuti anno vertente septimo Kalendas Maii, Sancti Marci natali die sub ritu pariter duplicis secundae classis recurrente ; ac alii, innixi decretis S. R. Congregationis quinto Idus Iulii 1743 in Senen., et septimo Kalendas Februarii 1793 in Santanderiensi praecedentiam concedunt Officio Patrocinii S. Ioseph; alii e contra iuxta sancita de anno 1781 decimoquarto Kalendas Martii asserunt persolvendum de S. Marco Evangelista : pastoralis sui muneris esse duxit Sacrae eidem R. Congregationi sequentia dubia proponere, ut cuicumque ulteriori opinionum varietati via penitus praecludatur ; nimirum: 1°. Cuinam ex praefatis decretis in simili occurrentia sit inhaerendum , seu quodnam ex enunciatis Festis simul occurrentibus sit praeferendum? 2°. An in casu quod standum sit decreto de anno 1781 edito, an novissimum decretum anni 1793 saltem de sola occurrentia in;elligendum sit ? » E la S. C. diligenti instituto examine, rispose : « Ad 1. Standum esse decreto diei 16 Februarii 1781. - Ad 2. Intelligendum de occurrentia et concurrentia simul ». Si è detto che dopo questi decreti niun altro se n'è pubblicato ad essi contrario ; solo rimane a dire del decreto Generale del giorno precedente 10 Settembre 1847 (2); di cui però tratteremo più innanzi, unendolo ad altri due pure Generali sullo stesso soggetto.

VI. È intanto mestieri osservare col sopra citato scrittore che il Patrocinio di S. Giuseppe non solo venne posposto nei posteriori decreti alle Feste *primarie* degli Apostoli ed Evangelisti, ma ben anche alle *Primarie* di altri Santi. E lo stesso avvenne di altre Feste *secondarie* di maggior dignità personale posposte ad altre meno degne, ma *primarie.* Credo espediente il recare in mezzo la decisione del 31 Marzo 1821 (3), Ponente il Card. Galeffi in una Orbis, unitamente al voto di Mons. Fornici, a cui la Congregazione pienamente aderì, rispondendo « In voto Caeremoniarii ».

Dubium I. Occurrente Festo Ssmi Cordis Iesu, ubi gaudet Ritu Primae Classis et Octava cum Festo Nativitatis S. Ioannis Baptistae, aut SS. Apostolorum Petri et Pauli, quaeritur de quo sit faciendum, et quod transferendum ?

Cum Canonicus Fridericus Petrucci Prior Chori Metropolitanae Ecclesiae Senen. expostulaverit ab hac Sacra Congregatione declarari : « An primaria Festa S. Ioannis Baptistae, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli excluderent alia Festa in ipsis occurrentia ? » S. R. C. declaravit : « Primaria Festa S. Ioannis Baptistae, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, attentis rationibus per P. Merati allatis innixis Decreto S. huius Congregationis in Aquileien. 21 Augusti 1688 (4), excludunt omnia alia Festa in ipsis .occurrentia , excepta solemnitate Corporis Christi ». Senen. 11 Maii 1743 (5).

Et merito quidem hoc, Rubricarum regulae generali consonum, et Liturgicorum omnium sententiis apprime conforme, ab hac Sacra Congregaiione declaratum sancitumque fuit. A quo enim, et quando Festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae fuit institutum ? Profecto cum veteres Patres tum Graeci, tum Latini de hoc Festo sermonem habuerint ; cum mentio illius Festi fiat in vetustissimo Ordine Romano, et in omnibus Mss. et editis Sacramentariorum libris ; cum tandem de illius initio nulla sit memoria, quod iuxta doctrinam S. Augustini, epist 118, signum sit Apostolicae traditionis, ab ipsis Apostolis credendum est fuisse institutum. Et hinc factum fuit quod tam ex antiquissima institutione memoratae Festivitatis, in qua olim ad honorem S. Ioannis, qui tribus triumphis refulsit insignis, *Officio Praecursoris, Baptistae ministerio et quia Nazaraeus in utero Matris,* ut legitur in Ordine Romano, singuli Sacerdotes tres Missas celebrarent ; quam ex singularissima et pri-

(1) (2) (3) (4) Omessi. Vedi decr. n. 3808.
(5) Vedi pag. 388 in nota (2).

vilegiatissima sanctitate Ioannis, qui praeter morem in utero matris sanctificatus praecellit ceteros, eminet universis, antecellit Prophetas, supergreditur Patriarchas, et quisquis de muliere natus eo est inferior, testimonium reddente Salvatore ipso: *Non surrexit maior Ioanne Baptista ;* Nativitatem eius inter Festa solemniora recensuit semper Sancta Mater Ecclesia Catholica, voluitque *universali praecepto, et sub obligatione gravi* C. *Conquestus,* de Feriis, C. *pronunciamus,* dist. 3, de Consecr. et in Constit. Urbani VIII. *Universa,* ut Christi fideles omnes, qui natalem diem carnis nulli Prophetarum, nulli Patriarcharum, nulli Apostolorum celebrant, maxima solemnitate colerent Nativitatis Eius diem, qui, ut in suis sermonibus praedicant Augustinus, Maximus, Cyrillus Alexandrinus, *Lucifer fuit solis orientis : terminus Legis Veteris, et initium Novae : indicium ubertatis eius, et veluti nexus utriusque. . . .*

Omnibus quoque compertum est Principes Apostolorum, qui sunt omnium celeberrimi, primos etiam fuisse, qui festos dies nomini suo sacros nacti sint. Docet enim Durandus lib. 7. Rationalis divinorum Officiorum a primis Ecclesiae saeculis celebritatem Sanctorum Apostolorum institutam ubique gentium Ritu solemni fuisse peractam. Testatur hoc etiam Ordo Romanus, Sacramentarium Gelasianum, Gregorianum, testatur Martène de Antiquis Ecclesiae ritibus, et quotquot de Festorum Sanctorum institutione, et de Liturgicis disciplinis scripserunt ; quorum omnium auctoritates haud arbitror hic recensere, referens solummodo ea, quae in sua Constitutione *Apostolicae Sapientiae Dei sublimitas* enarrat fel. rec. Benedictus XIV. « Vivit autem in mente hominum, et nulla unquam delebit oblivio, vetus memoria et recordatio, quam merito, et quantum per totum Orbem fuerit a primis Ecclesiae saeculis cetebri cultu et splendida solemnitate Natalis dies Beatorum Apostolorum celebratus. Siquidem eo die traditum est Romanos Pontifices primum in Basilica Beati Petri in Vaticano, deinde in altera Apostoli Pauli in Via Ostiensi Sacrum immortali Deo in honorem Principum Apostolorum fecisse ; et ex diversis Orbis partibus innumerabilem populi multitudinem linguis, moribus et regionibus discretam, venerationis tamen erga Beatorum Apostolorum triumphalem memoriam concordi obsequio societatem, confluere consuevisse ».

Nec mirum quod festus dies Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli praecipuis et maximis totius Christiani Orbis gaudiis, ingentisque laetitiae significationibus fuerit celebratus. Petrum enim et Paulum in memoriam revocantes nonne debebant primitivi Fideles cum S. Ioanne Chrisostomo obstupescere; et contemplantes afflictiones eorum, quot tormenta sustinuerunt, quot maledicta tolerarunt, quomodo praedicatione Ecclesiam sanctificarunt, nonne, inquam, debebant obseqnio et exultatione perfundi, piis lacrymis opprimi, summoque erga illos religionis ardore inflammari? Si in omnem terram exivit sonus eorum, et verba eorum in fines orbis terrarum ; si Petrus est Apostolus ille, cui tradidit Deus claves Regni Caelorum, quemque in Principem praefecit et Pastorem Ecclesiae suae, quam non vincunt superbae inferorum portae ; si Coapostolus eius Paulus vas fuit electionis, praedicator veritatis in universo mundo, per quem omnes gentes cognoverunt gratiam Dei ; nonne praefati Apostoli, Principes super omnem terram constituti iure meritoque ab incunabulis Ecclesiae promeruerunt reverentiam, festivitatem in eorum Natalis die pro toto terrarum Orbe?

Haec duo ergo Festa, Nativitatis nempe S. Ioannis Baptistae, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ; haec duo Festa a primis Ecclesiae saeculis tanta devotione celebrata ; haec duo Festa inter solemniora per totum Christianum Orbem enumerata ; haec duo Festa, quae in diebus quoque privilegiatis, in quibus transferri debent Festa occurrentia, a Rubrica non excluduntur ; haec duo Festa, quae a memorato huius Congregationis Decreto excludunt omnia alia Festa in illis occurrentia, *excepta solemnitate Corporis Christi,* transferendae erunt, occurrente eadem die Festo SSmi Cordis Iesu, ubi gaudet Ritu primae Classis et Octava? Festum *recentissime* institutum, ad universalem Ecclesiam non extensum, in aliquibus locis *praeceptive, facultative tantum et ex indulto in aliis celebratum, ex speciali gratia ad Ritum elevatum primae Classis cum Octava,* e propria sede depellet festa haec duo solemniora universali praecepto et sub gravi obligatione a primis Christi fidelibus maxima solemnitate celebrata ?

Video, EE. PP. ex quo oritur propositum dubium, et ex quo forsan potissimum exurgit dubitandi ratio. Ex Rubrica nempe XI, num. 2, inter Festa aequalis solemnitatis Festa Domini omnibus aliis prae-

feruntur. Festum SS. Cordis Iesu est festum Domini. Ergo in paritate Ritus omnibus aliis praeferri debet. Verum haud noviter hoc argumentum proponitur, et ad trutinam revocatur. Etenim ex quo Dedicatio Ecclesiae sit Festum Domini, permulti pro certo tenebant eidem Domini Festo ex Rubricae praescripto dandam esse praeferentiam tam in occurrentia, quam in concurrentia super Festa alia quaecumque aequalis Ritus, sed minoris dignitatis. Et quamvis ex ipsa Rubrica eruatur Festa quaecumque alicuius loci quocumque solemni Ritu celebrata, si occurrunt in diebus privilegiatis, et in Festis, quae in Tabella ex Rubricis generalibus excerpta tamquam solemniora ab universali Ecclesia considerantur, et proprio ordine recensentur; quamvis Sacra haec Congregatio Rubricarum interpres, et generalibus regulis inhaerens decreverit Festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae praeferri debere Festo Dedicationis Ecclesiae; et infra Octavas dictorum Festorum faciendum esse Officium de Octava S. Ioannis Baptistae cum Commemoratione Dedicationis, 21 Augusti 1688, Aquileien. (1) et Sabinen. 5 Martii 1695 N. 1922; nihilominus ex eodem argumento praeferentiae Festis Domini debitae super alia Festa quaecumque aequalis Ritus, paulatim de die in diem proponebantur quaestiones et dubia, quae totum evertebant, quod Rubricae ab Ecclesia Romana tanto studio, maturitate et sapientia statutae generaliter edocebant. Hinc ad sarta tectaque servanda haec Rubricarum generalia praecepta, et Decreta alias publicata vindicanda, die 13 Martii 1804 (2) in una Ordinis Clericorum Minorum Toletanae Dioecesis ad tertium dubium, nempe: « Cum iam declaratum sit a S. C. R. Dedicationem Ecclesiae esse *Festum Domini*, quaeritur: An Octava Dedicationis propriae Ecclesiae dignior sit Octava Conceptionis B. M. V. in Hispania, ubi celebratur ritu duplicis Primae Classis; et quatenus Affirmative, an pariter dignior sit Octavis Assumptionis eiusdem B. M. V. et omnium Sanctorum »; respondit: « Ad 3 et 4 Negative ». Ex quibus evidentissime patet declaratum fuisse: etiam in occurrentia aliquorum Festorum Domini, quae in aliquibus locis peculiariter incidunt, semper servandum esse ordinem Festorum solemniorum, prout recensentur in Tabella ex Rubricis Generalibus excerpta, et praecedentiam dandam esse Festis, quae praeceptive sub obligatione gravi ab omnibus totius Christiani Orbis Ecclesiis diebus propriis celebrari debent.

Ex alio quoque fonte desumitur argumentum pro resolutione propositi dubii, nempe a distinctione ab hac Sacra Congregatione admissa inter Festa *primaria et secundaria*, et a resolutionibus, quae exinde prodierunt pro statuenda praecedentia inter Festa maioris dignitatis, sed secundaria, et Festa alia primaria occurrentia cum illis in aequalitate Ritus. Postquam in Kalendarium Romanum a Sixto IV, teste Platina in illius vita, Festum S. Iosephi invectum fuit, et a Clemente X, 29 Novembris 1670, ad duplicem Secundae Classis evectum, adeo erga S. Patriarcham veneratio percrevit, ut Christi fideles non satisfacti Eum in singulis annis colere, speciali et iterato cultu etiam prosequi volentes, eius memoriam iterum singulis annis peragere conarentur; Patrocinium eius hoc pacto comparantes, sub cuius nomenclatura quotannis secundum Festum S. Iosephi celebrant, prout ex Indultis particularibus pro aliquibus Locis, Civitatibus, Regnis et Dominiis concessis constat. Pro huius autem Officii celebratione saepe saepius exortae sunt quaestiones de praecedentia super Apostolos tam in occurrentia, quam in concurrentia. Et re quidem vera, si quae in laudem S. Iosephi ab ipso Evangelii fonte hauriuntur, si gratiae spirituales, ac speciales illius praerogativae. quae adeo magnae, excelsae, propriae sunt, nec alteri Sancto communicatae, prae oculis habeantur, unusquisque facile credet praelationem super Apostolos dandam esse S. Iosepho. Rem hanc extra dubium positam censebant Meratus Sect. 3, cap. 9, n. 3, ad Gavantum Tom. 2; Pittonus decis. pro sacris ritibus n. 1401, aliique permulti, praesertim postquam Benedictus XIII nomen S. Iosephi in Litaniis inseruit ante Apostolos, ex quo Litaniarum ordine Octavarum praeferentiam desumunt Liturgici cum Gavantos Tom. 2, Sect. 3, cap. 8, n. 6; et quod validius est, etiam huic Sacrae Congregationi in duabus sententiis sub die 11 Maii 1743 (3) in Senen. non aliter visum fuit. Nam consulta: « An de Patrocinio S. Iosephi quod Senis et pluribus in locis celebratur Dominica tertia post Pascha sub ritu duplici secundae classis possit recitari Officium, quando in dicta Dominica occurrunt Festa Divi Marci Evan-

(1) (2) Omessi.
(3) Vedi pag. 388 in nota (2).

gelistae, aut Sanctorum Apostolorum Philippi et Iacobi? Et 2. An Patrocinio S. Iosephi concurrente cum dictis Festis sint de eo integrae recitandae Vesperae, vel dimidiandae? » S. R. C. rescribendum censuit: « Attenta dignitate Personae, licet aequalitas sit ritus in Festo S. Marci et Sanctorum Apostolorum Philippi et Iacobi, Officium de Patrocinio S. Iosephi est recitandum, si cum praedictis solemnitatibus occurrat. Et ad 2. Non esse dimidiandas, sed integras persolvendas Vesperas de Patrocinio, attenta ratione superius allata ».

Attamen, cum denuo quaestiones super hac praecedentia fuerint propositae, et denuo discussae, *recedendum esse a decisis, et praelationem Apostolis et Evangelistis in occurrentia dandam esse sancivit.* Etenim ex parte Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci strictioris Observantiae Recollectorum Provinciae Germano-Belgicae inter alia dubia supplicatum fuit declarari: 2. « An, si Dominica tertia post Pascha incidat Festum Sanctorum Apostolorum Philippi et Iacobi, vel S. Marci Evangelistae, una cum Festo Patrocinii S. Iosephi, debeat Apostolis et Evangelistis praeferri Officium S. Iosephi? Et 3. An vesperae de Patrocinio S. Iosephi debeant esse integrae in casu, quod haec festivitas concurrat cum Festo S. Marci Evangelistae vel Sanctorum Apostolorum Philippi et Iacobi, atque illis praeferatur? » S. C. declaravit: « Ad 2 Negative; ad 3 Affirmative, deletis iis verbis *atque illis praeferatur* ». Die 4 Septembris 1773 (1). Et in una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Hispaniae in dub. 18. Supplicata pro gratia, ut praeferatur Festum Patrocinii Festis Apostolorum et Evangelistarum, attenta solemnitate maxima, quam sortitur inter Carmelitas discalceatos, et maxime attenta dignitate Personae S. Iosephi supra Apostolos, S.R.C. die 16 Februarii 1781 (2) rescripsit: « Ad 18 Negative ». Ulterius, quamvis in memorato Decreto 4 Sept. 1773, in occurrentia tantum praelationem dederit Festis Apostolorum supra Festum Patrocinii S. Iosephi, non autem in concurrentia; postea in Una Ordinis Minorum S. Francisci Provinciae Conceptionis B. M. V. in regno Portugallico iterum in dubio 11 consulta: « An in concurrentia Festi Patrocinii S. Iosephi cum Festis Apostolorum et Evangelistarum Vesperae dimidiandae sint, vel integrae persolvendae de Festis Apostolorum? » recedens a decisis, etiam quoad concurrentiam die 18 Decembris 1779 (3) rescripsit: « Vesperae integrae debentur Apostolis et Evangelistis ».

Sed quodnam fuit potissimum argumentum, a quo, posthabitis aliis omnibus in prioribus decisionibus propositis, Sacra Congregatio perstricta fuit a decisis recedere, et in oppositam sententiam venire? Audiamus Cl. Virum in rebus Liturgicis praesertim peritissimum Doctorem et Magistrum R. D. Aloisium Gardellini huius Sacrae Congregationis Assessorem. In Indice generali suae Collectionis Decreta referens, quibus Sacra Congregatio a decisis recedens Officium Patrocinii Festis Apostolorum non esse praeferendum sancivit, potissimam nobis rationem exhibet, nempe in occurrentia et concurrentia Patrocinii S. Ioseph cum Festis Apostolorum non attendendam esse maiorem dignitatem, sed differentiam, quae intercedit inter Festa primaria et secundaria. « Verumtamen, sic legitur Tom. V, pag. 97, postea re mature explorata censuit in paritate ritus tam in occurrentia, quam in concurrentia, maiorem dignitatem non esse attendendam, sed Festum Primarium Sanctorum Apostolorum praeferendum esse secundario Patrocinii S. Ioseph ».

Festa ergo *secundaria* in paritate ritus iuxta Decretum huius Sacrae Congregationis non sunt praeferenda Festis *primariis.* Inficiabitur profecto nemo Festum Ssmi Cordis Iesu, quod Feria VI, immediate post completam Octavam solemnitatis Corporis Christi celebratur, esse Festum Domini secundarium. Etenim Festo Ssmi Cordis Iesu nil aliud agitur, quam symbolice *renovari* memoriam illius divini Amoris, quo Unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam, et factus obediens usque ad mortem praebere se dixit exemplum hominibus, quod esset mitis et humilis corde. Licet ergo gaudeat Festum Cordis Iesu in aliquibus locis ritu primae Classis et Octava, cedere debet ex hactenus dictis primariis Festis Nativitatis S. Ioannis Baptistae et SS. Apostolorum Petri et Pauli. Respondendum propterea censerem ad propositum dubium: « Primaria Festa Nativitatis S. Ioannis Baptistae et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli esse in casu facienda, et Officium Ssmi Cordis Iesu, utpote de Festo

(1) Ad 2. Omesso; ad 3 espunto. Vedi decr. gen. 3808.
(2) Omesso.
(3) Vedi pag. 388 in nota (4).

Domini secundario transferendum ». Fin qui il Fornici insigne Scrittore di Liturgia.

Ecco dunque le ragioni, le quali hanno determinato la decisione della S. Congregazione in favore delle Feste *Primarie* sopra le *Secondarie*, sebbene inferiori in dignità personale. Nel voto citato si vede per la prima volta nel 1743 adottato dalia S. C. la parola di *Festa Primaria* per San Gio. Battista ed i SS. Apostoli Pietro e Paolo. Viene in questo voto ben dichiarata la dignità delle Feste di S. Gio. Battista e dei SS. Apostoli Pietro e Paolo, che in proporzione è da applicarsi a quelle di tutti gli Apostoli ed Evangelisti, pel generale principio qui addotto « praecedentiam dandam esse Festis, quae praeceptive sub obligatione gravi ab omnibus totius Christiani Orbis Ecclesiis diebus propriis celebrari debent ». Si ripetono in questo voto molte cose già dette circa la prelazione delle Feste degli Apostoli ed Evangelisti sopra il Patrocinio di S. Giuseppe ; si allega in proposito l'autorità del Gardellini ; e si reca la precipua ragione di preferenza, cioè che la S. Congregazione ha ritenuto « maiorem dignitatem non esse attendendam, sed Festum Primarium Sanctorum Apostolorum praeferendum esse secundario Patrocinii S. Ioseph ». E questa massima il Ceremoniere applicò pure alla Festa del Ssmo Cuore di Gesù, per essere « Festum Domini secundarium. - Etenim.... nil aliud agitur, quam symbolice renovari memoriam illius divini Amoris, quo Unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam, et factus obadiens usque ad mortem, praebere se dixit exemplum hominibus, quod esset mitis et humilis Corde ». E la S. Congregazione aderì pienamente a queste ragioni rescrivendo in tutto, come già si disse : « In voto Caeremoniarii ».

Si è creduto opportuno il riferire ampiamente in questo luogo le ragioni del Ceremoniere, adottate dalla Sacra Congregazione, per dimostrare quanto bene a proposito l'Autore del secondo voto, quantunque non avesse sott'occhio questi voti, pure suppose che le ragioni a decidere doveano essere state molto gravi, scrivendo: « Quis enim rationes Congregationis insignis, quae summa sapientia et prudentia omnia discernit, cognoscere, quis inquirere potest quibus de causis auctoritas suprema, quae nemini ullo modo rationem reddat oportet, distinctionem inter Festa primaria et secundaria in decisionibus suis obtinuerit? » Questo modo di scrivere è veramente dignitoso e saggio ; non potendosi ammettere che tanti uomini dotti e probi abbiano tenuto la sentenza menzionata, solo spinti da leggerezza e da spirito di novità. Molto più che queste medesime ragioni ispirarono il Decreto Generale emanato dal Regnante Sommo Pontefice nel 1889, N.3712; quando estese a tutta la Chiesa la Festa del Ssmo Cuor di Gesù con rito doppio di prima Classe. Che se del resto amore di novità si volesse riconoscere su questo proposito, a tutt'altri dovrebbe attribuirsi, che non al Merati ed ai suoi aderenti.

Lo stesso scrittore del primo voto osserva, che « una Festa anche di rito semidoppio nel suo giorno costituisce per legge di Rubrica impedimento a ricevere una Festa traslata anche di rito di prima classe ». Or bene, da molti secoli aveano preso posto nel Calendario molte Feste, come dei SS. Apostoli, Evangelisti, Dottori della Chiesa Universale, Fondatori di Ordini illustri, Martiri insigni e Patroni secondarii di varie Città od ordini Religiosi. La pietà dei fedeli ha chiesto che fossero istituite alcune Feste Mobili e di devozione di N. S., della B. V. e di S. Giuseppe oltre le loro Feste principali, e la Chiesa ha sanzionato colla sua autorità questi pii voti. Però, se in seguito di questa istituzione sono sorte non poche difficoltà relative allo spostamento, che necessariamente dovea eseguire di quelle Feste secolari, come farne un addebito a quelli che procurano conservare alle medesime un diritto acquisito da secoli? Se, come scrive il Guyeto, la distinzione delle Classi fu introdotta per dare un ordine alla maggiore o minore solennità delle Feste, sembra giusto e doveroso l'indagare se la Chiesa colla istituzione di queste nuove Feste, *senza assegnar loro un rito più alto,* abbia inteso di spostare quelle che, oltre il godere di egual rito, aveano il diritto del *prior possideo*. In fine, confessando lo stesso Autore del secondo voto, che ormai si è stabilito dalla S. C. una prassi più che secolare circa la preferenza delle Feste *primarie* sulle *secondarie* di rito eguale, non dovrebbe piuttosto riprendersi chi di nuovo tentasse riportarci alle antiche perplessità ed incertezze? chi vorrebbe togliere perfino la distinzione di Feste *primarie* e *secondarie* ammessa da tutti i Rubricisti nel senso ovvio, ed adottato da essi tutti, compreso lo stesso Gavanto?

VII. Ma si dirà, vi sono pure i Decreti in contrario, emanati dalla stessa S. Congregazione. Si risponde che questi decreti, specialmente riguardo al Patrocinio di San Giuseppe, sono i più antichi, cioè prima che si stabilisse la uniformità *praevio recessu a decisis;* sono tutti particolari, ed ammettono spiegazioni tutte proprie, come si è veduto poco fa dei due Santanderien. e Carthaginien. Spesso poi la parola *dignius* si è voluta applicare alla dignità personale, quando deve, o può almeno intendersi della Festa od Officio. Altre volte si è scambiata la *solennità estrinseca* (la quale specialmente nella Reposizione non si attende), colla *solennità* da noi intesa, che è il vero fondamento della prelazione delle Feste. Prova ne sia la citazione fatta dall'Autore del primo voto del Decreto 22 Agosto 1711 (1) in Perusina, colla dichiarazione di un Ceremoniere, cioè del già menzionato Mons. Gambarucci; il quale assicurò invece il Merati che la sua opinione dovea in pratica ritenersi, come si vide di sopra. Il più notevole si è, che siansi spesso citati a difesa della propria opinione dei decreti, i quali nel loro contesto sono invece favorevoli alla sentenza contraria. Prova ne sia il decreto del 16 Aprile 1853 (2) Ord. Min. S. Franc. de Obs. Dub. II ad 1: « An Festa Domini et Deiparae, etiam secundaria, Festis Sanctorum etiam minus dignis praeferenda? » Resp. « *Negative,* iuxta decreta in Piscien.... Mechlinien.... Senen. etc. ». Dicasi lo stesso dell'altro del 20 Marzo 1683 (3), che invece è citato dallo stesso Merati per la sua tesi, ed è pure il fondamento della Wilnen., come pure si vide di sopra. Acciocchè poi non prendasi argomento contro l'opinione del Merati dal fatto della S. C., la quale già da circa 20 anni ai dubbii che si proposero sulla precedenza di Feste *primarie* sulle *secondarie* rispose con un *dilata;* avendo io in questi 20 anni fatto parte dei Congressi, posso dichiarare per la verità, che ciò avvenne, non quasichè la stessa S. C. in certo modo sconfessasse le sue decisioni o decreti, ma perchè avea dato ordine che si decidesse finalmente la massima con un decreto Generale, incaricando successivamente varii Rubricisti ad emettere in proposito un voto, che si è fatto attendere fino al presente. Del resto questi sono decreti particolari che potrebbero del tutto omettersi. V'è però un Decreto Generale che sembra una vera eccezione alla regola, quello dell'11 Settembre 1887, N. 3681, nel quale s'innalza a Festa di seconda Classe per tutta la Chiesa quella del SSmo Rosario « ita ut non possit transferri in alium diem, nisi occurrente officio potioris ritus ». Qui il Legislatore *quod voluit expressit,* nè vi è nulla a ridire.

VIII. Ma è tempo di esaminare la difficoltà, che è come l'Achille dei sostenitori della opposta sentenza, cioè la *dignità personale,* che, secondo essi, è dalla Rubrica sempre e senza eccezione preferita nelle occorrenze e concorrenze nelle Feste di egual rito. L'Autore del secondo voto insiste su questo punto, poichè secondo il suo parere nella contraria opinione: « Ordo cultus Deo et Sanctis debiti invertitur, et Sanctis privilegium tribuitur quod supra Dominum et B. M. V. extollit, et sacra liturgia huc usque eis non concessit. Nam dignitas personae fundatur aut in natura, aut in gratia, aut demum in utraque ». Però questo argomento proverebbe troppo: poichè, se questa fosse la regola universale, la Chiesa non avrebbe potuto, nè dovuto giammai assegnare alle Feste dei Santi un rito più elevato di quelle del Signore e della B. Vergine, ciò che è contro il fatto. Ora ecco le parole della Rubrica che viene opposta, Tit. XI, De Concurrentia n. 2: « Inter Festa aequalis solemnitatis servetur hic Ordo, ut Festa Domini praeferantur omnibus aliis, et habeant utrasque Vesperas integras; sicuti Festa Beatae Mariae Festis Sanctorum; item Festa Angelorum etc. ». Qui si parla di *concorrenza,* non di *occorrenza,* e si suppone che sieno Feste *aequalis solemnitatis:* torna dunque la questione già fatta, che cosa s'intenda colla espressione *solemnitas;* s'intende solamente il Rito più o meno elevato, ovvero ancora la maggiorità che nasce dall'essere una Festa *primaria,* di istituzione universale, primitiva e di precetto? La Rubrica nol dice, e noi quindi siamo autorizzati dall'altra del C. X, n. 6, ad intenderla in altro modo.

Del resto esistono già Feste ed Officii, nei quali certamente, a rito eguale, la precedenza si deve all'Officio di minor dignità. E primieramente tutti sanno che le Feste Solenni del primo Ordine o Classe, hanno la precedenza assoluta su tutte le altre, sebbene sieno di egual rito, e di maggior dignità personale. Un esempio di questo ce

(1) Espunto.
(2) (3) Omesso. Vedi decr. gen. n. 3808.

lo somministra lo stesso Gavanto, il quale alla Sect. VII, c. XII, propone la seguente domanda:

« Quando in prima Dominica Octobris occurrit Festum Patroni loci, seu Titularis Ecclesiae in qua Altare adest Rosarii ; de quo fiet Officium, de Festo aut de Rosario? »; e risponde « Bononiae anno 1637 recitatum est Officium de Festo Sancti Petronii, et in Dom. 2 Octobris translatum est Officium Rosarii, vel potius Festum; nam chorus eo die recitavit Officium de Octava S. Petronii. At S. Rit. Congregatio die 6 Febr. 1638 (1) decrevit in hoc casu nihil fieri de Festo Rosarii, neque transferri debere ».

E questo fu il motivo (per tacere di altri esempii), per il quale la Festa di S. Gio. Battista e degli Apostoli Pietro e Paolo venne preferita a quella del Ss. Cuore di Gesù, sebbene elevata a doppio di prima Classe, come si è detto più sopra.

Il Cavalieri a questo Ordine sommo accoppia l'Ordine infimo, poichè sostiene che negli Officii Semidoppi, non si attende la dignità personale. « Ritus semiduplex est ritus depressus et humilis; quare festa non facit solemnia, et sic nec digna in quibus eorumdem exprimatur dignitas » (Lib. II. C. XXVI, n. VII). Lo stesso dice del Rito doppio minore.

Il giorno dell'Ottava di qualche Festa gode di due privilegii : il primo di non ammettere traslazione, il secondo di non cedere neppure alle Feste digniori di egual rito occorrenti in quel giorno. sieno pure doppii maggiori, come il Nome di Maria. Nell'Ottava della Ssma Trinità occorrente nei due ultimi giorni con quella del Corpus Domini, reluttante il Gavanto, la S. C. diede la precedenza a quest'ultima, non certo di maggiore dignità dell'altra. Egli aveva redatto l'Officio dell'Ottava della Ssma Trinità anche per quei giorni, e scrisse pure che la precedanza si doveva a quella Ottava; perchè « iuxta Octavarium Romanum sit dignior quam Octava Corporis Christi » (Gavanto Sect. III, C. XIX, n. 3, e Merati ibid. a Sect. III, C. VIII, n. VII). Ma non l'intese così la S. Congregazione dei Riti, la quale interrogata: « An diebus sexta et Septima Octavae Ssmae Trinitatis, ubi est Titulus Ecclesiae, cum de ea fiat Officium, quia est dignior Octava Corporis Christi, debeat etiam dici Nona Lectio de simplici illis diebus occurrente, an omitti ratione Octavae Corporis Christi? » Ad 3. rispose : « Diebus sexta et septima infra Octavam Festi Ssmae Trinitatis, ubi est Titularis, faciendum esse Officium de die secunda et tertia infra Octavam Corporis Christi, cum commemoratione Ssmae Trinitatis »: in una Bracharen. die 7 Iunii 1709, N. 2194. Il Merati dice che questa fu *ponderatissima resolutio,* cioè perchè la *solennità* è maggiore nella Festa del Corpus Domini, quantunque non potrebbe dirsi essere maggiore *la dignità.*

Inoltre nell' Ottava di Tutti i Santi i Vesperi sono dimidiati colla Festa seguente, sebbene si tratti di Ottava di una Festa di primo Ordine, in cui la prima ad esser celebrata è la B. Vergine. Eppure il Cavalieri è costretto a convenire che in tal caso la dignità non si attende.

Se dunque già nella Classe somma, se nel rito semidoppio e doppio minore non ha luogo la preferenza della dignità personale, perchè tanta difficoltà di assimilare ad esse le Classi e riti intermedii, nel caso stesso?

Aggiungasi a queste ragioni l'altra che ne somministrano il Guyeto ed il Cavalieri. Essi ritengono che le Feste Secondarie di S. Giovanni Battista, della doppia Cattedra di S. Pietro ecc; debbono essere posposte ad altre primarie dei Santi, perchè in esse non viene in considerazione la dignità personale, ma un altro titolo, cioè il martirio, o la potestà pontificia concessa a S. Pietro ecc. Ma questa seconda ragione milita ben più a favore delle Feste *secondarie* da noi menzionate. Chi dirà in fatti che negli Officii della Passione di N. S. venga, almeno direttamente, in considerazione la dignità personale, e non piuttosto il culto agli Istrumenti della Passione stessa? E nel Patrocinio della B. V., o di S. Giuseppe, non sono i beneficii ottenuti, o che si aspettano dalla loro intercessione, quelli che hanno dato occasione ai rispettivi Officii? Dicasi ciò molto più delle Feste *secondarie* della B. V., come del suo Sacratissimo Cuore, de Providentia, de Gratia, di Apparizioni, di Recezioni d'immagini ecc.; le quali tutte, sebbene si riferiscano al soggetto principale, è però sempre per modo indiretto, nè più nè meno del Martirio di S. Gio. Battista, del Pontificio di S. Pietro, o della Conversione di S. Paolo.

IX. Sembrami pertanto che gli autori del primo e secondo voto siansi allontanati dal vero 1. nel disconoscere nella Rubrica X

(1) Non si trova nell'Antica Collez. e quindi neppure nell'Autent. e Nuova.

n. 6 una qualità di preferenza nella *solennità* delle Feste di egual Classe o rito, diversa dalla *dignità personale,* 2. nell'avere attribuito un valore troppo assoluto ed esclusivo nella Rubrica *De Concurrentia Officii N. 2* alle parole indicanti la preferenza da darsi alle Feste secondo la *dignità personale.* 3. Nell'avere supposto che la sentenza del Merati, del Iacobs, del Gambarucci sia rimasta sempre quale di autori privati, e non già ben ponderata ed ammessa dalla Sacra Congregazione dei Riti nei suoi decreti.

Per quanto adunque apprezzi la scienza liturgica dei Rm̃i preopinanti, non potrei convenire con essi nel consigliare la soppressione di tutti i Decreti contrarii alla loro sentenza. Questi Decreti infatti sono molto più di quelli citati nelle presenti discussioni, ed inoltre sono già da molti anni, ed alcuni da un secolo e mezzo in osservanza presso quelle Diocesi, Chiese ovvero Ordini Religiosi, pei quali furono emanati.

Non si controverte già, che nella Rubrica non si faccia espressamente menzione di Feste *primarie* da preferirsi alle *secondarie;* ma questo concetto era compreso in quello di *maggior solennità,* distinto dall'altro di *maggior dignità personale.* Lodevole è certo l'aurea semplicità della primitiva Rubrica; ma essa dovette già subire moltissime modificazioni ed interpretazioni, rese necessarie dai nuovi Officii introdotti. Non è certo nuovo il nome di Feste *primarie* e *secondarie,* nè l'applicazione fattane: ma seppur lo fosse, ricordisi l'aureo dettame di S. Agostino (Tract. 97 in Io.): « Sunt et doctrinae religionis congruentes verborum novitates;..... et Xenodochia et Monasteria postea sunt appellata novis nominibus, res tamen ipsae et ante nomina sua erant ». Al tempo del Gavanto non era ancor sorta la occasione perchè si adottasse questa nomenclatura, essendo poche assai le feste (oltre le primarie) addette a guisa delle Mobili a determinate Domeniche o Ferie. Ma quando in tempi posteriori se ne introdusse l'uso, l'attenzione dei Rubricisti fu richiamata su questo punto. Lo spostamento di Feste solennissime, cioè le primarie degli Apostoli, dei Patroni meno principali e di altri Santi, a cui la veneranda antichità avea assegnato un giorno stabile, ed una speciale solennità, sembrò, mi si permetta la frase, una specie di spoglio, da cui le antiche leggi ecclesiastiche erano alienissime. Si trattava di Feste solenni, delle quali alcune celebrate pure nella Chiesa greca: altre di precetto, ovvero, se questo era stato tolto *quoad forum,* nondimeno rimaneva il suo vigore *quoad chorum et solemnitatem.* E qui di passaggio si avverta, che, se si dovessero per queste Feste mobili rimuovere quelle degli Apostoli, se ne dovrebbero celebrare le vigilie separate dalle lore principali Solennità, ovvero converrebbe sopprimerle. In condizione poco dissimile si trovano, se eguale ne sia la Classe, le Feste dei Dottori della Chiesa, ai quali Bonifacio VIII con solenne Costituzione inserita nel Corpo del diritto, ed i Pontefici suoi successori con peculiari disposizioni vollero tributato un rito ed un culto privilegiato, ed oggi pure godono del diritto di traslatione, sebbene doppi minori: dicasi lo stesso di molti Santi che nei vari luoghi ottengono un culto tutto speciale, sebbene il rito ne sia talora eguale alle Feste secondarie di maggior dignità personale, assegnate a determinate Domeniche o Ferie. Non sembrò ad uomini esimii, quale il Merati, il Gambarucci, Benedetto XIV, il Gardellini che la Rubrica de Concurrentia n. 2, nel preferire in genere la dignità personale, avesse voluto comprendere anche questi casi. D'altronde nella stessa Rubrica de Translatione num. 6 trovarono un argomento validissimo per la loro opinione, dandosi in essa non una, ma due distinte ragioni di preferenza, o il *dignius* cioè, o il *solemnius,* e questo è qualità intrinseca del primario.

E a questa opinione non mancò l'assenso e l'approvazione della S. Congregazione nei moltissimi Decreti citati, nei quali la causa di prelazione di Feste di Santi ed altre di maggior dignità è riposta nell'esser quelle Feste primarie, ossia solenniori, come dal contesto apparisce. Che se la stessa S. Congregazione piuttostochè solenniori ha dichiarato nel caso quelle Feste primarie' ciò è stato appunto pel fatto, che dalla loro primarietà dipende principalmente la maggiore solennità, a preferenza delle altre. Così apparisce dalla Wilnen., che fu la prima in tale senso decisa; ove, come si è detto di sopra, si ebbe ricorso e alla Rubrica, ed al già citato Decreto del 1683, nel quale si preferiscono le Feste che si celebrano *cum maiori solemnitate.*

Questa prassi adottata dalla S. Congregazione è ragionevolissima. Imperocchè se, come si disse, oltre al titolo di prelazione

per dignità personale, la Rubrica ha sempre riconosciuto quella della solennità, e ha dato, in parità di Classe o di rito, la precedenza alla Festa solenniore, con ciò solo può dirsi risoluta la questione. Il Gavanto stesso riconosce nelle Feste primarie un titolo perchè loro si attribuisca un rito più elevato: sostiene invece, che nelle secondarie, sebbene sieno di un Apostolo, il rito deve essere più depresso. E la S. Congregazione non ha fatto che applicare questo principio, allorchè, in parità di rito, ha riconosciuto nelle Feste primarie, un titolo di preferenza sopre le secondarie, sebbene superiori per dignità personale. Così quando per es. ha risposto, che il Patrocinio di S. Giuseppe, essendo secondario, non deve preferirsi alle Feste degli Apostoli, ha sapientemente interpretato la Rubrica in conformità dello stesso Gavanto, riconoscendo nella primarietà un titolo per anteporre autoritativamente la Festa Primaria alla secondaria in parità di Classe, e non considerando, come pure concede il Cavalieri, la dignità personale. In fatti, tolto da un lato il titolo di maggiore riguardo, secondo il Gavanto, tolta anzi la stessa considerazione di dignità personale, secondo il Cavalieri, che cosa rimaneva a quelle Feste secondarie di speciale per essere preferite alle primarie?

Nè qui doabiamo tacere, che il Cavalieri si è molto accostato a questa opinione, allorchè scriveva nel Tom. I, decr. XIII Capitis in Ord. XCIII, n. V (circa la mutazione delle Feste): « Tantum autem arbitramur esse ius, quod festum habet in propriam et natalitiam diem, ut praevalere debeat Festo cuilibet ea die assignato, licet maioris existat hoc dignitatis accidentalis ». Ed al r. IX aggiunge: « Quinimo, si quis pro retinenda natalitia die..., assereret in translatione Sanctorum apud Ecclesias particulares assignatorum non nimis scrupulose ritum vel dignitatem esse inspiciendam, non multum nos refragatores haberet ».

Da queste considerazioni ben si pare che non si è inteso nella presente disquisizione di negare assolutamente il principio di preferenza da darsi in parità di Classe alle Feste digniori sebbene secondarie, come pure ammette il Guyeto, ma solo quando la primarietà di una Festa costituisce il titolo di maggior solennità, sopra le altre digniori *quoad personas*, ma secondarie. Perciò debbono, a nostro avviso, preferirsi sempre le Feste degli Apostoli, delle quali non cade alcun dubbio, che sieno solenniori, per le addotte ragioni. A queste sarebbero da aggiungersi tutte quelle dei Dottori della Chiesa, cioè quelli contemplati nella speciale Costituzione di Bonifacio VIII e degli altri Romani Pontefici suoi Successori, sempre, sintende, in parità di rito; non che i S. Patroni anche meno principali, e tutti gli altri che a somiglianza di S. Adalberto e S. Stanislao per la Polonia godono nei rispettivi luoghi un peculiare culto e solennità nelle loro Feste Natalizie; in una parola tutti quelli considerati nei Decreti fin ora emanati dalla S. C. dei Riti.

Se anche lo scrittore del secondo voto ammette che è stata una vera deroga alla legge quella contenuta nel Decreto Generale, che preferisce la Festa della Visitazione della B. Vergine all'altra del Preziosissimo Sangue, non si potrà al certo negare esser conveniente che una simile eccezione si usi per le Feste Primarie e solennissime degli Apostoli, dei Dottori della Chiesa e degli altri di sopra ricordati. Sembrami che con questo temperamento si venga a dare alla Rubrica un'equa interpretazione, e sieno rimosse quelle obbiezioni desunte specialmente dalla difficoltà di discernere le Feste primarie dalle secondarie; difficoltà del resto troppo esagerata, ed a cui si può nei casi particolari rimediare col semplice ricorso all'autorità competente.

Questa mi sembra la legittima conclusione da dedursi tanto dalla interpretazione della Rubrica, quanto dalla opinione sostenuta da uomini dotti e versatissimi in matesia liturgica, ed in fine dalle più autorevoli dichiarazioni della S. Congregazione dei Riti.

Sarei quindi di subordinato parere di formulare un solo dubbio, cioè: « An et quomodo Festa Primaria B. M. V., Angelorum, SS. Apostolorum aliorumque Sanctorum, praeferenda sint Festis Secundariis eiusdem ritus et classis, sed potioris personalis dignitatis, tam in occursu, quam in concursu, et in eorumdem repositione? » E, subordinatamente al purgatissimo giudizio degli Emi e Rmi Padri, risponderei a norma delle cose fin qui discusse: « Festa Primaria praedicta, utpote solemniora, aliis secundariis in casu praeferenda esse tam in occursu, quam in concursu, ad formam Rubricae X de Translatione Festorum n. 6. Quod si eadem Festa transferri contingat, in illorum repositione servetur Ordo praescriptus in memorata Rubrica n. 7 ».

SUFFRAGIUM

SUPER

3835. DECRETO GENERALI

pro moderando cultu Servorum Dei, qui nondum ab Apostolica Sede relati sunt inter Beatos.

La materia di *vetri colorati e dipinti* richiama naturalmente alla memoria i vetri antichi dipinti, o meglio graffiti in oro, usati dai cristiani dei primi secoli, e che ora sono volgarmente dette *vetri cemeteriali*. Innanzi tutto è da notare che la denominazione di *cemeteriali* è venuta a cotesti vetri per mera convenzione, e per la sola ragione che la massima parte di essi si rinvennero nelle catacombe, ossia nei cemeteri degli antichi cristiani. Quivi si sono trovati (e alcuno se ne trova ancora) vaselli, tazze, ampolle e simili arnesi di vetro affissi nella calce ai margini dei loculi, talvolta pure nelle pareti dei cubicoli a maniera di patere più o meno grandi; gli uni e gli altri con graffiti in oro rappresentanti nostro Signore, la Beata Vergine, Santi dell'antico e nuovo Testamento, scene di matrimonio o di famiglie cristiane, di arti e mestieri, di edifizi, di animali e di altri soggetti indifferenti ed anche profani: e lo scopo di collocarli così era d'ordinario l'avere in essi un segno mnemonico da riconoscere il luogo della sepoltura dei cari estinti, o per infondervi olii e balsami odorosi affin di purgare l'aria di quei sotterranei. Nel resto l'uso comune di tali vetri era tutto domestico, e servivano di tazze e di patere nei conviti e nelle agapi. La presenza per altro di tali vetri, anche se ornati di figure certo non sacre o cristiane, non offendeva punto la vista o la coscienza, quando nelle cripte, che possono considerarsi come cappelle gentilizie o pubblici oratorii, si celebravano i divini misteri. Nondimeno a dir vero tali vetri poco o nulla hanno a fare colla questione dei vetri colorati e dipinti nelle finestre delle Chiese moderne.

Piuttosto pare opportuno richiamare alla mente l'uso non infrequente di dipingere nelle antiche chiese per loro ornamento e per edificazione de' fedeli scene di personaggi viventi ovvero defunti, dovessero poi essere o non essere canonizzati.

Così leggiamo di San Massimiano (anno 542-552) e di S. Agnello, ambedue Arcivescovi di Ravenna, che ornarono delle loro immagini non poche chiese. In particolare leggo di S. Massimiano come egli si facesse rappresantare in S. Vitale di Ravenna stessa. « Nel musaico si vede Massimiano accompagnare l'imperatore (Giustiniano) portando in mano una croce, ed esser seguito da' suoi chierici colle insegne del loro ministero, il turibolo e il libro liturgico. Di fronte è rappresentata Teodora che va alla basilica portando in mano la preziosa patena ecc. » (1).

Fu poi costume generale delle chiese conservare i ritratti dei loro pastori (2); il che fece San Massimiano nella chiesa di S. Stefano « ubi ipse cum suis antecessoribus depictus est » (3). Roma stessa ci dà esempio di questa costumanza nella serie dei Papi da S. Pietro in poi effigiati nella basilica di S. Paolo.

Abbiamo poi molti esempi di dipinture grandiose, in cui si ricordano fatti di storia ecclesiastica. Basti citarne alcuno. Galla Placidia (an. 427) fatta edificare una basilica votiva in onore di S. Giovanni Evangelista, la volle ornata di musaici che rappresentassero vivamente il pericolo di mare, dal quale era stata scampata per l'intercessione del Santo Apostolo. L'esecuzione fu tale che non solo tutte quasi le pareti ma il pavimento stesso rappresentarono le scene di quel terribile frangente: « Videris in pavimentum (sic) ondosum (sic) undique mare... Frons autem ecclesiae... paries summus... et cancellum incipit operoso magisterio Augustae periculum liberationemque figurare etc... » (4).

Giuliana figliuola di Olibrio e di Placidia fece dipingere nell'arco maggiore della basilica di S. Polieucto martire in Costantinopoli il battesimo del gran Costantino. Vero è che presso gli Orientali Costantino era già forse nel novero dei Santi: ma Roma che non lo registra nel suo martirologio ha più tardi permesso e lascia tuttora che le gesta del grande imperatore siano effigiate nel battistero del Laterano.

Molto singolare è una pittura ricordata da Ennodio Vescovo di Pavia (an. 504-521)

(1) Garrucci - *Storia dell'arte cristiana*, Vol. I, pag. 536.
(2) Cf. Garrucci pag. 525, loc. cit.
(3) *Vita Max.* cap. 3.
(4) Cf. Muratori, *Rerum italic. scrip.* tom. I, pars II, pag. 568, 570 et 571.

la quale fu fatta porre nel battistero soprannominato *Agello* nelle Gallie da un Armenio che a sue spese avea fabbricato detto battistero. « Questo Armenio ebbe un figlio che, avendo fatta penitenza, piacque tanto al padre che il fece rappresentare in atto di essere offerto dagli angeli a Cristo ». Così nel titolo dell'epigramma di Ennodio (epigr. XXXIV): « Versus scripti Agello ubi filium Armenii Angeli Christo offerunt, qui poenitentiam egit » ed Ennodio :

Suscipit oblatam veniam cui contulit Iesus,
Post culpas animae sunt holocausta Dei.
Perge, puer, teneros superans bene conscius annos :
Victores iuvit candida vita pios (1).

Qui abbiamo un quadro (possiam dire storico) di carattere meramente privato, mentre nei precedenti trattavasi di pubblici personaggi: ma le rappresentazioni degli uni e degli altri miravano all' ornamento delle chiese e all'edificazione dei fedeli: aggiungiamo anche alla loro istruzione, giacchè a questo pure mirano le pitture nel luogo santo, secondochè S. Gregorio Magno scrive a Sereno Vescovo di Marsiglia: « Idcirco enim pictura in ecclesiis adhibetur ut hi qui litteras nesciunt saltem in parietibus videndo legant quae legere in codicibus non valent » (Ep. ad Serenum episc. Massil.).

Dagli antichi esempi passando ai recenti mi restringerò a pochi, i quali nondimeno possono valere per molti. La storia delle apparizioni di Nostra Signora in questo secolo esige che la Bernardetta per es. sia dipinta quale ella trovossi nella grotta di Lourdes ora estatica, ora china al suolo per iscavare la fonte delle acque salutari, ecc. Così vedemmo effigiati Massimino e Melania come a colloquio colla SSma Vergine sulle rocce della Salette, benchè ora, riformata la statua della Madonna della Salette per decreto di Leone XIII, ciò non sia più permesso. Così Suor Caterina Labouré Figlia della Carità si dipinge nell'atto che Maria Immacolata le si dà a vedere tutta raggiante di luce : donde l'origine della *Medaglia miracolosa*. Ora simili quadri furono posti in molte chiese di Roma, d'Italia e fuori. Finalmente, a tacere di tutti gli altri, insigne esempio ci porge la cripta che circonda la tomba di Pio IX, la cui immagine grandeggia nel simbolico quadro della definizione dell'Immacolata. Ora supponiamo che dell'immortale Pontefice Pio IX e della Bernardetta dovesse introdursi la causa di canonizzazione, chi vedrebbe mai un ostacolo a tale causa perchè furono già collocate in chiesa a quel modo le loro immagini? ed anche al presente chi è che si offenda di vedervele, e non ne resti anzi edificato e ammaestrato ?

Le ricordate pitture, e molte altre che per brevità tralascio, non sono nelle chiese per ragion di culto che si debba o possa rendere a quelle persone che non ebbero gli onori dell'altare (e nondimeno stanno ivi dipinte) ; ma per ragione di ornamento, di edificazione, di ammaestramento.

Il perchè mi sembra che possa rispondersi al proposto Dubbio : *Affirmative.*

SUFFRAGIA

SUPER

3837. DECLARATIONE DECRETI

de Festis primariis vel secundariis, quoad Festa duplicia minora et semiduplicia.

Distinctio inter festa primaria et secundaria, hactenus ab omnibus fere Liturgicis admissa, respexit tantum duplicia I et II classis ac ritus maioris. Talis enim distinctio pluribus innitebatur Decretis, licet particularibus, S. R. Congregationis.

R̃mus Curien. Antistes Dubium proposuit S. R. Congregationi : « Utrum tabella Concurrentiae de digniori incipiat tantum a ritu duplicis maioris (uti hucusque Rubricistae docebant) an etiam extendatur ad duplicia minora, ita ut in horum Concurrentia Vesperae integrae dicendae sint de festo primario? »

Hoc fortasse, eiusmodi limitibus comprehensum, proposuit Dubium, quod quaedam specialis Rubrica Breviarii, etiam duobus concurrentibus festis duplicis minoris ritus, quorum primarium alterum, alterum vero secundarium, docet Vesperas esse dividendas.

Quidquid sit, vulgato nunc Decreto Gen. super primariis et secundariis festis, opportunum visum est ampliare Dubium , adeo ut non tantum Duplicia minora comprehendere valeat, sed et semiduplicia, nec solum difficultates quae exoriri possunt quod concurrentiam spectat, sed etiam quod pertinet ad concurrentiam atque repositionem. Ita namque ampliato Dubio, facile intellectu

(1) Garrucci loc. cit., pag, 526.

est, vix post resolutionem nova Dubia super primariis et secundariis festis habere posse locum.

1. *Quaestionis discussio circa duplicia et semiduplicia.* Basis praesentis quaestionis resolvendae nequit constitui in Decretis, esto authenticis, quae ante ultimum Decretum Generale a S. R. Congregatione evulgata fuere. De illis enim solemniter pronuntiatum est esse penitus abroganda, si huic ultimo opponantur, cum scriptum sit: « Sanctitas Sua... iussit... ita et non aliter Rubricarum praescripta hac in re esse interpretanda, Rescripta, seu Decreta, tum generalia tum particularia, in contrarium facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogando *(Decr. Gen. sup. cit.)* ». Ergo universis anterioribus Decretis sepositis, hoc ultimum, certam legem constituens, perpendendum est, quippe quod unicam efformans basim propositae quaestionis resolvendae.

a) Videndum nihilominus primo est utrum duplicia minora, *per se* patiantur distinctionem in primaria et secundaria. Cui quaesito censeo respondendum esse affirmative. Namque primo festum duplex minus esse revera potest tam primarium quam secundarium. Primaria sunt quamplura festa natalitia vel quasi-natalitia Sanctorum, et secundaria sunt etiam alia eorundem Sanctorum festa, uti ex. gr. Impressio Stigmatum S. Francisci in corpore Breviarii Romani, Commemoratio Omnium Ss. Summorum Pontificum in Appendice eiusdem Breviarii, quae festa sunt ritus duplicis minoris. Alia quoque plura certo certius dantur, sive primaria sive secundaria, festa in calendariis particularibus Ecclesiarum, quae eiusdem duplicis minoris ritus sunt. Si ergo *per se* huiusmodi duplicia minora festa, vel primaria sunt vel secundaria, optime ad ea quoque applicari potest distinctio, de qua loquimur.

b) Secundo, duplex minus ad duplex maius proximius accedit; ratio enim discriminis nullo pacto afficit ipsum ritum, sed tantum maiorem vel minorem praestantiam, vi cuius duplex maius in occursu, concursu et repositione duplici minori praefertur: ut ratione ritus alterum ab altero non differat. Si proinde duplicia maiora praefatam distinctionem admittunt, non apparet ratio, ob quam non possit eamdem admittere festum duplex minus.

c) Tertio, ratio primarii inducit in festo duplici maiori prae alio eiusdem ritus sed secundario, maiorem solemnitatem: ut Decretum Generale dicat festa primaria, utpote solemniora, aliis secundariis esse praeferenda. Verum quomodo dubitari potest, eamdem solemnitatem in duplici quoque minori consideratam, maiorem esse in festo primario, quam in secundario? Sicut itaque certum est, festum duplex maius, si primarium, solemnius esse alio duplici maiori, sed secundario; ita admittendum censeo, festum duplex minus primarium altero duplici minori secundario esse solemnius.

d) Quarto denique, Rubrica Generali occurrentiae apprime perpensa, id mihi tamquam res indubia omnino videtur admittendum. Namque Rubrica docet, duplici occurrente cum alio duplici, de digniori faciendum esse seu solemniori. Cum autem ratio primarii festum duplex minus magis solemne seu magis dignum efficiat altero duplici minori secundario; mihi videtur palam sequi, duobus duplicibus minoribus occurrentibus, quorum alterum sit primarium, alterum vero secundarium, de illo agendum esse prae isto. Hoc autem, quod Rubrica de occurrentia praedicat (Tit. X, n. 6) circa duplicia, affirmat quoque Rubrica sequens (n. 7) de repositione, nec non alia de concurrentia in subsequenti Titulo (n. 2). Ergo etiam vi Rubricae Generalis, distinctio festorum in primaria et secundaria videtur applicanda pariter ad duplicia minora; quia citati textus inter duplicia maiora et minora non distinguunt, ut nec nobis detur distinguendi facultas.

e) *Circa semiduplicia.* Considerandum modo, utrum eadem distinctio in primaria et secundaria festa applicari quoque *per se* possit ad semiduplicia: cui dubio, quantum video, respondendum etiam videtur affirmative, iisdem fere de rationibus iam superius expositis pro duplici minori. Nam, primo, festum semiduplex esse, uti duplex, potest et primarium et secundarium, sicuti unicuique patet. Secundo, ritus semiduplex differt a duplici, quatenus hic antiphonas duplicat, non autem ille. Nihilominus, sicut duplex, ita et semiduplex ad primas et secundas Vesperas ius habet, et ad officium novem lectionum, per quae ad duplicem ritum similitudinem dicit. Tertio, ratio solemnitatis, sicut comprobatur in duplici minori, ita et comprobatur in semiduplici; quia par est in utroque ratio primarii et secundarii, ex qua oritur solemnitas. Quarto, ipsamet Rubrica de occurrentia docet, duobus semiduplicibus simul occurrentibus, faciendum de digniori seu solemniori (Tit. X,

n. 6). Rubrica quidem nihil dicit de translatione semiduplicium; sed breviter hic animadvertendum, hac super re emendationem ultimam Rubricarum non fuisse ex omni parte perfectam. Namque de translatione duplicium dicunt, *si transferri valeant* : de translatione autem semiduplicium altum silentium servant. Porro translatio, vel *per accidens* esse potest vel *perpetua*. Translatio *per accidens* equidem sublata fuit per Decretum *Nullo unquam,* sed translatio *perpetua* remansit; et nihilominus Rubricae emendatae de hac plane silent. Itaque id quod comprobari amplius non potest impraesenti de duplicibus minoribus (Doctoribus Ecclesiae exceptis) ac de semiduplicibus ad translationem quod attinet accidentalem, optime adhuc comprobatur quod spectat translationem perpetuam. Quae perpetua translatio afficit, tam festa duplicia minora, quam semiduplicia; et hoc sufficit ut distinctio nostra, seu ad duplicia minora seu ad semiduplicia applicari valeat, quod ad translationem attinet.

2. *Nonnullae difficultates.* *a*) Festum semiduplex non est solemne; ait enim Cavalerius: « Ritus semiduplex est ritus depressus et humilis: quare festa non facit solemnia, et sic nec digna, in quibus eorum exprimatur dignitas » (Tom. II, cap. XXVII, n. VII). Reponimus, ibi Cavalerium non loquit de occurrentia, sed de repositione; et docet, in semiduplici reponendo non esse attendendam solemnitatem seu dignitatem, quia haec attendenda est tantum in festis, quae Rubrica recenset in Tit. X, n. 7, vel XI, n. 2. Nihilominus idem auctor solemnitatem ac dignitatem in semiduplicibus indubie admittit et ipse in occursu; hanc enim sibi difficultatem obiicit, quam resolvit: « In occurrentia attenditur dignitas (ergo et solemnitas) eorumdem festorum, licet semiduplicium » : quidni igitur in... repositione? (loc. cit. n. VIII). Iam nunc occurrentia respicit potiorem officii partem; quomodo ergo hac de causa festa semiduplicia non facerent ritum solemnem? Mihi videtur, ita auctorem praefatum esse intelligendum, ut dicere voluerit, semiduplicem ritum non esse ita solemnem, uti alios proprios festorum, quae supercitatis Titulis Rubrica enumerat. Quod profecto admittendum est; ritus enim semiduplex comparatus non solum cum praedictis festis solemnioribus, sed etiam cum aliis ritus duplicis, sive maioris sive minoris, infimus est. At in casu nostro non huiusmodi comparatio facienda est, sed festum semiduplex comparandus est cum alio semiduplici festo; et tunc, sicut supponimus alterum esse primarium, alterum secundarium, habebimus in illo maiorem solemnitatem quam in isto, uti patet.

b) Praeterea obiici potest cum eodem Cavalerio solemnitatem non dari de semiduplici in concurrentia; concurrentibus enim duobus semiduplicibus, semper dividendas Vesperas Rubricae praedicant: patet ex Titulo XI, n. 4 et 6. Ergo praefata distinctio ad semiduplicia applicari non potest nec debet. Respondemus, in praefatis numeris non dari legem generalem, sed quosdam tantum enumerari casus, in quibus Vesperae sunt dividendae, quando duo semiduplicia concurrunt. En Rubrica: « Semiduplici festo concurrente cum sequenti alio semiduplici, cum Dominica, vel cum die infra octavam, a capitulo fit de sequenti » (Tit. XI, n. 4). Alia eiusdem Tituli (n. 6) ait: « Die infra octavam concurrente cum sequenti Dominica, vel semiduplici, a capitulo fit de sequenti ». Ubi videre facile est, semiduplex praecedens concurrere cum sequenti Dominica; quid ergo fieri in casu debet, aut potest, nisi a Capitulo de eadem Dominica? Namque Dominica primarum psalmos Vesperarum non habet, adeo ut necessitas exigat, usque ad Capitulum fieri de praecedenti, quod possidet. Quod si ibi agitur etiam de semiduplici concurrente cum alio semiduplici, et Vesperarum divisio praescribitur, parere admirationem non debet; supponitur enim, uti generaliter evenit, non intercedere inter utrumque discrimen. Idem dicendum de die infra octavam concurrente cum semiduplici sequenti. At si intercedat inter utrumque semiduplex aliquod discrimen, putas ne esse idem agendum? Videtur negandum. Namque imprimis notandum est, Rubricam supercitatam (Tit. XI, n. 4), postquam dixit, in tribus casibus concurrentiae Vesperas esse dividendas, addit etiam, *nisi aliter signetur.* Supponit ergo dicta Rubrica, casus alios dari, in quibus Vesperae dividendae non sunt. Secundo, si ut probetur Vesperas esse semper dividendas in concurrentia semiduplicium, citantur a Cavalerio numeri 4 et 6 Tituli XI, quare citatio omittitur num. 5 Tituli eiusdem? Hic enim contrarium Rubrica praedicat dicens: « Dominica concurrente cum sequenti festo semiduplici, et cum die infra octavam... omnia de Dominica cum commemoratione sequentis ».

Quare? Profecto quia inter semiduplex Sanctorum, semiduplex de infra octavam et semiduplex Dominicale, hoc dignius est seu solemnius. Tertio, quid putas agendum, si dies infra octavam cum die infra aliam octavam concurreret? Num vesperae dividendae? Equidem affirmative respondendum, si uterque dies pari dignitate gauderet. At pone diem infra octavam Imm. Deiparae concurrere cum die infra octavam S. Ambrosii, uti Mediolani accidit, nonne Vesperas integras semiduplex de infra octavam Deiparae vindicaret sibi, et sola alterius commemoratio fieret? Audi Meratum: « In... tabella Concurrentiae ad diem infra octavam, concurrentem cum die infra aliam octavam, non assignatur numerus 6, ubi habetur *totum de digniori, comm. de minus digno,* sed littera O: non quia huiusmodi concursus nunquam evenire possit, nam de facto diversae octavae possunt eadem die occurrere; sed cum hoc principaliter pertineat ad tabellam occurrentiae, ubi num. 7 statuitur officium de digniori, com. de minus digno, ideoque in tali concursu Vesperae regulandae sunt ad instar occursus » (apud Gavant. sect. III, cap. IX). Cum itaque in occursu duorum semiduplicium, seu Rubrica seu tabella Concurrentiae nos doceant, faciendum esse de digniori, cum sola de minus digno commemoratione, idem patet agendum esse quando duo semiduplicia de infra octavam inter se concurrunt. Haec nihilominus dicta sint, ut salvum principium maneat, uti Meratus docet, cum cetero duo dies de infra octavam inter se concurrere vix intelligatur. Datur ergo etiam in semiduplicibus aliqua dignitas, consequenter et solemnitas contra Cavalerium, non solum in occursu sed et in concursu eorumdem: quae non permittit, cum in iis comprobatur, ut Vesperae dividantur, sed exigit ut integrae sint de digniori seu solemniori, et sola fiat de minus digno commemoratio. Id quoque implicite docet cl. De Herdt dicens: « In paritate ritus et dignitatis, a capitulo regulariter fit de sequenti cum commemoratione praecedentis. Hoc certum est, si utrumque officium sit semiduplex, vel duplex minus etc. » (Pars 4, n. 305, Reg. 3). Ergo ex adverso, si ritus sit idem, sed dignitas sit diversa, aliter agendum est, videlicet, integrae agendae erunt Vesperae de digniori seu solemniori, et com. de minus digno. Consequenter falsum est, in concursu duorum semiduplicium semper esse Vesperas dividendas.

Ceterum, etsi praefata discussio super Rubricarum interpretatione omni non esset evidentia et certitudine praedita; animadvertendum est, Rubricarum praescripta ad normam Decreti Gen. super primariis et sucundariis festis interpretanda esse, uti superius vidimus. Porro Decretum istud loquitur de praelatione primarii cuiuscumque festi super alio secundario, tam in occurrentia, quam in concurrentia: sed de hoc postea.

Cavalerius autem eidem suo semper principio innixus, videlicet defectui solemnitatis in semiduplici cum alio semiduplici concurrente, uti videre est in Tom. II, capitulo XVIII, Decr. XI, VI, 3, et XIII, conatur ostendere pariter, in casu semper esse dividendas Vesperas. Ratio est, inquit, quia Rubrica *Inter festa* loquitur tantum de duplici, haud vero de semiduplici. At sodes, de quonam duplici, saltem impraesenti, in suo sensu, Rubrica loquitur? Non profecto de duplici minori, sed de aliis duplicibus potioribus, nempe maiori, II et I classis. Etenim duplex minus Sanctis in eiusmodi Rubrica recensitis non competit, sed ad minus dup. maius. Ergo aut falsum est quod ipse asserit de solemnitate quae inest duplici minori, de quo hic Rubrica nequit intelligi: aut falsa est, quam praebet, Rubricae huius interpretatio. Dicendum potius, Rubricas generalem exhibere legem, cum agitur de duplici maiori, II aut I classis: de duplici quoque minori eamdem tradere generalem legem in num. 2. Tituli XI in initio; de semiduplici vero contentam esse Rubricam assignare tantum particulares casus, utpote frequentiores, in quibus tamen eadem servanda lex, sicut in duplicibus potioribus atque etiam minoribus. Namque Rubricae semiduplicibus solemnitatem non denegant, uti in occursu, ita in concursu; adeo ut si in quibusdam casibus concursus, Vesperas dividendas praedicent, in quibusdam aliis casibus easdem uni semiduplici prae altero tribuant. Iam nunc, si in primis semiduplicia concurrentia eiusdem supponuntur solemnitatis, fas est concludere in alteris eadem diversae solemnitatis supponi.

Caeterum antiquius legitur Breviarium, docens: « Festa dividuntur in simplicia et solemnia: solemnia sunt semiduplex, duplex etc. ». Insuper iuxta praesentes Rubricas, semiduplicia non desunt, quae consueverunt in locis solemniter celebrari (Tit. II, n. 1). Verba denique alterius Rubricae,

uti alibi dictum est (n. 2, litt. e), semiduplicis solemnitatem satis superque demonstrant: ut non intelligatur quare semiduplicia esse valeant solemniora in occursu, talia esse desinant in concursu.

c) Opponi praeterea potest tabella concurrentiae, quae duobus seu duplicibus, seu semiduplicibus concurrentibus, ponit Vesperas dividendas, et non de digniori faciendas. At reponendum, verum id esse, nil tamen ex eo sequi contra duplicis et semiduplicis solemnitatem: ut, illa haud obstante, Vesperae sint faciendae de digniori. Namque cum agitur de duplicibus maioribus, et II aut I classis, quid docet tabella? Vesperas de digniori celebrandas. Ast pone duo festa eiusmodi inter se concurrentia eiusdem esse dignitatis, quid foret agendum? Respondet Cavalerius: . . . . « Rubrica (idem de tabella concurrentiae intelligas, concordat enim cum Rubrica) designat nobis, quod etsi festa digniora ex recensitis a Rubrica *Inter festa*, nunquam postponantur minus dignis, licet solemnioribus, secus vero si sint aequalis dignitatis, puta duo festa Apostolorum » (Tom. II, cap. XXVIII Decret. I). Namque *duo festa aequalis dignitatis Vesperas dividunt*, ut idem auctor loco praefato concludit. Ergo tabella in casu indicat, non quod semper, sed quod ut plurimum agendum est.

A pari: tabella concurrentiae de duplicibus minoribus et semiduplicibus concurrentibus inter se, non dat normam, quae semper, sed quae ut plurimum sequenda est. At pone, ex duobus duplicibus minoribus, vel ex duobus semiduplicibus inter se concurrentibus, alterum esse altero solemnius, nempe alterum primarium, alterum secundarium, quid pariter erit agendum? Totum fiet de digniori et commemoratio de minus digno: hoc est, iterum dicimus cum Merato, *in tali concursu Vesperae regulandae sunt ad instar occursus*. Profecto, si tabella concurrentiae recte procedit in concursu plurium duplicium maiorum, II et I classis, quamvis Vesperae dividendae quandoque sint, cum dicat nihilominus eas esse faciendas de digniori; non intelligitur quare optime eadem non procedat, si in concursu duorum duplicium minorum aut semiduplicium fiant Vesperae de digniori, quamvis ea notet easdem Vesperas esse dividendas.

d) Denique opponi quoque posset antiqua praxis, iuxta quam ad duplicia et semiduplicia distinctio inter primaria et secundaria festa non fuit applicata. Responderi primo potest, id mirum non esse, quia ex una parte distinctio huiusmodi satis calendariorum ordinatoribus arridebat, ut festa eorum propria facilius celebrari possent: ex altera vero parte in ea distinctione, in proprium commodum (ob devotionem quidem in propria festa excusandum) facienda, satis insistentes erant, quod aliqui auctores illi adversabantur, et certa lex ex Sacro Rituum Tribunali iisdem favere non poterat. Hinc timentes ne totum perderent, satius iudicarunt festa recolere potiora, et de duplicibus minoribus ac semiduplicibus apud S. R. Congregationem nullam movere quaestionem. Secundo, Decretum, nihil hisce obstantibus, duplicibus saltem minoribus favens, ad dictam quod pertinet distinctionem, alibi civitavimus; adeo ut, saltem pro duplici minori res omnino nova dici non valeat. Tertio, fatendum nobis hanc distinctionem non ita fuisse desideratam a calendariorum ordinatoribus, quatenus ad duplicia minora et semiduplicia applicatam; quia maioris gravitatis festa, iamdiu evecta fuerunt saltem ad duplicis maioris ritum. Quarto denique reponi potest, non esse attendendum quod hucusque factum est, sed potius id quod fieri nunc debet post novissimum Generale Decretum, de cuius iam intelligentia nobis disserendum est.

3. *Expenditur Decr. Gen. de primariis et secundariis festis. a*) Decretum istud sic se exprimit: « An festa secundaria Domini, Beatae Mariae Virg., Angelorum, Ss. Apostolorum, aliorumque Sanctorum, praeferenda sint festis primariis eiusdem ritus et classis, sed minoris personalis dignitatis, tam in occursu quam in concursu, et in eorumdem repositione? » Responsio vero est: « In voto R. P. D. Promotoris fidei, nimirum: Festa primaria, utpote solemniora, aliis, secundariis in casu praeferenda esse etc. ».

b) Responsum, uti patet, affirmativum perfecte cohaeret petitioni, licet propositio in responsione inversa fuerit. Ergo concludendum est, festa secundaria Domini, Deiparae, Angelorum, Apostolorum, aliorumque Sanctorum esse postponenda festis primariis eiusdem ritus et classis etc.

c) Iam quaeritur: Ad quam personam debeat pertinere festum aliquod, ut si secundarium fuerit, debeat primario cedere, quamvis illud ratione dignitatis personalis sit isto praestantius? Respondeo: Ad quamcumque personam pertinere potest, seu ad quemcumque Sanctum, sive sit Christus Sanctus

Sanctorum, sive Deipara, sive Angelus, sive Apostolus, sive alius quicumque, cuius institutum fuerit festum liturgicum. Ratio patet; quia ibi nominantur praecipui ex Sanctis, et ultimo dicitur, *aliorumque Sanctorum* (1); ergo nullus Sanctus excluditur, et ad quemcumque ex iis festum pertineat, ius Sanctus habet, ut, si festo primario non tantum sed etiam secundario gaudeat, primarium secundario praeferatur.

Hic animadvertendum puto, Decretum de duobus festis, ex quibus unum primarium, aliud secundarium, seu eiusdem Domini, seu eiusdem Sancti, verba non facere. Sed nihil plane interest; sive quia in eiusmodi casu nullus dubitavit unquam, festum primarium secundario praevalere, sive quia Decretum, absque ulla distinctione quaecumque festa primaria quibuscumque secundariis opponit, statuens universaliter, illa esse semper istis superiora, ac praeferenda, in paritate quidem ritus et classis, quod semper intelligi debet.

d) Quaeritur ulterius: Cuiusnam ritus esse debeant festa, ut in primaria et secundaria distingui possint, et illa super istis praelationem habeant? Respondeo: Cuiuscumque ritus esse possunt, seu nempe duplex I aut II classis, seu duplex maius aut minus, seu semiduplex, seu simplex, de quo tamen ultimo breviter sub fine dicemus aliquid. Ratio est, quia sicuti Decretum festa inter et festa non distinguit, ita nec distinguit inter ritum et ritum, sed festa primaria quaecumque festis secundariis quibuscumque *eiusdem ritus et classis* opponit. Nunc autem duplex I classis est ritus, duplex II classis est ritus, duplex maius est ritus, duplex minus est ritus, uti ritus est etiam semiduplex, imo et simplex. Ergo cuiuscumque ritus sit festum, si de eo habeantur duo festa, alterum primarium, secundarium alterum, ius habet ut illud isti praeferatur. Ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; et verba *eiusdem ritus et classis festa,* cum generalissima sint, nullum ritum per se excludunt, sed omnes et singulos complectuntur.

e) Quaeritur denique: Quando, seu in quibusnam rerum adiunctis dicta festa primaria praeferri debeant secundariis? Respondeo: Semper, quoties habeatur vel occursus, vel concursus, vel repositio. Namque Decretum explicite docet, primaria secundariis debere praeferri, *tam in occursu quam in concursu et in eorumdem repositione.* Non admittitur ergo limes ullus in lege, proindeque neque ab iis admittendus est, qui legem exequuntur. Cumque in solis tribus casibus relatis praelatio inter plura festa liturgica locum habere valeat, palam sequitur, semper primaria festa, in paritate utique ritus et classis, esse praeferenda secundariis.

4. *Uni obiectioni satisfit.* Quaestio, quae universos Liturgicos et calendariorum maxime ordinatores a duobus fere saeculis agitabat, respiciebat tantum festa duplicia I et II classis, ac maiora, non vero duplicia minora ac semiduplicia, multo minus simplicia. Summus Pontifex Leo Papa XIII, hanc volens resolutam controversiam, Votum ex officio commisit R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotori. Qui, elucubrato Voto, Emis Patribus, aliisque S. R. Congregationis Officialibus tradito, tandem aliquando quaestionem, approbante et confirmante Summo Pontifice, iuxta Votum diremptam vidit: Votum autem eamdem praefatam quaestionem, uti per se patet, pro obiecto habuit. Votum sequuta est lex, quae per Decretum Generale promulgata fuit. Itaque inter controversiam antiquam et Decretum praesens maxima est relatio, sicut et inter Decretum et Votum, ex quo idem Decretum derivavit. Atqui obiectum controversiae fuere tantum duplicia I et II classis ac duplicia maiora; ergo et lex Decreti ad ista tantum festa extenditur, non vero ad reliqua ritus inferioris.

Resp. Votum, ex quo lex Decreti derivavit, ni fallor, considerandum est veluti subsidium, quod legi efformandae inserviit. Resolutio antiquae controversiae mihi videtur esse quasi obiectum finale, seu finis legis. At censeo, neque subsidium, neque finem legis cadere sub eadem lege posse. Auctores enim liturgici, calendariorum ordinatores, Liturgiae professores, possunt quidem, sed non tenentur agnoscere, vel legis subsidia, vel finem legis. Quae ceterum licet agnoscant, agere iuxta illa nequeunt,

(1) To *aliorumque Sanctorum* mihi videtur non posse significare alios tantum Sanctos, in Rubrica *Inter festa* designatos. Ratio est, quia decretum explicite nominat *festa Domini, Beatae Mariae Virg., Angelorum, SS. Apostolorum,* inde subiungit: *aliorumque Sanctorum.* Iam vero praeter recensitas personas, Rubricas alias tantum duas nominat, videlicet S. Iosephum et S. Ioannem Baptistam: ut proinde dictio *aliorumque Sanctorum* magis pateat, quam nominatio duorum tantum Sanctorum exigat. Sequitur ergo per dictionem *aliorumque Sanctorum* non esse intelligendos tantum S. Ioseph et S. Ioannem Baptistam, sed alios quoscumque Sanctos.

sed tenentur operari simpliciter iuxta legem. Nihil enim in legibus observandum imponitur, nisi eadem lex. Legislator autem qui in lege subditis imponenda exigeret, ut hi in illa adimplenda, et ad subsidia intenderent, per quae iussa fuit, et ad finem quem habuit in illa promulganda, nimis rigidus esset, et nonnisi inobedientes inveniret. Hinc universi moralis scientiae periti docent, legem observandam esse prouti iacet, et ad nihil aliud quemque teneri.

His positis, in lege Decreti non potest considerari Votum, perexcellens licet, Rm̃i Promotoris Fidei; eoque magis, quia Em̃i Patres nos docent in lege Decreti, quaenam sit eiusdem Voti summa. Aiunt enim : « In Voto R. P. D. Promotoris Fidei, nimirum: Festa primaria, utpote solemniora, aliis secundariis in casu praeferenda esse tam in occursu etc. etc. ». At quaenam sint festa secundaria in casu, iam vidimus (V. num. 4 totum), videlicet festa secundaria quaecumque, et cuiuscumque ritus, quae in occursu, concursu, et repositione primariis eiusdem ritus, et classis postponi debent, quamvis haec sint minoris dignitatis.

Sed neque potest considerari finis legis, seu antiquae controversiae resolutio. Nam, primo, ecquis scire valet, an Legislator controversiam resolvens voluerit eam restringere vel ampliare, an libertatem agentium coarctare, vel relaxare? Secundo, vera et aequa controversiae resolutio in lege Decreti debet contineri, per hanc enim illa resolvitur. Adeo ut quivis esse certus possit, tunc se finem legis implere, cum ipsam legem perfecte observat; quia ita se gerens, non potest quin iuxta mentem Legislatoris operetur. Consequenter ad Decretum semper redeundum, quod legem constituit, haec autem lex uti iacet accipienda.

Equidem si voluisset lex excludere festa, duplici maiori ritu inferiora, post verba « festa secundaria » addere facillime potuisset « si tamen duplicia saltem maiora sint » : quod cum non fecerit, sed dictionem generalissimam adhibuerit, dicendum est, nullum voluisse ritum excludere. Vel melius, si festa duplicia minora et semiduplicia primaria et secundaria, in ordine ad praelationem, lex noluisset, loco dicendi « aliorumque Sanctorum » perfacile potuisset addere alios duos Sanctos, quos Rubrica recenset Tit. XI, n. 2; tunc enim ritus duplex minus, semiduplex et simplex exclusi mansissent, quia festa personarum, quas Rubrica recenset, ad minus duplicis maiora sunt. Sed non ita se lex expressit, imo de quibuscumque Sanctis verba fecit; ergo, cum ex festis Sanctorum plura sint etiam duplicia minora et semiduplicia, concludendum est, nullum ex iis a lege fuisse exclusum; expressit enim lex id quod voluit.

Ex quibus omnibus mihi videtur inferendum, legem Decreti ulterius progredi voluisse, quam antiquior controversia exigebat; ac proinde, si duplicia minora et semiduplicia impraesenti non amplius comprehensa in lege iudicantur; non tantum explicare oportet ipsam Decreti legem, sed necesse est eam restringi et mutari, adeo ut id dicat, quod revera non dicit. Hoc autem nescio utrum conveniens sit: ceterum ipsum Sacrum Tribunal iudicium feret.

5. Aliquid manet dicendum de festis simplicibus, quae in primaria et secundaria distingui quidem possunt, sed in ordine ad praelationem prorsus est inutile, uti patet per se. Praeterea festa simplicia, ad totum quod attinet officium vix obligant, cum illorum die officium votivum fieri possit : duas Vesperas non habent, sed unum tantum, et generaliter per solam commemorationem recoluntur in solis primis Vesperis et Laudibus, vel penitus omittuntur, ut frequenter accidit. Insuper festa propria locorum, uti Guyetus ait, de simplicibus non extant (Lib. I, cap. XII, quaest. II); et si aliqua darentur, de iure est, ut fiant saltem semiduplicia, sicut idem auctor advertit. Horum ergo festorum distinctio in primaria et secundaria, non solum inutilis, sed et superflua esset.

SUFFRAGIUM

3881. SUPER DECRETO GENERALI

Anniversarii Dedicationis Ecclesiae.

Quaestio perquirenda : « *An Dedicatio Ecclesiae haberi debeat tamquam festum Domini?* » tam gravis quam difficilis est; nam Rubricae maiorem vel minorem dignitatem Festi Dedicationis Ecclesiae silentio praetereunt, et veteres Auctores eiusdem dignitatem perquam breviter perstringunt.

« Ecclesiae Dedicatio inter festa propria primo loco recensetur, inquit Guyetus (Heortologia Lib. I sect. 2 cap. 3), quia est velut *Natalis dies cuiuslibet Ecclesiae*, ut ait S. Leo *(Serm. de Machab.)*, adeoque omnium festorum, quae ipsius Ecclesiae propria sunt, radix et origo primaria ». Dedicatio autem

Ecclesiae est ipsamet Consecratio facta ab Episcopo solemni ritu, qui in Pontificali Romano praescribitur. Duplex itaque est Dedicationis Ecclesiae festum, unum quod semel tantum fit, eo scilicet die, quo ipsa Ecclesia dedicatur, et est proprius dies Dedicationis; alterum vero, quod singulis quibusque deinceps annis recurrit, et hic dies dicitur Anniversarius Dedicationis, eodem plane modo, quo dies alicuius Sancti natalis ille dicitur, qui ab illius ex hac vita in coelum transitu censetur in Calendario. Usus templa divino cultui consecrandi festumque anniversarium celebrandi semper in Ecclesia extitit et ab ipsa Synagoga derivat (Machab. Lib. I, cap. 4; Lib. II, cap. 14, v. 6-8; Evang. S. Ioann. cap. 10, v. 22). Iam ab Apostolorum tempore loca fuisse Deo dedicata, legimus in Breviario Romano die 9 Nov., quod etiam testatur S. Clemens Papa, Ep. 2 ad Iacobum, fratrem Domini, etsi illa solemni ritu non consecrata erant, quem ritum S. Silvester Papa, reddita pace Ecclesiae, primus instituit. Martene (tom. V. Anecdot.) profert vetustum Calendarium, quod exaratum putat saeculo quarto, in quo ad diem 13 Maii adnotatur festum annuum: *Dedicationis S. Mariae ad Martyres*. In Sacramentario Leonino invenitur duplex Anniversarium Dedicationis: prius post festum Paschae, scil. Basilicae cuiusdam in honorem S. Petri, alterum ultima die Septembris: *Pridie Kalendas Octobris Natale Basilicae S. Angeli in Salaria* (ap. Muratorium tom. I Liturg. pag. 407). In Sacramentario Gregoriano (apud eumdem Muratorium tom. II, ad 29 Sept. pag. 125) adnotatur: *Dedicatio Basilicae S. Angeli Michaelis*. S. Augustinus habet saltem quinque sermones: de Ecclesiae Dedicatione; etiam apud S. Ioann. Chrysostomum invenitur oratio in Encaeniis. Tempore Gregorii I Magni in Occidente ubique celebrabantur annui Natales Ecclesiarum dies, ut patet ex Epistola 71 ad Mellitum Episcopum (ap. Maurin. ed. tom. II, lib. II, Ep. 76). Dies denique anniversarius Dedicationis postea expresse praescriptus est Canone *Solemnitate* 17 de Consecr. dist. 1.

Hisce breviter suppositis quaestionem: *An Dedicatio Ecclesiae haberi debeat tanquam festum Domini?* perscrutari liceat. In elaboranda hac quaestione tria consideranda sunt: *a*) qualitas *b*) finis et *c*) peculiare mysterium festi Dedicationis; quare istam claritatis causa in tres partes subdividimus, scil.

I. Estne habendum festum Dedicationis tanquam festum Domini ratione qualitatis festi?

II. Potestne considerari idem uti festum Domini ratione finis primarii?

III. Quodnam est peculiare mysterium festi Dedicationis?

I. Quaestio.

Estne habendum festum Dedicationis tanquam festum Domini ratione qualitatis festi?

1. Ratione qualitatis festa sunt diversa, iuxta dignitatem personarum et mysteriorum, quae celebrantur; unum est, in quo ipsemet Deus, seu ipsius attributa ex professo laudantur, aut Christi Domini mysteria seu eius dicta factaque recoluntur; aliud est, in quo B. M. V. eiusque mysteria recoluntur, ac eius specialis intercessio apud Deum imploratur; aliud est festum de Sanctis, in quo eorum laudes et gratiae a Deo ipsis datae praedicantur et ipsi Sancti invocantur. (Confer Guyet. lib. I cap. 1 qu. 19). Quare triplex est genus festorum, quae Ecclesia celebrat, scil. festa *a*) Domini *b*) B. Mariae V. *c*) Angelorum ac Sanctorum omnium et singulorum.

Quod festum Dedicationis attinet, certum est, neque esse festum B. Mariae V. neque festum Sanctorum, ut modo dicetur, sed esse festum Domini. Nam cultus in Dedicatione *directe* dirigitur ad Deum, ut ad obiectum, quod colitur propter se ipsum i. e. propter excellentiam propriam, quam in se habet, *non mediate*, ut fit in festis Sanctorum. Deo ergo, absolute secundum substantiam et naturam considerato, omnes Ecclesiae dedicantur: cum enim Ecclesiarum extructio *ad cultum latriae* pertineat, cultus autem huiusmodi nonnisi Deo soli tribuatur, nulla est prorsus Ecclesia, quae Deo quoque non sit consecrata. « Non enim, inquit S. Augustinus lib. 8, de Civit. Dei cap. 27, Martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum est Deus ». Item in festo Anniversarii Dedicationis omnis cultus ad Deum extollitur; Ecclesia quidem consecrata non est capax honoris propter se ipsam, quia res inanimis est: si autem celebratione festi Dedicationis Ecclesiae cultus exhibetur, totus fit propter Deum, qui in illa speciali modo habitare censetur, et cuius cultui specialiter illa deputata est.

atque ita omnis honor Ecclesiae datus per celebrationem festi Dedicationis, ipsi Deo semper ac principaliter dari videtur.

Quod vero Ecclesiae Martyrum aliorumque Sanctorum nomine dedicantur, id eo sensu fieri intelligendum est, uti ait Guyetus lib. I cap. 6 qu. 3, ut non Sanctis ipsis primario, sed Deo in memoriam ipsorum i. e. in gratiarum actionem pro gloria et beneficiis a Deo ipsis collatis, ut ibi Deus oretur per eorum intercessionem, consecrentur. « Secundo honorat, scribit Suarez *De Incarnat.* p. I disp. 52 sect. 3, Sanctos Ecclesia templis Deo dicatis; quamquam enim haec primario ad Deum referantur, cui in illis sacrificium offertur, et ut sic templa ac altaria dicantur; secundario vero in memoriam aliquorum Sanctorum, vel ad eorum reliquias honorifice servandas instituta sunt, et ut sic vocari solent *Basilicae* seu *Memoriae Martyrum* ». Cum autem tam in consecratione Ecclesiae quam in Anniversario Dedicationis eiusdem omnia directe et primario ad Deum referantur, ad Sanctos vero tantum mediate et secundario, cultus in festo Dedicationis est latreuticus, qui soli Deo competit, ideoque etiam festum Dedicationis festis Domini annumerandum est.

2. Ex Rubricis Breviarii solida argumenta pro festo Dedicationis tamquam festo Domini erui nequeunt. Rubricae de qualitate huius festi omnino silent, et loci, in quibus de Dedicatione Ecclesiae sermo est, inter se valde differunt. In Tit. I n. 1 et Tit. VII n. 1 festum Dedicationis immediate post festa Domini affertur, et Patrono vel Titulo Ecclesiae praefertur; e contra in Tit. IV n. 1, Tit. VII n. 3, Tit. IX n. 3 et 4, ac in adnotationibus ad tabellam Occurrentiae festum Dedicationis Patrono vel Titulari Ecclesiae postponitur, dum in ordine Duplicium primae classis ante tabellam Occurrentiae posito et in Catalogo novissimo festorum primariorum et secundariorum festum Dedicationis iterum Patrono vel Titulari Ecclesiae praeponitur, ideoque ex Rubricis maior vel minor dignitas festi Dedicationis deduci nequit, eoque minus, idem esse festum Domini.

3. Quamvis ex Rubricis ad qualitatem festi Dedicationis colligi non possit, Summa Auctoritas in rebus liturgicis, Sacra Rituum Congregatio decisionibus suis rem fecit certam. Ex his decretis comprobari potest, eamdem S. Congregationem festum Dedicationis utpote festum Domini semper considerasse.

Festum Dedicationis *Ecclesiae propriae* festis primariis omnino adnumerandum est, ut patet ex Catalogo novissimo festorum primariorum et secundariorum a S. R. C. die 22 Augusti 1893 num. 3810 publicato; non pertinet quidem ad ordinem festorum, quae ab universali Ecclesia solemnissime celebrantur et nunquem per se omittuntur, sed ad ordinem inferiorem, habet tamen praeferentiam super omnia alia festa non privilegiata, uti ex his decisionibus S. R. C. elucet.

Die 12 Septembris 1840 in Brugen. ad 5 (1) haec quaestio proposita est: « Iuxta decretum Emi D. Cardinalis Caprara die 21 Iunii 1804 praescribitur, ut Anniversarium Dedication. omnium Eccles. consecratarum celebretur Dominica, quae subsequitur diem octavam festi Omnium Sanctorum: interdum ista die Dominica occurrit festum S. Martini vel S. Patroni et Titularis Ecclesiae aut Patroni loci... petitur ergo, de quonam in casu faciendum sit Officium? et si differendum sit Officium Dedicationis, utrum possit reponi in Dominicam sequentem? » Et S. R. C. respondit: « Ad 5. Faciendum de Dedicatione in casu, et festum Patroni transferendum iuxta Rubricas ».

Et die 7 Dec. 1844 in Mechlinien. II Dub. n. 2872 quaesitum est: « Vi indulti pro reductione festorum diei 9 Apr. 1802 Anniv. Dedicationis omnium Ecclesiarum celebratur in Belgio in Dominica, quae Octavam festivitatis omnium Sanctorum proxime sequitur, et quidem ritu duplici primae classis cum Octava iuxta Rubricas. Quaeritur, quomodo ordinari debeant Vesperae, quando festum Patroni principalis Ecclesiae vel loci ex. gr. S. Martini Episcopi, occurrit pridie vel postridie Anniversarii praedicti? an scilicet integrae persolvendae sint de festo Dedicationis cum sola Commemoratione Patroni, vel sint dimidiandae iuxta Decreta Sacr. Rituum Congregationis? » Et eadem Sacra Congregatio respondit: « Ad Dubium II. Integras esse persolvendas de Dedicatione iuxta alias decreta ».

Ex praefatis decretis apparet, Dedicationem Ecclesiae propriae esse festum primarium et praecedentiam habere super omnia festa non privilegiata; et quamvis ex hisce decretis non directe probari possit, festum Dedicationis tamquam festum Domini esse considerandum, saltem sequi-

(1) N. 2814: dub. 5 omissum.

tur, Dedicationem Ecclesiae in occurrentia et in concurrentia festo Patroni praecedere: ergo quasi ad festa Domini pertinere iuxta ordinem Rubricarum generalium Tit. XI n. 2. *Inter Festa*.

Habemus tamen inter novissimas decisiones S. Rit. Congregationis directum argumentum, quod festum Dedicationis Ecclesiae tamquam festum Domini considerandum sit: quod argumentum pluris aestimari debet, quia in Decreto *generali, a Summo Pontifice confirmato*, expressis verbis dicitur festum Dedicationis Ecclesiae esse habendum tanquam festum Domini. Si enim in S. Rituum Congregatione omnes speciales decisiones cum summa prudentia ac sapientia, permulta opera et deliberatione a viris doctrina exquisita et experientia maxima praeditis elaborantur; quod studium, quae industria atque diligentia consumitur in componendo decreto generali, ne minimum quidem in dubium vocari possit. Hoc Decretum invenitur n. 3541 et est huius tenoris: « Ex minus recta interpretatione Decretorum S. Rituum Congregationis, quibus declaratum fuerat dici posse Missam de Requie, praesente Cadavere, diebus ritus duplicis primae classis, licet non festivis de praecepto, excepto festo Titularis; factum est, ut nonnullis in Ecclesiis usus invaluerit eiusmodi Missas canendi in solemnitate Anniversarii propriae Dedicationis, QUOD UTPOTE FESTUM DOMINI, ac prae Titulari *maiori dignitatis* honore pollens, vi decretorum nunquam ipsi postponendum est. Quocirca eadem Sacra Rituum Congregatio ad omnem ambiguitatem tollendam, opportunum e re esse duxit declarare, quemadmodum per praesens Decretum declarat et praescribit: Nullibi licere in Anniversario Dedicationis Ecclesiae propriae Missam de Requie, ne praesenti quidem Cadavere decantare, quemadmodum in Patriarchali Basilica Lateranensi aliisque praestantioribus Urbis Ecclesiis semper cautum fuit. Atque ita declaravit ac servari mandavit. Die 11 Martii 1882. Facta autem per infrascriptum Secretarium Ssmo Dno N. Leoni XIII relatione, Sanctitas Sua Decretum S. Congregationis approbavit et confirmavit die 16 eodem mense et anno ».

Ex hisce ergo decretis S. Rituum Congregationis certissime concludi debet, eamdem S. Congregationem festum Dedicationis Ecclesiae tamquam festum Domini semper considerasse.

4. Quod autem decreta S. Rituum Congregationis constituunt, etiam Auctores recentiores in rebus liturgicis versati docent; apud Auctores antiquos utique de festo Dedicationis Ecclesiae tamquam festo Domini nihil invenitur, quia dignitatem eiusdem non ex decretis S. Rituum Congregationis, sed ex fine huius festi ducunt. Quare hoc loco plures Auctores recentiores afferre placeat. *Romsée Instit. liturg.* tom. V n. 539 ex decretis S. R. C. directe derivat, festum Dedicationis Ecclesiae esse festum Domini. *De Herdt* tom. II n. 267 Regula 4 scribit: « S. R. C. declaravit, festa Nativitatis S. Ioannis Baptistae, Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V. et Omnium Sanctorum praeferenda esse festo Dedicationis Ecclesiae iuxta ordinem tabellae duplicium 1 classis, *quia Dedicatio est festum Domini* tantum secundarium »; et Regula 8: « Si festa Dedicationis, Titularis Ecclesiae et Patroni loci occurrant, praefertur festum Dedicationis.... *quia Dedicatio est festum Domini* ». *Aloisius de Carpo*, postquam plura decreta S. R. C. attulerit, quae de Dedicatione Ecclesiae utpote festo Domini disserunt, in Kalendario perpetuo cap. II n. 10 concludit: « Quum festum Dedicationis Ecclesiae ex superius dictis *inter festa Domini* recenseatur, eius quoque Octava, quae non est nisi eiusdem Festi extensio, ad classem eamdem spectat ». Idem docet Auctor modo laudatus in Bibliotheca liturgica p. 1 n. 300 et 301. Hanc sententiam etiam *Patrono* Lezioni di Sacra liturgica tom. I n. 145 et *Wapelhorst* Compendium Sacrae Liturgiae § 246 n. 3, tenent, dicentes festum Dedicationis Ecclesiae esse festum Domini. *Ephemerides liturgicae* eximie redactae scribunt in vol. V pag. 202. « Festum Dedicationis omnibus festis primi ordinis cedit, reliquis seu secundi seu tertii ordinis praevalet. Primis cedit, quia solemniora sunt atque in universa Ecclesia celebrantur: reliquis praevalet, quia potioris est dignitatis, *utpote ad Dominum pertinens*. Exceptio nihilominus extat pro festo Ss. Cordis Iesu, cui solum praeferenda Dedicatio est, si cum feriatione haec celebretur »; et in vol. II pag. 579 eaedem Ephemerides dicunt: *Dedicatio festum Domini est;* in ea enim cultus directe ad Deum extollitur, non mediate, ut accidit in festis Sanctorum.

Recentiores ergo Rubricistae fere communiter autumant, festum Dedicationis Ecclesiae esse considerandum tanquam festum Domini.

5. Multa argumenta etiam *libri liturgici* pro praefata quaestione, an Dedicationis Ecclesiae festum sit habendum tanquam festum Domini, afferunt. Si Missae tenorem in Dedicatione vel Anniversario eiusdem *in Missali* consideremus, totam Missam ad Deum dirigi, Sanctorum vero omnino non fieri mentionem, videmus. Iam Introitus loquitur de Domo Dei, cui debetur omnis reverentia: « Terribilis est locus iste: hic domus Dei est et porta coeli: et vocabitur aula Dei ». Quare templum dicitur locus terribilis? quare aula Dei? Quia, ut in Graduali respondetur « locus iste a Deo factus est, inaestimabile sacramentum, irreprehensibilis est », quia ibi Rex coelorum, « cui adstat Angelorum chorus » *(Graduale)* tabernaculum suum constituit, et « templum potentia suae inhabitationis illustrat » (Orat. in ipsa Dedic.), quia est « Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in saeculum » (Tract.), et hic locus Deo dedicatus est: « quem nomini tuo indigni dedicavimus » (Postcomm. in ipsa Dedic.); ideoque ipse Dominus de templo dicit: « Domus mea, domus orationis vocabitur » (Communio).

Similiter *in Breviario* totum Officium ad Dominum spectat. Sic in Antiphona ad Magnificat in I Vesperis dicitur: « Sanctificavit Dominus tabernaculum suum: quia haec est domus Dei, in qua invocabitur nomen eius, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dominus ». Et in eadem Antiphona in II Vesperis legimus: « O quam metuendus est locus iste: vere non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli ». Et iterum in 2 Antiphona III Nocturni dicitur: « Templum Domini sanctum est, Dei structura est, Dei aedificatio est ». Omnia Responsoria, Antiphonae, Versus et Hymni ac Oratio aut ad Deum diriguntur aut de Domino tractant, et quamvis praefati loci proxime terminentur ad domum Dei, ut ad obiectum, quod est velut materia, circa quam versatur celebratio festi Dedicationis Ecclesiae, attingunt tamen Deum, ut rationem colendi templum ipsum.

Item si iuxta *Pontificale Romanum* tot sacras Caeremonias atque preces, orationes, ablutiones et unctiones, quae in Dedicatione Ecclesiae adhibentur, reputemus, invenimus omnia directe ad Deum spectare, et si de Sanctis sermo est, semper secundario modo fieri. Quod elucet, quando in Litaniis Omnium Sanctorum Episcopus ecclesiam et altare consecrat verbis: « Ut ecclesiam et altare hoc ad honorem tuum et nomen Sancti N. consecranda benedicere, sanctificare et consecrare digneris ».

Si itaque in Missali et Breviario omnes preces et orationes in Anniversario Dedicationis Ecclesiae dicendae omnino et directe ad Deum referuntur, Sanctorum vero nulla mentio fit, et si in ipsa Dedicatione Ecclesiae totus cultus iuxta Pontificale ad Deum extollitur et quidem primario, Sancti autem recolantur tantum secundario; quis dubitare poterit, festum Dedicationis Ecclesiae esse festum Domini?

Quoad *qualitatem* argumentis rationis, decretorum S. Rituum Congregationis, Auctorum et librorum liturgicorum comprobavimus, festum Dedicationis Ecclesiae esse festum Domini; quaerendum tamen est, an etiam *ratione finis primarii* praefatum festum tanquam festum Domini considerandum sit.

II. Quaestio.

Potestne considerari festum Dedicationis Ecclesiae tanquam festum Domini ratione finis primarii?

« Festorum finis primarius est, scribit Bellarminus (De cultu Sanctorum lib. III cap. 10), agnoscere Dei beneficia, propter quae festa singula instituta sunt ». Quoad hunc finem primarium antiquiores Auctores plerumque considerant festum Dedicationis Ecclesiae, auctoritatem Divi Thomae in Ioannem cap. 10 Lect. 5 proferentes; ex qua ratione festum Dedicationis praeferunt festo Patroni loci, sed non festo Assumptionis B. M. V. et Omnium Sanctorum. Sic scribit Gavantus tom. II sect. 3 cap. 8 n. 7; ubi de Octava Dedicationis tractat: « Octava Dedicationis Ecclesiae erit dignior, quam Octava Patroni loci, et eadem ratione dignior erit Octava Asssumptionis B. M. V. quam Octava Dedicationis, quia maiora beneficia contulit Deus uni Deiparae in eius Assumptione quam contulerit toti militanti Ecclesiae, cum praesertim Theologi doceant collective in Deipara Virgine esse gratiae et gloriae dona, quae Angelis et hominibus singillatim distributa fuerunt. Confirmatur ex Rubricis Breviarii *de duplicibus n. 1,* ubi prius recensetur Dedicatio propriae Ecclesiae quam Patronus loci, et tit. *de Oct.,* ubi prius nominatur Dedicationis Octava, quam principalis

Patroni, veluti dignior et nobilior ceteris paribus ». Conf. l. c. sect. 8 cap. 5 n. 2. Idem docet Cavalieri tom. 1 cap. 1. decr. 22 n. 12 et 13, et decr. n. 13, 19 ac decr. 16, n. 29. Guyetus Heortol. lib. IV cap. 6 qu. 5 autem scribit « nullam pariter Octavam etiam Dedicationis esse praeferendam Octavae Omnium Sanctorum, quia Sancti omnes simul sumpti et praestant singulis seorsim et sunt ipsimet tota Ecclesia non iam militans sed triumphans », et addit ad confirmandam hanc sententiam hoc argumentum: « Illius festi Octavam cuicumque alteri praeferendam esse, cuius festum alteri cuicumque festo praefertur; cum autem festum Omnium Sanctorum praeferatur festo cuiuslibet Patroni et Dedicationis, hinc sequitur etiam eius Octavam praeferri debere; nam accessorium sequitur naturam principalis. Praeterea in praedicto festo Omnium Sanctorum praecipuum locum obtinet ipsamet B. Dei Genitrix Maria, ut patet ex Martyrologio, in quo annuntiatur hoc festum: « Festivitas Omnium Sanctorum, quam in honorem B. Dei Genitricis Mariae et Ss. Martyrum Bonifacius IV dedicato templo Pantheon celebrem et generalem instituit agi quotannis in Urbe Roma ». Sed Tetamus (Appendix ad Diar. liturg.-theol. cap. IV, de Dedic. Eccl. num. 35) cum Gavanto non consentit quoad praefatam exemptionem festi Assumptionis, si illius Octava occurrat in Octava Dedicationis Ecclesiae, quia maiora beneficia contulit Deus uni Deiparae in eius Assumptione, quam contulerit toti militanti Ecclesiae. « Verum, scribit Auctor supralaudatus, ex hac ratione sequi videtur, nullius alterius festi eiusdem B. M. V. Octavam esse digniorem prae Octava Dedicationis Ecclesiae. Item si Octava Dedicationis esset dignior quam Octava Patroni loci vel Tituli Ecclesiae ex eo, quod in ea recolantur beneficia a Deo collata Ecclesiae suae universae, quae superant beneficia cuivis Sancto donata, sequeretur nullius Sancti octavam esse digniorem prae Dedicationis Octava. Sed contra est: dantur enim et aliae Sanctorum Octavae digniores iuxta rubricarum sensum et legem atque decreta S. R. C., digniores, inquam, prae Dedicatione Ecclesiae in occursu. Et quidem in Ecclesia universali sunt Octavae Nativitatis S. Ioannis Baptistae, festi principalis Ss. Apostolorum Petri et Pauli ac festivitatis Omnium Sanctorum in ecclesiis autem particularibus Octavae festorum Domini, B. Mariae V., Ss. Angelorum et Apostolorum, ubi sub ritu duplici 1 classis recolantur. Idem observandum est, si Patroni festum sit dignius ex eo quod soleat celebrari pompa solemniori: tunc enim Octava eiusdem erit dignior. Porro Octava est accessorium festi, et accessorium sequitur naturam sui principalis ». Vid. Cavalieri tom. I in decr. 16, num. 28, 29 et 37; et Meratum tom. II sect. 3, cap. 8, n. 12 et 13. Tetamus hoc loco immerito reprehendit Gavantum, quia ex eiusdem sententia sequeretur, nullius alterius festi B. Mariae V. Octavam esse digniorem quam Dedicationis Ecclesiae. Gavantus, utique ex fine primario rationem affert, quod festum Assumptionis B. M. V. dignius sit quam Dedicationis Ecclesiae; quoad alia festa Beatae M. Virginis autem considerat festum Dedicationis uti festum dignius, ergo uti festum Domini, quod reapse verum est. Cum enim S. R. C. festum Dedicationis festis Domini annumeret, et Octava nil aliud sit nisi prorogatio festi, Octava ad eumdem ordinem et classem pertinet; propterea Octava Dedicationis Ecclesiae propriae uti festi Domini *in occursu* praefertur Octavis B. M. V. et Sanctorum, et cedit tantum Octavis primariis Domini. Et si Tetamus insuper dicit, Octavam Dedicationis non esse praeferendam Octavis Nativitatis S. Ioannis Bapt., Ss. Ap. Petri et Pauli et Omnium Sanctorum, idem non provenit ex eo, quod haec festa sint *obiective digniora* quam festum Dedicationis, sed tantum *ex Rubricarum lege et privilegio*.

Sed audiamus ipsum Divum Thomam, quem Auctores allegant. Sanctus Doctor in Ioann. cap. 10 Lect. 5 scribit: « Quando de novo aliquam Ecclesiam divino cultui dedicavimus, agitur festum consecrationis eiusdem, et eadem die singulis annis in memoriam ipsius. Ad sciendam autem rationem festi consecrationis et causam, notandum est, quod omnia festa celebrantur in Ecclesia in commemorationem divinorum beneficiorum...... Recolimus autem divina beneficia nobis exhibita tripliciter. Quandoque quidem ut exhibita nobis in capite nostro Domino Iesu Christo. Et sic celebramus festum Nativitatis et Resurrectionis et huiusmodi. Quandoque ut exhibita nobis in membris nostris scilicet in Sanctis, qui sunt membra Ecclesiae.... Et sic celebramus festa Ss. Petri et Pauli et aliorum Sanctorum. Quandoque autem prout sunt exhibita toti Ecclesiae, puta in ministerio sacramentorum et in aliis communiter Ecclesiae collatis. Et quia domus materialis

est quasi signum collectionis Ecclesiae fidelium, ideo in memoriam ipsorum beneficiorum festum Dedicationis Ecclesiae celebramus. Quod quidem festum maius est, quam festum alicuius Sancti: sicut et beneficia toti Ecclesiae collata, quorum memoriam agimus, excedunt beneficium collatum alicui Sancto, quod in eius festo recolitur ». Bene notandum est, hoc loco Doctorem Angelicum solum finem primarium festorum in genere respicere, nec facere mentionem festorum B. Mariae Virginis, quae gratiae et meritorum dignitate omnes Angelicos choros Sanctosque supereminet, et ab Ecclesia cultu hyperduliae honoratur; ideoque eiusdem B. M. V. festa ad peculiarem et altiorem ordinem pertinent quam festa Sanctorum. Iuxta S. Thomam ergo festum Dedicationis, si finem primarium spectes, maius est, quam festum alicuius Sancti, quia beneficia *toti Ecclesiae* collata excedunt beneficium alicui Sancto collatum, et ideo pertinent ad ordinem superiorem quam festa Sanctorum. Sed inquirendum est, annon etiam hac ratione primarii finis festum Dedicationis Ecclesiae tamquam festum Domini habendum sit. Apostolus (I. Corinth. 12, 27) comparat Ecclesiam cum corpore; corpus autem cogitari nequit sine capite; sed caput Ecclesiae est Christus (Ephes. 5, 23): « Ipse est, dicit idem Apostolus (Coloss. 1, 18), caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis; ut sit in omnibus primatum tenens ». Item Ecclesia tanquam corpus est complementum Christi tanquam capitis; caput enim corpore completur et perficitur; licet enim Christus in se plenissimus sit et perfectissimus, tamen mancum se et quasi membris mutilum caput esse putat, nisi habeat Ecclesiam instar corporis sibi adiunctam; hinc Christus aliquando vocatur *tota Ecclesia* I. Corinth. 12, 12.

Si igitur S. Thomas quoad festum Dedicationis Ecclesiae de beneficiis *toti* Ecclesiae collatis loquitur, utrumque respicere debemus, Christum et Ecclesiam. Cum autem de capite scil. de Christo, qui unctus fuit Spiritu Sancto prae consortibus suis (Ps. 44) et in quo ipso abscondita est vita et gloria Sanctorum (Coloss. 3), omnia beneficia ad singula membra defluant, et cum in festo Dedicationis memoriam beneficiorum *toti* Ecclesiae collatorum recolamus, ante omnia beneficiorum Christo tributorum et a Christo acceptorum memores esse debemus. Festum ergo Dedicationis est secundum finem primarium festum tam capitis quam membrorum; et cum caput praecipuum corporis membrum sit, imo corpus sine capite vivere non possit, etiam caput, scilicet Christum, in celebrando Dedicationis Ecclesiae magis quam membra recolimus. Ideo festum Dedicationis Ecclesiae etiam quoad finem primarium tanquam festum Domini considerandum est.

III. Quaestio.

Quodnam est peculiare mysterium festi Dedicationis?

Ex supradictis festum Dedicationis Ecclesiae absque dubia festis Domini adnumerandum est; sed quodcumque festum Domini habet peculiare mysterium, cuius ratione institutum est, v. gr. festum Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis, S. Crucis, Pretiosissimi Sanguinis, Sacr. Cordis Iesu etc. Inquirendum itaque est, utrum festum Dedicationis tantum generalem relationem ad Deum habeat, an etiam pro hoc festo peculiare mysterium inveniri possit, cuius causa institutum sit. Gardellini in hoc festo peculiare mysterium non agnoscit, scribens in quadam adnotatione suae Decretorum collectionis: « Festum Dedicationis, non ullum respicit peculiare mysterium, sed generalem relationem habet ad Deum, cui dedicatur ad divina mysteria celebranda; sed huiusmodi ratio communis est etiam festis Sanctorum, quae licet instituta sint ad caelicolas honorandos, principaliter tamen ad Deum diriguntur ». Non est negandum, hoc festum, si summatim et quasi obiter consideratur, tantum generalem relationem ad Deum habere; si vero istud accuratius perscrutemur, invenimus Ecclesiae Dedicationem, tota quanta sit, quantumque sonet eius officium, expressionem et quasi quandam delineationem futurae glorificationis Ecclesiae esse; et quidem hoc festo Dedicationis nobis demonstratur *mystica desponsatio coelestis Sponsi cum Sponsa, Christi cum Ecclesia.* Quod peculiare mysterium significatur tam in Officio et Missa, quam in ritu Dedicationis ipsius Ecclesiae. Si Officium Dedicationis perlustremus, iam in Capitulo ad Vesperas Sponsa nobis apparet, quomodo omni ornatu virtutum spiritualium parata de coelis descendat ad nuptiarum solemnia celebranda. « Vidi civitatem sanctam Ierusalem novam descendentem de coelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo ». Ista

civitas sancta est ipsa Ecclesia, quae, uti interpretes S. Scripturarum dicunt, proprie vocatur sponsa et uxor Christi (Apoc. 21, 9), et de cuius pulchritudine Sponsus Christus in Canticis Canticorum (cap. 3) loquitur: « Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es ». Sponsa ipsa autem in coelo iam ornata et Sponso coniuncta est, uti in Hymno immediate sequenti Vesperarum cantatur:

« Coelestis Urbs Ierusalem
Beata pacis visio,
Quae celsa de viventibus
Saxis ad astra tolleris,
Sponsaeque ritu cingeris
Mille Angelorum millibus ».

« O sorte nupta prospera
Dotata Patris gloria,
Respersa sponsi gratia
Regina formosissima,
Christo iugata Principi
Coeli corusca civitas ».

Item haec mystica desponsatio Christi cum Ecclesia significatur in Invitatorio: « Domum Dei decet sanctitudo: Sponsum eius Christum adoremus in ea ».

Sponsus autem celebrat festum desponsationis Sponsae suae maxima solemnitate et laetitia; quare ad istud coelum et terram invitat: « Tollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales », dicitur in Antiphona prima Nocturni primi; et in Hymno Laudum canimus:

« Alto ex Olympi vertice
Summi Parentis Filius,
Ceu monte desectus lapis
Terras in imas decidens,
Domus supernae et infimae
Utrumque iunxit angulum ».

« Sed illa sedes coelitum
Semper resultat laudibus,
Deumque Trinum et Unicum
Iugi canore praedicat,
Illi canentes iungimur
Almae Sionis aemuli ».

Hanc mysticam desponsationem Missa in festo Dedicationis videtur significare; nam in Epistola invenimus sponsam paratam, in Evangelio Sponsum Christum, qui loquitur: « Hodie in domo tua oportet me manere », « hodie salus domui huic facta est ».

Haec cogitatio etiam in Dedicatione ipsa Ecclesiae nobis occurrit, quando sequens antiphona cantatur: « Haec est Ierusalem, civitas illa magna, ornata tamquam Sponsa Agni, Alleluia ».

Ad hoc peculiare mysterium etiam S. Bernardus in Sermone V de Dedicatione Ecclesiae videtur alludere, si dicit: « Etiam hodie fratres solemnitatem agimus et praeclaram. Atque id quidem facile dixerim: sed si pergitis quaerere, cuius Sancti, illud forte iam non ita. Quoties enim Apostoli seu Martyris vel Confessoris alicuius memoria celebratur, haud difficile est dicere cuius, utputa S. Petri, aut Stephani gloriosi, aut S. P. N. Benedicti vel alicuius ceterorum magnorum principum magnae curiae coeli. Nunc vero nullius eorum solemnitas agitur: agitur tamen nonnulla solemnitas. Nec modo nonnulla, sed non parva. Et si iam vultis audire, *festivitas est* domus Domini, templi Dei, *civitatis regis aeterni, sponsae Christi* ».

Desponsatio itaque mystica Christi cum Ecclesia videtur esse peculiare mysterium festi Dedicationis Ecclesiae. Nam Ecclesia materialis designat Ecclesiam spiritualem, quam Christus sibi desponsavit, suo pretioso sanguine purificavit et virtutibus exornavit; altare vero significat Christum, uti in Breviario Romano in festo Dedicationis Basilicae SS. Salvatoris (die 9 Nov.) legimus: « Altare chrismate delibutum Domini nostri Iesu Christi, qui altare, hostia et sacerdos noster est, figuram exprimit », et utrumque, Ecclesia scil. et altare, in Dedicatione Ecclesiae benedicitur, sanctificatur et consecratur ac quasi in unum hoc modo coniungitur.

Sed hoc peculiare mysterium non solum ad universam Ecclesiam, quae est omnium congregatio fidelium, sed etiam ad cuiuslibet iusti animam referri potest, quae est templum Dei vivi et habitatio Spiritus Sancti ex Apostolo I Corinth. 3, 6; et in extrema et plenissima Dedicatione Christo coniungitur, ut Durandus in Rationali divin. Offic. lib. 7 cap. 48 n. 3 indicat: « Haec festivitas (scil. Dedicationis Ecclesiae) specialiter significat aeternam dedicationem, in qua Ecclesia illa, seu anima sancta ita Deo dedicabitur i. e. copulabitur, ut non possit ad alios usus transferri, quod erit in octava resurrectionis ». Ad eamdem sententiam etiam S. Thomas se inclinat, p. 3 qu. 89 art. 3 ad 4 scribens: « Quia consecratio Altaris repraesentat sanctitatem Christi, con-

secratio vero domus sanctitatem totius Ecclesiae, ideo convenientius recolitur cum sanctitate et solemnitate consecratio Ecclesiae vel Altaris quam aliorum, quae consecrantur. Propter quod etiam octo diebus solemnitas Dedicationis agitur ad significandam beatam resurrectionem Christi et membrorum Ecclesiae ». Quare Christus Sponsam suam i. e. animam iusti in hac vita multiformi sua gratia decorat; Sponsa e contra debet animam suam disponere et aptare, ut in extrema Dedicatione digna sit desponsationis aeternae. Ideoque S. Augustinus serm. 252 de Temp. monet omnes Sponsas Christi, ut in festo Dedicationis secum in animo considerent, quod templum materiale significet in eis templum Dei vivi, et ipsi ita vivant, ut ab aeterno illo et coelesti convivio nuptiali excommunicari timere non debeant: « Quotiescumque, fratres carissimi, altaris vel templi festivitatem colimus, si fideliter ac diligenter attendimus, et sancte ac iuste vivimus, quidquid in templis manufactis agitur, totum in nobis spiritali aedificatione completur. Non enim mentitus est ille, qui dixit: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos; et iterum: Nescitis, quia corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est? Et ideo, fratres carissimi, quia nullis praecedentibus meritis per gratiam Dei meruimus fieri templum Dei, quantum possumus cum ipsius adiutorio laboremus, ne Dominus noster in templo suo, hoc est, in nobis ipsis inveniat quod oculos suae maiestatis offendat. Sed habitaculum cordis nostri evacuetur vitiis, et virtutibus repleatur: claudatur diabolo, et aperiatur Christo: et ita laboremus, ut nobis bonorum operum clavibus ianuam regni coelestis aperire possimus ». Et in serm. 256 de Temp. dicit: « Quod hic factum corporaliter videmus in parietibus, spiritaliter fiat in mentibus: et quod hic perfectum cernimus in lapidibus et lignis, hoc aedificante gratia Dei perficiatur in corporibus vestris ». Eandem cogitationem tractat S. Bernardus in Serm. 1 de Dedic. et ex ritibus consecrationis materialis templi deducit, quid tam Deus in anima iusti operari, quam anima ipsa facere debeat, ut digna sit sponsa Christi.

Ex dictis concludere liceat, festum Dedicationis non solum generalem relationem ad Deum habere, sed etiam peculiare mysterium scil. mysticam desponsationem Christi cum Ecclesia sive cum anima iusti.

Ad quaestionem ergo: *An Dedicatio Ecclesiae haberi debeat tamquam festum Domini,* respondendum censetur: *Affirmative.*

SUFFRAGIUM

3907. SUPER DECRETO

de Consecratione Ecclesiae sine ullius consecratione Altaris.

Diligenter et cum magna animi attentione perpenso proposito dubio *super consecratione Ecclesiae sine ullius consecratione Altaris,* ea mihi ingesta est persuasio haud facile esse categoricum et certum responsum dare, quin ullam exceptionem patiatur: ab antiquis enim temporibus usque ad nostram aetatem non invenitur Doctor aliquis, gnarus Iuris Canonum vel Sacrorum Rituum, qui quaestionem hanc ex professo tractet. Et ratio est, ni fallor, quia neque in Conciliis oecumenicis, neque in Iure, neque in Bullis aut Constitutionibus Apostolicis aliquid definitum extat, ut seposito omni dubio concludere possimus, validam aut invalidam esse Ecclesiae consecrationem sine ullius Altaris consecratione.

Iam quatuor proposito dubio responsum dedere, quorum tres priores in affirmativam iverunt sententiam, idest validam esse censuerunt eiusmodi Ecclesiae consecrationem. Novissimus autem, auctor scilicet Animadversionum, quamvis in sententiam negativam inclinet, suam tamen elucubrationem concludens ait responderi posse « Ecclesiam eiusmodi consecrationem Templi non admittere ».

Quid nunc dicam ego omnium minimus? Non renuo sacrae Congregationis mandato obtemperare: et quod diligenter perlegi referri aggredior.

I. Benedictus XIV, in Opere cui titulus Institutiones Ecclesiasticae, Instit. LXVII, num. 8, haec habet: « Quoniam ex recenti Canonum disciplina *Altaris Dedicatio ab Ecclesiae Consecratione seiungitur,* ideo vix in hanc Sedem pervenimus, Aram praeclarissimam a Card. Boncompagno erectam in Templo S. Petri sacrare haud praetermisimus ».

Emmanuel Gonzalez in Commentariis Decretalium Gregorii IX, Lib. III, Tit. XL, De consecratione Ecclesiae, num. 14, ita scribit: « Si motum fuerit Altare et ita amiserit consecrationem, illud tantum consecrari debet, non autem Ecclesia quae sacra adhuc manet »; et num. 15: « Nec ob-

stat dubitandi ratio deducta ab auctoribus Anselmo et Ivone ; nam argumento formato ab Anselmo respondetur: durationem consecrationis in Ecclesia non pendere a consecratione Altaris, cum *aeque principaliter se habeat, nec in hac parte datur quid accessorium* ».

Schmalzgrueber in Commentariis Decretalium Gregorii IX, Part. V, Tit. XL, § II, num. 46, Dub. 6: « An Ecclesia iterato sit consecranda, quando Altare fuit execratum : et vicissim, an Altare sit de novo consecrandum, quando Ecclesia fuit execrata? Resp. Negative. Ratio est quia et Ecclesiae et Altaris consecratio stat per se principaliter, nec una alterius est accessoria. – Item Sylv., Miranda, Laym., Pal., Schmier ».

Reiffenstuel Decretal. Lib. III, Tit. LX, § II, num. 41: « Per execrationem Altaris non execratur Ecclesia, nec e contra: propter hoc nequaquam reiterare suam consecrationem Ecclesia consuevit. Ratio est, quia Consecratio Ecclesiae potissime consistit in parietibus, et potest esse separata a consecratione Altaris ».

Petrus Leurenius S. I. For. Eccl. Lib. III, Tit. XL, Cap. 1, Quaest. 960, haec habet : « Execrato per fractionem vel motionem Altari fixo, nullatenus Ecclesia execratur, quia distincta consecratione consecrata sunt ». Et Quaest. 953 : « Consecratio Ecclesiae an et quando iteranda? Resp. Ecclesiae, idem est de Altari, consecrationem, ubi de ea facta et per execrationem illius non amissa constat, non esse iterandam. Ubi tamen constat consecratam quidem, sed non rite, nimirum non adhibita forma praescripta ordinationibus ecclesiasticis, de novo consecranda, cum defectus formae actum annullet ».

Barbosa De Officio et potestate Episc. Part. II, Alleg. XVII, num. 26 : « Execrata Ecclesia non proinde execratur Altare », et innixus auctoritate Sylvestr., Ragusa et Miranda, hanc affert rationem : « quia consecratio Ecclesiae consistit in parietibus, et separata est a consecratione Altaris ».

Cum igitur ex omnium sententia Doctorum « Altaris Dedicatio ab Ecclesiae consecratione seiungatur » (Bened. XIV); « Ecclesia et Altare distincta consecratione consecrata sint » (Leurenius); « Altare et Ecclesia aeque principaliter se habeat, nec detur quid accessorium » (Gonzalez); « Nec una alterius sit accessoria » (Schmalzgrueber); « Consecratio Ecclesiae consistat in parietibus, et posset esse separata a consecratione Altaris » (Reiffenstuel, Barbosa, Sylv., Ragus. et Miranda); iure concludere possumus: Valide consecrari Ecclesiam sine ullius consecratione Altaris.

II. Barbosa Iuris Eccl. Part. II, Lib. II, num. 27, haec habet : « Ritus quos in consecrandis Ecclesiis et Altaribus Romana servat Ecclesia, beatus Silvester Papa primus instituit, etc. ». In Brev. Rom. die 9 Novembris, in festo Dedicationis Archibasilicae SSmi Salvatoris, in Lectionibus II Nocturni legitur quod « Constantinus imperator . . . . in suo Lateranensi palatio Ecclesiam Salvatori dedicavit. . . quam Sanctus Silvester consecravit . . . . *Altare* tamen fuit *e ligno erectum*. . . . Quo *Altari* Sanctus Silvester, reddita Ecclesiae pace, honoris causa Principis Apostolorum, qui in illo sacrificasse dicitur, et reliquorum Pontificum, qui usque ad id tempus ad mysteria conficienda eo usi fuerant, in Lateranensi prima Ecclesia *collocato,* sancivit etc. ». Ex hisce patet quod Sanctus Silvester sine ullius Altaris consecratione primam Ecclesiam consecravit, Altare vero collocavit, quod iam uti sacrum habebatur.

Benedictus XIV, Epist. *Peracta a nobis* (quae est secunda ad R. P. Engelbertum), App. ad Tom. IV Bullar., enarrat quod ipsemet consecrationem Ecclesiae S. Apollinaris peregit, electo in Comministrum Cardinale Gentili Episcopo Praenestino : et cum ad eius devenerit notitiam, praedictam methodum adhibitam a nonnullis fuisse reprobatam, eo sub obtentu, quod integra Ecclesiae consecratio aut ab ipso solo fieri, aut integra alteri demandari debebat, non inopportunum esse arbitratus est aperire consilii sui rationes, ob quas Ecclesiae S. Apollinaris consecrationem modo supra exposito peregit. Dein Ecclesiae consecrationem ab uno vel a pluribus insimul perfici posse, Scriptorum auctoritate et exemplis comprobat. Et § 9, ita prosequitur : « Alia plura cumulari possunt exempla, sed iis omissis, sufficere posse videtur illud Summi Pontificis Urbani VIII, qui die 18 Novembris 1626, Basilicam Vaticanam consecravit. . . . unam siquidem Templi partem ipsemet Pontifex dicandam suscepit, aliam vero sex Cardinalibus perficiendam reliquit. *Ab Altaris consecratione Urbanus abstinuit ; iam enim* ut in Alaleonis Diario et Basilicae Vaticanae Turnario adnotatur, Clemens VIII (die 26 Iulii 1594) Urbani Praedecessor Aram maximam Vaticani Templi consecraverat ». – Quod Benedictus XIV

una cum Comministro Ecclesiam consecravit, a nonnullis reprobatum fuit: *validitatem vero consecrationis Basilicae Vaticanae, quam Urbanus VIII peregit sine ullius Altaris consecratione, nemo unus oppugnavit.*

III. Idem Benedictus XIV, in eadem Epist. *Peracta a nobis,* § 14, ita loquitur: « Qui dedicationis materiem tractant Morales Theologi, pari fere methodo Ecclesiarum consecrationem atque Sacramentorum naturam explicant; esto nonnisi in latiori quadam significatione Ecclesiarum Dedicatio Sacramentis adnumeretur, quatenus scilicet aut caelestis Templi, aut animae, quam gratia sanctificat, signum est mysticum. Itaque *docent Sacrum Chrisma, quo Cruces inunguntur, materiam esse: formam vero constituunt in his verbis,* quae in ipsa Chrismatis unctione proferuntur: *Sanctificetur et consecretur hoc Templum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* ».

Cum igitur Theologi omnes, qui Dedicationis materiem tractant, pari methodo Ecclesiarum consecrationem atque Sacramentorum naturam explicent; consequitur quod in Dedicatione Ecclesiae distinctio facienda sit validam inter et licitam consecrationem. Ergo sicut Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet materia, forma, et persona ministri cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; ita Ecclesia valide consecratur, interveniente debita materia, forma, et persona ministri cum intentione canonica.

At repones: Consecrationem Ecclesiae plures comprehendere ritus et caeremonias, quae omitti non possunt. Respondeo distinguendo: Ritus in Pontificali praescripti, *qui ad essentiam* (ut ita dicam) *pertinent* omitti nequeunt, *Concedo:* secus subdistinguo: Ritibus ad essentiam non pertinentibus omissis, *illicitam esse Ecclesiae consecrationem, Concedo; invalidam, Nego* — Ritus enim in Pontificali praescriptus multiplex quidem est, sed peculiariter spectandum esse autumo, in quo praecise ratio consecrationis habeatur. Porro ratio haec non consistit in caeremoniis illis omnibus, sed, ut docent Doctores omnes, cum ista consecratio instituta sit ad instar ritus sacramentalis, consistit praecise in liniendis sacro Chrismate duodecim crucibus inscriptis vel depictis in parietibus cum prolatione verborum: *Sanctificetur etc.* Quod ipsamet S. R. C. definivit (Lisbonen. 12 April. 1614, N. **319**.), « S. R. C. auditis sententiis et votis singulorum Illmorum et Rmorum DD. Cardinalium in Congregatione praesentium, considerando quod consecratio Ecclesiae maxime consistit in inungendis Sacro Chrismate duodecim Crucibus per Ecclesism, et in proferendis illis verbis: *Sanctificetur et consecretur hoc Templum in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti,* quae cruces, cum adhuc ab Episcopo, qui in consecratione defecit, non fuerunt inunctae, ut in facto praesupponitur; censuit et iudicavit consecrationem dictae Ecclesiae de novo et a principio ab Episcopo inchoandam et continuandam esse usque in finem ». Haec resolutio refertur a Benedicto XIV, Epist. *Peracta a nobis* § 16 et a Barbosa Iuris Eccl. Part. II, Lib. II, num. 52 et 53: qui factum enarrant, cuius occasione declaratio emanavit.

IV. Neminem latet discrimen inter pollutionem Ecclesiae et eius execrationem: si polluatur Ecclesia semel consecrata non debet nec potest denuo consecrari, sed tantum est reconcilianda; nam eius consecratio non amittitur quamdiu res integra manet: si vero fuit execrata, cum non amplius integra permaneat, suam consecrationem amittit, et denuo consecrari potest. — Dixi *denuo consecrari potest,* eo sensu *ut nova* quae superinducitur *possit consecrari:* textu expresso in Cap. Eccl. XX, dist. 1: « Ecclesiis semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi ». (Vide per integrum vel saltem § 1, 2, 3, 4, 5, 7, 10, 11, 12 et 13 Const. LVII Bened. XIV, quae incipit *Iam inde a primis*). — Item Altare nisi per execrationem, suam integritatem amittat, non potest denuo consecrari.

Ex his clarissime patet non esse iterandam Ecclesiae vel Altaris consecrationem, sed si Ecclesia tantum execretur, et non Altare; tunc solius Ecclesiae refectae consecratio peragi valeat et non Altaris quod adhuc consecratum permanet. Ergo consecrabitur Ecclesia sine ullius consecratione Altaris, uti peractum fuit ab Urbano VIII, qui Basilicam Vaticanam consecravit, et ab Altaris consecratione se abstinuit. — Puto tamen huiusmodi consecrationem nonnisi interveniente iusta et rationabili causa, et per Indultum Apostolicum peragendam esse; Ritus enim in Pontificali Romano praescriptus, etsi distinctam prorsus exhibet consecrationem tum Ecclesiae tum Altaris, plures tamen comprehendit caeremonias, quae sine culpa omitti non possunt.

Quibus ita expositis, ad dubium: *An*

Ecclesia in cuius consecratione omissa fuit consecratio Altaris, habenda sit consecrata? Respondendum censeo: *Affirmative.*

SUFFRAGIUM SUPER DECRETO

3939. ROMANA

In has quatuor partes dividenda est dissertatio:

I. Num altare, in quo feria V in Coena Domini SS. Sacramentum asservatur, *S. Sepulchri* dici possit?

II. Quid sentiendum sit de consuetudinibus, quae feria V in Coena Domini quoad Missam, locum repositionis, et ipsam repositionem SS. Sacramenti existunt?

III. Utrum reiici debeant, an tolerari possint *S. Sepulchra,* quae in Germania et Austria a feria VI in Parasceve usque ad Matutinum Paschae in usu sunt?

IV. Quid dicendum sit de Ordine elevandi SS. Sacramentum e S. Sepulchro Sabbato Sancto in modo dictis regionibus existente?

Quaestio I.

Num altare, in quo feria V in Coena Domini SS. Sacramentum asservatur, SS. Sepulchrum dici possit?

Nomen *SS. Sepulchrum* iuxta diversarum regionum consuetudinem tam in feria V in Coena Domini, quam feria VI in Parasceve et Sabbato Sancto, uti in Germania et Austria, ubi significatio *S. Sepulchrum* pro repositione feriae V prorsus ignota est, usitatur. Quoad feriam VI in Parasceve et Sabbatum Sanctum dicta denominatio vix reiici potest; nam feria VI in Parasceve commemoratio mortis SS. Redemptoris ab Ecclesia iam celebrata est; et de Sabbato Sancto Benedictus XIV de festis Domini, Sabb. S. n. 170, scribit: « Hac die Ecclesia honorat mysteriosam requiem, quam Christus Dominus servavit in suo sepulchro ». Quaeritur ergo, an denominatio *S. Sepulchri* etiam feria V in Coena Domini adhiberi possit. Per se loquendo significatio *Sepulchrum* pro repositione SS. Sacramenti in dicta feria est valde impropria; quia tam in Ecclesia mors Salvatoris nondum celebrata est, quam sepulchri Christi memoria non recolitur, nec Rubricae Missalis et Caeremonialis Episcoporum remote quid innuunt de Christi sepulchri repraesentatione. « Hodie, dicit Missale in fine Missae feriae V in Coena Domini, paretur locus aptus in aliqua cappella ecclesiae vel altari... ubi calix cum hostia reservata reponatur » Et Caeremoniale Episcoporum lib. II, cap. 23, § 2, praescribit: « Praeparandum... ornandumque erit aliquod sacellum intra ecclesiam... in quo post Missam huius diei recondendum sit SS. Sacramentum ». Sacellum itaque vel altare tantum pro repositione SS. Sacramenti est praeparandum; at altare sensu strictiore seu iuxta Rubricas non repraesentat sepulchrum Christi, sed institutionem SS. Sacramenti; Christus ibidem non ut mortuus repraesentatur, sed ipsi quasi thronus erigitur, ut die institutionis Sanctissimi Sacramenti a fidelibus speciali modo adoretur cum gratiarum actione pro hoc singulari accepto beneficio, et peculiari cultu afficiatur iisdem diebus, quibus a Iudaeis maximis opprobriis calumniatus est. (Conf. *Correspondance de Rome* tom. III pag. 50, anni 1852). Quare S. R. C. die 21 Ian. 1662 in Lauden. n. 1223 prohibuit, ne ista cappella pannis coloris nigri tegeretur, neque (die 7 Dec. 1844, in Narnien. ad 1, n. 2873.) sigillum in ostiolo, ubi Sanctissimum reconditur, apponi, neque cantari posset *Sepulto Domino* (decr. cit. n. 2873. ad 3).

Istius denominationis origo est repetenda ex eo, quod antiquitus SS. Sacramentum revera in sepulchro repositum sit, uti ex Sacerdotali Romano et aliis libris infra (sub Quaest. III) afferendis erui potest; quod tamen feria VI in Parasceve peragebatur, et postea Ecclesia feria V anticipavit, non amplius sepulturam Christi, sed SS. Sacramenti institutionem recolens. Vel potius, quia antiquissimis temporibus SS. Sacramentum semper in capsa, quae etiam turris vel arca nominabatur, reservata est; et ista reservatio in genere cum sepulchro Christi coniuncta est. Ita legimus in expositione ritus Missae gallicani, quam editores exaratam putant saeculo sexto (ap. Martene Thesaur. nov. Anecdot. tom. V. col. 94, sq.): « Corpus vero Domini ideo defertur in turribus, *quia monumentum Domini in similitudinem turris fuit scissum in petra,* et intus lectum, ubi pausavit corpus Dominicum, unde surrexit Rex gloriae in triumphum ». Et revera in antiquis tabulis sepulchrum Domini et S. Lazari communiter depingitur uti turris.

Sed sensu latiori denominatio *S. Sepulchri* pro feria V in Coena Domini reiici non potest, et ex sensu mystico, quem Ec-

clesia calici tribuit, exorta est. Hac feria altera Hostia maior consecrata pro repositione SS. Eucharistiae in calice ponitur: *Ecclesia* autem *ipsa* calicem utpote *symbolum sepulchri Christi* significat. *Pontificale* enim Romanum in consecratione patenae et calicis his verbis utitur: *Omnipotens sempiterne Deus, manibus nostris, quaesumus, opem tuam benedictionis infunde, ut per nostram benedictionem hoc vasculum et patena sanctificentur,* ET CORPORIS ET SANGUINIS D. N. I. C. NOVUM SEPULCHRUM *Sancti Spiritus gratia efficiantur.* Nonne haec verba alludunt ad monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat? (Ioann. 19, 41). Hinc mysticam rationem approbant etiam graves Auctores; sic scribit Benedictus XIV de Sacrif. Miss. lib. 1 cap. 4: « Calix novum sepulchrum, quo conditus est Christus Dominus; Patena revolutum lapidem significat supra portam monumenti; Corporale Syndonem mundam exprimit, qua Ioseph ab Arimathea corpus Christi involvit, ut bene advertunt Rhabanus lib. 1, de Instit. Cleric. cap. 33, et Ildebertus Archiep. Turonens. in carminibus de Missae Sacrificio:

« Ara Crucis, tumulique calix, lapidisque patena,
« Syndonis officium candida byssus habet ».

Durandus lib. I cap. 8 n. 24, similiter calicem ad Sepulchrum refert: « Calix quoque consecratur et inungitur, ut gratia Spiritus Sancti perficiatur novum sepulchrum corporis et sanguinis Christi ». Et Suarez disp. 81 sect. 7 n. 1 scribit: « Accedit etiam ratio mystica: nam calix significare sepulchrum Domini, patenam lapidem sepulchro suppositum ». Si itaque *in genere* et *omni die* calix nominari potest SEPULCHRUM CHRISTI, *quare haec significatio feria V in Coena Domini adhiberi nequit?* Intra totum annum Corpus Christi super patenam deponitur, et calix continet pretiosissimum Sanguinem; hac die autem Corpus Christi in calice deponitur et in calice reservatur, ita ut ipsa hac die pleno iure et speciali modo calix sepulchrum Corporis Christi repraesentet, praesertim si ritum peculiarem Missalis nobis ob oculos ponimus. (Celebrans) « ante ablutionem digitorum », praescribit Rubrica, « ponit hostiam reservatam in alio calice, quem Diaconus *palla et patena* (et quidem inversa, uti Auctores communiter dicunt) cooperit et desuper velum expandit »; quem ritum etiam Caeremoniale Episcoporum lib. II cap. 23 § 5 affert: » quem (scil. calicem) Diaconus *palla et patena desuper posita,* ac demum velo serico cooperit ».

Quare hac die ordo calicem tegendi invertitur? Debet tamen esse aliqua ratio, ex qua calix hac die aliter cooperitur ac omni totius anni die. Adversarii denominationis Sepulchri in Coena Domini respondent: Hostia sancta caute custodiri debet, quod fit per pallam primum, deinde per patenam inverso modo, qui *naturalis* est, cum hostia intus non foris est. Quod revera est leve argumentum! Putamus e contrario, quod quotidie et semper eodem modo fit, esse naturale; quod autem modo extraordinario occurrit, cum naturali non concordare. Rubrica gener. tit. I n. 1 dicit: « Deinde praeparat calicem, super eius os ponit purificatorium mundum et super illud patenam.... et eam tegit parva palla linea »; et Tit. X n. 5: « Quo facto purificatorium extendit super calicem et desuper patenam ac super patenam parvam pallam ». Hic est quotidianus usus et hoc est naturale, et sacra Hostia non minus caute custoditur quam modo inverso, imo minus est periculum patenam de calice deiiciendi, quam modo a Missali hac die praescripto. Sin autem palla prius et deinde patena et quidem inversa super calicem ponitur, hoc desciscit a communi usu, et, ut periculum modo dictum devitetur, Memoriale Rituum praescribit: « *ad cautelam* firmat velum calicis ligula serica albi coloris ». In Missalis Romani editionibus ante S. Pium V publicatis hic specialis ritus non invenitur, uti ex Ordine Missalis secundum consuetudinem Curiae Romanae Neapoli impresso per Mathiam Moravum anno 1477, Venetiis per Georgium Arrivabonum anno 1499 et ex Missalibus Venetiis 1518 et 1564 in officina haeredum Lucaeantonii Junctae impressis patet; sed S. Pius V eumdem introduxit. Quis credere vult, S. Pium V hunc inversum et periculosum ritum introduxisse, quia naturalis est, eaque tantum ratione sacra Hostia caute custodiri potest? E contrario, cum iuxta priorem consuetudinem sacra Hostia *aut* in calice *aut* in sacra syndone hac die reservata fuerit (conf. Martene de antiqu. monach. rit. lib. III cap. 13 n. 46 et Benedictum XIV de festis Dom. lib. I cap. 6 n. 48), Papa utrumque modum coniunxit et per se sensum mysticum significavit, quem calix, patena et palla antiquitus habebant. « Fiunt autem haec »

(scil. quae ritus Missalis praescribit), dicit Tetamus Notand. fer. V hebd. mai. num. 142, « ad repraesentationem Sepulchri Domini. « Enimvero Corpus Domini intus calicem « significat idem Corpus Dominicum intra « sepulchrum positum. Palla, qua tegitur « calix, significat lapidem ad ostium mo- « numenti, patena ad tutelam pallae adhi- « betur, quasi sigillum indicet pharisaeo- « rum, de quo Matth. 27. *Signantes lapi-* « *dem cum custodibus* ». Simili modo loquitur Gavantus tom. I p. 4, tit. 8, r. 6, litt. a.

Calix ergo cum hostia reservata feria V in Coena Domini revera repraesantat Sepulchrum Domini. Et cum totum pro parte saepius significari soleat, etiam locus repositionis sensu latiori et mystico *S. Sepulchrum* nominari potest. Qui sensus mysticus litteris Rubricarum vitam inspirat et a sanctis Ecclesiae Doctoribus, praesertim S. Thoma et Bonaventura aliisque, magni aestimatur. Si vero altare, in qua feria V in Coena Domini SS. Sacramentum reponitur, repraesentativum tantum institutionis eiusdem SS. Sacramenti esset, si istud altare denominatione tantum *vulgari* « Sepulchrum » diceretur, vera non essent verba Pontificalis de novo sepulchro Corporis et Sanguinis Christi quoad calicem feriae V. in Coena Domini; quae verba alias omni totius anni die verissima sunt, falsa esset sententia Doctorum, quae calicem utpote sepulchrum Domini significat: ac spatium non relinqueretur pro sensu mystico, praesertim specialis Rubricae feriae V in Coena Domini, quae a communibus et quotidianis desciscit, et litteras rigidas sine spiritu et vita sequi deberemus; at littera occidit, spiritus autem vivificat, teste Apostolo.

Ad 1^am^ Quaestionem igitur respondendum censetur: *Affirmative.*

Quaestio II.

Quid sentiendum sit de consuetudinibus, quae feria V in Coena Domini quoad missam, locum repositionis, et ipsam repositionem SS. Sacramenti existunt?

Rubricae Missalis praescribunt *a*) quoad *Missam:* « Dicitur *Gloria in excelsis*, et « tunc pulsantur campanae et deinceps non « amplius usque ad Sabbatum sanctum ». — « Hodie Sacerdos consecrat duas Hostias, « quarum unam sumit, alteram reservat pro » die sequenti, in quo non conficitur Sa- « cramentum ». *b*) Quoad *locum:* « Hodie « paretur locus aptus in aliqua cappella ec- « clesiae vel altari, et decenter, quoad fieri « potest, ornetur cum velis et luminibus, « ubi calix cum hostia reservata reponatur». Idem ordinat Caeremoniale Episcoporum lib. II cap. 23 § 2. *c*) Quoad *repositionem ipsam* Missale simpliciter dicit: « Cum au- « tem ventum fuerit ad locum paratum, « Diaconus genuflexus a Sacerdote stante « accipit calicem cum Sacramento, et ponit « illum primo super altare, ubi a Sacerdote « genuflexo incensatur; . . . deinde reponit « in capsula ». Caeremoniale autem l. c. § 13 scribit: « Cum Episcopus erit ante « supremum gradum altaris, Diaconus ac- « cipiet de manu ipsius stantis SS. Sacra- « mentum genuflexus, sine osculo manus, « quod deponet super altari in loco prae- « parato, cooperiens velo undique calicem: « et interim Episcopus paulo retrocedens, « stans, imponet incensum in altero ex thu- « ribulis, et rursus genuflexns, Sacramen- « tum incensabit triplici ductu, et clauso « ostiolo per Diaconum assistentem, Epi- « scopus ascendens altare.... dabit benedi- « ctionem ».

Quae dispositiones tam Missalis quam Caeremonialis sunt clarae nec indigent aliqua explanatione. Sed iam quoad Missam ipsam in Coena Domini, quoad locum repositionis et repositionem ipsam SS. Sacramenti in pluribus diversarum regionum locis in usu sunt a tempore immemorabili caeremoniae prorsus differentes a praescriptis supra allatis; quae consuetudines apud fideles tam magnam vim habent, ut in illis conservandis interdum sint tenaces, et absque rumore et scandalo saepius tolli nequeant. Sic in Dioecesi Burgensi infra totam Missam solemnem feriae V in Coena Domini orgnanum pulsatur; alibi ut in Germania et Austria tres Hostiae maiores consecrantur, vel locus expositionis ornatur statuis vel imaginibus B. M. V. VII Dolorum, S. Ioannis, S. M. Magdalenae, militum Romanorum etc., vel floribus dispositis ac si esset altare in viridario seu in horto, vel SS. Sacramentum non reconditur in capsula, sed exponitur in calice, imo in ostensorio.

Antequam autem consuetudines modo dictas Missalis et Caeremonialis Episcoporum Rubricis contrarias accuratius examinemus, plura notare placet.

1. Consuetudines non tantum iuxta Rubricarum praescripta iudicandae, sed principia Iuris canonici generalia etiam ad Li-

turgiam adhibenda sunt, in quantum sint iuris humani. Itaque ante omnia attendendum est, num consuetudines sint *rationabiles* et *laudabiles*, num *legitime praescriptae,* fortasse etiam *immemorabiles,* et si videntur esse *irrationabiles,* num non superveniat nova vel antea ignorata ratio sive causa, quae tollat irrationabilitatem consuetudinis. Porro, num consuetudines sint *secundum,* aut *praeter,* aut *contra* Rubricas: consuetudines secundum Rubricas absque dubio habent vim legis; idem dicendum est de consuetudinibus praeter Rubricas: nam tum S. Sedis voluntas praesumitur, tum S. R. C. vult, ut huiusmodi consuetudines observentur. (Conf. decr. S. R. C. **2998, 3192, 3491**).

Consuetudines autem, si sunt rationabiles et legitime praescriptae, vim legis habere possunt. « Nihil magis tritum », dicit Benedictus XIV, De Synod. Dioec. lib. XII. cap. 8 n. 8 « quam legem quamlibet humanam, etiam canonicam, posse contraria consuetudine, quae sit rationabilis et legitime praescripta, abrogari ». Rubricae vero aliquando etiam suspendi propter abusus, seu interdum ad tempus iidem tolerari possunt, si scil. S. Sedes eas cum tanto incommodo non urget. Quod praesertim timeri potest circa usus, erga quos fideles amore vehementi afficiuntur, et si quando Rubricarum observantia populo et clero offensiva evaderet. Quare S. R. C. respectu talium circumstantiarum abusus interdum toleravit; sic die 22 Iulii 1848 in Montis Politiani n. **2968** declaravit: « Pro gratia speciali, non obstantibus decretis, Episcopus pro suo arbitrio et prudentia iuxta particulares casus et circumstantias indulgeat ».

2. Consuetudines, quarum infra mentio fiet, sunt praeter vel contra Rubricas aut *Missalis* aut *Caeremonialis Episcoporum* aut *Ritualis Romani.*

Contra Missale consuetudo legitime praescripta admitti nequit; nam S. Pius V Bulla *Quo primum* diei 13 Iulii 1570 omnem omnino consuetudinem contrariam, non solum pro praeterito sed etiam in futurum, in virtute sanctae obedientiae prohibuit. Nullus, etiamsi immemorabilis usus contra eiusdem Rubricas sustineri potest; et S. R. C. eumdem semper vetuit. Ita die 16 Martii 1591 in Oscen. ad 10 n. **9**, declaravit: « Consuetudines, quae sunt contra Missale Romanum, sublatae sunt per Bullam Pii V in principio ipsius Missalis impressam, et dicendae sunt potius corruptelae quam consuetudines, neque illis possunt se tueri Canonici, quominus cogi valeant per Episcopum ad observantiam Rubricarum et Regularum Missalis ». Nihilominus duae Missalis Rubricae per non usum fere ubique in desuetudinem iam venerunt, scil. obligatio accendendi tertiam candelam ad elevationem (conf. S. Alphons. Theol. mor. lib. VI n. 394 et decisionem S. R. C. n. **4029** ad 2) et porrigendi communicantibus purificationem et mappulam ad os abstergendum.

Cum Clemens VIII die 14 Iulii 1600 Caeremoniale Episcoporum promulgavit, omnibusque ecclesiis, praesertim Cathedralibus et Collegiatis, praescripsit, hoc declaravit: « Per praesentes autem antiqua Caeremonialia in his, quae praedicto Caeremoniali reformato sunt conformia, minime aboleri aut abrogata censeri volumus, sed illorum usus (salva reformatione praedicta) permittimus ». Conformes autem sunt consuetudines particularium ecclesiarum, quae non repugnant ritibus, sed potius circa modum versantur. (Conf. decr. S. R. C. d. 13 Iulii 1675 in Aquilana n. **1541**.) De qua conformitate nemo in ultima instantia decernere potest, nisi S. Sedes seu S. Rituum Congregatio. « Sacra enim Congregatio », adnotat Gardellini ad decr. n. **2646**, in Alexandrina ad 2, « dum servandum iubet « Caeremoniale Episcoporum, haud intendit « adprobare vel reprobare peculiarium ec« clesiarum consuetudines, sed sibi reservat « earumdem examen in casibus particulari« bus, ut cognoscere possit, num rationabiles « et laudabiles sint, vel potius habendae ut « corruptelae et abusus, ac tales propterea « sint, ut reprobari et eliminari omnino de« beant. Equidem in dubio de consuetudini« bus res esse videtur, quae nulli Ecclesiae « tatuto opponuntur: sed id privatorum iu« dicio non est relinquendum. Multae quippe « consuetudines, quae laudabiles privato ali« quorum iudicio videri possunt, tales re« vera non sunt: idcirco vel ad debitam for« mam ab locorum Ordinariis reducendae « sunt, vel in dubio S. Congregationi expo« nendae, ut eadem definiat, utrum necne « queant retineri ». Porro S. R. C. saepius declaravit, Caeremoniale Episcoporum non tollere immemorabiles et laudabiles consuetudines, quae eidem sunt conformes. Sic die 16 Iunii 1606 in Elboren. n. **218** responsum dedit: « Decretum (emanatum ad « instantiam omnium Ecclesiarum in Hispa« nia, quod scilicet liber Caeremonialis Epi« scoporum non tollat laudabiles et imme-

« morabiles consuetudines) locum habere « non solum in regnis Hispaniae et Portu- « galliae, sed etiam in quibuscumque aliis « regnis et locis per totum christianum « orbem ». Et die 10 Ian. 1604 in Salamantina n. 154 ad quaestionem : « An « Caeremoniale Episcoporum nuper editum « tollat immemorabiles Ecclesiarum con- « suetudines? » respondit : « Caeremoniale « praedictum abusus tollere, non autem « immemorabiles consuetudines, maxime si « consuetudo immemorabilis legitime prae- « scripta sit ». Sin autem Caeremoniale ab Episcopo semel receptum est, integre servandum nec unquam dimittendum est. Conf. decr. n. 971. et n. 1015.

Quoad Rituale Romanum in sequentibus non agitur de eiusdem auctoritate; nemo enim dubitare potest idem ubique locorum obligare et servandum esse, sed tantum, an etiam contra hunc librum consuetudines admitti possint. Paulus V Bulla *Apostolicae Sedis* diei 17 Iunii 1614 priora Ritualia nec summatim nec partim expresse reprobavit, uti S. Pius V quoad Breviarium et Missale fecit, nec eorum usum expresse permisit, sicut Clemens VIII antiquorum Caeremonialium Romano conformium usum concesserat. Qua ex causa? Quia in Occidente multae differentiae circa caeremonias in administratione sacramentorum, in Exsequiis etc. exstiterunt, quarum subita ac repentina exstinctio scandalum apud populum et murmurationem apud clerum provocasset. Iam Concilium Tridentinum hanc differentiam, saltem in aliquibus casibus, uti factum et ius comprobavit.

Iuxta ipsam enim S. Synodum sess. 24 cap. 1, de reformat. matrimon. parochus ad mutuo contrahentes dicat : « Ego vos « in matrimonium coniungo in nomine Pa- « tris et Filii et Spiritus Sancti, *vel* aliis « utatur verbis *iuxta receptum uniuscu- « iusque provinciae ritum... Si quae pro- « vinciae aliis ultra praedictas laudabili- « bus consuetudinibus et caeremoniis* hac « in re utuntur, eas OMNINO *retineri* S. Syn- « odus VEHEMENTER optat ». Quae Tridentini verba Rituale Romanum (Tit. VII cap. 2, n. 2, et n. 5, Rit. celebr. matrim.) repetit, omittendo tamen verba *omnino* et *vehementer*, et ipsum sacerdotes ad locorum consuetudines saepius relegat, v. gr. Tit. III cap. 1, n. 9 « prout tempus vel locorum feret consuetudo », vel Tit. VI cap. 1, n. 8 « iuxta loci consuetudinem », vel ibid. n. 9, « ubi viget consuetudo », vel « nisi occasio vel consuetudo interdum aliter suadeat », vel « iuxta piam et laudabilem consuetudinem », vel « pro consuetudine ecclesiarum » etc. Paulus V. utique in fine supradictae Bullae dicit : « *Hortamur* in Domino « Ven. Fratres Patriarchas...... et alios ad « quos spectat, ut in posterum, tamquam « Ecclesiae Romanae filii, eiusdem Eccle- « siae omnium matris et magistrae aucto- « ritate constituto Rituali in sacris functio- « nibus utantur, et in re tanti momenti « quae catholica Ecclesia et ab ea probatus « usus antiquitatis statuit, inviolato obser- « vent ». Sed vocabulum *Hortamur* significat tantum, quod S. Sedes non absolute mandare voluit, ut Rituale Romanum statim et ubique locorum introduceretur, et omnia alia Ritualia antiqua extinguerentur, non vero vim obligantem de Rituali demit. « Ubi vocabulum *Hortamur* », scribit Episcopus Tullonensis die 19 Febr. 1678 ad suum clerum, « inter verba praeceptiva « consistit, eidem vis praeceptiva detrahi « nequit, sed est tantum enuntiatio in forma « mitiori ». (Conf. Anal. Iur. Pontif. Ser. II col. 2651). Et Musart S. I. in Manuali Parochorum (p. II cap. 1, n. 6. Monachii 1654) dicit : « *Hortatus est* tantum Pontifex : *non « praecipit,* ut opinor, eam ob causam, quod « locorum omnium diversitas non permit- « tat ubique eadem omnino praecipi, quod « quibusdam in partibus a primis christia- « nae religionis initiis instituti quidam ritus « sine gravi offensione populi non videren- « tur aboleri potuisse : *maluit* igitur Su- « premus Sacrorum Antistes *relinquere Epi- « scoporum prudentiae,* ut ipsi, quod satius « esset, pro suis dioecesibus statuerent ». Conf. S. Alphons. Theol. mor. lib. VI n. 140 et n. 170 et Vinc. Filliucius Theol. mor. tr. II n. 154.

Rubricae itaque Ritualis Romani in qualibet Dioecesi stricte observandae sunt; sed aliae antiquae et laudabiles particulares, praesertim si sint immemorabiles, in singulis Dioecesibus exsistere possunt. Quae consuetudines non *contra,* sed *secundum* vel *praeter* Rituale Romanum esse debent, et tolerari possunt propter speciales circumstantias ibique exsistentes, ac revera tolerantur a S. Sede; uti supplementa plurium Dioecesium ad Rituale Romanum addita et a Sacra Rituum Congregatione concessa demonstrant.

3. Praeterea distinguendum est inter functiones sensu stricto liturgicas et functiones extraliturgicas. Illae libris liturgicis

accurate praescribuntur, ideoque iuxta eorum ordinationes observandae sunt; has vero libri liturgici stricte non statuunt, sed ipsae, in quantum fieri potest, Rubricis conformes esse debent: et in his etiam consuetudines exsistere possunt, quae ratione mitiore diiudicari debent, quamvis Rubricis non stricte correspondeant.

Haec principia supposita sunt, tam ut sequentes consuetudines facilius diiudicarentur, quam ut in singulis tractandis ad eadem simpliciter referri possit. Sunt autem in diversis regionibus multae consuetudines, quae feria V in Coena Domini exsistunt; scilicet:

a) *Quoad Missam solemnem.* In Cathedrali Ecclesia Dioecesis Burgensis in Hispania, uti ex Rescript. fasc. III n. 9 patet, ab immemorabili tempore organum infra Missam solemnem feriae V in Coena Domini pulsatur. Haec consuetudo sensu stricto non quidem contra Missale, quia idem tantum campanarum sonum cantato Hymno Angelico prohibet, sed potius contra Caeremoniale Episcoporum est, quod lib. I cap. 28 § 2 expresse praescribit, ut feria V. in Coena Domini tantum ad *Gloria in excelsis Deo* organum pulsetur. S. R. C. vero die 11 Iunii 1880 in Viglevanen. ad 4 n. **3515** concessit, ut organum aut post intonationem hymni praedicti aliquantulum aut usque in finem eiusdem hymni Angelici pulsari possit iuxta consuetudinem. Supra vidimus consuetudines laudabiles et immemorabiles, quae libro Caeremoniali sunt conformes, exsistere posse. Sed quaeri debet, num haec consuetudo revera sit laudabilis, saltem in praesenti; quod omnino negandum est. Nam S. R. C., quae in ultima instantia discernit de ista conformitate, in una. Urgellen. diei 30 Decemb. 1881 ad 7 n. **3535**, declaravit: « Consuetudinem invectam per totam Missam feriae V in Coena Domini organum pulsandi esse eliminandam ». Porro haec consuetudo uti contra Missale consideranda est; nam agitur de Rubrica infra Missam, de qua Missale quidem non loquitur, sed quam Caeremoniale melius explicat. Missale enim tantum requirit, ut post cantatum hymnum Angelicum campanae sileant ob luctum tridui passionis et mortis Christi in ara crucis; sed per se sequitur, quod etiam organum non pulsetur, quia organum est instrumentum laetitiae et iuxta Caeremoniale l. c. tantum adhiberi potest, quandocumque solemniter et *cum laetitia* celebratur, non autem hoc tempore luctus tristissimi. Praeterea non supervenit nova ratio, quae irrationabilitatem huius consuetudinis tollat, sed, uti ex responsionibus ad Eminentissimum Card. Praefectum S. R. C. elucet, ista consuetudo absque rumore et scandalo populi, declaratione supradicta in Urgellen. a S. R. C. facta, sublata est in aliis Hispaniarum regionibus; ergo etiam in Ecclesia Cathedrali Burgensi, et in aliis ecclesiis, si forsan exsistit, quoque eliminari potest.

In Germania infra Missam solemnem tres hostiae maiores consecrantur ab immemorabili consuetudine, de qua Martene, De antiqu. Eccl. lib. IV cap. 22 n. 8 scribit: « In quibusdam ecclesiis tres solent consecrari hostiae, una, qua Celebrans hac die communicat, duae in sequentem diem reservandae, ut ex una possit Sacerdos communicare, alteram vero sepulchro cum cruce recondere. Ita praescribunt antiquum Rituale Suessionense, Pontificale Moguntinum, Ordinarium Baiocense et Missale Sarisberiense: nisi quod Rituale Suessionense tertiam ad processionem in die Paschae deferendam iubeat conservari ». Sed de hac consuetudine infra sub Quaest. III in extenso dicetur.

b) Quoad locum repositionis. Circa cappellae ornatum, in qua Sanctissimum Sacramentum reconditur, variae sunt consuetudines et quidem immemorabiles et magna cum difficultate, praesertim in Hispania, eliminandae; v. gr. in ista cappella apponuntur statuae vel imagines Christi in horto orantis, symbola Passionis, B. Mariae V., S. Ioannis, S. M. Magdalenae, militum Romanorum; cuiusmodi usus non solum in Hispania, sed etiam alibi exsistit. S. R. C. eiusmodi consuetudines suo decreto reprobavit. Die 26 Septembr. 1868 in una Salten. ad 1, n. **3178**, ad quaestionem: « Utrum huiusmodi repraesentationes (scil. scenae Passionis Dominicae, v. gr. imago Christi orantis et Angeli ipsum confortantis etc.) in sacello, in quo feria V maioris Hebdomadae reponi debet altera hostia consecrata, tolerari possint? Et quatenus negative ad primum, an Regulares ab Episcopo coerceri passint ad huiusmodi repraesentationes non faciendas? » S. R. C. respondit: « Usum expositum esse contrarium Caeremoniali Episcoporum et Rubricis Missalis Romani; et in casu de quo agitur, Episcopus curet illum eliminari, etiam auctoritate Sacrae Rituum Congregationis ».

Sed inquirendum est, anne consuetu-

dines modo allatae saltem tolerari possint, quamvis istud decretum prohibuerit. Si eiusmodi consuetudines solum ad clerum spectant, absque dubio sufficit voluntas legislatoris scil. Sacrae Rituum Congregationis ad easdem removendas ; sin autem consuetudines etiam populum attingunt, praesertim si fideles in hisce consuetudinibus conservandis tenaces sunt, consuetudines facile eliminari nequeunt, et magis ad hasce retinendas quam ad eliminandas inclinandum est. Nam saepe non solum rumor et scandalum in hisce consuetudinibus exstinguendis oriuntur, sed passim maius damnum circa devotionem et fidem timendum est, quam ex stricta observatione Rubricarum bonum assequatur. Quare S. R. C. consuetudines, potissimum immemorabiles, quamvis directe contra Rubricas sint, saepius toleravit. Ita die 15 Februarii 1872, in Salisburgen. n. 3287 declaravit, nihil esse innovandum quoad benedictionem populo dandam cum SS. Sacramento *ante* sacras functiones et in eorum fine, necnon *cum pyxide post ministratam synaxim.*

Consuetudines supradictae in Hispania sunt antiquissimae, non solum immemorabiles, et apud fideles extraordinariam devotionem excitant ; uti ex Rescriptis ad Eminentissimum Praefectum S. R. C. patet. Iam Urbanus II, teste Roderico (lib. VI, de reb. Hispan. cap. 26), istas consuetudines abolere voluit, sed non potuit ob seditionem, quam populus excitavit (ap. Ephem. liturg. vol. I, pag. 233). Novissimum vero decretum S. R. C., supra allatum, finem ab eadem S. Congregatione propositum in Hispania non esse assecutum, ex Rescriptis ad eamdem S. Congregationem patet, in quibus petitur, ut hic antiquus usus continuare possit. Episcopi nesciunt quomodo se expediant ex hoc praescripto ; nam partim obedientiam S. Sedi Apostolicae debitam praestare volunt, partim bene sciunt, se antiquissimam et immemorabilem consuetudinem eliminare non posse absque gravi incommodo, rumore et scandalo populi; quare eiusmodi decreta in suis Dioecesibus non evulgant, ut graviora damna a populo avertant. Quanam ratione alias fieri potuit, ut tam multae Dioeceses hanc consuetudinem in praesenti adhuc sequerentur ?

Sed inquiramus, an haec consuetudo revera contra Missale et Caeremoniale Episcoporum sit, ita ut omnino eliminari debeat. Has statuas, imagines, picturas, symbola Passionis, milites Romanos neque Missale neque Caeremoniale prohibet, sed uterque liber liturgicus de iisdem omnino silet ; Rubricis ergo non contraria sunt, sed potius *praeter* Rubricas quam *contra ;* nam ut aliquid contra Rubricas sit, etiam a Rubricis istud aut prohiberi aut ordinari debet. Sed obiicitur Rubricas utriusque libri de altari Sacramenti tractare, non de passione et morte Christi ; repraesentationes autem ad passionem spectare et ad mortem et sepulturam respicere. Concedo; at nonne Ecclesia ipsa orat : « Deus qui nobis *sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti* » ? nonne calix cum hostia in tabernaculo reconditus repraesentat sepulchrum Domini, uti supra Quaest. I vidimus ? nonne ergo memoria passionis cum SS. Sacramento coniungi potest? Porro neque Missale, neque Caeremoniale sensu stricto *de expositione* loquuntur, sed semper tantum *de repositione :* « ubi calix cum hostia *reponatur* » ; « deinde *reponit* in capsula » ; « in quo *reconpendum sit* SS. Sacramentum » ; « ubi *est repositum* Sacramentum » ; quando autem SS. Sacramentum tantum repositum est in tabernaculo, imagines omnino removeri non debent ; praeterea Caeremoniale Episcoporum hanc repositionem minime considerat uti solemnissimam expositionem, quia ad altare repositionis tantum sex candelabra et totidem cereos praescribit. Sed si Romae hac die SS. Sacramentum in tabernaculo reconditum cum multis luminibus ad fidelium adorationem repraesentatur, haec consuetudo *ex repositione non facit expositionem;* et illae ecclesiae cathedrales certissime non sunt vituperandae, quae hac die iuxta Caeremonialis praescriptum ad altare repositionis tantum sex cereos accendunt , uti fere communiter in Germania fit. Solummodo ex Memoriali Rituum, quod tamen pro ecclesiis solum minoribus parochialibus praescriptum est, in quibus Caeremoniae maioris Hebdomadae solemniter fieri non possunt, erui potest hanc repositionem esse *aequiparandam* expositioni SS. Sacramenti, quia istud reliquias et imagines in cappella SS. Sacramenti prohibet; sed etiam hic liber non loquitur de vera expositione.

Cum autem Memoriale Rituum imagines, statuas in dicta repositionis cappella apponi non concedat, quaeri debet, anne extra cappellam in aliis partibus ecclesiae eaedem statui possint? Quid impediat, quominus sepulchrum et imagines separentur

ab altari et sacello repositionis, quae tantam devotionem apud fideles excitant, et in alio altari ponantur? S. R. C. die 21 Maii 1744 in Bergomen. ad 4, n. 2375 declaravit permitti posse, ut statua B. M. V. velo nigro circumdata in nocte feriae V in Coena Domini cum Iesu Filio mortuo in gremium deposito in ecclesia exponatur, ut sequenti feria VI mane processionaliter cum pluvialibus nigris deferatur. Si ergo S. R. C. ipsa concessit, ut statua B. M. V. dolorosae exponatur, quare aliae statuae, quae ad passionem se referunt vel eam repraesentant, prohibendae sunt?

Utique Missale praescribit, ut cruces et imagines ante Vesperas Dominicae Passionis velentur; sed haec prohibitio praecipue ad imagines altarium referenda est iuxta declarationem S. R. C. diei 22 Iulii 1848 in Florentin. ad 2, n. 2965. Porro S. R. C. die 18 Iulii 1885 in una Marianopolit. n. 3638 ad secund. quaestionem: « Utrum imagines, « quae quatuordecim Viae Crucis stationibus « affigi solent ad instruendos fideles eorum- « que pietatem fovendam, relinqui possint « non velatae tempore Passionis? » affirmavit. Hac decisione indirecte declarat, imagines Viae Crucis etiam feria V Hebdomadae maioris discoopertas esse posse, quamvis SS. Sacramentum in capsa sit repositum; haec enim dies ab eadem S. Congregatione non eximitur. Sin autem imagines Viae Crucis, sive pictae, sive sculptae, sive caelatae, et quidem discoopertae, feria V in Coena Domini concessae sunt, etiam alias supradictas statuas et imagines iam habemus, quae plerumque ex stationibus Viae Crucis desumptae sunt: in hisce stationibus habemus Christum in sepulchro repositum, habemus B. M. V., S. Ioannem Evangelistam, S. M. Magdalenam, habemus milites Romanos, et paululum vel nihil interest, utrum istae stationes et imagines in pariete pendeant, an in terra collocentur. Obiici potest, a quatuordecim Viae Crucis stationibus alias imagines et statuas prorsus diversas esse, ita ut cum iisdem confundi non possint; sed quaestio in hac re ante omnia agitur, an eiusmodi statuae et imagines discoopertae, etiamsi non in altari vel sacello repositionis, in aliis ecclesiae partibus feria V in Coena Domini apponi possint: quod iuxta decisiones eiusdem S. Congregationis allatas negari nequit.

Praeterea sicut fideles repositione SS. Sacramenti in sacello Sepulchri eiusdem institutionis recordantur, ita etiam statuis, imaginibus, symbolis Passionis excitantur ad meditationem passionis, mortis et sepulchri Christi, qui immediate post institutionem SS. Sacramenti passionem suam incepit. Ecclesia ipsa hac die in Officio passionis Domini memoriam facit, et quamvis in Missa institutio SS. Sacramenti praecipue celebretur, in eadem etiam mysteria passionis recoluntur. Nam Introitus Missae agit de cruce, quam Dominus subiturus est, Oratio de memoria proditionis, Graduale de passione et morte Christi, ita ut signis laetitiae ob institutionem SS. Sacramenti, etiam signa moeroris se immisceant. – Conf. Benedict. XIV, de fest. Dom. lib. 1 cap. 6 n. 48.

Si ergo Ecclesia ipsa hac die praeter institutionem SS. Sacramenti recolit passionem Domini, quare ex populi fidelis conspectu statuae et imagines, quae passionem, mortem et sepulchrum Domini indicant, removeri debent, cum fidelium mentes ipsis hisce signis visibilibus ad invisibilia excitentur, ad meditandam Christi passionem moveantur et devotionis igne inflammentur? Fortasse, ne fideles ab adoratione SS. Sacramenti abstrahantur! Nam feria V in Coena Domini Ecclesia unico obiecto tribuit cultum liturgicum, scilicet SS. Sacramento in capsa recondito. Ergo aliud fidelium adorationi publicae obiectum exhiberi Ecclesiae sensui non respondet. Concedo quoad cultum stricte liturgicum, nego tamen quoad extraliturgicum. Ex quo enim tempore etiam fideles ita ad cultum liturgicum obligati sunt, ut cultum extraliturgicum exercere non valeant? Quis enim usum damnare audeat, si v. gr., uti Ratisbonae et alibi in Germania ab immemorabili tempore fit, post Matutinum feriae VI cantatum hac ipsa feria V in Coena Domini Capitulum ecclesiae Cathedralis cum clero, alumnis Seminarii et populo processionaliter per Ecclesiam ad montem Olivarum, uti vulgo dicitur, extra ecclesiam erectum, procedit, ubi tunc mottetum a Palestrina compositum: *Pater mi, si vis, transfer calicem istum a me* cantatur et Ps. 50. *Miserere* recitatur? Quae functio ad cultum liturgicum hac die unico obiecto tribuendum certe referri nequit; sed ista est extraliturgica et sensui Ecclesiae valde correspondet, quae ipsa immediate antea in Antiphonis, Psalmis, Lectionibus ac Responsoriis mysteria passionis et mortis Domini recoluit. Aut quis fideles vituperare velit, si hac die stationes Viae Crucis visitent in

ecclesia, in qua SS. Sacramentum in Sepulchro reconditum est? Quamvis Sepulchro Domini et imaginibus fideles attrahantur et hisce praesertim ad ecclesiam alliciantur, in ecclesia non solum Sepulchrum et imagines visitant, sed etiam Iesum in SS. Sacramento praesentem per aliquot tempus adorant; sin autem dicta symbola removeri debent, a fidelibus in regionibus, in quibus supradicta consuetudo exsistit, visitatio SS. Sacramenti paulatim minuetur, et progressu temporis eliminabitur, uti experientia docet; quo maius animarum damnum inferetur, quam stricta Rubricarum observatione lucrum fiat.

Insuper ista consuetudo immemorabilis feriae V in Coena Domini iuxta regulas iuris Canonici generales iudicanda est, ideoque etiam vim legis habere potest. Nam extraordinaria populi devotio, eiusque tenacitas, nec non grave spirituale damnum oriturum irrationabilitatem dictae consuetudinis tollere censentur; ita ut prudenter iudicari debeat, his circumstantiis Rubricam non obligare ad strictam observantiam.

Alia consuetudo et quidem singularis iam exsistit ab anteactis temporibus in ecclesia cathedrali Lucensi in Hispania, scil.: Feria V in Coena Domini, expleta processione cum Sanctissimo, in repositionis altari accipit Diaconus calicem S. Hostiam continentem, eumdem discooperit, et ita discoopertum statim obiicit oculis trium laicorum hominum, qui de Consilio municipali ad hoc specialiter mittuntur: Praeses nempe cum duobus Consiliariis. Tunc accedunt isti ad mensam altaris et calicem oculis curiosis intus conspiciunt, sedulo inquirentes, an revera S. Hostia exsistat ibidem reposita. Discedunt isti laici et deinde calix in capsula obseratur. Huiusmodi praxis iterum locum habet feria VI in Parasceve, priusquam Sanctissimum ad altare reportetur.

Quae consuetudo contradicit Rubricis Missalis et Caeremonialis Episcoporum, quae non concedunt, ut calix detegatur, postquam ad altare repositionis delatus fuerit, sed volunt, ut calix intactus usque ad Missam Praesanctificatorum reservetur; interrumpit functionem a Missali praescriptam et est magna irreverentia erga SS. Sacramentum, quod laicis tantum adorationis causa exponi, non vero cupiditatis causa spectandi et inquirendi ostendi potest. Porro permultis S. R. C. decretis (conf. Gardellin. Instr. Clement. § 25 n. 8) prohibitum est, ne laici tempore cuiusvis functionis intra presbyterii altariumque septa ingrediantur (conf. num. **157**, **175**, **1258** ad 2, **1288**). Sin autem chorum ascendere saecularibus non licet, eo minus intra functionem usque ad altaris mensam ascendere possunt. Nec unquam laicis concedi potest, ut curiositatis causa inquirant, utrum S. Hostia in calice revera sit an non. Dominus Iesus Christus, dicit S. Thomas in Hymno festi Corporis Christi, SS. Sacramenti «officium committi voluit solis presbyteris»; laici vero a tractando SS. Sacramento omnino excludendi sunt. Quare S. R. C. multis decretis (conf. n. **735**, **813**, **912**, **2335**) prohibuit, ne clavis quidem tabernaculi feria V in Coena Domini laicis tradatur, ad indicandum laicos a SS. Sacramento omnino arceri debere. *Supradicta ergo consuetudo, quamvis sit immemorabilis, est abusus et corruptela et omnino removenda.*

c) *Quoad repositionem SS. Sacramenti.* In Belgicis Dioecesibus et passim Batavis ex immemorabili consuetudine, processione feria V in Coena Domini peracta, SS. Sacramentum *in capsula non* reponitur, (quia usus capsulae in istis regionibus fere prorsus ignotus est) sed calix velo pretioso coopertus in parvo throno in medio altaris erecto palam exponitur; supra calicem coopertum corona aurea vel argentea, seu in aliquibus ecclesiis diadema pretiosum suspenditur, ita tamen, ut velum calicis immediate non tangatur. Fideles per totam diem in magna multitudine (imo in civitatibus v. gr. Namurci continua processio de una ecclesia ad aliam procedit) visitant ecclesias et per aliquot tempus Deum in Sacramento absconditum adorant. Post solis ortum SS. Sacramentum aut sub silentio in tabernaculo reconditur, et feria VI in Parasceve aliquot tempus ante officium liturgicum iterum exponitur usque ad processionem; aut in una vel altera ecclesia SS. Sacramentum manet expositum per totam noctem, et fideles vigilias piissime peragunt et adoratores sibi invicem succedunt usque ad lucem. Circa hanc consuetudinem fideles non sunt indifferentes, sed potius eam cordi habent et non solum de eius suppressione maxime dolerent, sed absque gravi incommodo atque pietatis detrimento hic usus tolli et mutari non posset, uti ex Rescriptis ad S. R. C. patet.

S. Rituum Congregatio die 14 Febr. 1705 in una Ordin. Capuccin. Galliae ad 6 n. **2148**. prohibuit, ne Hostia consecrata a feria V in Coena Domini usque ad ipsius

consummationem in feria VI in Parasceve *patenter exponatur.* Utique hoc decreto usus modo dictus in hac prohibitione stricte non includitur, quia SS. Sacramentum non patenter, sed in calice velo cooperto exponitur, quamvis negari nequeat eumdem usum Rubricis Missalis et Caeremonialis contrarium esse ; qui libri praeclare praescribunt, ut sacra Hostia in calice reservanda in capsula *recondatur, nec palam exponatur :* qua ratione ista consuetudo uti abusus considerari debet, quia repugnat legi Ecclesiae universalis.

Sed haec consuetudo est immemorabilis (iam Romsée in Operibus liturg. tom. III, pag. 122, anno 1830 de hac antiqua consuetudine loquitur), numquam fuit interrupta , Episcopi eamdem prudenti discretione usque in praesens tempus toleraverunt, cum eiusdem suppressio non solum admirationem et rumorem, sed etiam offensionem et scandalum apud fideles excitaret. Populus christianus maximam devotionem erga SS. Sacramentum hac die exhibet, ita ut die noctuque idem visitet et adoret ; quod Ecclesiae sensui perfecte respondet, quae vult, ut ipsa hac die Domino pro institutione eiusdem SS. Sacramenti gratiae maximae referantur. Haec consuetudo non est contra fidem, sed nutrit et fovet fidem, et allicit adoratores ad ecclesias, qui alias hac die ecclesiam vix visitarent ; suppressione autem eiusdem consuetudinis fideles ad adorationem SS. Sacramenti non venient, et magnum bonum, quod inobservatione Rubricarum Missalis et Caeremonialis Episcoporum in dictis regionibus efficitur, in detrimentum animarum observatione earumdem Rubricarum transibit.

Eminentissimi et Reverendissimi Patres! Agitur in hac consuetudine de cunctis vel fere cunctis multarum Dioecesium fidelibus, qui singularissima erga SS. Sacramentum devotione hac die in Coena Domini inflammati sunt ; agitur de totius populi Belgici et Batavi frequenti visitatione in ecclesiis, ut SS. Sacramentum hac die eiusdem Institutionis adorent, in qua ab universa quoque Ecclesia idem visitatur ; agitur de multarum animarum damno, quarum devotio erga SS. Sacramentum alias diminuitur et a quibus idem alias non visitatur. Nonne hoc casu adhibendum est, quod Gardellini in nota ad decisionem diei 23 Sept. 1820 in Volaterrana n. 2609 scribit : « Cum certum sit, consuetudines « inveteratas, quae non uno alterove in loco « obtinent, sed fere ubique inductae sunt, « difficillime abrumpi et tolli posse , prae- « sertim si a Praesidibus scientibus, non « reclamantibus, sed tacite acquiescentibus, « permissae, vel saltem non improbatae cen- « seantur ; curandum est, ut quantum fieri « potest, propius regulae conformentur, et « in abusus damnandos et eliminandos non « degenerent » ; nonne etiam in hac consuetudine principia Iuris canonici generalia adhibenda sunt, cum circumstantiae et graves rationes existant, quae ad strictam Rubricarum observantiam non obligare videntur?

In Archidioecesi Lugdunensi multae consuetudines hac die contra Missale Romanum existunt, uti ex Rescripto ad S. R. C. et ex « Le Cérémonial de la sainte Église de Lyon » ed. 1838 patet. In hoc Caeremoniali n. 1090 dicitur : « Après *Pax Domini* on sonne toutes les cloches, qui ne doivent plus se faire entendre jusqu'au Samedi-Saint. Après les ablutions le Célébrant remet, comme à l'ordinaire, le calice au Diacre, revient au milieu de l'autel, met l'hostie qu'il a réservée dans l'ostensoir, l'élève sur le corporal, se met à genoux sur la plus haute marche, et encense trois fois le Saint Sacrement. On ne doit entonner l'antienne *Desiderio,* que lorsque le Prêtre a encensé le Saint Sacrement. Il remonte ensuite à l'autel, récite la Communion, et termine la Messe comme à l'ordinaire, sans donner la bénédiction...... » n. 1095. « Après le *Benedicamus Domino,* ou l'*Ite Missa est*, on entonne l'Hymne *Pange lingua,* et le Célébrant porte processionnellement le Saint Sacrement au reposoir.... » n. 1097. (Au reposoir) « le Célébrant dépose l'ostensoir sur l'autel, fait une génuflexion ; et l'Hymne étant fini, il chante, sans *Oremus* et sans conclusion, l'oraison *Respice....*, et pendant que les Céroféraires chantent l'*O salutaris,* il encense trois fois le Saint Sacrement, et à la fin de la strophe, il donne la bénédiction avec un seul signe de croix. Après quoi, le Célébrant place l'ostensoir dans la niche de l'exposition, où il doit être voilé, selon l'ancien usage ». In Parasceve autem Celebrans accipit hostiam ex ostensorio, ponit eamdem super patenam, quam corporali involvit et reportat sub silentio ad altare, uti ex n. 1178 eiusdem Caeremonialis elucet.

Ecclesia Lugdunensis suos ritus et suam liturgiam derivat a S. Irenaeo, secundo

eiusdem Dioecesis Episcopo, teste Cardinali Bona, qui *De variis Ritibus divinae psalmodiae* cap. 18 § 9 de ritu ecclesiae Lugdunensis scribit: « Sancta Lugdunensis « Ecclesia, Galliarum primatu insignis, pro- « priis ritibus utitur, quos sanctum Ire- « naeum Episcopum et Martyrem instituis- « se, earum partium traditio est. Ecclesia « ista novitates nescit, et tam in cantu, « quam in caeremoniis et aliis functionibus « Ecclesiasticis antiquitatis tenacissima est ». Quum S. Pius V a. 1570 Missale Romanum reformaverit, illas ecclesias exemit, quae super ducentos annos Missale peculiare habuerunt; Ecclesia autem Lugdunensis iam per mille et trecentos annos possedit et inviolabiliter observavit eodem tempore ritum antiquum, uti Mabillon in Musaeo Italico, tom I p. 2. Sacram. gallic. VII testatur: « Ecclesia Lugdunensis peculiarem in sacris ritum semper retinuit ». Cum ita sit, contra hunc ritum a Romano absonum nihil discerni potest; sed novissimis temporibus etiam Archidioecesis Lugdunensis fere in omnibus Liturgiae Romanae se conformavit.

Ad II quaestionem igitur respondendum censetur: *Affirmative,* exceptis consuetudinibus, quae in Cathedrali Burgensi circa organi pulsationem infra Missam solemnem feriae V in Coena Domini et in Cathedrali Lucensi in Hispania quoad Hostiam a laicis in calice inspiciendam exsistunt.

Quaestio III.

Utrum reiici debeant, an tolerari possint Ss. Sepulchra, quae in Germania et Austria a feria VI in Parasceve usque ad Matutinum Paschae in usu sunt.

In Germania et Austria feria VI in Parasceve peculiaris ritus circa cultum SS. Sacramenti exsistit, scil. quoad *Ss. Sepulchra,* uti vulgo dicuntur, et circa ordinem elevandi SS. Sacramentum e Sepulchro vespere Sabbati Sancti (de quo in quaest. IV agetur). Difficillimum est de his ritibus consentaneam explicationem dare, quia in diversis Dioecesibus Germaniae et Austriae ritus harum functionum valde differt, et ad exitum pervenire non possemus, si omnes ritus enumeraremus.

Ut hunc ritum ob oculos ponamus, potissimum iuxta Rituale Salisburgense anni 1686 eumdem afferre liceat, adiectis aliis circumstantiis, quarum hoc Rituale mentionem non facit.

Feria V in Coena Domini non duae tantum, sed tres Hostiae maiores consecrantur, una sumitur, duae vero in calice mundo in crastinum servantur, secunda scil. pro ostensorio, quod vulgo *monstrantia* dicitur, tertia pro Missa Praesanctificatorum.

Excepta tertia hostia consecranda hac feria V in Coena Domini, in Germania et Austria omnia secundum Missalis Rubricas accurate peraguntur, et etiam feria VI in Parasceve quoad functiones a Missali praescriptas, praeter sequentia:

Feria VI in Parasceve in nonnullis Dioecesibus pro Missa Praesanctificatorum paratur alius calix, in altari maiori collocandus, dum bursa cum corporali et purificatorium pro eadem Missa super eo ponuntur; in aliis Dioecesibus alter calix non collocatur in altari maiori, quia immediate post processionem tertia Hostia consecrata ex calice super corporali ponitur, ut infra dicetur. Quoad processionem servatur ritus in Missali praescriptus. Cum venerit Sacerdos ad altare maius, posito super illud calice, genuflexus in infimo gradu altaris rursum incensat, ascendit et deponit Hostiam ex calice super patenam, quam Diaconus tenet: et accipiens patenam de manu Diaconi, hanc hostiam sacram ponit super corporale, nihil dicens. Deinde calicem, in quo altera sacra Hostia remansit, Diaconus iterum cooperit palla et patena, et desuper velum album expandit et in medio altaris collocat, ita tamen in postrema corporalis parte, ut in sacris caeremoniis non impediat; tunc Missa Praesanctificatorum iuxta Missalis Rubricas perficitur.

In Dioecesibus, in quibus alter calix ad altare non portatur, Celebrans pollice et indice manus dexterae unam hostiam e calice reverenter sumit, et ponit super corporali versus cornu Evangelii, deinde alteram e patena in medium altaris demittit super corporale: digitos autem in vase ablutionis abluit et purificatorio extergit.

Feria VI in Parasceve, vel ante, scribit suprascriptum Rituale Salisburgense sub titulo: « *Ordo ponendi SS. Corpus Domini in Sepulchrum* », tempestive paratur locus vel cappella pro Sepulchro, velis et luminaribus, quantum fieri potest. Et facta a Celebrante in Missa Praesanctificatorum Communione, ardentibus adhuc facibus vel candelis in choro, pro reverentia Hostiae in calice relictae, Celebrans stans imponit incensum in duo thuribula absque benedictione, incensat ter venerabile Sacramentum

genuflexus. Interim ordinatur *lugubris* Processio. Praecedit crux, quam immediate sequitur clerus more solito, luminaria ferens, ultimo loco Sacerdos, casula nigra indutus, calicem coopertum velo albo manibus gestans, cum Ministris sub baldachino seu umbella incedens, choro interim cantante Responsorium : *Recessit Pastor* (ex II Noct. Matut. Sabb. S.) thurificantibus continuo duobus thuriferariis vel uno saltem in minoribus ecclesiis, adhibito quoque malleo ligneo cymbali loco. Interim reverenter ponitur calix cum hostia in loco, corporali mundo strato. Sacerdos facta genuflexione ac deposito velo humerali, removet calicis velum, patenam et pallam; et repetita genuflexione sacram Hostiam e calice desumptam ponit in lunula et in ostensorio, quod densiore velo sericeo albi coloris obtegit. Facta genuflexione purificat digitos super calicem, sumit ablutionem et extergit os et calicem purificatorio. Repetita genuflexione descendit in planum et genuflexus in infimo gradu exspectat, donec Diaconus ostensorium in throno collocaverit. Deinde imponit incensum in thuribulum et genuflexus ter incensat Sanctissimum. Interim cantatur Responsorium *Tenebrae factae sunt* (ex II Noct. Matut. feriae VI in Parasc.). Quo finito dicit Sacerdos ℣. *Christus factus est pro nobis obediens* etc. et Orationem *Respice.*

Haec expositio SS. Sacramenti in ostensorio velato durat per totam diem Parasceves usque ad horam septimam serotinam, qua SS. Sacramentum ex ostensorio sumitur et cum lunula in custodia ponitur; tum silentio cum luminibus ad tabernaculum defertur, ubi particulae pro infirmis asservantur. Sabbato Sancto autem mane ante vel post Missam (consuetudo in hoc puncto valde differt) iterum sub silentio SS. Sacramentum in custodia ad Ss. Sepulchrum defertur, in ostensorium velatum includitur et sub silentio exponitur, incensatione more solito adhibita.

Ad Sepulchrum, dicit Rituale laudatum, ut supra paratum, non minus quam ad hesternum altare, adhibendi sunt nocte ac die testes quidam et custodes ; nec deesse debent, qui secundum ritum antiquum psallant.

In aliis Dioecesibus, postquam Celebrans particulam cum vino in Missa Praesanctificatorum sumpserit, defertur ostensorium ad altare, et Celebrans immittit alteram hostiam maiorem in lunulam et tum in ostensorium velatum, et in medio altaris collocat. Dicto *Quod ore sumpsimus,* Celebrans cum Ministris genuflectit, per gradus laterales Epistolae descendit in planum, ubi loco planetae pluviale nigrum accipit et Ministri manipulos deponunt. Tum incensatur Ssm̃um et Celebrans defert processionaliter SS. Sacramentum in ostensorio velato ad Sepulchrum, ubi Diaconus idem in throno collocat, et tum Celebrans idem iterum incensat.

Ut ritum modo allatum, a Romano valde discrepantem, diiudicare possimus, non erit abs re, eiusdem originis et progressus ordinem historicum usque in praesens explanare.

De initiis repositionis SS. Sacramenti in Sepulchro feria VI in Parasceve iam vita S. Uldalrici, Episcopi Augustani, qui anno 973 mortuus est, lumen affert. In eiusdem Sancti vita (Acta Sanct. a Bolland. tom. II Iul. pag. 103 cap. 3 n. 22) legimus : « Populo sacro Christi corpore saginato (scil. feria VI Parasceves) et consuetudinario more, quod remanserat, SEPULTO ». Et de die Paschatis dicitur ibid. n. 23: « Post Primam intravit ecclesiam S. Ambrosii, *ubi die Parasceves corpus Christi superposito lapide collocavit,* ibique cum paucis clericis Missam de Ss. Trinitate explevit. Expleta Missa *secum portato Christi corpore* .et Evangelio et cereis et incenso et cum congrua salutatione versuum a pueris decantata. . . . perrexit ad ecclesiam S. Ioannis Baptistae etc. ». Ex qua notitia patet, versus finem saeculi decimi, Augustae Vindelicorum, liturgia Parasceves finita, SS. Sacramentum in loco proprio extra ecclesiam principalem esse repositum, quae repositio nomine *Sepulchrum* significata est, et SS. Sacramentum in memoriam sepulti Domini lapide superposito inclusum esse. Locus huius sepulchri lapidei propius quidem non designatur, sed ex Ordine Romano I n. 8 vidimus SS. Sacramentum in sanctuario prope ecclesiam communiter esse custoditum. « Duo acolythi tenentes capsas cum Sanctis apertas, et Subdiaconus... ostendit Sancta Pontifici. Tunc inclinato capite Pontifex salutat Sancta etc. ». Iuxta ritum gallicanum Sanctissimum initio Offertorii ex sacristia ad altare portatum est, quod Gregorius Turonensis (de gloria Martyr. cap. 85) et expositio ritus gallicani Missae apud Martene (Thesaur. nov. Anedoct. tom V, col. 94 et seq.) confirmant. Ex hac informatione erui potest, quomodo biographus S. Udal-

rici repositionem SS. Sacramenti in Parasceve « Sepulchrum » *(corpore Christi sepulto)* significare potuerit; dies enim Parasceves magis quam alius dies sepulturam Christi demonstrat, uti iam Rhabanus Maurus (de instit. cleric. lib. II cap. 37) indicat: « In hac die Vespera cum silentio celebratur, ut quieti Dominicae sepulturae veneratio exhibeatur ».

Hic ritus SS. Sacramentum in Sepulchrum reponendi paulatim divulgatus est, ita ut saeculo decimo tertio in Germania Superiori Sacra Sepulchra iam in usu fuerint; itaque intra decimum et decimum tertium saeculum orta esse debent. Quod eruere possumus ex Rituali Tigurino anni 1260 (ap. Gerbert Monum. liturg. Alleman. tom. II, pag. 858), quod scribit: « Contra omnem « rationem est, quod in quibusdam ecclesiis « Eucharistia in huiusmodi archa, sepul« chrum repraesentante, poni consuevit et « claudi. Ibi enim Eucharistia, quae est ve« rum et vivum Corpus Christi, ipsum Cor« pus Christi mortuum repraesentat, quod « est indecens penitus et absurdum ». Hic locus utique contradicit usui in pluribus ecclesiis iam consueto *(poni consuevit)*, quod particulae consecratae in Parasceve relictae in archam transferantur et recludantur, sed etiam accurate significat tempus, quo Ss. Sepulchra introducta sunt, scil. circa medium saeculi decimi tertii; quamvis de expositione SS. Sacramenti adhuc non est sermo, sed Sanctissimum eodem tempore tantum in Sepulchro reconditum est. Martene de antiqu. eccl. rit. lib. IV cap. 23 pag. 140 aliud argumentum affert pro ritu SS. Sacramentum in Sepulchrum in die Parasceves reponendi, describens ritus antiquos insignis ecclesiae Argentinae ex mss. Ordinario eiusdem ecclesiae anno 1364 concinnato. In quo Ordinario dicitur: « Communione sic « peracta, ministri altaris et hebdomadarius « cum incenso et duobus pueris cum can« delabris vadant ad locum Sepulchri cum « corpore Domini, ubi debet recondi, can« tando ℟. *Sicut ovis ad occisionem* vel « *In pace factus est* cum Antiphona *In pace* « *in idipsum*, Antiphona *Caro mea requiescet*, « et presbytero nectente fila, cantetur haec « Antiphona *Sepulto Domino*, statim dicun« tur Vesperae in eodem loco sub silen« tio. . . . Deinde sepulchrum aspergatur « aqua benedicta, et thurificetur. . . Post « Completorium vadant ad Sepulchrum, vi« sitantes ipsum cum aqua benedicta, di« cendo Ps. *Miserere* ».

Porro *processio* in Parasceve, cuius in vita S. Udalrici supra allata mentio fit, annotari debet, intra quam totum Psalterium recitatum est. Ordo enim Romanus XI (ap. Mabill. Mus. Ital. tom. II p. 137 § 42) ex saeculo duodecimo similem processionem in Parasceve peractam habet: « Dominus Papa... discalceatus pergit cum processione et omnes cum eo, *cantando Psalterium*, usque ad S. Crucem ». Quae processiones ex Hierosolymis ad Occidentem videntur venisse. (Conf. plura ap. *S. Sylvae Aquitanae Peregrinatio ad loca Sancta*, Edit. alt. ex typ. Vatic. 1878 pag. 63-67; ubi describitur, quod fideles cum Episcopo per diem Parasceves Hierosolymis ab una statione in alteram migraverunt, et ultimo ad Basilicam Resurrectionis venerunt, in qua Evangelium de sepultura Christi lectum est). Cum earum statio eo esse deberet, quo SS. Eucharistia in Sepulchro posita erat, mirari non possumus, si decimo quarto saeculo praeter repositionem SS. Sacramenti etiam aliam repositionem, scil. Crucis intra liturgiam adoratae, invenimus; Basilica enim Resurrectionis Hierosolymitana continet utrumque: Sepulchrum Christi et locum, ubi sancta Crux abscondita fuit.

Ut rem melius explicemus, nonnullos Ordines scil. gallicanum et germanicum afferre liceat. Apud Martene (l. c. num. 27, pag. 131) legimus: « Restat, ut breviter « subiiciamus de Officio Dominicae sepultu« rae (fer. VI in Parasceve), quod ita de« scribit vetus Ordinarium Baiocense (ex sae« culo decimo quarto): Hodie paretur se« pulchrum versus cornu altaris sinistrum, « linteaminibus mundis et palliis pretiosis « et aliis, sicut pretiosius fieri consuevit. « Peracto officio et dictis Vesperis sigilla« tim. . . . exuat Pontifex casulam, et *ac*« *cipiens Crucem super altare iacentem* cum « alio sacerdote, incensato prius sepulchro, « *ponat eam* cum magna reverentia *in ipso* « *sepulchro*, supposito pulvinari et albis « linteaminibus. . . . Deinde *accipiat* Epi« scopus de manu Diaconi in pyxide, sin« done cooperta, *Corpus Dominicum*, a die « praecedente reservatum, et ponat illud « honorifice *in ipso sepulchro iuxta crucem*. « Ponat et ibidem Episcopus ex alia parte « Crucis calicem vacuum, patenam, corpo« ralia, sindone involuta. Deinde incenset « sepulchrum et *claudat illud*, et incipiat « cantor ℟. *Sepulto Domino* ».

Tum Martene l. c. affert fere similem ritum ex Missali Sarisberiensi, et alium ex

vetustissimo libro Rituali Parthenonis S. Crucis Pictaviensis; qui posterior tamen quoad deponendum Sacramentum a priore aliquantulum discrepat.

In Dioecesibus Germaniae Inferioris, in quibus repositio SS. Sacramenti probabiliter non fuit in usu, occurrit nobis sola repositio S. Crucis in Sepulchro. Ita in vetere charta monumentorum Paderbonensium pagina 134, de nonnullis parochiis dicitur: « Hae autem parochiae omnia iura parochia« lia habebunt, nisi quod.... *in Parasceve* « *sepulturam Crucifixi non faciant* ». (ap. Du Cange Glossarium verb. *Sepultura Crucifixi*).

In Dioecesibus vero Germaniae Superioris repositio SS. Sacramenti in Sepulchro potissimum viguit. Gerbert (Monum. liturg. Alleman. tom II, pag. 234), sequentem Ordinem saeculi decimi quarti affert: « In « Parasceve.... post Primam legantur se« ptem Psalmi poenitentiales cum Letania. « Dicta Letania, incipiat Domnus Abbas Psal« terium eantque in capitulum et legatur « ibi per totum. Cum legitur Psalmus *Dixit* « *Dominus* exeat Secretarius cum suis coad« iutoribus et *praeparet sepulchrum super* « *gradum*. . . . et praeparet (post Sextam) « *super gradum Crucem*, quae hodie debet « adorari ». Postquam adorationis ritum descripserit, Ordo prosequitur: « Adorata S. Cru« ce sumat Abbas crucem. . . *reponaturque* « *crux retro altare*. (Post Communionem « et Vesperas) Sacerdos *sumat Viaticum* « *eatque ad Sepulchrum* cum incenso et « candelis, cantando: *Ecce quomodo mori*« *tur* etc. *ponensque illud in Sepulchrum,* « incenset *et claudat*... ponaturque cereus « ardens ante Sepulchrum ».

In Germania et in Gallia circa saeculum decimum tertium et quartum usus late diffusus erat, quod cum Celebrante etiam alii Communionem in Parasceve accipiebant. « Sunt, iam scribit Alcuinus, qui quotidie « volunt Eucharistiam sumere, et quia in « Parasceve non conficitur Corpus Domini, « necesse est, ut hi, quibus inest voluntas « communicandi, habeant sacrificium ex prio« ri die; quod tamen Romani non faciunt ». Ad quem finem una cum hostia maiore in Coena Domini reservata etiam particulae minores intra Missam Praesanctificatorum ad altare delatae sunt. « Deferat (Sacerdos ca« sula indutus) Corpus Christi de sacrario « reverenter ad altare. . . . deinde volen« tes communicare communicet », dicitur in vetere Obsequiali pro ecclesia Ratisbonensi anni 1491. Itemque dicitur in Ordine Monasterii Weingartensis anni 1319 (ap. Hess prodrom. monum. Guelfic. pag. 97 seq.): « Et communicat ipse (sacerdos) et diaconus, « exin per ordinem ceteri, ad ultimum in« firmi ». Communione peracta reliquae particulae de altari maiori ad Sepulchrum delatae sunt. « Expleta autem », prosequitur Obsequiale Ratisbonense « communione « fidelium, particulae Corporis Christi, si « quae superfuerint, serventur et portentur « in locum honestum » scil. ad Sepulchrum: uti ex Ordine in sancta nocte Paschae elucet. « Quibus omnibus peractis Sacerdos « cum ministris tollat crucifixum, quod re« praesentatum fuerat, et deferant ad Se« pulchrum, cantantes ℟. *Recessit pastor* « *noster* vel *Ecce quomodo moritur*. Tunc « locent crucifixum in Sepulchrum, et fle« xis genibus legant Vesperas submissa vo« ce. Postremo cantetur lenta voce cum « versu Responsorium *Sepulto Domino*. Tunc « sacerdos dicat ℣. *In pace factus est* et « Orationem *Respice*. Aspergatur et thuri« ficetur ».

Ex duabus ergo partibus liturgiae in Parasceve prodierunt Ss. Sepulchra in Germania et Austria usitata, scil. *ex Communione generali* hac die more recepta, post quam reliquae particulae consecratae in Sepulchro repositae sunt, et *ex adoratione Crucis,* quae hac die in fine liturgiae similiter ad Sepulchrum portata et ad devotionem populi usque ad Matutinum Paschatis reservata est.

Quae repositio tum SS. Sacramenti tum Crucis sepulturam Christi in memoriam redegit; et quoad ornatum externum et apparatum loco repositionis speciem monumenti dedit. Quare ad imitandam cappellam Sepulchri Domini Hierosolymis exsistentem aedificatae sunt in Germania, praesertim in regionibus Rhenanis, ex saeculo undecimo, propriae cappellae, saepius cum accurata imitatione cappellae Hierosolymitanae, (Conf. Kreuser Kirchenbau ed. 2 pag. 221), ad repositionem SS. Sacramenti in Sepulchro; quae cappellae multis luminibus, velis pretiosis etc. exornatae erant. Et cum circa Sepulchrum die noctuque testes et custodes adhibendi sint, qui secundum ritum antiquum pie psallere debeant, propria legata ad hunc finem fundata sunt; uti Petrus Episcopus Augustanus anno 1453 pro Ecclesiae cathedralis Augustanae scholasticis fundationem fecit, ut iidem a Missa Praesanctificatorum usque ad Matutinum Paschae

ante Sepulchrum Psalmos cantarent. (Conf. Braun Geschichte Augsb. III pag. 61).

Circa saeculum decimum sextum etiam in Italia, praesertim Venetiis, usus erat SS. Sacramentum feria VI in Parasceve in solemni processione ad Sepulchrum portandi, ibique reponendi. Quod patet ex Sacerdotali Romano, quod P. Albertus Castellani Ord. Praed. anno 1523 Venetiis publicavit. In hoc Sacerdotali sub Titulo : *De processione in feria sexta in Parasceve ad ponendum corpus Domini in Sepulchrum,* describitur processio solemnis, sed lugubris, cum SS. Sacramento. Omnibus paratis et congregato populo sacerdos accepit reverenter Sacramentum de altari et tenuit illud in manibus, donec ℟. *Plange quasi virgo* cantatum fuerit ; tum posuit corpus Domini in feretro, quod quatuor sacerdotes portabant, et processio progressa est. Cantatis pluribus Responsoriis et quatuor stationibus in via factis, sacerdos ante Sepulchrum accepit SS. Sacramentum de feretro, tenuit illud in manibus elevatum, benedixit populo cum corpore Christi et posuit illud in Sepulchro, quod deinde claudebat et sigillo signabat. Tunc cantatum est ℟. *Sepulto Domino* et a Sacerdete Oratio *Respice.*

Imo etiam Romae hic ritus Ss. Sepulchri introductus est; nam in vita Pauli PP. IV (1555–1559) legimus : « Quibus maxime feriis acerbissimam Christi Domini necem recolit Christiana respublica, *Sepulchrum in Vaticanas aedes invexit* ».

Sed hic usus neque Romae, neque in aliis Italiae partibus per longum tempus retineri potuit : nam ex Rituali Romano a Paulo V a. 1614 edito et reformato Ss. Sepulchri ritus eliminatus est ; sed in Germania propter rumorem et scandalum populi Episcopi non sunt ausi hunc ritum ex Ritualibus Dioecesanis expungere.

Usque ad saeculum decimum quintum SS. Sacramentum in Sepulchro inclusum fidelium adorationi expositum est. Cum autem tempore reformationis haeretici contra realem et essentialem praesentiam Christi in SS. Eucharistia absconditi vehementer praedicarent, eamque exprobrarent et omnino negarent, ac diem Parasceves pro sua confessione festum solemnissimum totius anni elevarent, factum est, ut, ad fideles in confessione verae fidei in Christum in SS. Sacramento vere, realiter et substantialiter praesentem conservandos et confirmandos et ad opponendam luthericae solemnitati die Parasceves aliam catholicam festivitatem, SS. Sacramentum in Sepulchro non amplius includeretur, sed super Sepulchrum sive in calice sive in ostensorio velato Feria VI in Parasceve adorationi fidelium palam exponeretur; *initium itaque huius publicae expositionis fuit confessio verae fidei erga SS. Sacramentum.* Quam publicam expositionem SS. Sacramenti die Parasceves Patres Societatis Iesu Monachii in Bavaria primo introduxerunt, et quidem anno 1577 (1), rogati a Principe Bavariae, uti Ignatius Agricola in Histor. Soc. Iesu Germ. Super. pag. 180 enarrat. Paulus Hoffaeus Provinciae Praepositus a Principe rogatus, ut « populum ardentius inflammaret, in peram- « pla Gymnasii exedra Christi sepulti me- « moriae lugubre monumentum erexit. No- « vum prope illis aetatibus inventum, in « Monacensibus certe templis ad id usque « temporis inusitatum, salubre tamen ». Et pag. 118 et 231 describit hoc monumentum et solemnitatem : parietes nempe exedrae tapetibus nigris velatae sunt, in quibus multa candelabra cum candelis accensis disponebantur. Ibi Iesus in sepulchro iacuit et desuper SS. Sacramentum in monstrantia velata, quasi in nubibus et Angelis adorantibus circumdatum, erat expositum in medio ingentis numeri luminum et candelarum ardentium ; et in circuitu positae erant imagines et statuae passionem Redemptoris repraesentantes. Diversis diei horis musica lugubris sonuit, qua finita P. Paulus Hoffaeus Praepositus Provinciae et P. Ferdinandus Albert Rector Gymnasii alternis vicibus sermones de passione et morte Christi ad populum habuerunt. Omnes sodales, etiam Guilielmus V Princeps Bavariae, eiusque uxor Renata, vestibus lugubribus induti, pedibus incedentes, ad ecclesiam venerunt, campanae non sunt pulsatae, nullus currus in viis publicis strepitum fecit, sed triste silentium fuit in universa urbe eiusque circuitu. Post prandium magnifica sed lugubris processio instituta est, quam ipse Princeps, uxor eius, eorumque familia cum tota aula ducali comitabantur, per plateas publicas ad visitandas ecclesias urbis, in quibus SS. Sacramen-

(1) Aliquantulum prius idem usus in Gandia a S. Francisco Borgia privilegio Apostolico concesso videtur introductus esse, uti ex Rescript. fasc. III patet.

tum in Sepulchro erat expositum. (Conf. etiam Lipowsky Geschicte der Jesuiten in Bayern. tom. I, pag. 199-200).

Haec expositio SS. Sacramenti de urbe capitali per totum ducatum Bavariae celeriter divulgata est, praesertim cum Princeps ipse ad eamdem dedisset causam. Quae expositio publica in Parasceve eo minus admirationem habere potuit, cum saeculo reformationem immediate sequenti in Germania fere ubique usus fuisset SS. Sacramentum in ostensorio frequentissime palam exponendi; ita ut Guilielmus Comes de Wartenberg, Episcopus Osnabrugensis et postea simul Ratisbonensis, contra hanc consuetudinem anno 1651 hoc statuere deberet : « Cum magnus abusus irrepserit, ut « si non in omnibus, saltem in plerisque « locis, Venerabile Sacramentum nimis sae« pe in monstrantia populo proponatur in « altari ; ex hac autem frequentia devotio « et reverentia magis minuatur : hinc omnes « et singuli cuiusque vel ecclesiae vel cap« pellae rectores serio monentur, ne extra « festa infrascripta Venerabile Sacramentum « populo in altari proponatur »; et inter haec festa etiam diem Parasceves et Sabbatum Sanctum enumerat, ut statim videbimus.

Haec publica expositio in Agendis seu Ritualibus Dioecesanis eiusdem temporis quidem non erat praescripta, uti ex Agendis Dioecesis Bambergensis anni 1587 patet; sed paulatim in Germania communiter introducta est, ita ut « Liber Ritualis Epi« scopatus Augustensis ad usum Romanum « accommodatus Henrici Episcopi iussu » anno 1612 Dillingae editus, et Pastorale pro Dioecesi Frisingensi iussu Principis Viti Adami anno 1625 publicatum, ritum calicem velo contectum palam exponendi iam contineant: in praxi autem loco calicis semper ostensorium videtur esse expositum, uti ex supra memorata consuetudine erui potest.

Tobias Lohner S. I., qui opusculum *De Missae sacrificio* anno 1670 primo edidit, part. IV n. 18 ritum iam designat, quomodo SS. Sacramentum in ostensorio ad Sepulchrum deferendum sit, ad verba Missalis in Parasceve : *Sacerdos cum Ministris discedit* adnotans : « Nisi forte venerabile « Sacramentum in Sepulchrum deferendum « est; tunc enim hostiam tertiam, quae fe« ria V ad hunc finem consecrata est, « imponit Hierothecae, ac descendens ad « planum, imposito incenso incensat more « solito Sacramentum, illudque post incen« sationem genuflexus a Diacono accipit, « atque ad Sepulchrum portat, ubi illud Dia« coni genuflexi manibus committit in Sepul« chro collocandum ». Conf. Gobat *Alphabet. sacrific.* tr. III n. 214, edit. a. 1660.

Medio autem saeculo decimo septimo Agenda seu Ritualia Dioecesana Germaniae ritum publicae expositionis communiter continent. Sic Agenda seu Rituale Osnabrugense iussu et auctoritate Francisci Guilielmi Episcopi Comitis de Wartenberg, Coloniae Agrippinae 1651 impressa, in contextu quidem expositionem calicis praescripserunt; sed initio Ritualis Episcopus concessit, ut haec expositio etiam in ostensorio fieri posset. « Item feria VI Parasceves et Sabbato « Sancto illud (scil. SS. Sacramentum) in « sepulchro Domini in monstrantia exponi « poterit ». Hunc ritum praeterea habent: Liber Rituum ecclesiasticorum Episcopatus Eystettensis anni 1662; Rituale sive Agenda ad usum ecclesiarum Metropolitanae et Cathedralium Herbipolensis et Wormatiensis, edita iussu et auctoritate Ioannis Philippi S. Sedis Moguntinae Archiepiscopi, impressa Herbipoli 1671 ; Rituale Frisingense iussu Alberti Sigismundi Episcopi Frisingensis et Ratisbonensis, Monachii anni 1673 publicatum; Rituale Salisburgense anni 1686, uti iam vidimus, et anni 1716 et 1768 ; Rituale Ratisbonense 1703, Bambergense 1724 et iterum impressum a. 1771, Ratisbonense 1831, Vratislaviense 1847, et omnia alia Ritualia Germaniae et Austriae usque ad praesens tempus; ita ut dici debeat consuetudinem SS. Sacramentum feria VI in Parasceve et Sabbato Sancto in ostensorio velato palam exponendi, in dictis regionibus *fere per tria saecula* esse communissimam.

Quibus factis historicis, enarratis, quaestio difficillima exoritur, num hic ritus in regionibus, in quibus dicta consuetudo immemorabilis exsistit, secundum leges ecclesiasticas admitti seu saltem tolerari possit. Permulta et gravia argumenta eidem opponi valent. Primo universus ritus Romanus. Cum Missale Romanum cum suis Rubricis etiam in Germania et Austria plenam legis vim habeat, videtur illicitum esse in tam essentiali ritu a Missali discrepari et consuetudinem retineri, quae non solum Rubricis contradicit, sed etiam spiritum liturgiae feria VI in Parasceve et Sabbato Sancto peragendae valde mutat; nam Ecclesia Romana plenâ absentiâ SS. Sacramenti ab ecclesia cultum tristem de Ss. Redemptoris morte indicare vult. Sed Sabbato

Sancto id adhuc magis indecens esse videtur. Dum enim hac die in Missa *Alleluia* cantatur et resurrectio Christi in Missa solemniter celebratur; Redemptor tamen ipse in SS. Sacramento praesens in Sepulchro quiescens manet, et tandem ante Matutinum ex Sepulchro SS. Sacramentum elevatur, ac Christus uti resurgens ad altare maius solemniter defertur. Etiam argumenta dogmatica contra hunc usum videntur esse; iuxta quem Eucharistia, quae est verum et vivum corpus Christi, repraesentat ipsum Christi corpus mortuum.

Demum huic ritui contradicunt plura decreta S. R. C., inter quae sequentia enumerare liceat. Die 12 Mart. 1836 in Trident. ad 4, n. 2740 quaesitum est: « An « reprobanda ac proinde eliminanda sit con« suetudo, feria VI in Parasceve *de sero* in « ecclesia, et ad *proprium* altare, cum lu« minaribus *iterum* collocandi SS. Eucha« ristiae Sacramentum? » Et S. R. C. respondit: « Abusum esse eliminandum. Ita « servandum esse *mandarunt* ». – Die 8 Augusti 1606 in Mantuana n. 222: « Cum « episcopus Mantuae prohibuerit abusum in« ventum in undecim oppidis seu terris suae « Dioecesis, quae vel ex voto ob acceptas « gratias vel ex devotione solebant feria V « et VI maioris hebdomadae *de nocte* facere « *processiones*, portando SS. Sacramentum « *discoopertum* in tabernaculo, prout fit in « solemni festivitate eiusdem SS. Sacra« menti »; S. R. C. « Visis litteris eiusdem « episcopi Mantuani, ipsum laudavit, et de« cretum ab ipso factum confirmavit: cum si« miles processiones *solemnes* cum SS. Sacra« mento tempore passionis et moestitiae non « conveniunt, nisi feria V in Coena Domini « post Missam ad deponendum et conser« vandum SS. Sacramentum pro officio fe« riae VI sequentis; et similes processiones *de* « *nocte* facere, ut praemittitur, abusum esse « censuit, cum repugnent communi stylo, « ritui, caeremoniis ac mysteriis universalis « ecclesiae: et ideo nullo modo esse eo tem« pore permittendas » declaravit. – Die 13 Mart. 1632 in Corcyren. n. 586, Archiepiscopus Corcyren. supplicavit definiri: « An « permittere debeat inveteratam consuetu« dinem deferendi *processionaliter* feria VI « in Parasceve *de sero* SS. Sacramentum in « quadam *bara* per quatuor sacerdotes, duo « ex Latinis, et duo ex Graecis; an potius « illam in posterum prohibere? » Et S. C. respondit: « SS. Eucharistiae Sacramen« tum nonnisi manibus celebrantis de ma« ne deferendum, et allegatam consuetudi« nem deferendi illud Feria sexta de sero « vel etiam de mane eo die nullo modo « permittendam, sed esse abusum omnino « tollendum; et ita in posterum servari « mandavit ». – Die 11 Febr. 1702 in Lerien. ad 1 n. 2089. « Cum in Lusitania « multis in ecclesiis, praesertim cathedra« libus et collegiatis, feria VI in Parasce« ve, postquam celebrans sumpsit Commu« nionem, soleat fieri *solemnis* processio, « in qua SS. Sacramentum *arca inclusum* « a quatuor sacerdotibus amictu, alba, cin« gulo et stola indutis defertur ab altari « ad sacellum, ubi pridie fuerat recondi« tum, ut ibi usque ad diem Resurrectio« nis iterum recondatur: utrum in prae« dicta processione dicti sacerdotes stola « alba aut nigra uti debeant? » Resp. « Ta« lem processionem tamquam abusum esse « reprobandam et tollendam ». – Die 16 Decembris 1828 in Andrien. n. 2668 petitur, ut in processione, quae ex immemorabili consuetudine feria VI in Parasceve fieri solebat, et ab episcopo prohibita fuit, sacra particula in *quandam urnam* decenter ornatam reponi et *a quatuor sacerdotibus discalceatis per civitatem* deferri possit; ad quam petitionem S. R. C. respondit: « Scribatur Episcopo laudando decretum ab « ipso latum de processionis abolitione; « idemque in posterum omnino servetur ».

Sed hisce argumentis plura alia non minus gravia opponi possunt, quae retinendis Ss. Sepulchris in Germania et Austria usitatis favent.

Ante omnia exsistit, uti supra vidimus, consuetudo immemorabilis, quae, quoad expositionem in calice saltem, per plus quam *quinque* saecula, et circa expositionem SS. Sacramenti in ostensorio certe per *tria* saecula perdurat, quae consuetudo terminis unius vel alterius Dioecesis non definitur, sed omnes Dioeceses plurium magnarum Nationum scil. Germaniae, Austriae, Bohemiae, Poloniae, Hungariae et Slavoniae, complectitur.

Praeterea mos supradictus in succum et sanguinem catholici populi pertransiit, ita ut sine magna et communi concitatione et rumore, imo sine periculo fidei et devotionis removeri non valeat. Cum enim populus huic expositioni SS. Sacramenti feria VI in Parasceve et Sabbato Sancto nimius faveat, SS. Sacramentum diligentissime his diebus ubique visitet, et in bona fide sit, quod ista expositio spiritui sacrae

Liturgiae omnino respondeat, atque cum Episcopi auctoritate ecclesiastica hunc morem non solum concedant, sed etiam Ritualibus Dioecesanis inseruerint, eiusdemque ritum ordinaverint; absoluta eliminatio huius ritus populo catholico gravem tentationem circa suum sensum ecclesiasticum facere, fidem labefactare et simplici fidelium devotioni magnum damnum afferre potest. Iam anno 1856 folium Pastorale Dioecesis Eistettensis pagina 69 scripsit: « Impossibile est Ss. Sepulchra removeri vel saltem expositionem publicam SS. Sacramenti prohiberi ». Episcopus singularis id facere nequit; et si S. Sedes Apostolica Ss. Sepulchra in Germania et Austria usitata prohibere velit, omnesque Episcopi hoc vetitum simul sequantur, valde dubitandum est, num non maius animarum damnum quam lucrum exoriatur. Ad modo dictum magis confirmandum liceat adiicere testimonium Illmi et Rmi Ignatii, Episcopi Ratisbonensis, ab auctore huius Voti requisitum; quod est huius tenoris:

« Ad quaestionem mihi propositam, quoad *sacra quae vocantur Sepulchra* in plerisque Germaniae dioecesibus cum publica Sanctissimi expositione Feria VI post Missam Praesanctificatorum et Sabbato Sancto usque vesperum, haec respondenda duxi:

1. Iam ab antiquo tempore, post medium saeculum XVI ea habentur, verisimiliter in publicam affirmationem augustissimi Corporis Domini in Eucharistiae sacramento vere, realiter et substantialiter praesentis et permanentis; contra novatores, qui dogma catholicum reiecerunt et illis diebus quasi sui erroris compendium celebrant de iustificatione, sola fide et fiducia in mortem Domini recuperata.

2. Usus antiquus arctissime cum fide et pietate et consuetudine populi catholici ubique cohaeret, ita ut absque gravi damno et scandalo vix aboleri queat neque in communi neque in particulari, quamvis speciale edatur de abolitione decretum.

3. Neque hac de re ego, cum plurima ad normam et ritum Romanum reformarem, illis quietioribus temporibus hunc usum eliminandum suscipere potui; sed

4. ritu castigato, quantum fieri potuit, iuxta regulas et leges de tractando Eucharistiae sacramento, publicam, sed velatam Sanctissimi expositionem hucusque retinui, ritumque et caeremonias huiusmodi nuper in Euchologio Ratisbonensi auctoritati Sedis Apostolicae subiiciendas curavi et exinde retinendi licentiam impetravi.

5. Haud dubium, alibi easdem difficultates stare, populumque si caeremoniae pie instituantur, maiora in dies fidei et devotionis incrementa percipere.

Ratisbonae die 4 Iunii 1895.

L. ✠ S. ✠ Ignatius, Episc. Ratisbonen.

Eminentissimi et Reverendissimi Patres! In Germania visitatio Ss. Sepulchrorum quasi confessio fidei consideranda est, saltem in urbibus et regionibus religionis mixtae. Quum enim Protestantes diem Parasceves uti summum festum celebrent, campanas fere per maximam diei partem solemniter pulsent, communionem generalem accipiant, bis vel ter hac die sermones ad populum habeant, etiam hac die Catholici Deum in Sacramento absconditum viva fide confiteri volunt; et cum plurimi liturgiam diei Parasceves parum intelligant, expositio SS. Sacramenti quasi complementum Liturgiae considerari debet. Permulti, qui praeter Missae sacrificium ecclesiam per annum raro visitant, non omittunt, hac die, Ss. Sepulchrum visitare et Sanctissimum per aliquot tempus adorare. Qui numquam his diebus fuerunt in Germania vel Austria, hunc usum animo concipere nequeunt. Sublata tamen hac devotione, cui populus catholicus summo amore adhaeret, nihil populum in ecclesiam allicit, sed forsan in praesenti periculum non abest, ne hac die, quae etiam in Germania festum civile est, multi catholici in protestantium ecclesias ad audiendos sermones adeant; nam in Imperio protestantico omnia tentantur, ut catholici ad protestantismum pertrahantur. Quod periculum quidem in Austria et Bohemia minus timendum est; sed in Polonia, ubi etiam graeci et schismatici cum catholicis commixti sunt, periculum maius est.

« Verissimum est, » scribit D. D. Kagerer, Praelatus domesticus S. Sanctitatis, Canonicus Parochus ecclesiae metropolitanae Monacensis in Bavaria, ad Excell. et Rmum Nuntium Apostolicum in Bavaria, « haud « ullam aliam devotionem tantopere amari a « nostris Catholicis, quantopere amatur *San-* « *ctum Sepulchrum*. Nullo alio die vel festo « totius anni tanta multitudo fidelium ad « Ecclesias convenit, quanta replet omnes « ecclesias in die Parasceves. Millia homi- « num, virorum et mulierum, qui per to- « tum anni cursum nunquam vel raro tan- « tum ecclesiam visitant; veniunt in die Pa-

« rasceves ad videndum et adorandum Sal-
« vatorem nostrum in S. Sepulchro, homi-
« nes cuiuscumque aetatis et positionis, di-
« vites et pauperes, senes et iuniores, imo
« infantes portantur ad S. Sepulchrum. Est
« vere una peregrinatio pia totius popula-
« tionis tum in urbibus tum in pagis ».

« Excellentia Tua Revm̃a ipsa scit, quam
« digne in Cappella Aulica portatur San-
« ctissimum ad S. Sepulchrum, sequentibus
« tum Rege, nunc Principe Regente, tum
« omnibus domus regiae Principibus cum
« candelis accensis. Processiones instituun-
« tur speciales ad visitandum S. Sepul-
« chrum in pluribus ecclesiis. Monachii ex.
« gr. hora quarta Parasceves proceditur ad
« ecclesiam S. Petri, ad Cappellam Aulicam
« in Residentia regia, ad ecclesiam S. Ca-
« ietani et ad ecclesiam S. Michaelis. In
« quacumque ecclesia Sanctissimum in S. Se-
« pulchro per longius tempus adoratur. In
« pluribus ecclesiis socii et sodales piarum
« institutionum, confraternitatum etc. adora-
« tioni SSm̃i incumbunt assidue, ita ut
« nunquam adoratores desint. — Nunquam
« indignum vidi. Episcopi et Parochi in-
« vigilant, ne quid indignum admisceatur.
« Pro populo nostro catholico S. Sepulchrum
« centrum est Hebdomadae Sanctae ».

Quam expositionem Excellm̃us et Rm̃us Nuntius Apostolicus Bavariae confirmat hisce verbis : « Non posso a meno di associarmi
« in tutto a quanto espone e riflette l'egre-
« gio Prelato. Le solenni funzioni del Gio-
« vedì e Venerdì Santo qui in uso nella
« esposizione e riposizione del SSmo Sagra-
« mento producono il miglior effetto nei
« Fedeli eccitando in sommo grado la pietà,
« la devozione e la fede ; ed il popolo è
« oramai così abituato ed ama talmente sif-
« fatte funzioni che una disposizione di cam-
« biarle produrrebbe sugli animi una pes-
« sima impressione e funestissime conse-
« guenze. Le persone più esperte nella Sa-
« cra Liturgia, che ho avuto occasione di
« consultare, convengono che le suddette
« funzioni si scostano alquanto dalle disposi-
« zioni del Ceremoniale dei Vescovi quanto
« alla forma, ma ne conservano pienamente
« lo spirito e la sostanza. . . . . . In que-
« ste contrade in generale da tempo im-
« memorabile si è praticata nel popolo cat-
« tolico una devozione speciale pel SSm̃o
« Sagramento, che nelle varie occasioni si
« cerca di onorare in tutti i modi ; e que-
« sto forse è avvenuto per affermare sem-
« pre più la fede nella presenza reale di
« Nostro Signore, che tutt'all'intorno veni-
« va negata dai Protestanti ».

Quod autem argumentum attinet, S. Sepulchra esse contra Rubricas Missalis, responderi potest : Mos quoad S. Sepulchrum est *minus contra* quam *praeter* Rubricas *Missalis*. Missale quidem dicit, Feria V in Coena Domini duas hostias maiores esse consecrandas, sed non excludit tertiam. Missale nullibi praescribit, ne feria VI in Parasceve SS. Sacramentum in ecclesia esse possit : potius per se putari potest, cum Missale aliquas particulas pro infirmis conservari velit, postea vero de iisdem non loquatur, istas particulas etiam in ecclesia relinqui posse. Caeremoniale similiter vetitum manifestum non habet. S. R. C. die 15 Maii 1745 in Lucana n. 2383 de Sanctissimo pro infirmis conservando quidem dicit : « In publica ecclesia non debet recondi », sed conservationem Sanctissimi in ecclesia non declarat uti abusum, qui in his extraordinariis circumstantiis in Germania exsistentibus omnino eliminandus sit : eo magis cum Memoriale Rituum in casu necessitatis concedat, ut SS. Sacramentum in ecclesia remanere possit.

In omnibus ecclesiis parochialibus die Parasceves et Sabbato Sancto Sanctissimum pro infirmis conservandum est ; quod utique non in ecclesia, sed iuxta Memoriale Rituum « in tabernaculo alicuius remotioris « cappellae in ecclesia (quod congruentius « est) vel in sacristia » fieri debet, et quidem debita cum reverentia et dignitate. Sin autem ista cappella seu sacristia aditum apertum habet, quis fideles impedire velit, quominus diebus acerbissimae Domini passionis hunc Deum in Sacramento absconditum visitent et adorent, et tabernaculum suum luminibus, floribus, ornamentisque circumdent? Quod si conceditur, quoad substantiam Ss. Sepulchrum habemus, saltem secundum antiquiorem formam, in qua SS. Sacramentum in calice repositum erat.

Ritus S. Sepulchri non minus *praeter* Missalis et Caeremonialis Episcoporum Rubricas, quam *praeter eas Ritualis Romani* considerandus est. Haec enim functio prius fuit contenta, saltem quoad translationem et repositionem SS. Sacramenti in Sepulchro, in antiquis Sacerdotalibus, ex quibus praesens Rituale Romanum magna ex parte originem ducit ; qua ex causa Episcopi Germanorum eamdem uti partem Ritualis considerabant et Ritualibus Dioecesanis inserebant. *Praeter* Ritualis Romani Rubricas, uti

iam supra dictum est, aliae consuetudines in aliqua Provincia exsistere possunt, potissimum si sint immemorabiles et laudabiles. Etiamsi expositio SS. Sacramenti die Parasceves et Sabbato Sancto excusari nequit, quamvis in Germania et Austria ostensorium densiore velo cooperiatur, ita ut sacra Hostia videri nequeat, ideoque expositio minus solemnis nec omnino publica sit, eaque quasi irrationabilis quoad libros liturgicos considerari debet; nova tamen ratio antea a legislatore, scil. a S. Sede Apostolica, ignorata supervenit quod scil. visitatio huius expositionis est signum quasi confessionis fidei, et si tollatur, exurget scandalum populi et *Principum*, periculum fidei labefactandae, diminutio magnae devotionis erga hoc Ssmum Sacramentum per praesens existentis etc.: quae causa absque dubio, iuxta principia generalia Iuris canonici tollit irrationabilitatem reprobatae consuetudinis, quia ratio legis est anima legis; ideoque censetur etiam tolli ipsa lex hanc consuetudinem reprobans, saltem pro Germania et Austria, propter speciales ibique existentes circumstantias. Revera hoc casu sequenda est sententia Gardellini, qui in Commentario ad Instructionem Clementinam § 12, n. 6 scribit: « In iis, quae ad disciplinam pertinent, *multam vim* habet locorum consuetudo, et satius quandoque est aliquid tolerare, quod ab aliarum ecclesiarum consuetudine dissentire videtur, quam *ciere turbas quae non sine magno religionis detrimento quandoque etiam ex bona causa excitantur* ».

Argumentum quoque dogmaticum contra Ss. Sepulchra non loquitur. Absque dubio dogma est, quod Christus in Eucharistia in statu impassibili et glorioso praesens est. Sed item certum est, speciem panis proxime corpus, speciem vini proxime sanguinem, distinctionem utriusque speciei distinctionem carnis et sanguinis, ideoque sacrificium mortis Christi in cruce visibiliter repraesentare. Distinctione autem utriusque speciei in Missae sacrificio visibiliter repraesentatur sacrificium crucis. Si vero sanctum corpus Domini sub specie panis absconditum ad Sepulchrum defertur, ibique deponitur, fides erga Ss. Redemptorem in SS. Sacramento praesentem ne minime quidem diminuitur, sed potius ipsa *hac* occasione et ipso *hoc* die nobis conceditur, ut animum in id intendamus, quod species panis proxime repraesentat, scil. corpus Domini in morte pro nobis datum, et in sepulchro repositum. « Hoc est corpus meum, quod pro vobis *tradetur* », seu *frangitur* (uti textus graecus sonat). Nemo autem expositionem Ssmi Sacramenti in Sepulchro ita percipit, ut SS. Sacramentum repraesentet Christum mortuum; sed fideles vivam memoriam mortis Domini retinentes procedunt ad SS. Sacramentum, in quo « recolitur memoria passionis » et mortis Domini, et ex quo loquitur ad eos: « Fui mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum ». (Apoc. 1, 18).

Quod Decreta Sacr. Rituum Congregationis supra allata attinet, eadem non sunt omnino contraria Ss. Sepulchris, si ritus eorumdem ordinationibus et regulis liturgicis, in quantum fieri potest, accommodetur. Nam Decreta allata loquuntur de processione, in qua SS. Sacramentum aut *discoopertum in ostensorio* n. 222, aut *in capsula in modum tumuli formata*, n. 586, aut *in arca inclusum* n. 2089 ad 1, aut *de sero* seu *de nocte* n. 222, n. 586, n. 2740 ad 4, aut *a quatuor sacerdotibus super humeros* n. 2089 ad 1 defertur, quae quidem circumstantiae in Germania et Austria non inveniuntur; directe itaque Sepulchra in Germania usitata nondum a S. R. C. prohibita sunt. Imo S. Congr. Episcoporum et Regularium die 3 Ian. 1582 declaravit et deinde die 29 Mart. 1596 confirmavit, quod si consuetudo deferendi processionaliter SS. Sacramentum feria VI Parasceves non potest absque graviori incommodo exstirpari, est toleranda. Iuxta Cavalieri IV, cap. 20, dist. 44, teste Pitone de Sacr. Rit. n. 84, praedicta consuetudo viguit Venetiis; « et, quatenus, ut ipse ait, privilegio reperiatur innixa (quemadmodum asseritur esse ibi, ut tradit Meratus tom. I, p. 4, tit. 9, n. 79) absque dubio retineri potest, sicut et ubi absque graviori incommodo non potest tolli, uti eamdem tolerat laudatum decretum ».

Quamvis ergo Ss. Sepulchra Rubricis non sint consentanea, eadem a S. R. C. directe nondum sunt prohibita; itaque haec immemorabilis consuetudo perdurat non contra expressam voluntatem legislatoris; quare plenam legis vim habet.

Denique S. R. C. novissimis temporibus pluribus Dioecesibus v. gr. Viennensi, Linciensi, Ratisbonensi, Friburgensi etc. concessit, ut nonnullae consuetudines in dictis Dioecesibus usitatae, sed Rituali Romano minus conformes, retineri possent. Inter quas invenitur etiam ritus Ss. Sepulchri

feria VI in Parasceve et Ordinis Ss. Sacramentum e Sepulchro elevandi; ex quo facto erui potest eamdem Sacram Congregationem etiam in aliis Dioecesibus nihil contra dictos ritus decernere velle.

Ad III quaestionem ergo respondendum censetur: Ss. Sepulchra, quamvis Rubricis Missalis et Caeremonialis non sint consentanea, propter peculiares in Germania et tota Austria exsistentes circumstantias a S. Sede *saltem tolerari posse;* nam

a) haec consuetudo est immemorabilis et perdurat sine interruptione per tria saecula.

b) populus christianus summo amore huic devotioni erga SS. Sacramentum adhaeret, et ista consuetudo sine rumore et scandalo removeri nequit.

c) haec consuetudo non est contra fidem, sed fovet fidem et in aliquibus regionibus quasi confessio fidei consideranda est.

d) ista non est *contra*, sed *praeter* Rubricas Missalis, Caeremonialis ac Ritualis.

e) ista possidet immemorabili duratione quasi vim legis.

f) isti nullum argumentum dogmaticum contradicit.

g) decreta S. R. C. nondum directe eamdem prohibuerunt.

h) eadem S. R. C. istam consuetudinem in quibusdam Dioecesibus iam toleravit.

Quaestio IV.

Quid dicendum sit de Ordine elevandi SS. Sacramentum e Ss. Sepulchro Sabbato Sancto in Germania et Austria exsistente?

Sabbato Sancto in Germania et Austria SS. Sacramentum mane, sive ante functiones liturgicas, sive post Missam solemnem vel cantatam, in custodia sub silentio ad sacellum seu altare Ss. Sepulchri defertur, ibique in ostensorio velato collocatur, iterumque fidelium adorationi exponitur per totam diem usque ad vesperam horae sextae vel septimae. Tum incipit solemnitas Resurrectionis, ut vulgo dicitur, sive Ordo elevandi SS. Sacramentum e Sepulchro.

Ritus peculiaris huius functionis iuxta Rituale Saliburgense supra laudatum anni 1686 est sequens:

Nocte sancta Paschae, hora congrua, Sacerdos indutus alba, stola et pluviali albi coloris et Ministri sacri cum debitis paramentis, praecedentibus thuriferariis cum incenso et thuribulis fumigantibus, sequentibus iuxta crucem duobus ceroferariis cum candelis accensis, choro et clero, singulis cum suis candelis, veniunt ordine ad Sepulchrum, pro deferendo processionaliter SS. Sacramento, ubi facta genuflexione utroque genu aliquantisper orant. Sacerdos surgens et stans imponit incensum in thuribulum asque benedictione. Tum genuflexus thurificat venerabile Sacramentum triplici ductu; Diaconus deinde illud e throno depromptum ponit super altare, corporali stratum, et velum ab ostensorio removet. Sacerdos velo albo oblongo circumdatus, accipit Sanctissimum reverenter et processionali ritu, praecedentibus clericis cum luminibus et ministris continuo thurificantibus, cymbalisque personantibus illud deportat ex Sepulchro per totam ecclesiam (vel etiam extra ecclesiam circa loca vicina, uti in Austria mos est) et tunc ad altare maius, interim choro inchoante, et in tono festivo, (interposito etiam, ubi fieri potest, organo) cantante hymnum: *Aurora coelum purpurat,* etc.

Itaque Sacerdos, cum pervenerit ad altare maius et posuerit ibidem venerabile Sacramentum, facit profundam genuflexionem, stansque iterum imponit incensum absque benedictione, et Sanctissimum triplici ductu genuflexus incensat. Postea canitur a Ministris vel ipso Sacerdote, ipsis deficientibus: ℣ *Surrexit Dominus de sepulchro. Alleluia.* ℟ *Qui pro nobis pependit in ligno. Alleluia. Oremus. Deus, qui hanc sacratissimam noctem etc.* (ex Missa Sabb. S.).

Tunc genuflectunt Celebrans et Ministri in infimo altaris gradu et a choro cantatur Hymnus *Tantum ergo* et *Genitori.* Interim imponitur thus et incensatur Sanctissimum; tum cantantur versiculus et Oratio de SS. Sacramento. Et facta venerabili Sacramento profunda reverentia, Sacerdos accepto super humeros velo oblongo albo, quo in processione usus fuit, ad altare ascendit, SS. Sacramentum reverenter accipit, et stans, cum eodem, populo in modum crucis benedicit, nihil dicens, illudque in tabernaculo, absque ulteriore incensatione, recondit et cum suis ad sacristiam vel chorum redit. – In maioribus ecclesiis inchoatur Matutinum, in cuius fine Hymnus *Te Deum* solemnissime cantatur; in minoribus cantari poterit cantio paschalis: *Surrexit Christus hodie* aut alia conveniens.

Hic ritus solemnitatis Resurrectionis eiusdem antiquitatis est ac Ss. Sepulchra; nam utraque functio arctissime inter se cohaeret, se complet et ab invicem dependet. Quae functio prioribus temporibus non celebraba-

tur vespere Sabbati, utpote in praesenti fit, sed in prima vigilia noctis Paschae ante Matutinum cantandum. Iam in vita S. Udalrici supra allata in quaestione III vidimus, eumdem Sanctum die Paschae expleto Missae sacrificio in ecclesia S. Ambrosii SS. Sacramentum e Sepulchro elevasse et ad ecclesiam S. Ioannis Baptistae detulisse.

Martene de antiqu. eccl. discipl. lib. IV, cap. 25 pag. 181 antiquum ritum Ecclesiae Argentinae ex Ms. a. 1364 eiusdem ecclesiae affert: « Priusquam detur signum ad Matu- « tinum, conveniant in cappellam S. Andreae « canonici, sacerdotes et alii; et sacerdos in- « dutus superpelliceo et desuper cappa, « adiunctis lateribus suis duobus sacerdo- « tibus cappatis, praecedente hebdomadario « cappato, cum incenso et magnis candelis « contortis, et lotis manibus introeant sepul- « chrum. Quo ingresso, faciant confessio- « nem dicendo *Confiteor Deo. Misereatur « vestri*. Deinde dicatur Ps. *Domine, quid « multiplicati sunt* cum Antiphona *Ego dor- « mivi* sub silentio pronuntiata. Tunc sacer- « dos accipiat Corpus Christi de pyxide et « levans in altum ostendat illud populo co- « ram sepulchro; post ostensionem et ado- « rationem populi reponat in pyxidem; et « sic tollentes inde Corpus Domini, rece- « dunt cum Antiphona *Cum rex gloriae* « sub silentio pronuntiata. Sed interim in « choro canitur praedicta Antiphona canora « voce a clero, dimissoque ibi sudario usque « post matutinas. Cum autem pervenerint « in chorum cum Corpore Domini, sacer- « dos stet in altari et ostendat clero et po- « pulo Corpus Christi, levando ipsum sicut « solet levari in Missa; deinde reponat in « pyxidem Corpus Christi et portet ad al- « tare S. Laurentii et ibidem similiter osten- « dat, dimissoque ibi Sacramento reverta- « tur in chorum, lotis ibi prius quatuor « summitatibus digitorum suorum in calice, « statimque compulsentur omnia signa ».

Alium ritum ecclesiae Baiocensis ex saeculo decimo quarto enarrat Martene lib. IV cap. 25 n. 7 et n. 9.

Etiam apud Gerbert (monum. liturg. Alleman. tom. II pag. 236) in Ordine saeculi decimi quarti legimus: « Abbas etc... « eant ad Sepulchrum (scil. ante Matutinum « Paschae) ac illud incensent exterius, de- « inde levato tegumento incensent interius. « Postea sumens Corpus Domini super altare « ponit cantans: *Surrexit pastor*. Interim *le- « vet* Corpus Dominicum ».

Quibus ex dictis elucet, elevationem SS. Corporis Domini e Sepulchro, in quo feria VI in Parasceve depositum erat, iam saeculo decimo quarto in illis locis celebratam esse, in quibus Ss. Sepulchra erant in usu. Sed quum in quibusdam ecclesiis, uti supra vidimus, una cum SS. Sacramento crux in Sepulchro deposita fuisset, etiam elevatio crucis ex Sepulchro facta est. In illis vero ecclesiis, in quibus solus crucifixus in feria VI depositus erat, in nocte S. Paschae, crux sola elevata est. Hic ritus crucem ex Sepulchro elevandi modo dramatico repraesentatus est; et Obsequiale anni 1491 pro Ecclesia Ratisbonensi eumdem nobis ita describit.

« Episcopus aut praepositus aut decanus « sive senior canonicus, indutus stola, ante « pulsum matutinarum, congregato choro, « cum processione et duobus luminibus, fo- « ris ecclesiae clausis, secretius tollat Sa- « cramentum seu crucifixum; et antequam « tollat, dicantur psalmi flexis genibus et « sine *Gloria Patri*, videlicet: *Domine quid « multiplicati sunt* (Ps. 3), *Miserere mei « Deus* (Ps. 56), *Domine probasti me* (Ps. 138). « Sequitur: *Kyrie eleison, Christe eleison, « Kyrie eleison, Pater noster*. ℣. *Et ne nos*. « ℣. *Exsurge Domine, adiuva* etc. ℣. *Fo- « derunt manus meas* etc. ℣. *Domine « exaudi* etc. Oratio: *Da nobis Domine auxi- « lium de tribulatione, qui dedisti pro no- « bis pretium magnum, et quos mors Filii « tui D. N. I. C. redemit, eorum vita te di- « gne glorificet. Per eumdem*. etc. – Finita « collecta aspergatur et thurificetur crux et « portetur ad locum suum, cum ℟. *Cum « transisset Sabbatum etc*. media voce can- « tatur. Et antequam crux in suum locum « reponatur, tangatur porta ecclesiae cum « cruce et dicatur: ℣. *Quis est iste rex glo- « riae?* ℟. *Dominus fortis et potens. Domi- « nus potens in praelio*. Finito Responsio « episcopus vel sacerdos dicat submissa voce: « ℣. *In resurrectione tua Christe, allel*. « ℟. *Coelum et terra laetentur, allel*. Oratio « *Deus qui hodierna die etc*. (ex Offic. « Dom. Resurr.) Sequitur: ℣. *Surrexit Do- « minus vere, allel*. ℟. *Gaudeamus omnes, « allel*. – Finitis his incipiatur pulsus Matuti- « narum, et finito tertio Responsorio reinci- « piatur idem Responsorium: *Cum transis- « set etc*. Et fiet processio cum toto choro « ad Sepulchrum, ibique perficietur Respon- « sorium. Quo finito duo presbyteri stantes « ante Sepulchrum, acceptis (sic!) obumbrali « loco sudarii extendentesque illud cantent « alta voce totam Antiphonam *Surrexit Do-*

« *minus de Sepulchro, qui pro nobis pependit* « *in ligno, alleluia*. Et cantata Antiphona, « episcopus, praepositus vel decanus aut se- « nior canonicus incipiat canticum laetitiae « *Te Deum*, cum quo reditur ad chorum « et completur Matutinum ibidem ».

Hic ritus repraesentatur modo magis dramatico in Ordine saeculi decimi quarti apud Gerbert (monum. liturg. Allem. tom. II. pag. 237) et in Sacerdotali Romano an. 1523. Quum autem mos introductus fuisset, in Sepulchro non crucifixum deponendi, sed SS. Sacramentum sive in calice sive in ostensorio velato exponendi, ritus supradictus solemnitatis Resurrectionis immutari debuit, et ex saeculo decimo septimo usque in praesens omnia Agenda sive Ritualia supra citata maxima ex parte continent eumdem ritum, qui ex Rituali Salisburgensi an. 1686 supra desumptus est, quamvis in nonnullis rebus minoris momenti aliquantulum ab eodem discrepent.

Haec functio solemnitatis Resurrectionis Vespere Sabbati Sancti praesenti tempore in omnibus ecclesiis tam civitatum quam pagorum Germaniae instituitur quanta maxima fieri potest solemnitate; in ecclesiis cathedralibus episcopi ipsi eamdem semper peragunt; Monachii in Bavaria tum rex, nunc Princeps regens, cum omni apparatu aulico, tum principes regii, candelas in manibus tenentes, eamdem comitantur, et millia et millia hominum cuiusque generis, aetatis, gradus et dignitatis confluunt ad singulas ecclesias, in quibus SS. Sacramentum e Sepulchro elevatur, et processio cum Sanctissimo instituitur, quae summa omnium animi alacritate et paschali spiritus gaudio absolvitur. Idemque dicendum est de diversis Nationibus, quae in Imperio Austriaco inveniuntur. « Quod autem Vindobonam attinet », dicitur in quodam Rescripto ad Excellm̃um et Rm̃um Nuntium Apostolicum Viennensem fasc. I, « serio attendendum « videtur, ad Ss. Sepulchrum in Ecclesia « Aulica personas primores de familia Im- « peratoris ordine quotannis nuntiato sibi « succedere in adorando Sanctissimo, ipsum- « que Augustissimum Imperatorem cum « omni apparatu processionem Resurrectio- « nis SS. Sacramenti comitari; porro Vindo- « bonae, praeter festum Corporis Christi, « Sabbatum Sanctum unicum diem esse, quo « sacrosanctae Religioni catholicae e sacro- « rum parietum angustiis egredi et in plateis « urbis cum apparatu suo se ostendere li- « cet; perfidis autem Iudaeis, qui nihil non « tentant, ut omne religionis catholicae ve- « stigium e vita publica deleant, nondum « contigisse, ut Sabbato Sancto Vindobona « catholica non appareat ». In retinenda hac consuetudine solemnitatis Resurrectionis Domini populus non minus tenacissimus est, quam in reservandis Ss. Sepulchris; et haec consuetudo absque magna concitatione, multo rumore et gravi scandalo tam multarum Nationum similiter aboleri nequit.

Ceterum expositio SS. Sacramenti in ostensorio velato, si post Missam Sabbati Sancti fit, non contradicit Rubricis; nam iuxta decisionem S. Rituum Congregationis diei 12 Martii 1661 in Urbis n. 1190 Oratio quadraginta horarum post Missam solemnem Sabbati Sancti iterum inchoare potest. Item ritus solemnitatis Resurrectionis non est contra Rubricas, in qua servantur omnia, quae ex Rubricis servanda sunt in eiusdem processionibus SS. Sacramenti; quia neque Rubricae Missalis aut Caeremonialis Episcoporum, neque decreta S. R. C. talem consuetudinem processionis cum SS. Sacramento prohibent vespere Sabbati Sancti.

Tam Ss. Sepulchra feria VI in Parasceve erigenda, quam solemnitas Resurrectionis Sabbato Sancto instituenda non sunt functiones liturgiae publicae ordinariae, sed liturgiae privatae; cui Germani et Austriaci toto ex corde adhaerent, et ex qua multi fructus spirituales pro animabus procedunt. Vera benedictio Dei super has devotiones quiescit; nam multi, praesertim proceres, visitatione Ss. Sepulchrorum et solemnitatis Resurrectionis in conscientia impelluntur, ut annuae confessionis et communionis officio iterum satisfaciant, uti experientia confessarios docet.

Ad IV quaestionem ergo: *An consuetudo quoad Ordinem elevandi SS. Sacramentum e S. Sepulchro Sabbato Sancto in Germania et Austria exsistens a Sacra Rituum Congregatione tolerari possit*, respondendum censetur: *Affirmative*.

Quare, ut quaestiones praepositae breviter in unum colligantur, concludi debet: « Altare, in quo feria V et VI Maioris Hebdomadae SS. Sacramentum publicae adorationi exponitur, repraesentat non solum institutionem SS. Sacramenti, sed etiam sepulturam Christi, et consuetudines antiquae quoad exornandum hoc Altare statuis et picturis tolerari possunt, uti etiam aliae consuetudines antiquissimae quoad S. Sepulchrum ob peculiares circumstantias in diversis regionibus exsistentes ».

Commentaria, Suffragia et Adnotationes supra relatae sic repetiuntur in Regestis Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis.

In fidem etc.

Loco ✠ Sigilli

DIOMEDES PANICI *S. R. C. Secretarius*